5. 4. 207

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

IOH. NICOLAI FVNCCII
Marburgenſis

DE VEGETA LATINAE LINGVAE SENECTVTE

COMMENTARIVS

Quo

Decreſcens eius linguae dignitas atque fata, ab exceſſu Traiani, vsque ad Principatum Honorii Imperatoris, et Romam a Gothis anno poſt Chriſtum natum CCCCX. expugnatam, deſcribuntur, et notatu maxime digna hiſtoriae literariae monumenta illuſtrantur.



MARBVRGI CATTORVM
Ex Officina PHILIPPI CASIMIRI MVLLERI
clɔ Iɔ cc xxxxiiii.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMIS.

PRINCIPIBVS. ATQVE. DOMINIS.

DOMINO.

MAXIMILIANO.

ET.

DOMINO.

GEORGIO.

LANDGRAVIIS. HASSIAE. PRINCIPIBVS.
HERSFELDIAE. COMITIBVS. CATTIMELIBOCI.
DECIAE. ZIEGENHAINAE. NIDDAE. SCHAVENBVRGI.
HANOVIAE. ETC. ETC.

MAGNIS.

SVMMORVM. GERMANIAE. STATVVM.

BELLI. DVCIBVS.

FORTISSIMIS. SAPIENTISSIMIS.

AC. DIVAE. ORIGINIS. HEROIBVS.

MAXIMA. MAIORVM. AEMVLANTIBVS.
MERITA.

Digitized by Google

INTER. TVBAS. ET. LITVOS.

ET. IMITATRICES. TONITRVORVM. MACHINAS.

RECTAE. PIETATIS. VACANTIBVS. EXERCITIIS.

BELLI. PACISQVE. ARTIBVS.

INCLVTIS.

PATRIAE. DELICIIS.

LITERARVM. ATQVE. LITERATORVM. FAVTORIBVS.

BENEFICIS.

DOMINIS. SVIS. CLEMENTISSIMIS.

PVBLICVM. MENTIS. DEVOTAE.

MONVMENTVM.

DE. VEGETA. L. L. SENECTVTE. LIBELLVM.

CVM. OMNIGENAE. FELICITATIS. VOTO.

CONSECRAT.

AVCTOR.

Digitized by Google

SERENISSIMI PRINCIPES,
DOMINI CLEMENTISSIMI,

Quam ante haec quinque fere luſtra iuris coepi facere publici, criticam Latinae linguae hiſtoriam, ſingulis libris adhuc, vt debui, HASSIACAE DOMVS AVGVSTAE PRINCIPIBVS SERENISSIMIS animo deuotiſſimo conſecrare inſtitui: partesque alias atque alias lucubrationum qualiumcunque mearum PATRIAE PATRIBVS INDVLGENTISSIMIS DIVO CAROLO, FRIDERICO REGI, GVILIELMO REGIS VICARIO, FRIDERICO PATERNARVM VIRTVTVM HEREDI comprobaſſe, non poſſum non mihi in omni vita gratulari. Tantoque confidentius nunc ad VOS, SERENISSIMI PRINCIPES, itidem MAGNI CAROLI FILIOS, Eiusdemque ad gloriam immortalem veſtigia legentes, hanc de vegeta Latinae linguae ſenectute commentationem defero, gratiam atque clementiam a VOBIS eandem mihi promittens, qua PRINCIPES HASSIAE OPTVMI prorſus nihil merentem adhuc me dignati fuerunt. Aliorum nihil curo liuorem, qui me laboris tantillum TOT TANTISQVE PRINCIPIBVS dicare ſubiraſcuntur, tanto quidem maiori veritatis ſpecie, quod ſcripturae genus leue, neque tractationem totam Summorum dignam Heroum perſonis, merito iudicare poſſunt. Noſtis, HEROES FORTISSIMI, ex animo dicantis munera aeſtimare, ſororem bonae mentis, rati, paupertatem eſſe,

Digitized by Google

ſterilesque Muſis liberalioribus ſufficere ſegetes Pindi. Quam maxime in Bonos Principes iniurii ſunt, qui ſecum aliis perſuadere conantur, illos, praeclara dum ſectantur facinora Martis, Muſarum prorſus aſpernari ſacra: quaſi non omnia, etiam aduerſus hoſtes, gerantur armis et conſilio. Victorem magis clementia et ſapiens in victos imperium commendat, quam impotens ſaeuities, ac triſtis regionum depopulatio. Laurus virtutem magis ornat Herois, teſtatam hoſtibus ipſis; quam rorantia ſanguine trophaea, et campis latius ſparſa et inſepulta caeſorum cadauera: quae Libitinae pompam, mortisque ferales potius, quam Principis Magnanimi triumphos oſtendunt. Hic forti manu victoriaque ſibi gratulatur ſubiectos populos, manſuetudinis teſtes; illos pluris ſemper faciendos, quam quorum capita meſſuiſſet gladius, aut quorum ſanguis, lanienae auctoramento ſpecioſiori, humum infeciſſet. Sic belli pacisque artibus regna et reſp. conſeruantur: illisque duobus firmiſſimis imperiorum vinculis, fracta hoſtium ſuperbia et inſolentia, ciues tandem, Principum ſuorum beneficio ſeruati, bene beateque viuere poſſunt. Ea perſuaſione, SERENISSIMI PRINCIPES, conſueuiſtis, Fuluii, Romanos inter fortiſſimi belli ducis, exemplo, Martis manubias Muſis conſecrare, et verae virtutis ornamenta colligere ex eruditiſſimorum hominum monumentis. Atque ita cum alios infinitos, tum ipſos duo gentium plurimarum victores feliciſſimos,

Digitized by Google

liciſſimos, Alexandrum M. et Iulium Caeſarem imitamini: quorum alter, fere oppreſſus expeditionum laboribus, adeo nunquam viſus eſt victricibus armis indulgere, quin literas reſpexerit, atque inprimis Homerum legerit aſſidue, eumque ſemper ſubiiciens puluino, tantum quieti ſubduxit noctis, quantum bella ſibi vindicabant diei: alter etiam inter arma de rebus ſuis commentarios elegantiſſimos conſcripſit, ac ſtudio indefeſſo id egit, vt palmam Ciceroni non minus dubiam reddiderit eloquentiae, quam gentibus ferociſſimis victoriae. Laudis non minus Veſtrae, SERENISSIMI PRINCIPES, debemus Virtuti, qui longe lateque fortitudinis Veſtrae poſuiſtis trophaea, publicae libertatis Vindices, ac Domus Haſſiacae inuicti Heroes. Poſt ſaeua Martis autem munia, atque tot militaria facinora, quibus veterum magnorum Ducum gloriam aut aequaſtis, aut fuiſtis aliquando ſupergreſſi; non illiberale doctorum, velut hybernis, otium amplecti conſueuiſtis, gratiamque teſtari longe maximam illis, qui patriae commodis quocunque modo ſeruire, ſuamque operam illi haud inutilem nauare inſtituerunt. Sint alii euerſores, alii vindices libertatis atque ſalutis publicae: MAXIMILIANVS et GEORGIVS, Haſſiae Principes Fortiſſimi, magnis Praefecti legionibus, magnisque vrbibus, quoad Germaniae gloria et maieſtas ſuperat, aut fortunarum, aut victoriarum pars non exigua erunt. Laudabunt alii res ab Tantis Principibus egregie et fortiter ge-

ſtas.

Digitized by Google

ſtas. Summis alii in coelum laudibus euehent imperatoriam indolem ac praeſtantiam animi, alii alia. SERENITATI VESTRAE deuoti nos literarum cultores, quod Tacitus adeo commendauit in Germanico Caeſare, illo omnibus animi corporisque dotibus, ad miraculum vsque, exculto; ciuile ingenium Veſtrum, obuiam comitatem, conciliandae hominum gratiae ac promerendi amoris mirum et efficax ſtudium, nunquam ſatis praedicare poterimus. Vt Patria vos PRINCIPES OPTVMOS, Haſſiacae Domus Auguſtae Ornamenta, Germaniae Amores, generis humani delicias, vocibus ſolet appellare veriſſimis: hoc dabitis, inter admiratores VESTROS, ſubiectiſſimo ciui, vt publicum mihi deuotionis liceat, cum omnigenae felicitatis voto, ſtatuere monumentum; libellum hunc, tot Principum in bonas literas merita enumerantem, SERENITATI VESTRAE facere ſacrum; atque ita Vobis, vt par eſt, meos aliquo modo probare labores. Viuite, SERENISSIMI PRINCIPES, atque, Numinis fauente gratia, agite, quod inſtituiſtis, ſtrenue: vt Virtutis Veſtrae gloriam, aeterna laude florentem, quam diutiſſime Felices atque Laeti, aliis ſuper alia operibus cumulare poſſitis. Haec votorum ſumma eſt, quae inter clientum, quotquot ſunt, innumeras gratulationes, pro incolumitate Veſtra, qua multorum continetur ſalus, nunquam et ſuscipere, et ſoluere deſinam. Valete. Rintelii

Pridie Kal. Septembr. cIↃIↃccxxxxiiii.

Digitized by Goo

DE

VEGETA LATINAE LINGVAE SENECTVTE

TRACTATVS

CAPVT I.

De vegetae ſenectutis conditione.

§. 1.

Linguae non niſi paulatim ad perfectionem euehuntur, atque decreſcunt. 2. *Quibus vegeta Latinae linguae ſenectus contineatur limitibus.* 3. *Vnde facta linguae conditio deterior.* 4. *Noua ex ſuperſtitione et ignorantia naſcuntur vocabula.* 5. *Graeciſmi obtinent.* 6. *Ac nimium dictionibus vulgo homines luxuriare ſolent.* 7. *Cumulantur dignitatum vocabula.* 8. *Contra ſermonis vſum phraſes componuntur.* 9. *Non parum officit linguae peregrinitas.* 10. *Nobiliora deſiderantur ingenia.* 11. *Ex veterum monumentis corruptio.* 12. *Neque tamen contemnendae ſenectutis vires: cum principum fuerit longe maxima liberalitas.* 13. *Docti ſcholis non ſufficiebant magiſtri.* 14. *Scholae celebriores erant Romae.* 15. *Et in prouinciis omnibus.* 16. *Artium emporia praeſertim frequentabant*

Digitized by Google

Mediolani, Auguſtoduni, Toloſae, Maſſiliae, Burdegalae, in Britannia, et in Africa. 17. *Certi magiſtrorum ordines.* 18. *Deficiebant ſtipendia.* 19. *Rerum mira atque etiam linguarum viciſſitudo.* 20. *Num a Chriſtianis linguae corruptio.* 21. *Chriſto deuoti omnem ornatum deſpiciebant.* 22. *Chriſtiani ſacerdotes ſtudioſae iuuentuti praeficiebantur.* 23. *Dignitas Latinae linguae, quae in omnibus prouinciis valebat.*

§. I.



t Latina lingua non ſubito ad ſummum perfectionis apicem peruenerat: ita nec prorſus, niſi paulatim corrupta eſt. Coepit a virili aetate ſuaque maxima gloria deflectere et ſeneſcere quaſi poſt obitum C. Caeſaris Octauiani Auguſti, ita quidem, vt ad principatum vſque Hadriani, centum atque trium annorum ſpatio, imminere magis, quam premere Latinitatem videretur ſenectus. Senectus ipſa quidem ab eo tempore ſe magis prodidit: vt roboris prorſus nihil ſupereſſet virilis: neque tamen effoeta, aut iners, priſtinam auerſata eſt omnem dicendi gloriam, ſed pro viribus, ad Honorii vſque principatum captamque a barbaris Romam, non omnino contemnenda ſua ſtatuit quibuscunque diſciplinis monumenta: vt eam haud immerito, quoad aetatis vitia ſuſtinere potuit, propter tot exantlatos labores atque varias, quas ſuperauit, difficultates, ſenectutem dixeris vegetam. Ad id Latinitatis fatum vocamur nunc, quod illam pridem a nitore ſuo declinantem magis decreſcere voluit,

Digitized by Google

voluit, ac triſte olim, facto ſemel ab integritate ac religione diuortio, exitium minatur. Ita profecto ſe res vulgo habent mortalium, vt vbi ſemel inclinare coeperint, facilius longe dilabantur atque corruant, quam ab initio coaleſcere potuerunt. Ad haec vſque tempora inclinabat ſermonis Romani elegantia, et natiuus lepor venuſtasque paulatim amittebatur: ad ſenium vero cum peruenisſet, premente vires ea calamitate, praecipiti curſu magis, quam gradu, ad vitia deſcitum, quoad omnis perdita videretur eſſe gratia, atque adeo nihil vel priſtinae caſtitatis, aliarumque virtutum, vel gloriae poſthac Latinam linguam commendaret.

§. II.

Vegetam hanc dicimus Latinae linguae ſenectutem: quod, quum inclinarit eius vigor ad hanc vſque aetatem atque conſenuerit, vt linguae coepimus fata componere cum aetatibus hominum variis, perſentire iam viſa eſt quidem omnia imbecillitatis ſenilis vitia: priſtina interiit cum venuſtate maxima dignitas; exuta omnibus adeo commendata cum viribus gloria et incomparabilis voluptas. Attamen non decubuit plane illa ſenectus: ſed rebus Latinis principum ſuſtentis liberalitate, et ſcriptorum ſolicita, vt potuerunt, ſeruatis cura, pro aetatis conditione, incolumitatem prae ſe ferre quandam viſa eſt; ac monumentis haud prorſus contemnendam virtutis priſtinae memoriam: vt ſenes aliquando ſe nobis repraeſentant corpore vegeto atque ſano, licet roboris expertes virilis ad eadem ſuſtinenda et perficienda, ſe tam valentes et acres praebere nequeant. Praeſtantiam linguae qui maluerunt ſecundum valorem et ſpecies metallorum deſcribere, aetatem hanc vulgo aeneam vocant: eamque per annos prope ducentos et quinquaginta, longius profecto,

Digitized by Google

fecto, quam feliciorem aut iuuentutis, aut roboris virilis aetatem, ab Antoninis ad Honorium imperatorem vſque, et captam a barbaris Romam, ducunt. Alii, atque inprimis OLAVS BORRICHIVS, *a*) temporis hoc interuallum ab Hadriani imperatoris principatu ad captam vrbem ponunt. Et nos, illorum veſtigiis inſiſtentes, quam vegetam vocamus Latinae linguae ſenectutem ab obitu Traiani, h. e. ab anno ſalutis reparatae cxvii. ad Romam vſque a Gothis expugnatam, ſiue ad annum cccc. poſt Chriſtum natum extendimus. Quod temporis ſpatium tres ſupra ducentos et nonaginta annos continet. Ad haec vſque tempora Latinae linguae tanta fuit praeſtantia, quae optima aetate virum, cuius quidem maximi vigoris honos paulo deficientibus quoque tribuitur annis. Iam vero triſtis ſuccedit ſenectus, quae ipſa morbus eſt, multaque ſecum mala trahit. Siue eam cum auro argentoque compoſueris: vegeta vt vt ſuperſit ac integra de patrio ſermone bene merendi cupido: vera tamen illius dignitas atque venuſtas ſenſim ſine ſenſu interiit, ac perdita ſemel dicendi caſtitate gloriaque genuina, praecipiti gradu in deterius ruit: vt aeris, aut vilioris cuiusque metalli ſpeciem prae ſe ferat. Sic ſane licuerit cum HORATIO *b*) conqueri: *Damnoſa quid non imminuit dies? Aetas parentum, peior auis, tulit nos nequiores, mox daturos progeniem vitioſiorem.* Et SENECA *c*) vt poſſitis, inquit, aeſtimare, quantum quotidie ingenia decreſcant: et neſcio, qua iniquitate, et ad quod malum, pronitate naturae, eloquentia ſe retro tulerit. In deterius quotidie data res eſt:

a) Cogitationibus de variis Latinae linguae aetatibus pag. 17.
b) Lib. 3. od. 6.
c) Primae declamationis prologo.

Digitized by Google

eſt: vt ad ſummum perducta rurſus ad infimum velocius quidem, quam aſcenderat, relabatur. Et STATIO iam tum in ſyluarum epiſtola quadam literae viſae ſunt fugere. Cuique facile patet, non modo eloquentiam et linguae Latinae vigorem, verum et reliquas artes ab illa veteri ſua gloria deſciuiſſe, iuuentutis deſidia, parentum negligentia, praecipientium inſcitia, et moris antiqui obliuione. Quae mala primum in vrbe nata, mox per Italiam fuſa, iam in prouincias pene omnes emanarunt.

§. III.

Cauſſa tam repentinae in Latina lingua mutationis non vna fuit. Simul huc referendae ſunt omnes, quas in eo libro expoſuimus nuper, qui de imminenti Latinae linguae ſenectute ſcriptus in lucem prodiit. *d*) Ad Traiani vſque principatum imperatores vel Romae fuerant nati, vel in Italia ſaltem, et proxime vetus Latium verſus eandem cum lingua Latina, ſibi vernacula patriam habuerant: vt tanto fidelius atque accuratius eam ſeruare ac tueri potuerint. Traianus vero primus ipſe fuit, qui ex peregrina gente oriundus rerum potiebatur. Sic euulgato imperii tandem arcano, poſſe principes, extra Caeſarum familiam & domus Auguſtae limites, etiam aliunde legi: mox imperatores facti ſunt plures, non qui in Italia,

d) Cap. 1. §. 6. ſeqq. Etiam ſingulari diſſertatione egimus de cauſſis corruptae eloquentiae. Confer. apud TACITVM auctor dialogi de oratoribus. IOH. STVRMIVS de amiſſa eloquentia. GODOFREDVS VOCKERODT, illuſtris gymnaſii Gothani Rector, diſſert. praelim. ad Cyriaci Guntheri libellum de vitiis Latini ſermonis. Et CL. IOH. ERHARDVS KAPPIVS programmate de cauſſis corruptae hoc aeuo eloquentiae Romanae: quod Paulini a S. Ioſepho Lucenſis orationibus adiecit.

Digitized by Google

ſed in prouinciis nati, Thraces, Pannonii, Africani, Syri, Arabes, Dacae, Dalmatae, Galli, Hiſpani. Quamuis etiam non eſſent peregre nati: vt plurimum tamen diutius in prouinciis commorati ſunt, et patrios vetuſtos peregrinis commacularunt mores. Qui cum imperio erant, quique altiſſimum in rep. obtinebant honoris gradum, ciuium ſuorum ex prouinciis non paucos Romam pertraxerunt: quorum miniſterio, conſiliis, et opera, ad res curandas priuatim et publice vtebantur. Hinc in linguam Latinam ſenſim non ferenda peregrinitas ac nefaria verae indolis peruerſio ſemet inſinuare viſa eſt. Ex locis adeo diuerſis multi, inquinate loquentes, Romae et in Italia, veteri Latinitatis ſede, confluebant: quorum conſuetudine et vſu factum eſt, vt priſtina non potuerit ſalua diu cum ſimplicitate perſiſtere caſtitas: quoad Latini ſermonis ſplendor interierit totus, elegantioris nulla fuerit idiotiſmi ratio; eaque omnium promiſcua conuerſatione, ipſa etiam lingua corruptior in dies deteriorque fieret. Ecquis enim dubitat vulgari ſermone multa, vel praeter ſenſum, trahi? Bene et eleganter OVIDIVS *e*) ad Carum ſcribit:

Nec te mirari, ſi ſunt vitioſa, decebit
Carmina, quae faciam pene poeta Getes.
Ah pudet! et Getico ſcripſi ſermone libellum,
Structaque ſunt noſtris barbara verba modis.
Et placui, gratare mihi, coepique poetae
Inter inhumanos nomen habere Getas.

Pauciſſimi vero fuerant relicti Romae et in prouinciis, qui liberalioribus diſciplinis recte imbuti, Latinae linguae elegantiam et caſtitatem poſtliminio reſtituere, tantoque omnibus

e) Ex Ponto l. 4. eleg. 13. v. 17. ſeqq.

Digitized by Google

bus communi veterno, ac ingraueſcenti magis magisque ſenectutis morbo, bonas artes ſuſcitare, ac ſuſcitatas ſanctius fouere et cuſtodire potuerint. Plurimorum non maxima dicam incuria fuit, ſed turpe otium, quod non poteſt non cum vitiis deteſtandis eſſe coniunctum. Optimarum artium, et incredibile dictu ipſius linguae elegantioris faſtidium plerosque coepit tantum: vt barbaros audire et legere maluerint, quam veteris Latii nunquam ſatis laudandos eloquentiae magiſtros. Et eo res circa Valentiniani et Valentis imperatorum tempora deuenit: vt, AMMIANO MARCELLINO teſte, *f*) *deteſtantes, velut venena, doctrinas, Iuuenalem et Marium Maximum curatiore ſtudio legerint; nulla volumina praeter haec in profundo otio contrectantes.* Idem huius aeui diligentiſſimus ſcriptor ſaepius nobilitatem Romanam exagitat, quod, a liberalioribus diſciplinis aliena, malis otii artibus indulgeret nimium, atque claudi apud ſe in perpetuum, ac ſi abſconditae ſepulchris, elegantiſſimas bibliothecas pateretur.

§. IV.

Vel ignorantia, vel ſuperſtitio, atque peregrinitas ſine omni verecundia linguam in dies magis magisque, neglecta ſemel caſtitate, commacularunt vocabulis atque dictionibus, quae inſolentes et inauditae meliori aeuo, ea ſemet inſinuante communi barbarie, Latinis auribus vix ac ne vix quidem intelligi putuerunt. Cuius furfuris haec innotuerunt primum, nemini ante vſurpata, *abbreuiare, blaſphemare, blaſphemia, calculare, creatura, deuiare, eleemoſyna, ethnicus, excommunicare, glorificare, hypocrita, idololatra, ieiunare, indigitare, iuſtificare,*

f) Lib. 28. c. 4.

Digitized by Google

ficare, *mediator*, *moleſtare*, *obuiare*, *praedeſtinare*, *praeſentare*, *ſanctificare*, *ſcandalizare*, et ſexcenta alia: quae quidem ficta ſemel factaque homines incauti erroris vſu receperunt ita, vt aliquid eiusmodi, velut in ſermone ſuaque doctrina valde neceſſarium, mutare, aut Latinis reddere vocibus, nefas ducerent. Sunt qui ipſius TVLLII g) ſe tuentur verbis: *quanquam ea verba, quibus ex inſtituto veterum vtimur pro Latinis, vt ipſa philoſophia, vt rhetorica, dialectica, grammatica, geometria, muſica, quanquam Latine ea dici poterant, tamen, quoniam vſu recepta ſunt, noſtra ducamus.* Atqui etiam is dixerat paulo ante: *b) Dialectici et phyſici verbis vtuntur iis, quae ipſi Graeciae nota non ſunt. Geometrae vero, muſici, grammatici, etiam more quodam loquuntur ſuo. Item ipſae rhetorum artes, quae ſunt totae forenſes atque populares, verbis tamen in dicendo quaſi priuatis vtuntur ac ſuis.* Quidni et theologis permittamus et relinquamus ſua? Nihil certe obſtat, et facile patimur, ſua cuique eſſe pulchra. Sed Latina eſſe, quae fingere aut innouare pro inſtituti ratione ſuaque doctrina cuique placet, mihi certe perſuaſerit nemo. Caſta olim Romanorum lingua virgo fuit, et religioſe cuſtodienda: cuius virtuti et gloriae tantum decedit, quantum proci cuiusque ſibi permiſit lubido. Habeant ſibi, profundant, perdant, ſua eſſe ducant, et valde familiaria ſibi: Latinitatis purae notam prae ſe tamen ferre nunquam poterunt. Contra qui Latine loqui cupiunt, non nouis vtuntur barbari ſeculi figmentis, ſed elegantiora effloreſcentis et in primis commendatae Latinitatis, quoad ſua caſtitate per-

g) De fin. bon. et mal. l. 3. c. 2.
b) L. c. cap. 1. extr.

perſtitit, minime fallacia monumenta ſequuntur. Iniquiori hoc linguae fato ea ſenties in Latium vetus et elegans inuecta, quae in barbarorum inſulas releganda et tranſmittenda fuiſſent: quae optimi certe ſemper ignorauerunt magiſtri, ac velut genio linguae contraria aequo animo ferre minime gentium potuiſſent. Neque illis fauent CICERONIS, eloquentiae maximi fautoris, monita, qui religioſius ſuam ſemper viſus eſt tractare vernaculam. Et is, *i*) *equidem ſoleo etiam*, inquit, *quod vno Graeci, ſi aliter non poſſum, idem pluribus verbis exponere: et tamen puto, concedi nobis oportere, vt Graeco verbo vtamur, ſi quando minus occurret Latinum.*

§. V.

Etiamſi natiuus perierit iam tum ſermonis Latini honor: vt vix ac ne vix quidem, caſte quam veteres ſeruandam cenſebant, priſtinae dignitatis memores, ab vera virtute nimis abhorrentibus et peregrinis dictionibus immane quantum concederent: optimi ſeculi conſuetudinem tamen ſeruare, et quocunque modo Graeca facere Latina, ſuisque opuſculis inſerere voluerunt. Hinc Graeciſmi, a quibus ſibi non didicerant temperare, paſſim obtinuere plurimi. Et quam verſionis veteres habuerat exercitationem vtiliſſimam, in Latinae linguae detrimentum inſigne transtulerunt. Nam et HIERONYMO *k*) affirmante, *vetus iſte diſertorum mos fuit, vt exercendi ingenii cauſſa Graecos libros Latino ſermone abſoluerent, et quod plus in ſe difficultatis habet, poemata illuſtrium virorum, addita metri neceſſitate, transferrent. Vnde et noſter*

i) De fin. bon. et mal. l. 3. c. 4. extr.

k) Chronici Euſebiani ad Vincentium et Gallenum praefatione.

noſter Tullius Platonis integros libros ad verbum interpretatus eſt. Et cum Aratum iam Romanum hexametris verſibus edidiſſet, in Xenophontis oeconomico luſit. In quo opere ita ſaepe aureum illud lumen eloquentiae quibusdam ſcabris et turbulentis opicibus retardatur, vt qui interpretatum neſciunt a Cicerone, dicta non credant. Difficile eſt enim alienas linguas inſequentem non alicubi excidere. Arduum, vt quae in aliena lingua bene dicta ſunt, eundem decorem in translatione conſeruent. Significatum eſt aliquid vnius verbi proprietate, non habeo meum, quo id efferam: et dum quaero implere ſententiam, longo ambitu vix breuia ſpacia conſumo. Accedunt hyperbatorum anfractus, diſſimilitudines caſuum, varietates figurarum: ipſum poſtremo ſuum, et vt ita dicam, vernaculum linguae genus, ſi ad verbum interpretor, abſurde ſonat: ſi ob neceſſitatem aliquid in ordine, in ſermone mutauero: ab interpretis videbor officio receſſiſſe.

§. VI.

Ingraueſcente iam Latinae linguae ſenectute verbis atque dictionibus mirum quantum luxuriare coeperunt, atque adeo ſub ſpecie recti, vel decoris, commaculare omnia. Non ſine gratia quaedam obſeruarunt ab optimis L. L. ſcriptoribus translata fuiſſe: illud vero non obſeruarunt, quod ſummis quibusque oratoribus adeo fuit commendatum ſemper, et in hominum ſermone non minus eſt vtile, quam in omni vita, ne quid nimis. Plerique his ſuſpicioſiſſimis temporibus, ſed maxime Africani, iudicio lapſi, ſummam ingenii laudem crediderunt eſſe, nihil ſimpliciter in oratione ac proprie efferre, ſed monſtroſas quam maxime et prodigioſas gignere figuras, dare verbis ſignificationes alias, et iungere iſta, praeter conſuetudinem, pro lubitu. Hinc oratio, quam ſibi

ſibi perſuadebant, ſatis politam et ornatam placere omnibus, nimio et immodeſto translatorum vſu, in allegorias et aenigmata degenerauit. Quum Ciceronis et aequalium tempore caſtum et illibatum ſeruarent L. L. nitorem et elegantiam: metaphoris ea, tanquam gemmis & auro diſtinctis ornamentis, quam maxime ſemet commendare videbatur. Incomtus vero huic conſuetudini ſucceſſit intumeſcendi pruritus. Veraque illa ſermonis optumi ſuauitas deterioribus ſeculis, ſimplicem caſtamque munditiem aſpernantibus, non ſatis placuit AMMIANO MARCELLINO, et ſimilibus huius aetatis ſcriptoribus, qui parum aliquid putabant eſſe Latinum et elegans, niſi metaphoris et allegoriis inuolueretur. *l*) Imo in verbis quotidiani ſermonis pluribus foeda ac pudenda vitia deprehenduntur. Et iam tum QVINTILIANVS ſuo tempore conqueſtus fuerat, dicendi valde mutatum eſſe genus, et magis quam oportuiſſent homines ſibi indulſiſſe: vt totus iam prope mutatus ſit ſermo. Hanc elegantiorum literarum ruinam DIOMEDES grammaticus quoque notat: *iniecit poſtera aetas manum: et veluti diſciplinam priſtini ſeculi, ita ſermonem faſtidire coepit, & noua veluti parturire verba.* Et alibi: *quid quod nihil iam proprium placet, dum parum creditur diſertum, quod alius dixerit. A corruptiſſimo quoque poetarum figuras, ſeu translationes mutuamur. Tum demum ingenioſi, ſi ad intelligendos nos opus ſit ingenio.* Sed omnium optume A. GELLIVS *m*) de ſuis temporibus teſtari potuit, qui animaduertere eſt, inquit, pleraque

 verborum

l) Confer. CAVSSINVS de eloquentia ſacra et profana l. 2. c. 9. p. 92.

m) Noct. Attic. l. 13. c. 28. init. Confer. comment. de imminenti Latinae linguae ſenectute c. 1. §. 10.

Digitized by Google

verborum Latinorum ex ea ſignificatione, in qua nata ſunt, deceſſiſſe, vel in aliam longe, vel in proximam: eamque deceſſionem factam eſſe conſuetudine et inſcitia temere dicentium: quae cuiusmodi ſint, non didicerunt.

§. VII.

Cumularunt imperatores, temporis ſucceſſu, dignitatum nomina et titulos. Ordines aliis alii ſuccedebant. Et vis Latinae linguae inferri videbatur hominum aſſentatione, faſtu et ſuperbia: vt etiamnum fieri videmus, eademque ſemper luditur fabula. Sic toto coelo magiſtratus, qui fuerant Romae, libera florente cum lingua rep. differunt ab illis, vtut nomina retinuerint, ſequioris ſeculi iudicibus. Multa ab imperatorum indulgentia, vel peregrinitate, multa ab luxu, aliisque temporum vitiis traxerunt: quae candidis caſtisque elegantioris aeui ſcriptoribus inaudita fuerunt. Inprimis adulta Latinae linguae hac ſenectute notandus Conſtantinus Maximus imperator, qui, Byzantio ampliato, et in aliam ſui nominis vrbem conuerſo, imperii ſedem alteram, Romae aemulam, conſtituit: vt, quemadmodum Roma occidentis, ſic Conſtantinopolis orientis reliquas inter ciuitates omnes metropolis eſſet. Conſtantinus ergo Romanum imperium, quod ſingulare fuerat ac vnum, primus in partes diſcidit, eiusque ornamenta plurima in orientem transtulit. Haec noua rerum facies atque diuiſio inſignem non modo in remp. traxit commutationem, totamque magiſtratuum, ac veteris ſiue ciuilis, ſiue bellicae adminiſtrationis rationem peruertit: verum etiam linguae adhuc vacillantis genium veramque indolem egregie tot aliarum gentium tumore et licentia turbauit. Duplex quadammodo imperii caput duplices exigebat magiſtratuum ordines: quos ille ſemel ab inſti-

tutis

Digitized by Google

tutis veterum deuius, pro arbitrio ſuo, ac temporum ratione formauit: prouincias aliter deſcripſit, remp. ſimul atque militarem diſciplinam aliter conſtituit; ac nimium indulſit Graecorum moribus et linguae. Vtut nemo facile ierit inficias, multa eum recte ac prudenter emendaſſe: multorum exuiſſe barbariem, et ſtudio paſſim literarum excitato, manſuetioris imperii auctorem fuiſſe: ſimpliciorem multo et clariorem iurisprudentiam reddidiſſe: erroribus obicem poſuiſſe ac ſuperſtitioni, et optimo conſilio cum ſacris ſalutaria Chriſtianorum praecepta fauiſſe: quorum quanto ſtudio libertatem et pomoeria auxerit, eccleſiaſtica monumenta loquuntur. Id iam non agimus, ſed magnam Latinae linguae vim illatam, multaque verba notamus recens inuenta eſſe, poſtquam Conſtantinus, noua conſtitutione, imperii faciem inuertit, nouas dignitates, veteribus ſuppreſſis inuenit, atque adeo remp. inutili officiorum et vocabulorum turba onerauit. *n*)

§. VIII.

Neque in ſingulis vocibus ſolum, ad infringendam linguae priſtinam gloriam, ſcriptores iam effuſius et immoderatius luxuriare videbantur: verum etiam in compoſitis ſententiis, aut phraſibus, quas vocant, ſuo malebant indulgere ingenio, et fingere pro lubitu omnia, quam optimorum elegantioris linguae ſacerdotum ſeruare conſuetudinem et vſum loquendi. Sic incautis nouatoribus religioni non fuit, dicere potius, vt exempli gratia hoc proferam, *bona opera facere*; *peccata remittere*;

 legem

n) Vid. CLAVDIVS CHIFFLETIVS de ſtatu reip. Rom. ſub Conſtantino M. et eius filiis. Quam tractationem Valeſii et Gronouius Ammiano Marcellino praefixerunt. Notitia dignitatum vtriusque imperii, et in eam G. PANCIROLI commentarium.

Digitized by Google

legem implere; et ſimilia: quam ex genio linguae, *virtutum praeſtare officia*; *virtutibus elucere*; *veniam dare*; *delicti facere gratiam*; *legem obſeruare*, aut quae ſunt huius generis alia. De dictione vero, eiusque hoc aeuo factis familiaribus vitiis, ſuo loco agemus inferius. Ita ſane vix ferenda erat innouatio verborum, et inſolens dictionum compoſitio. Sufficiens quidem videbatur eſſe vbique locorum elegantioris doctrinae inſtitutio. Oppido erant multi rhetores et grammatici, quorum inprimis intererat, ſartam tectam ſeruare gloriam linguae, et bene dicendi rationem ab ingruentibus vitiis liberali vindicare manu. Sed quotusquisque eorum non figmenta et pro lubitu excogitatas exornationes ſuas, ſatis aliquando pueriles, veterum caſtae facilitati praeferebat. Floſculos captabant inepte. Maſculam eloquentiam ne tanti quidem faciebant, cuius ne vmbra quidem ſupereſſe videbatur. Affectatas malebant argutias, abruptasque vel abſtruſas ſententias, quam Tullianam omnia ſuperantem copiam, vim, atque perſpicuitatem. Artium deficiebant magiſtri, qui recta rem agerent ſolicitudine, ac veterum poſtliminio praecepta reſtituerent. Liberaliores diſciplinae et optima ſtudia inanibus grauabantur rebus plurimis, quoad peſſundata ſuccumberent tandem et euaneſcerent. Obſoleta, ſordida, recens facta, peregrina, barbara miſcebant. Incerta vacillansque dicendi ratio varias facile admittebat non modo dialectos; verum et incomtas hoſpitum voces, ac pro lubitu orationis vel commaculandae, vel detorquendae licentiam captabant. Sic, vt Plato apud TVLLIVM *o*) Athenienſes olim, nos iam Latina lingua loquentes ſenectute propemodum deſipientes offendimus. Nec

o) Lib. 1. ad famil. epiſt. 9. n. 45.

Digitized by Google

Nec SYMMACHVS ipſe diffitetur, *p*) linguae ſui ſeculi Atticam ſanitatem deeſſe: et trahi temporis vſu in argutias plauſibilis ſermonis. Et A. GELLIVS: *q*) *animaduertere eſt*, de corrupto aetatis ſuae ſtatu queritur, *pleraque verborum Latinorum ex ea ſignificatione, in qua nata ſunt, deceſſiſſe, vel in aliam longe, vel in proximam: eamque deceſſionem factam eſſe conſuetudine & inſcitia temere dicentium, quae cuiusmodi ſint, non didicerint.*

§. IX.

In eo libro, quem de imminente Latinae linguae ſenectute ſcripſimus, id egiſſe nobis videmur, vt cuilibet facile pateat, iam tum Caeſaris Tiberii temporibus, Latinam linguam haud parum propter hominum plurimorum, qui ex peregrinis ciuitatibus atque prouinciis ciuitate Romana fuerant donati, frequens commercium atque concurſum, aetatis iniquiori fato corrumpi coepiſſe. Peregrinitas illa quidem ſemper Latinitati fuit inimica: vt ipſe TVLLIVS quoque, *r*) a cuius aeuo rectae Latinitatis exempla petimus, eam valde timuerit ſermonis peſtem. *Omnes*, inquit, *fere, qui nec extra hanc vrbem vixerant, nec eos aliqua barbaries domeſtica infuſcauerat, recte loquebantur. Sed hanc certe rem deteriorem fecit vetuſtas, et Romae, et in Graecia. Confluxerunt et Athenas, et in hanc vrbem, multi inquinate loquentes ex diuerſis locis.* Sed initio tamen adeo nitori ſermonis ad ſummum elegantiae gradum prouecti nocere non poterat: quod religioſius ſuae linguae caſtitatem ſeruare conſueuerant. Vti vero per gradus paulatim adoleuerat Latina lingua, ita cum primum ſeneſcere viſa eſt, atque

p) Lib. 3. epiſt. 11. confer. l. 4. epiſt. 28.
q) Noct. Attic. l. 13. c. 28. *r*) In Bruto cap. 74.

Digitized by Google

legem implere; et ſimilia: quam ex genio linguae, *virtutum praeſtare officia*; *virtutibus elucere*; *veniam dare*; *delicti facere gratiam*; *legem obſeruare*, aut quae ſunt huius generis alia. De dictione vero, eiusque hoc aeuo factis familiaribus vitiis, ſuo loco agemus inferius. Ita ſane vix ferenda erat innouatio verborum, et inſolens dictionum compoſitio. Sufficiens quidem videbatur eſſe vbique locorum elegantioris doctrinae inſtitutio. Oppido erant multi rhetores et grammatici, quorum inprimis intererat, ſartam tectam ſeruare gloriam linguae, et bene dicendi rationem ab ingruentibus vitiis liberali vindicare manu. Sed quotusquisque eorum non figmenta et pro lubitu excogitatas exornationes ſuas, ſatis aliquando pueriles, veterum caſtae facilitati praeferebat. Floſculos captabant inepte. Maſculam eloquentiam ne tanti quidem faciebant, cuius ne vmbra quidem ſupereſſe videbatur. Affectatas malebant argutias, abruptasque vel abſtruſas ſententias, quam Tullianam omnia ſuperantem copiam, vim, atque perſpicuitatem. Artium deficiebant magiſtri, qui recta rem agerent ſolicitudine, ac veterum poſtliminio praecepta reſtituerent. Liberaliores diſciplinae et optima ſtudia inanibus grauabantur rebus plurimis, quoad peſſundata ſuccumberent tandem et euaneſcerent. Obſoleta, ſordida, recens facta, peregrina, barbara miſcebant. Incerta vacillansque dicendi ratio varias facile admittebat non modo dialectos; verum et incomtas hoſpitum voces, ac pro lubitu orationis vel commaculandae, vel detorquendae licentiam captabant. Sic, vt Plato apud TVLLIVM *o*) Athenienſes olim, nos iam Latina lingua loquentes ſenectute propemodum deſipientes offendimus. Nec

o) Lib. 1. ad famil. epiſt. 9. n. 45.

Digitized by Google

Nec SYMMACHVS ipſe diffitetur, *p*) linguae ſui ſeculi Atticam ſanitatem deeſſe: et trahi temporis vſu in argutias plauſibilis ſermonis. Et A. GELLIVS: *q*) *animaduertere eſt*, de corrupto aetatis ſuae ſtatu queritur, *pleraque verborum Latinorum ex ea ſignificatione, in qua nata ſunt, deceſſiſſe, vel in aliam longe, vel in proximam: eamque deceſſionem factam eſſe conſuetudine & inſcitia temere dicentium, quae cuiusmodi ſint, non didicerint.*

§. IX.

In eo libro, quem de imminente Latinae linguae ſenectute ſcripſimus, id egiſſe nobis videmur, vt cuilibet facile pateat, iam tum Caeſaris Tiberii temporibus, Latinam linguam haud parum propter hominum plurimorum, qui ex peregrinis ciuitatibus atque prouinciis ciuitate Romana fuerant donati, frequens commercium atque concurſum, aetatis iniquiori fato, corrumpi coepiſſe. Peregrinitas illa quidem ſemper Latinitati fuit inimica: vt ipſe TVLLIVS quoque, *r*) a cuius aeuo rectae Latinitatis exempla petimus, eam valde timuerit ſermonis peſtem. *Omnes*, inquit, *fere, qui nec extra hanc vrbem vixerant, nec eos aliqua barbaries domeſtica infuſcauerat, recte loquebantur. Sed hanc certe rem deteriorem fecit vetuſtas, et Romae, et in Graecia. Confluxerunt et Athenas, et in hanc vrbem, multi inquinate loquentes ex diuerſis locis.* Sed initio tamen adeo nitori ſermonis ad ſummum elegantiae gradum prouecti nocere non poterat: quod religioſius ſuae linguae caſtitatem ſeruare conſueuerant. Vti vero per gradus paulatim adoleuerat Latina lingua, ita cum primum ſeneſcere viſa eſt, atque

p) Lib. 3. epiſt. 11. confer. l. 4. epiſt. 28.
q) Noct. Attic. l. 13. c. 28. *r*) In Bruto cap. 74.

Digitized by Google

atque decreſcere ſub Tiberii principatu, magis atque magis in dies aetatis vitia perſentire debuit. Roma tandem translata Conſtantinopolin imperii ſede, non potuerunt non in ea vrbe, et paſſim vbique per omnes orientis prouincias Latina lingua vtentes valde inquinate loqui. Et vulgo conſtat, ipſos Caeſares Conſtantinopolitanos, Latine loquentes, vt plurimum ἑλληνίζειν. Nec immerito FRANC. BALDVINVS *s*) in lege Conſtantini, edicentis, iuſtas fiſci actiones, ob hoc ſolum, quod ſuis temporibus non ſint prolatae, *cremari*: vt calumniae priuatorum eo arceantur exemplo, quo iuſtae fiſci lites ſilent; iſtud cremari, a verbo κρεμάω, *ſuſpendi* interpretatur. Et alibi *t*) quam maxime dolet, interdum eius imperatoris conſtitutiones, propter obſcurum dicendi genus, in contrariam ſententiam contorqueri.

§. X.

Optima ingenia, vel propter Chriſtianam doctrinam, ad tempora vſque Conſtantini Magni, ludibrio habebantur: et merita etiam maxima illorum omnibus cumulabantur conuiciis. Arte rhetorica in primis Cyprianus inclaruit, ſuamque multifariam prodidit eruditionem. Attamen, LACTANTIO teſte, *v*) *placere vltra verba ſacramentum ignorantibus non* potuit: *quoniam myſtica ſunt, quae locutus eſt, et ad id praeparata, vt a ſolis fidelibus audiantur. Denique*, pergit, *a doctis huius ſeculi, quibus forte ſcripta eius innotuerunt, derideri ſolet. Audiui ego quendam hominem, ſane diſertum, qui eum immutata vna litera Coprianum x*) *vocaret, quaſi quod elegans ingenium, et melioribus rebus aptum*,

s) Conſtantino Magno pag. edit. Gundlingianae 212.
t) L. c. pag. 168. *v*) Diuinarum inſtit. lib. 5. c. 1. extr.
x) *Caprianum* fortaſſis rectius legunt.

Digitized by

aptum, ad aniles fabulas contuliſſet. Quod ſi accidit hoc ei, cuius eloquentia non inſuauis eſt, quid tandem putemus ei accidere, quorum ſermo ieiunus eſt et ingratus, qui neque vim perſuadendi, neque ſubtilitatem argumentandi, neque vllam prorſus acerbitatem ad reuincendum habere potuerunt?

§. XI.

Linguae corruptio non ſatis deploranda eſt ex veterum monumentorum corruptione, quae caſtitatem eius atque dignitatem ad poſteros propagare debuiſſent. Mirus autem et incredibilis hac aetate librariorum ſtupor fuit atque inſcitia, vel incuria et negligentia: vnde non potuit non inſignis promanare in linguam quotidie magis feneſcentem ac robore ſuo deficientem barbaries: cum ne errores quidem multi animaduertere, aut priſtinum nitorem reſtituere potuerint. Malum iſtud iam tum Ciceronis aetate obſeruatum, ſed quouis etiam modo emendatum fuit. *y*) Sui temporis vecordiam in hoc genere accuſat STRABO: *z*) Βιβλιοπῶλαί τινες γραφεῦσι φαύλοις χρώμενοι, καὶ ἐκ ἀντιβάλλοντες, ὅπερ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων συμβαίνει τῶν εἰς πρᾶσιν γραφομένων βιβλίων, καὶ ἐνθάδε, καὶ ἐν Αλεξανδρείᾳ. *Librorum venditores quidam ineptis vſi librariis, neque cum exemplari deſcripta comparantes: quod et aliis accidit libris* (praeter monumenta Ariſtotelis) *qui exſcribuntur vendendi cauſſa et Romae, et Alexandriae.* Quamobrem et IRENAEVS et HIERONYMVS *a*) librarios obteſtatur et iure quaſi adigit iurando, vt diligentius conferant ac emen-

y) Vid. WOWERVS de polymathia c. 18. p. m. 146.
z) Geogr. l. 13. p. m. 419. *a*) Chronicorum initio. EVSEBIVS hiſt. eccleſ. l. 5. c. 20. Confer. FRANC. BALDVINVS Conſtantino Magno pag. edit. Gundlingianae 35. ſeqq.

emendent, quae ſcripſerint. Atque hic etiam ad Lucinium ſcripſit: *Si paragrammata repereris, vel minus liquido deſcripta, quae ſenſum legentis impediant: non mihi debes imputare, ſed imperitiae notariorum, librariorumque incuriae, qui ſcribunt, non quod inueniunt, ſed quod intelligunt, et dum alienos errores emendare nituntur, oſtendunt ſuos.* Idem ad Auguſtinum: *hic liber de illuſtribus viris, vel de ſcriptoribus eccleſiaſticis appellandus eſt: licet a plerisque emendatoribus imperitis de auctoribus dicatur inſcriptus.* Et ad Damaſum: *b) multa a praeſumtoribus imperitis emendata peruerſius, vel a librariis dormitantibus aut addita, aut mutata corrigimus.* Longe vero maxima fuit incuria ſculptorum: vt nullibi non in marmoribus graffi errores obueniant. *c)* Perluſtremus quaedam ex PAVLI ARINGI Roma ſubterranea, ſiue potius eius compendio, quod CHRISTOPH. BAVMAN adornauit, ſatis horrida, et in ipſa vrbe Romana minime Romana. Ita legimus: *d)* ☧ MARTYRES SIMPLICIVS ET FAVSTINVS QVI PASSI SVNT IN FLVMEN TIBERE ET POSITI SVNT IN CIMITERIVM GENEROSES SVPER PHILIPPI. Item: *e)* + HIC REQVIESCIT IN PACE SABINVS VS *f)* PREF. ANN. QVI BISSIT ANNVS LIII. ET DIES XXIIII. DP. XVI. KAL. AVGVSTAS CONS. SYMM. ET BOETIO VC CONSS. Item: *g)* IC QVISCET CVTINVS IN PACE QVI VIXIT ANVS P. M. XXCMC. DEPOSIT ONORIO ACVSTOC. LAVRENTIVS AMICVS DOMSI SCRIBET. Item: *h)* SE BIBA EMET DOMNINA

b) Praefat. in IV. Euangel. *c)* Vid. OLAI BORRICHII diſſert. de antiqua vrbis Romae facie cap. 7. §. 8. conf. Das geöffnete Antiquitäten-Zimmer cap. 6. §. 4. et 5.

d) Pag. 136. *e)* Pag. 182. *f)* Legendum *Vir ſpectabilis praefectus annonae.* *g)* Pag. 193. *h)* Pag. 288.

Digitized by Google

NINA LOCVM A SVCESSVM TRISOMVM VBI POSITI. Item: *i*) NIMIVM CITO DECIDISTI CONSTANTIA MIRVM PVLCHRITVDINIS ATQVE IDONITATI QVAE VIXIT ANNIS XVIIII. MEN. VI. DIE XVI. CONSTANTIA IN PACE. Item: *k*) SPIRITO SANCTO INNOCENTI QVI VIXIT. AN. PL. M. III. Item: *l*) VRSICINVS ED QVINTILIANA SE BIBI CONPARABERVNT LOCV A MONTANV. Item: *m*) ☧ LOCVS PERGEI FI MOTANES SE BIBO FECE. Item: *n*) ☧ SECVNDA LOCVS SE BIBA EMIT. Item: *o*) LOCVS BENENATI ET GAVDIOSAE CONPARAES ☧ SE VIVI CONPARABERVNT AB ANASTASIO ET ANTIOCHO FS. *p*) Item: *q*) MALE PEREAT INSEPVLTVS IACEAT NON RESVRGAT CVM IVDA PARTEM HABEAT SI QVIS SEPVLCHRVM HVNC VIOLAVERIT. Item: *r*) MARCELLA QVAE VIX CVM MARITVM SVNT ANNOS XXX. CVM MARITVM IV VM ISTE FANV. Item: *s*) GAVDENTIO FECERVM FRATRI QVI VIQSIC ANNIS XXVIII. M. VIII. D. XVII. Item: *t*) SIMPLICIO BONE MEMORIA Q. V. ANNOS XXIIII. D. XLIII. IN PACE FECERVNT FRATRES. Item: *v*) PLACIDE COIVGE ME MARITVS FECIT CVM PACE.

§. XII.

Etſi priſtina interierit linguae Latinae dignitas: et qui olim fuerat maximus viríli aetate vigor, cum elegantia coniunctus, ingraueſcentibus annis iam ſenilem ſenſerit imbecillitatem: eam tamen ne ſuae ſortis plane poeniteret: quaedam ſe exerunt vegetae ſenectutis vires: et ipſa deteriori, ac longe ab ſuperioribus ſeculis diuerſa docendi ratione, ſub aliis atque aliis imperatoribus, qui

i) Pag. 306. *k*) Pag. 325. *l*) Pag. 406. *m*) Ibidem. *n*) Ibidem. *o*) Pag. 411. *p*) Legendum *foſſoribus* aut *fratribus*. *q*) Pag. 439. *r*) Pag. 480. *s*) Pag. 481. *t*) Pag. 484. *v*) Pag. 488.

ſcholarum inſtaurationem curae cordique habebant, melior coepit eſſe docentium conditio. Nam ſalaria paulatim illis ex aerario publico conceſſa ſunt. Ita iam ſuperiori aetate, qua Latinam linguam ſeneſcentem propoſuimus, *x*) ex chronico EVSEBII relatum eſt, Quintilianum e fiſco, qui aerarium eſt principis, ſalarium accepiſſe. Et SVETONIVS *y*) auctor eſt, Flauium Veſpaſianum, Domitiani patrem, e fiſco primum Latinis Graecisque rhetoribus annua centena, i. e. bis mille et quingentos Philippicos, conſtituiſſe. Haec vero liberalitas tum intra ſolas rhetorum Romanorum ſcholas ſtetit. At linguae et diſciplinae elegantioris ſenectute magis ingraueſcente, imperatores alia doctoribus ſuper aliis beneficia et immunitates impertiri voluerunt. Quam principum liberalitatem inferius paulo ſingulari capite proſequemur. M. Antoninus Pius, IVLIO CAPITOLINO *z*) teſte, etiam philoſophis, et per omnes quidem prouincias, ſtipendia et honores conceſſit. Omnis generis doctoribus annuam mercedem Athenis a Marco conſtitutam eſſe, in eius vita XIPHILINVS narrat. Iſta vero ſalaria prouincialia ſexcentorum aureorum Romanorum, i. e. mille quingentorum Philippicorum fuiſſe, CASAVBONVS *a*) e Tatiani oratione demonſtrat. Aliis vero minus fuiſſe datum ex LVCIANO *b*) ſatis conſtat: qui, ſingulis philoſophorum generibus, ait, ab imperatore conſtituta fuiſſe decem millia drachmarum, quae Romanis erant quadragena ſeſtertia, ſiue mille Philippici. Hanc ſum-

x) De imminenti L. L. ſenectute c. 1. §. 21. & c. 6 §. 15. Confer. CONRINGIVS de antiq. acad. diſſert. 1. pag. 15.
y) Veſp. c. 18. *z*) Anton. Pio c. 11. Pl. conferatur FALSTERVS quaeſtionibus Romanis pag. 184. ſeqq. *a*) Animaduerſ. in Sueton. Othon. c. 4. *b*) Eunucho.

Digitized by Google

ſummam ab imperatore etiam Theodoto ſophiſtae τῆς νεώτητος προεστῶτι conſtitutam eſſe, PHILOSTRATVS *c*) teſtatur. Idem auctor eſt, Apollonium Athenienſem cathedram politicam Athenis tenuiſſe talenti mercede. Vnde patet, pro qualitate docentium, atque imperantium liberalitate, aliam atque aliam fuiſſe mercedem. Nam et EVMENIVS rhetor *d*) ſalarium ſe profitetur accipere a liberaliſſimis principibus in ſexcentis millibus nummum, i. e. quindecim millia Philippicorum: quod certe, niſi in textu mendum appareat, *e*) ſtipendium rhetoris longe ampliſſimum fuit. Nec ab re CELLARIVS *f*) Eumenii iudicat ſingularem et extra communia ponendam fuiſſe perſonam. Sic ſane, vt SYMMACHVS *g*) loquitur, *bonae artes honore nutriuntur, atque hoc ſpecimen eſt florentis reip, vt diſciplinarum profeſſoribus praemia opulenta pendantur.*

§. XIII.

Erant imperatores ſatis quidem liberales, ſuisque ſumtibus coeperant excitare bonarum artium magiſtros. Quandoquidem vero ipſi peregrinis fuerant nati in oris, ſuosque ſecum in ciuitatem et aulam pellectos coeperant cumulare beneficiis, vel honoribus ornare; id genus hominum, peregrinitatis non habita ratione, ſcholis etiam praefecti ſunt Latinis: et Romani, et qui proxime ab Roma, grata Latinitatis, prope iam exulantis, patria ab-

c) L. 2. in Theodoto. confer. Cl. WALCHIVS parerg. acad. p. 123. *d*) Orat. pro reſtaurandis ſcholis c. 11.

e) Vt CASAVBONO videtur animaduerſ. in Sueton. Othon. c. 4. confer. GRONOVIVS de teſtert. CELLARIVS annot. ad cit. Eumenii locum. et WALCHIVS parergis acad. pag. 64. Quibus ſic dimidium eius videtur eſſe minus, quam pro dignitate magiſtri ſacrae memoriae, ſi legerint pro *ſexcenis* cum Calaubono *ſexagenis*. *f*) L. c. *g*) Lib. 1. epiſt. 79.

Digitized by Google

fuerunt, et vernaculae potuerunt esse custodes linguae, illis praemia praeripientibus aliis, rem negligentius tractare visi sunt, suaque maluerunt curare negotia, quam liberalioribus vacare Musis. Et erat in tanta magistrorum copia vix vnus et alter, qui ingruentibus vitiis resistere, et linguae puritatem ad venerandae antiquitatis regulam examinare aut postliminio restituere conatus esset. Barbaries, sonticus linguae senescentis morbus, medicam aegre admittebat manum. Omnium vero minime bonarum artium magistri, per imperium Romanum, tam vastum, et ingeniis moribusque diuersum, in conseruanda linguae gloria conspirare potuerunt: et pauciores erant in tanto confluxu populi, quam qui liberalioribus studiis, ita nunc communi veterno, aut nescio quo fato, cum ipsa Latinitate senescentibus, si vel maxime omnes intenderint neruos, vel restituendis, vel conseruandis sufficere dicendi sint.

§. XIV.

Longe maximus Romae *h*) fuit studiosae iuuentutis confluxus, adeo quidem, vt Valentinianus, Valens, et Gratianus, imperatores, noua constitutione, accedentium moribus ac disciplinae prospexerint. *i*) Ecquis enim dubitat etiamtum scholas, quod fieri passim hodie videmus, licet non vbique iisdem, vitiis iuuenilibus infectas fuisse? Et operae fuerit praetium, de moribus studiosorum commemorantem audire S. AVGVSTINVM, *k*) vbi

h) De scholis Roman. antiquissimis vid. comment. de pueritia L. L. c. 2. §. 5. *i*) Codice Theodosiano l. 14. tit. 9. Et apud CONRINGIVM de antiq. acad. dissert. 6. pag. 171.

k) Confessionum l. 5. HIERONYMVS quoque ex Dalmatia Romam valde iuuenis studiorum gratia missus fuerat, vt suo loco in eius vita demonstrabimus. Et hic postea Rustici monachi

vbi cauſſas exponit, quibus Carthagine Romam concedere fuerit commotus, vt opera priuata rhetoricen doceret. *Non ideo*, inquit, *Romam pergere volui, quod maiores quaeſtus, maiorque mihi dignitas ab amicis, qui hoc ſuadebant, promittebatur (quanquam et iſta ducebant animum tunc meum) ſed illa erat tunc cauſſa maxima, et pene ſola, quod audiebam, quietius ibi ſtudere adoleſcentes, et ordinatiore diſciplinae coercitione ſedari, ne in eius ſcholam, quo magiſtro non vtuntur, paſſim et proterue irruant, nec eos admitti omnino, niſi ille permiſerit. Contra apud Carthaginem foeda eſt et intemperans licentia ſcholaſticorum. Irrumpunt impudenter, et prope furioſa fronte perturbant ordinem, quem quisque diſcipulis ad proficiendum inſtituerit. Multa iniurioſa faciunt, mira hebitudine, et punienda legibus, niſi conſuetudo patrona ſit.* Eodem confeſſionum libro etiam haec ſcribit: *ſedulo agere coeperam, propter quod veneram, vt docerem Romae artem rhetoricam, et prius domi congregarem aliquos, quibus, et per quos innoteſcere coeperam. Et, ecce, cognoſco, alia Romae fieri, quae non patiebar in Africa. Nam reuera illas euerſiones a perditis adoleſcentibus ibi non fieri, manifeſtatum eſt mihi. Sed ſubito inquiunt: ne mercedem magiſtro reddant, conſpirant multi adoleſcentes, et tranſferunt ſe ad alium; deſertores fidei, et qui-*

nachi matrem collaudat, quod poſt Galliarum licet florentiſſima ſtudia, filium Romam miſerit, quo Gallicanae dictionis nitorem ac luxum Romana grauitas temperaret. Quamuis enim his temporibus etiam apud Gallos, Hiſpanos, Dalmatas, Afros gentes alias literae florerent: in prouinciis tamen magis videbantur degenerare: principum vero ſingulari cura et prouidentia Romae adhuc, velut in ſuo fonte, puriores ſubſiſtere, et corruptioni minus eſſe obnoxiae.

Digitized by Google

quibus pro pecuniae charitate iuſtitia vilis eſt. Oderat etiam iſtos cor meum, quamuis non perfecto odio. Haud immerito hinc imperatores illis obicem poſuerunt. At ſchola Romana prae aliis totius occidentalis imperii omnibus floruit, quod principum ſedes erat regia, quod morum exactior ibi diſciplina ſeruabatur: quod optumi omnium artium liberalius alebantur magiſtri, et conſpectu totius quaſi populi, alma matre, plures certabant de palma et eruditionis principatu: quod praemiorum ſpes maxima virtutem manebat: et quod ibi ſolum iuris Romani ſtudia exerceri ſolebant. Cum Romae ſemper ſcholae fuerint plures priuatae et publicae: illuſtriorem quandam artium liberalium officinam Hadrianus imperator eſſe voluit, quam ab Athenis, ſtudiorum ſede et magiſtra *Athenaeum* vocauit. *l*) Locus, vbi Athenaeum ab Hadriano conſtitutum, procul dubio fuit in Capitolio, cuius reſcripto ſingulari Theodoſius et Valentinianus Imperatores *m*) meminerunt, atque certum docentium voluerunt eſſe numerum; oratores videlicet tres, grammaticos decem, ſophiſtas quinque, philoſophum vnum, iuris interpretes duos. Sua etiam quibusque, vt loquimur iam, auditoria aſſignarunt: alii ne poſſent obſtrepere

l) AVREL. VICTOR de Caeſaribus c. 14.

m) L. unica C. de ſtudiis liberalibus vrbis Romae et Conſtantinopolitanae l. 11. tit. 18. Nullam video ſubeſſe cauſſam, quod CONRINGIVS de antiq. acad. ſuppl. 12. pag. 228. ſcholam putat in Capitolio fuiſſe publicam, non veteri, ſed nouo Chriſtianorum imperatorum inſtituto, poſt ſacra Iouis Capitolini antiquata. Nihil enim eius fano potuerunt obeſſe in alio atque alio conclaui liberalioribus diſciplinis inſtituendi Muſarum filii. Capitolium is etiam ab Athenaeo diſtinguit. Confer, PITISCVS lex. antiq. Roman. et Cl. WALCHIVS parerg. academ. pag. 64.

Digitized by Google

pere aliis. Praeter magnum iſtud Athenaeum pergulae magiſtrales fuerunt plurimae. Pergulam nouimus partem eſſe domus exporrectam et propendentem, rebus venalibus exponendis accommodatam. In his oppido multi ſolebant docere artium magiſtri: *n*) qui, cum inſolentius rem gererent, a Theodoſio et Valentiniano imperatoribus *o*) tandem coerceri debuerunt. Id genus pergulas imperatores *publicas magiſtrationes cellulasque* vocant: quibus collectos vndecunque diſcipulos nomina vſurpantes magiſtrorum conſueuerint circumferre. Hos ergo omnes ab oſtentatione vulgari praecipiunt amoueri.

§. XV.

Neque ſolum Romae, verum etiam in omnibus prouinciis ſcholae publicis ſumtibus fuerunt erectae. Notiſſima ſunt orientalis imperii ornamenta, literarum, ſapientiae, et artium quarumque emporia, toto orbe celebratiſſima, Conſtantinopolis, Berytus, Athenae, Alexandria, ſedes Muſarum aliae, de quibus CONRINGIVS *p*) conſulendus eſt. Scholae nobis quaedam occidentalis imperii, atque adeo Romae propiores, vel propter ſtudia Latina, paucis commemorandae ſunt.

§. XVI.

Mediolanum, Galliae ciſalpinae vrbem nobiliſſimam,

n) FL. VOPISCVS Saturn. c. 10. *in Africa rhetoricae operam dederat: Romae frequentauerat pergulas magiſtrales.*

o) L. vnica C. de ſtudiis liberalibus vrbis Romae et Conſtantinopolitanae. *p*) De antiquit. acad. diſſert. 1. pag. 18. ſeqq. Confer. comment. de pueritia L. L. c. 2. §. 6 ſeqq. Conſulendus quoque FRANC. BALDVINVS Conſtantino M. pag. edit. Gundlingianae 27. ſeqq. BALTHASAR BEBELIVS antiquit. eccleſ. ſec. 4. tomo prior. pag. 609. ſeqq.

Digitized by Google

mam, inprimis, vt loquitur AVSONIVS, *q*) facunda virorum ingenia et mores antiqui nobilitarunt. Ad hoc liberalioris diſciplinae emporium S. AVGVSTINVS *r*) ſcribit ſeſe, vt doceret, euocatum fuiſſe. Eumenius rhetor Auguſtoduni collapſam ſcholam ampliſſimo ſalario ſuaque impenſa reſtituit. Ex Auguſtodunenſi rhetore magiſter factus eſt ſacrae memoriae in Conſtantii Caeſaris aula. Rurſus ad ſcholam eodem honore ſalarioque duplicato, quo perfrui conſueuerat in aula, reuocatus, ſolemni oratione pro reſtaurandis ſcholis in Auguſto Cliuienſium oppido, a prouinciae Lugdunenſis praeſide petiit, vt inſtaurationem Maenianae ſcholae, Bagaudico tumultu vaſtatae, Principibus commendet. Sumtuum nonnihil ipſe, quamquam numeroſae ſobolis pater, ex abundantia ſalarii ſui conferre pollicetur. Toloſam, Galliae Narbonenſis vrbem nobiliſſimam, bonarum artium et doctiſſimorum quorumque hominum altricem, deſcribit AVSONIVS, *s*) eiusque doctores laudat plurimos inter profeſſores Burdegalenſes. *t*) Et Toloſana celebris SIDONIO *v*) cathedra. De Maſſilia, quam TACITVS *x*) iamtum *ſtudiorum* vocauit *magiſtram*, in eo libro ſatis dictum eſt, quem ante aliquot annos de pueritia Latinae linguae ſcriptum vulgauimus. *y*) Et procul dubio his temporibus liberaliori diſciplina quam maxime floruit. Burdegalae, Aquitanorum in Gallia nobiliſſimo emporio, hodie *Bourdeaux*, ſchola fuit, bonarum artium magiſtris commendatiſſima, quorum elogia nobis AVSONIVS Burdegalenſis *z*) reliquit; ſibi coniunctiſſimorum

q) Claris vrbibus carm. 4. *r*) Confeſſion. l. 5. c. 13. *s*) Claris vrbibus carm. 11. *t*) Carm. 17. ſeqq. *v*) Lib. 9. epiſt. 16. 66. *x*) In vita Agricolae c. 4. *y*) Cap. 2. §. 8. *z*) Libro ſingulari, quem commemorationem profeſſorum Burdigalenſium inſcripſit.

rum fama, religione, ſtudio, et ſedula cura docendi. Et ciuitatem ipſam laudat *a*) *moribus ingeniisque hominum* inſignem. SIDONIVS *b*) quoque diſcipulorum Burdegalenſium meminit. In Britannia prope vrbem Legionum, quae Caeſtria nunc appellatur, illud nobiliſſimum erat Bannochorenſe collegium, quod plusquam duo millia hominum Chriſtianae philoſophiae ſtudioſorum alebat. *c*) Atque etiam tunc artes Latinae in Africa doctores non infimi nominis habuerunt paſſim locorum: omnium vero celeberrima fuit Carthaginienſium ſchola, quam APVLEIVS *d*) laudat, et S. AVGVSTINVS cum Romana componit. *Duae*, inquit, *vrbes literarum Latinarum artifices, Roma atque Carthago.* Teſte SALVIANO, Maſſilienſi presbytero, *e*) *illic omnia officiorum publicorum inſtrumenta, illic artium liberalium ſcholae, illic philoſophorum officinae, cuncta denique vel linguarum gymnaſia, vel morum.*

§. XVII.

Erant in academiis artium quarumque doctores diſtincti, grammatici, rhetores, philoſophi, medici, et alii, quorum prouinciam quique ſuam ornare quouis modo ſtudebant, ſuoque ordine et labore digna accipiebant praemia, ſiue, vt dicere vulgo conſueuerunt, ſalaria ſua: ſicut hanc etiam orbis Latini ſaluberrimam conſuetudinem in academiis ſeruamus noſtris. Profeſſionibus ſeparatis, quibus praefecti, ſua quibusque perficienda incumbebant negotia. Ne quis alterius ingrederetur ac ſolicitaret meſſem, diſciplinarum atque artium ſingu-

a) Claris vrbibus carm. 13. *b*) Carmine ſub epiſt. 13. lib. 9. *c*) Vid. FRANC. BALDVINVS Conſtantino M. pag. edit. Gundlingianae 87. *d*) Floridis. *e*) De gubernatione Dei l. 7.

Digitized by Google

li erant profeſſores, et artifices ſinguli, quod etiam VOPISCVS in vita Saturnini oſtendit. Atque ita diuerſi erat a Graecorum ſophiſtis, quos πολυπράγμονας καὶ ἐπιθέτας vocabant. Quo et illud ſpectat, quod in Chriſtianos ipſos iactatum legimus, γραικὸς ἐπιθέτης: magis etiam iſtud, quemuis hominem ſecum attulit ad nos Graeculus eſuriens: in coelum iuſſeris, ibit. *f*).

§. XVIII.

Vti vero triſtia fuerunt ac turbulenta Honorii tempora, quibus barbari cateruatim multi in Romanum imperium irruebant, atque vaſtabant omnia: non potuit non miſerrima fuiſſe literatorum conditio, qui ſuas in ipſa ciuitate, et per omnes imperii prouincias, principum liberalitate adhuc ſuſtentabantur ſuasque publico ſtipendio habebant ſcholas. Rebus enim ipſorum imperatorum fractis, cum hoſtes depopularentur omnia, vix ſupererat, quo vel ſibimetipſis conſulerent. Neque adeo mirum, in prouinciis, aut in ipſa vrbe, bonarum artium profeſſoribus data non fuiſſe ſtipendia: atque adeo in dies maiora linguae Latinae et liberalioris diſciplinae ſubnata eſſe detrimenta: vt cum imperii rebus laberentur ſimul elegantioris doctrinae ſtudia. *g*) De profeſſoribus Romanis ſua defraudatis mercede, incomparabilis eorum Mecaenas, Q. AVREL. SYMMACHVS *h*) queritur,

f) Confer. BEBELIVS antiq. eccleſ. ſec. 4. tom. prior. p. 611.
g) Confer. CONRINGIVS de antiq. acad. diſſert. 1. pag. 16.
h) Lib. 5. ep. 35. Confer. LIPSIVS Louanii l. 3. c. 7. BEBELIVS antiq. eccleſ. ſec. 4. tom. prior. p. 617. Errat autem VALTERVS quaeſt. Rom. p. 94. vbi haec verba putat Iuliani imperatoris reſpicere tempora. Neque vt pag. 184. docet, ſuo literas omnes honore et exercitio, aut ſuis literatos omnes praemiis iniquiſſime defraudauit: ſed ſolis rhetoribus atque

tur, eosque Hephaeſtioni commendat: *ſequuntur abſceſſum tuum literatorum cohortes; et vt ſolent Athenas Aticas relinquaue gymnaſia Muſarum, petere ita peregrinationes tuas deſiderio trahente comitantur. Nec tibi, vt aeſtimo, militiae ſtipendiis affluenti, amicorum conuentus oneroſus eſt. Paſce igitur eruditos dignitatis tuae copiis, et ſpera plures tibi hoſpites actutum affuturos, poſtquam Romanae iuuentutis magiſtris ſubſidia ſolemnis alimoniae detracta ſunt.* Vidimus inde a temporibus Quintiliani bonarum artium magiſtris ſua ex aerario publico eſſe data laboris exantlati praemia. Eaque adhuc ſenectute Latinitatis vegeta doctos doctores manſerunt ſtipendia, ad extremam vſque hanc et decrepitam aetatem, Honorii videlicet principatum, et triſtia Symmachi tempora, quibus linguae extincta eſt vera gloria, cum rebus imperii labentibus ipſis, artiumque contemtu.

§. XIX.

At ſenectus haec tam effoeta et iners non fuit, quin, pro aetatis conditione, ſuos ſeruarit Latinae linguae cuſtodes, ſuaque in diſciplinarum quouis genere monumenta reliquerit. Senectus inde non iners, ſed vegeta, haec aetas nobis dicenda fuit. Nec eadem ſemper ſenectutis conditio, quae nunc incolumis et laeta ſuis virium reliquiis exultat: nunc miſeram viciſſitudinem dolet, ac ipſa cum imbecillitate ſua conflictatur. Sic et fata hoc aeuo Latinae linguae varia fuerunt: quae nunc magis, nunc minus in barbariem procliuis, vt prona erant ad vitia et luxum tempora, i. e. vt magiſtrorum magis, aut minus declinans erat ſanctitas; imperantium quoque et parentium diuerſa ratio, mores et ingenia.

atque Grammaticis Chriſtianos docere prohibuit, teſte AMMIANO MARCELLINO lib. 22. & 25.

Digitized by Google

genia. Quod mirum videri posset, initio quidem huius aetatis deterior fuit Latinae linguae conditio, quae minime gratam ostendebat faciem. Circa finem contra paulo elegantiorem habitum induebat, ac pristinam videbatur respirare dignitatem. Vt vegeta senectute hac qui posteriores fuerunt, illis longe praeferantur, qui circa eius initium scriptitarunt. Atqui hoc item superioribus seculis videmus vsu, aut fato potius quodam iniquiori, venisse: vt paulo ante ingens Latinae linguae detrimentum, aliquo modo coeperit efflorescere illustrius. Ad summum eloquentiae culmen Augustus vernaculam euexerat suam: quae post eius obitum statim mirum quantum ab integritate gloriaque sua declinauit, ac senescere coepit. Traianus longum post temporis spatium bonas literas exulantes patriae ac libertati restituit, et pristinam, pro viribus, vindicauit sermonis elegantiam: quam denuo, vt rerum perpetua est vicissitudo, post obitum imperatoris, optimae disciplinae fastidium excepit: tantaque hominum incuria et vecordia non potuit non inculta esse oratio. Rursum hac vegeta Latinae linguae senectute ad finem properante, vt deterius senectae mox experiretur fatum, elegantiora studia cum receptis Christianorum sacris nouas quasi receperunt vires, et insignem recuperandam linguae promiserunt dignitatem: quod in eius cultum et optimas literas perpoliendas propagandasque cum veteribus magistris sanctioris doctrinae praesides conspirarent. Sed nec ea felicitas illis propria et diuturna esse potuit. Mox illa studiorum instauratio barbarorum irruptionibus et communi per omnes terras calamitate abrupta est, ac longe tristius Musas Latinas, superantibus tot populorum vitiis, mansit fatum.

§. XX.

Digitized

§. XX.

At, inquiunt nominis Chriſtiani hoſtes, ab illis cum reliquas imperii calamitates, *i*) tum Latinae linguae ſummum dedecus veniſſe: quod in eam non veriti ſint ſoloeciſmos et barbariſmos inferre plurimos. Chriſtianis apud ARNOBIVM *k*) obiicitur triuialis et ſordidus ſermo. Barbariſmis et ſoloeciſmis res ipſorum eſſe obſitas, et vitiorum deformitate pollutas. Apud MINVCIVM FELICEM male audiunt, tanquam indocti, inpoliti, agreſtes, ſtudiorum rudes, literarum profani, homines artium ſordidarum etc. Quin et ORIGENES, effutiente CELSO, Chriſtianos vocat ἐριουργὰς, σκυτοτόμους, κναφέας, ἀπαιδεύτους, ἀγροικοτάτους, ἀνοήτους, ἀνδραποδώδεις, ἀναισθήτους. Eiuſmodi criminationibus atque iniuriis, quantum quidem ſatis eſt, Arnobius, Lactantius, Origines, Tertullianus et plures eccleſiae patres alii reſponderunt: eo diſputationis calore aliquando prouecti, vt in aſpera aduerſus humaniores literas et ipſis minime digna deſinant iudicia. Vnde patet, ipſam aliquando feruidius altercando periclitari veritatem. Ecquid puerilius vel abſurdius eſſe poteſt, quam quod ARNOBIVS diſputat aduerſus gentes? *l*) *Quid officit, o quaeſo! aut quam praeſtat intellectui tarditatem: vtrum ne quid leue, an hirſuta cum aſperitate promatur? inflectatur, quod acui, an acuatur, quod oportebat inflecti? aut qui minus id, quod dicitur, verum eſt, ſi in numero peccetur, aut caſu, praepoſitione, participio, coniunctione? Pompa iſta ſermonis, et oratio miſſa per regulas, concionibus, litibus, foro, iudiciisque ſeruetur, deturque: illis imo, qui voluptatum delinimenta quaerentes, omne ſuum ſtudium verborum*

i) Vid. ARNOBIVS aduerſus gentes l. 1. init. *k*) Lib. 1. pag. m. 21. *l*) Lib. 1. pag. m. 21.

Digitized by Google

borum in lumina contulerunt. Cum de rebus agitur ab oſtentatione ſubmotis, quid dicatur ſpectandum eſt, non quali cum amoenitate dicatur: nec quid aures commulceat, ſed quas afferat audientibus vtilitates; maxime cum ſciamus etiam quoſdam ſapientiae deditos non tantum abieciſſe ſermonis cultum, verum etiam, cum poſſent ornatius atque vberius eloqui, triuialem ſtudio humilitatem ſecutos, ne corrumperent ſcilicet grauitatis rigorem, et ſophiſtica ſe potius oſtentatione iactarent. Enimuero diſſoluti eſt pectoris in rebus ſeriis quaerere voluptatem - - Quamquam, ſi verum ſpectes, nullus ſermo natura eſt integer, vitioſus ſimiliter nullus. Quaenam eſt enim ratio naturalis, aut in mundi conſtitutionibus lex ſcripta, vt hic paries dicatur, et haec ſella? cum neque ſexus habeant femininis generibus maſculinisque diſcretos, neque quisquam docere doctiſſimus me poſſit, ipſum hic et haec quid ſint, aut cur ex his vnum ſexum virilem deſignet, femininis generibus id, quod ſequitur, applicet. Humana iſta ſunt placita, et ad vſum ſermonis faciendi non ſane omnibus neceſſaria: nam et haec paries forſitan, et hic ſella dici ſine vlla reprehenſione potuiſſet, ſi ab initio ſic dici placuiſſet, et a ſequentibus ſeculis communi eſſet in ſermocinatione ſeruatum. Hoc vero non eſt ſe defendere; ſed aliis ſemet ipſum deridendum propinare. Vt ſana et vera debet eſſe cuiusque ſententia: ita eam non niſi recta dicendi forma poteſt cum aliis communicare. Stat ſua diſciplinis et artibus gloria et honos: nec fingere quicquam pro lubitu mortalibus conceſſum. Sunt autem in omnibus familiis et gentibus docti et rudes: neque ab ſacris et religione ſermonis aut elegantia, aut deprauatio dependet. Et omnino diſtinguendi ſunt ab rudiori plebecula, qui liberalioribus diſciplinis imbuti, ſcriptis

Digitized by Google

ptis monumentis oracula interpretantur diuina, veritates demonſtrant, et vitae Chriſto Seruatori deuotis ſanctitatem commendant. Dandum eſt aliquid vndecunque velut ex fuga confluentibus eccleſiae primitiuae ſociis, linguae Romanae prorſus ignaris, ſellulariis artificibus, aut illis iam ante ſaniora dogmata aetate prouectis, qui cum Latinis peregrini quocunque modo colloqui debent. Sed illos minime gentium a turpi crimine barbariſmorum ſummaque ignorantia vindicare poſſumus, qui ſacris literis incumbunt, et humanitatis ſtudio alto ſtultoque ſupercilio contemnunt. Valeant id genus homunciones miſeri, ſuaque ſapientia elati oris foeditate ſpumantia verba et ſtribliginem inficetam iactare non vereantur. Quantum ipſis condonandum ſacrorum diſcant argumento patrum, qui quoad potuere, linguae caſtitatem ſeruare ſtuduerunt: imo, vbi in phaleras cincinnosque eloquentiae paganae declamant ardentiſſime, ita quoque ipſi oratorios mouent lacertos, vt prope nihil in ſcriptoribus reperias profanis expictum cultius, politius, magnificentius. *m*) Obiiciunt Chriſtianis monumenta publica, inſcriptionibus horridula, etiam Romae parum Romanis. Ita non negamus legi marmoribus inſculptum: *ſpirito ſancto. Qui biſſit. annus LIII. Locus ſe biba emit. Si quis ſepulcrum hunc violauerit.* et ſimilia, quae offerunt pauimenta templorum, et ipſa ARINGI Roma ſubterranea, vnde ſupra quaedam ſatis ridicula depromſimus. Sed ea poſuerunt homines Chriſto quidem deuoti, at literarum plane rudes, qui vt voces plebecula vulgo pronunciare conſueuit, ita illas ſtilo exaratas ſuis voluerunt

m) Confer. OLAI BORRICHII diſſert. de antiqua vrbis Romae facie cap. 7. §. 8.

luerunt inſcribi monumentis. Et, quid ſimulaſſe iuuat? erant fortaſſis homines, qui ſtudio ſe abſtinuere ab literarum elegantia, rebus diuinis magis, quam humanis, intenti; quique crediderunt, ſermonis quoſcunque calamiſtros parum ſacrae profeſſioni conuenire. Attamen, ne Chriſtianis illa ſcribendi ruditas imputetur ſolis, inter omnes conſtat, nullo non Quiritium aeuo, marmorum ſculptores facillime ſibi excidiſſe: nunquam vero, quod ſupra demonſtratum iuimus, hoc genere peccatum grauius, quam vegeta Latinae linguae ſenectute, poſt Hadriani imperatoris tempora. Hinc legimus quoque in marmoribus priſcis monumentorum, quae principis Iuſtiniani collegit ſedulitas: P. CALVIVS P. F. IVSTVS MANCIPS OFICINARVM AERARIARVM QVINQVAE. Item: ME VIVVS FECI MIHI HOC MONVMENTVM. Atqui etiam iſtud apparet in antiquo, et haud dubie optimi aeui, marmore, quod in palatio Ducis Caeſii extat, vbi nitidiſſimis characteribus, iisque grandibus, ita legas: INGRATAE VAENERI SPONDEBAM MVNERA SVPPLEX *n*).

§. XXI.

Illud nemo facile negabit, Chriſto Seruatori deuotos homines, quamprimum ſalutari fuerint initiati doctrina, elegantiores humanitatis literas reliquiſſe, vt ſacris ſemet traderent totos. Exemplo magni ſunt eccleſiae doctores, Arnobius, Tertullianus, Cyprianus, Lactantius, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, Paulinus, reliqui omnes: quibus ſuae inſtaurator ſalutis omnium inſtar Muſarum fuit. Cum ante vel grammaticae,

n) Pl. confer. OLAVS BORRICHIVS l. c. Das geöffnete Antiquitäten-Zimmer cap. 6. §. 4. et 5, vbi longa erratorum ſeries exhibetur.

Digitized by

cae, vel rhetoricae, vel etiam forenſi eloquentiae darent operam: artium ſecularium inuiſo nomine, flocci omnia coeperunt habere, quamprimum illis diuina arriſit doctrina. Hieronymus ſibi miſere viſus eſt in ſomnio virgis fuſtibusque caſtigari, quod Ciceronianus magis eſſet, quam Chriſtianus. Quod et aliis poſthac ſemper coram atque literis diſſuaſiſſe conſtat. Paulinus Auſonio, eum ex ſolitudine ad literarum neglecta ſtudia et priſtinam conſuetudinem reuocanti, et per humaniter inuitanti, reſpondet:

Quid abdicatas in meam curam, pater,
Redire Muſas praecipis?
Negant Camoenis, nec patent Apollini
Dicata Chriſto pectora.

Nunc alia mentem vis agit, maior Deus,
Aliosque mores poſtulat,
Sibi repoſcens ab homine munus ſuum:
Viuamus vt vitae patri.
Vacare vanis, otio, aut negotio,
Et fabuloſis literis
Vetat: ſuis vt pareamus legibus,
Lucemque cernamus ſuam.

Sed tantum Latinae linguae non venit incommodum ab illis, qui elegantioribus literis fuerunt recte imbuti, eamque ſuis ipſi monumentis illuſtrarunt: quantum ab inertibus, ignauis atque ſuperſtitioſis hominibus timendum vel imminet certe periculum inclinatae iam ſuisque viribus deſtitutae ſenectutis ingraueſcentis linguae: cum illis, neſcio qua pietatis et operis diuini perſuaſione, religioni eſſet, vel optima Latinae linguae monumenta deſcribere, vel diſcere artes, quas ſeculares vocabant. Paganorum olim quicquid fuerat, tanquam ſaluti aduerſum

ſum abhorrebant, ſuisque bibliothecis vix ac ne vix quidem ſupereſſe patiebantur. Patrum eccleſiaſticorum ſufficiebant libri, quoad omnis interiret veteris Latii elegantia, ac miſeranda ſuccederet quaſi ex barbarorum inſulis accerſita ſermonis ſtribligo: vt iners ac decrepita, mortique proxima Latinitatem opprimeret ſenectus.

§. XXII.

Poſtquam triſtis paganiſmi ſuperſtitio ſuperata, et coeleſtis verae ſapientiae doctrina, principum fauore, vbique locorum commendata fuerat: eccleſiae miniſtri et Chriſto deuoti ſacerdotes erudiendae iuuentuti vacare coeperunt: quorum fidei ſummorum quoque principum filii committebantur. Ita ex gr. Iulianus, Conſtantini M. ex fratre nepos, valde adoleſcentulus, vna cum fratre Gallo, id genus praeceptoribus et eruditis, et piis, informandus eſt traditus. De Iuliano inde SOZOMENVS: *o) cum parentibus Chriſtianae religioni addictiſſimis ortus eſſet, a puero, iuxta eccleſiae ritum, initiatus, & ſacris literis inſtitutus; ſub epiſcopis denique, et eccleſiaſticis viris educatus fuerat.* Theodoſius imperator Arcadio, filio ſuo primogenito, Arſenium, diaconum, praeceptorem praefecit. Ecquid filiis Chriſtianorum ſalubrius, HIERONYMI *p*) perſuaſione, *vt prius Chriſto conſecrati ſint, quam geniti; ante votis, quam vtero, concepti?* Methodum et ille praeſcribit docendi: *Cypriani opuſcula ſemper in manu teneat. Athanaſii epiſtolas, et Hilarii libros inoffenſo decurrat pede. Illorum tractatibus, illorum delectetur ingeniis, in quorum libris pietas*

o) Hiſt. eccleſ. l. 5. c. 2. Confer. BARONIVS ann. 337. n. 58.
p) Epiſtola ad Laetam.

Digitized by Google

tas fidei non vacillet: ceteros ſi legat, vt magis iudicet, quam ſequatur. Eadem puerorum in tenera formanda aetate ſeruanda eſt ratio, quae puellarum. NYSSENVS *q*) vero laudat eam, quae a parentibus non aſſuefacta poetis, et aliis gentilium libris legendis, ſed ſacris literis. Nam turpe et indecorum prorſus exiſtimabat, vt tragicis feminarum perturbationibus, vnde ſcribendi principia et argumenta poetae ſumſerunt, vel comoediarum foeditatibus, vel pudendis eorum, qui tot aerumnas ad Ilium pertulerant, factis tenerum et bene formatum animum infici, et minus grauibus de feminis narrationibus quodammodo coinquinari.

§. XXIII.

Quomodocunque ſe Latina lingua, hoc temporis fatali curſu, haberet, vegetae ſenectutis viſa eſt ſeruare dignitatem, etiam in oriente, et imperio Romano ſubiectis prouinciis Nam non niſi Latine loquebantur, qui in palatio et in comitatu principum et imperatorum erant aſſidue: vbi, ex virili aetate acceptum, Latinae linguae honorem et vſum ampliſſimum retinebant. Legatis non niſi Latine reſpondebant. Iudicia habebantur Latina. Leges, conſtitutiones dignitatum formae, acta, teſtamenta, aliaque omnia, publicae quae erant auctoritatis, etiam in oriente verbis ciuilibus, i. e. Latinis deſcribi debebant. Theodoſius Iunior imperator id primum infregiſſe videtur, facta poteſtate in teſtamentis Graeca lingua vtendi. Vnde Graecarum etiam conſtitutionum licentia fluxit: cum ante eum paucas haberemus.

q) Vit. Macr. t. 2. f. 179.

Digitized by Google

CAPVT II.

De Principum in rem literariam meritis.

§. 1.

Aelii Hadriani vita. 2. Iu Literas merita. 3. Antonini Pii vita. 4. Merita. 5. M. Antonini Philoſophi vita. 6. Libri. 7. In literas merita recenſentur. 8. L. Antonini Commodi vita. 9. Merita. 10. Heluii Pertinacis vita 11. Didii Iuliani. 12. Septimii Seueri. 13. Antonini Baſſiani Caracallae et Getae. 14. Opilii Macrini. 15. Heliogabali. 16. Seueri Alexandri fata et 17. in literas merita deſcribuntur. 18. Maximinus, Gordiani, Balbinus et Pupienus proponuntur. 19. Gordiani iunioris vita. 20. Trium Gordianorum in literas merita enumerantur. 21. Facta Marcii et Hoſtiliani mentione, Philippi Arabis imperium, et 22. in literas merita recenſentur. 23. Decii. 24. Gallus. 25. Valerianus. 26. Valerianus iunior. 27. Gallienus. 28. Flauius Claudius. 29. Aurelius Quintillus. 30. Domitius Aurelianus. 31. Aurelius Tacitus. 32. Annius Florianus. 33. Aurelius Probus. 34. Carus deſcribuntur. 35. Diocletianus et Maximianus, eorundemque 36. in literas merita proponuntur. 37. Conſtantii Chlori vita. 38. merita recenſentur. 39. Conſtantini Magni vita. 40. merita. 41. Conſtantini, Conſtantis et Conſtantii fata. 42. merita. 43. Iuliani Apoſtatae vita. 44. merita. 45. Iouiani vita. 46. Valentiniani et Valentis fata. 47. merita. 48. Gratiani vita. 49. Valentis et Gratiani in artium profeſſores liberalitas. 50. Valentiniani II vita. 51. Theodoſii et Valentiniani de literarum profeſſoribus conſtitutiones. 52. Theodoſii Magni fata et merita. 53. Honorii vita. 54. Honorii et Theodoſii conſtitutiones recenſentur.

§. I.

Digitized by Google

§. I.

Anno poſt Chriſtum natum CXVII. Traiano imperatori *a*) vita defuncto AELIVS HADRIANVS ſucceſſit; illius, quem conſobrinum, fautorem, magiſtrum, patronum habuit, adoptione, et militum prouidentia, ad imperium euectus. Romae natus eſt IX. Kal. Febr. Flauio Veſpaſiano Auguſto ſepties et Tito ſexies coſſ. *b*) i. e. anno V. C. DCCCXXVIII. poſt Chriſtum natum LXXVIII. Antiochiae Syriae metropoli, quam illi Traianus, aeger diſcedens, regendam dederat, poſt eius obitum, literis a ſenatu petiit, delatum ſibi a militibus imperium confirmarent: de quo ſemet excuſauit iudicium ante ſenatui non dediſſe: ſalutatum praepropere a militibus imperatorem, quod eſſe reſp. ſine imperatore non poſſet. *c*) Pace in oriente conciliata Romam reuertitur, et quouis modo ſenatus ſibi ſtudet comparare fauorem; nullum expetens vel honorem, vel titulum, quem ille non iuſſiſſet. Cum triumphum ei ſenatus, quem Traianus meruerat, ſingulari beneuolentia detuliſſet: ipſe illum recuſauit, et imaginem Traiani curru triumphali vexit. Patris patriae nomen ſibi ſtatim, et aliquoties poſtea delatum diſtulit: quod Auguſtus hoc nomen

a) Qui PLINIO teſte, panegyrici c. 47. maximum dicendi magiſtris honorem, maximam dignitatem ſapientiae doctoribus habuit: vt ſub eo ſpiritum, et ſanguinem, et patriam receperint ſtudia, quae priorum temporum immanitas exiliis puniuerat. Confer. ALEXANDER ab ALEX. gen. dier. l. 2. c. 25. cum TIRAQUELLI annot.

b) SPARTIANVS Hadr. c. 1. Titi quintum cum Veſpaſiani ſeptimo conſulatum coniungit. Capitolinis autem teſtibus faſtis, illius ſextus nominandus fuiſſet. Confer. SYNCELL chronolog. fol. 95. *c*) SPARTIANVS c. 6.

Digitized by Google

nomen ſero meruiſſet. Optimos quosque de ſenatu in contubernium imperatoriae maieſtatis adſciuit. Amicos ſemper conuiuiis adhibuit, eosque aduerſa laborantes valetudine ipſe viſitauit atque ſuis ſubleuauit conſiliis. Omnia ad priuati hominis modum fecit. Militem perpetuo, ac ſi bellum immineret, bene voluit eſſe praeparatum; tolerantiae documentis eum imbuens: cum et ipſe in propatulo cibis frueretur caſtrenſibus. Sic reſtituta militari diſciplina, Britanniam petiit, eamque prouinciam confirmauit: ac murum, ingenti labore, in Scotiae atque Britanniae finibus, ad maris utrinque littora, per octoginta millia paſſuum duxit: vt barbaros ab Romanis ſepararet, vel iſtorum irruptiones atque latrocinia prohiberet. In oriente pacis ſtudioſiſſimus omnes trans Euphratem ac Tigrim rebellantes populos, a Traiano ſubactos, reliquit, Catonis, vt videri volebat, exemplo: qui Macedones liberos pronunciauit, quia teneri non poterant. Idem de Dacia cogitantem amici deterruerunt: ne multi ciues Romani Barbarorum arbitrio permitterentur: quod Traianus victor eo infinitam ex toto Romano imperio tranſtuliſſet hominum multitudinem: vt agros vrbesque colerent. Quam ob rem eam prouinciam, aliasque rebellantes, praeſidibus miſſis, pacauit. Atrocius nullum habuit Iudaico bellum. Pro euerſa Iudaeorum Hieroſolymitana vrbe, aliam eodem loco condidit, Aeliam Capitolinam ſuo nomine appellatam: adiuncto Iouis Capitolini templo, vbi quondam ſancta Dei domus ſteterat. Imo, teſte CASSIODORO, in fronte eius portae, qua Aelia Bethlehemum ſpectat, in marmore ſus ſculpta fuit: vt ſignificaretur, Iudaeos Romanorum poteſtati ſubiectos eſſe. Gentem quoque vniuerſam genitalia mutilare prohibuit. Ea contumelia mirum

rum quantum irritati Iudaei diu multumque rebellionem agitant, effoſſisque per Palaeſtinam cuniculis et cryptis ſubterraneis, in apertam ſeditionem prorumpunt. Motae ſemel gentis furori acceſſit, incitamento maiori, Barcochabi perſuaſio. Is homo nequam, vt tumultuantibus praeeſſet, de Meſſia vaticinium prae ſe ferens, *d*) *orietur ſtella ex Iacob* etc. *Bencochab*, aut *Barcochab*, i. e. ſtellae filius, dici voluit, atque miſeris priſtinam libertatem reſtituendam promiſit. Eo duce, in tota palaeſtina, et paſſim locorum innumeri ciues Romani a Iudaeis vel caeſi, vel miſere affecti ſuisque facultatibus exuti ſunt. Hadrianus vero, euocato e Britannia Iulio Seuero, iſtos fregit lento bello, et fame praeſertim edomitos, omnes ad exitium coegit. Quinquaginta eorum caſtella munitiſſima, et vici nongenti octoginta quinque funditus euerſi: caeſa in excurſionibus atque praeliis hominum quingenta octoginta millia, demtis, qui fame, peſte, et igne perierunt. Cum expugnaretur Bethoron, munitiſſimum oppidum, interfectus quoque eſt ſeditionis auctor Bencochab, quem poſt eam cladem Iudaei Bencozba, aut Barcozba, i e. filium mendacii, vocarunt, quod Meſſiam ſe falſo iactaſſet, neque ſtare potuiſſet promiſſis. Miſerae genti ab eo tempore ne patriam quidem ſuam, vel e ſpecula, intueri licuit: ac praeſidiarius miles ab Hieroſolyma eos in perpetuum arcere debuit: nec forſan, niſi numerata pecunia, vt modicum ibi fleret, poſtea quemquam admiſit. Cum etiam intellexerit imperator, Barcochabum non modo Romanis, verum omnibus quoque Chriſto deuotis fuiſſe hoſtem, atque illorum multos crudeliter interfeciſſe; pullis Iu-

d) Numer. XXIV. 17.

Iudaeis, voluit iſtos habitare vrbem Aeliam, quam in ruinis Hieroſolymarum aedificare deſinebat. *e*) Inter alia multa crudeliter facta, Seruianum tandem, ſororis maritum, aetatis annum prope agentem nonageſimum, ne ſibi ſuperuiueret, mori coegit: qui, cum vitae faceret finem, precatus eſt, ne Hadrianus, cum id valde cuperet, obtinere poſſit. Et voti poſt fata factus eſt compos. Antequam enim Baiis anno imperii ſupra viceſimum altero miſere interiret ſeptuagenario maior: omnium fere membrorum cruciatu confectus, crebro ſemet miniſtrorum fideliſſimis interficiendum obtulit: neque id omnibus precibus impetrare potuit: imo, ne tandem vitae maximo taedio, furioſa manu, in ſemet ipſum ſaeuiret, chariſſimorum cuſtodia ſeruatus eſt: donec deſperatione plenam efflaret animam, illud peruulgatum exclamans: *multi medici regem perdiderunt.* Imperator fuit bonis malisque artibus inclutus: neque adeo mirum, laudari ab his, culpari ab illis. Vitio inprimis illi vertunt, praeter puerorum amores atque nuptarum adulteria, quod omnia amicorum occulta explorauerit, nec fere cuiquam ſeruarit fidem. Simulare ac diſſimulare omnium maxime didicit: vt ſeuerus, laetus, comis, grauis, laſciuus, clemens, ac ſemper in omnibus rebus varius eſſet. Ad vitia et virtutes quaſi arbiter natus, impetum mentis quodam artificio regens, ingenium inuidum, triſte, luxurians, inſolensque ad oſtentationem ſui tegere nouit callide; continentiam, facilitatem, clementiam ſimulans, diſſimulansque ardorem gloriae, quo flagrabat maximum.

e) Pl. confer. SPARTIANVS Hadr. c. 14. CASSIODORVS chronico. XIPHILINVS Hadrian. EVSEBIVS hiſt. eccleſ. l. 4. c. 6. HIERONYMVS in Eſai. c. 7. et Sophon. c. 1. OROSIVS l. 7. c. 13.

Digitized by Google

mum. De rebus ab illo geſtis SPARTIANVS, XIPHILINVS, AVRELIVS VICTOR, EVTROPIVS, SVIDA, ſcriptores alii conſulendi ſunt: quibuscum ex recentioribus conferatur RVPERTVS, obſeruationibus ad ſynopſin Beſoldi, *f*) qui imperatorem hunc prae ceteris laudat, ipſique Traiano praefert. Iſtius vero coniux Sabina, quod prope ſeruilibus iniuriis afficeretur, tandemque ad voluntariam compelleretur mortem, AVR. VICTORE teſte, *g*) palam ipſa dictitare non verita eſt, quam immane ingenium pertuliſſet: ac elaboraſſe, ne ex eo ad humani generis perniciem grauidaretur.

§. II.

Aelius Hadrianus, cum ad eloquentiam et pacis artes, quam ad bellum, eſſet accommodatior, rebus in oriente compoſitis, vt manſuetiori vteretur viuendi ratione, reuertitur Romam, et, Graecorum more, artium ingenuarum conſtituit ludum, *Athenaeum* vocatum. *h*) Viros doctrina excellentes fouit, atque lubentiſſime ſententias dicentes audiuit. In iudiciis conſilio vſus eſt iureconſultorum, maxime Iulii Celſi, Saluii Iuliani, et Neratii Priſci. *i*) Cum adeo Chriſtianos odiſſet: vt exſcindere conaretur omnes, et, pluribus ſumma pericula adeuntibus, Arrius in Africa illis exprobraret vecordiam, o miſeri! inquiens, nonne laqueos et praecipitia ipſi habetis? docti principis impetum viri facile potuerunt ſiſtere eruditiſſimi, Quadratus Epiſcopus, et Ariſtides philoſophus, Athenienſes ambo, qui ſcriptis pro veritate religionis Chriſtianae apologiis inclaruere. Et Herennii Graniani, Aſiae praeſidis, acceſſit teſtimonium, nefas eſſe, quem-

f) Cap. 14. p. 305. *g*) Hiſtor. Aug. epitom. c. 14.
h) AVR. VICTOR de Caeſaribus c. 14. *i*) SPARTIANVS Hadr. c. 18.

quam, nisi crimine probato, populi acclamationibus ad supplicium dari. *k)* Mox ergo ab eo furore decessit. Multas professoribus quaestiones proposuit, atque propositas ipse dissoluit. Libros statim lectos, et ignotos quidem, plurimis memoriter reddidit. Vno tempore scripsit, dictauit, audiuit, et cum amicis fabulatus est. *l)* Cum Athenis insignes et plurimas aedes feciſſet: bibliothecam ibi quoque miri operis exstruxit. *m)* Imperator ab ineunte aetate impensius Graecis studiis imbutus est: ingenio eius ad liberaliorem disciplinam ita declinante, vt Graeculus a nonnullis diceretur. *n)* Cum quaestor esset, Traiano III. et Articuleio Paeto coss. A. V. DCCCXIII. R. S. CIII. atque in senatu orationem imperatoris agrestius pronuncians derideretur: ad summam vsque peritiam facundiamque rhetoribus Latinis operam dedit. *o)* Cum armis potens iam rerum potiretur, dignus Traiani successor: non modo arithmeticae, geometriae, picturae, verum etiam in primis poematum, vt literarum omnium, fuit studiosissimus; adeo quidem vt in voluptate nimius, de suis multa componeret versibus, et amatoria carmina scriberet multa. *p)* Acerrimus ad lacessendum pariter ac respondendum seriis, ioco, maledictis, carmen didicit referre carmini, dictum dicto: quasi ad omnia longe meditatus fuisset. Quod peregrinationis valde esset cupidus: vt quae legerat de omnibus orbis terrarum locis, coram accuratius spectator addisceret ipse: et, quod immensi pene laboris erat, prouincias omnes

k) Vid. TERTVLL. ad Scapul. c. 5. EVSEBIVS chronic. et hist. eccles. l. 4. c. 3. 8. 9. HIERONYMVS scriptor. catalog.
l) SPARTIANVS Hadr. c. 20. *m)* EVSEBIVS chron. olymp. 228. *n)* SPARTIANVS Hadr. c. 1. extr.
o) Idem c. 3. *p)* Idem c. 14.

Digitized by

omnes pedibus circumierit, agmen praeuertens comitantium: Florus poeta quidam ad eum ſcripſit:

Ego nolo Caeſar eſſe,
Volitare per Sicambros,
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas.

Imperator vero in continenti reſpondit:

Ego nolo Florus eſſe,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Culices pati rotundos.

Cum Peluſium veniſſet, Pompeii ſepulchrum hoc verſu inſtauraüit:

Oſſa viri magni tenui quam clauſa ſepulchro!

Et in ipſo mortis agone, perpetuis exagitatus membrorum cruciatibus, non deſinit verſibus modulari triſtibus:

Animula vagula, blandula,
Hoſpes comesque corporis,
Quae nunc abibis in loca;
Pallidula, rigida, nudula,
Nec, vt ſoles, dabis iocos?

Quamuis autem oratione et verſibus eſſet promtiſſimus, et in omnibus artibus peritiſſimus: illarum profeſſores tamen, vt ſibi videbatur eſſe doctior, ſemper riſit, contemſit, obtriuit. Cum illis et quibuſcunque philoſophis ſaepe, libris carminibusue inuicem editis, certauit. Cum Fauorino cuidam aliquando verbum exprobraret, et ille cederet: amici contra monerent, haud male vſurpatum, quod optimorum auctorum niteretur fide: ſapienter reſpondit: *non recte ſuadetis familiares, qui non patimini, me illum doctiorem omnibus credere, qui habet triginta legiones.* Famae cupidiſſimus fuit, librosque de rebus

Digitized by Google

ſuis, a ſe conſcriptos, libertis ſuis dedit literatis, vt ipſorum auctoritate publicarentur. Hinc et Phlegontis libri dicti ſunt eſſe Hadriani. Antimachum imitatus eſt, et libros ſcripſit Catacrianos obſcuriſſimos. Saepius controuerſias declamauit. Genus dicendi amauit vetuſtiſſimum: eaque ſententia Catonem Ciceroni, Ennium Virgilio, Coelium Salluſtio praetulit. Quamuis in bonarum artium profeſſoribus reprehendendis eſſet facilis: eos tamen honorauit omnes, ac diuites fecit: *q*) ſuis vero etiam quaeſtionibus ſemper agitauit. In ſumma familiaritate philoſophos, grammaticos, rhetores, muſicos, geometras, pictores et aſtrologos habuit. Artium doctores, qui profeſſioni ſuae ſufficere non videbantur, ditatos honoratosque a profeſſione dimiſit. *r*) Veſpaſiani exemplum ſecutus Hadrianus imperator, ARCADIO CHARISIO teſte, *s*) quam gratioſiſſime reſcripſit: *magiſtris, qui ciuilium munerum vacationem habent, item grammaticis, et oratoribus, et medicis, et philoſophis, ne hoſpitem reciperent, a principibus fuiſſe immunitatem indultam.* Ad medicos quidem quod attinet, illis immunitatem primus conceſſit Caeſar Octauianus Auguſtus, poſtquam graui et periculoſo morbo ab Antonio Muſa liberatus eſt. *t*) Neque, vt CONRINGIVS *v*) recte monet, iidem ſunt medici, philoſophi, grammatici et oratores, atque illarum artium magiſtri. Sed tamen in vniuerſum quod indultum eſt: id multo magis ad magiſtros pertinere debet. Atque ita diſerte Paulus Iurecon-

q) SPART. Hadr. c. 16. Memoriae lapſu FALSTERVS quaeſtionibus Romanis pag. 184. haec verba Capitolino tribuit. *r*) SPARTIANVS Hadrian. c. 15. ſeqq. *s*) L. 18. extr. D. de muneribus et honoribus. *t*) Vid. DIO CASSIVS l. 55. *v*) De antiquit. academ. diſſert. 6. pag. 165.

Digitized by Google

conſultus: *x*) *angariorum y*) inquit, *praeſtatio, et recipiendi hoſpitis neceſſitas, et militi, et liberalium artium profeſſoribus, inter cetera, remiſſa ſunt.* Sunt autem profeſſores illi, qui grammaticam, ſeu φιλολογίαν, et rhetoricam docebant.

§. III.

A. C. CXXXVIII. Hadriano imperatori, adoptionis beneficio, ſucceſſit T. ANTONINVS, PIVS cognominatus, vel quod ſocerum, aetate iam feſſum, ſua manu leuauit, praeſente ſenatu: vel quod magnam partem ſenatus, ab Hadriano morti deſtinatam ſeruauit: vel quod ipſi Hadriano defuncto, cui ſenatus propter mandata de necandis ſenatoribus infenſior erat factus, honores diuinos impetrauit: vel quod per omnem vitam clementiae et pietatis ſtudioſiſſimus fuit. Nam et vitam priuatam honeſtiſſime exegit, et in imperio etiam melior ac modeſtior eſt viſus. Nemini vnquam fuit aſper, aut moleſtus, ſed erga omnes beneuolus ac lenis: vt Numae Pompilio propter pacis ſtudium et vitae ſanctitatem, quemadmodum Romulo Traianus propter imperii amplificationem bellique gloriam comparari ſoleat. Bellum ipſe nullum concitauit: et ſi quae fuerunt mota, facile per legatos compoſuit: vt orbem terrarum prope ſine bello, ſola auctoritate rexiſſe videatur. Ita pacificus Romae reſedit, ac fere ſolus inter omnes principes prorſus ſine ciuili ſanguine, aut hoſtili, quantum quidem ad ipſum pertinet, tranquille ac beate vixit. Sibi ſemper fuit ſimilis, atque *adeo probis*, quemadmodum AVRELIVS VICTOR loquitur, *z*) *moribus, vt plane docuerit,*

x) L. 10. D. de vacatione et excuſatione munerum. *y*) Angaria ſunt equorum praeſtationes ad curſum publicum.

z) De Caeſaribus c. 15.

Digitized by Google

cuerit, neque iugi pace ac longo otio abſoluta ingenia corrumpi: eoque demum fortunatas vrbes fore, ſi regna ſapientiae ſint. Reip. negotiis viros bonos praeficiebat, ac illis quam lubentiſſime honores atque diuitias, propter adminiſtrationis fidem et induſtriam, diſtribuebat. Inertibus contra et otioſis ſalaria ſubtrahebat, ratus, nihil eſſe crudelius, quam ab illis arrodi remp. qui nihil in eam labore ſuo conferunt. Ipſe peccata omnia quouis modo euitare ſtudebat: vt nec volens, nec imprudens delinqueret. Sed aliorum peccata, neque curioſe inquirendo, neque acerbius puniendo, ſemper aequo animo ferre poterat: ac dicere ſolebat, tales effici homines, quales habere velis, nullo modo poſſe: iis vero, qui ſint, ad reip. vtilitatem eſſe vtendum. Et ipſa coniugis Fauſtinae ſcelera cum animi dolore compreſſit: quae eo vſque proceſſit petulantiae, vt in Campania ſedens amoena littorum perluſtraret, atque ex nauticis (pleraque enim agere ſolebant nudi) flagitiis aptiores legeret: Septuagenario maior, cum in coena caſeum auidius comediſſet, febri correptus, in ſua apud Larios Hetruriae villa, diem obiit ſupremum, vir, vt CAPITOLINVS *a*) habet, forma conſpicuus, ingenio clarus, moribus clemens, nobilis vultu, et placidus ingenio, ſingularis eloquentiae, nitidae literaturae, praecipue ſobrius, diligens agri cultor, mitis, largus, alieni abſtinens, et omnia haec cum menſura, et ſine iactantia. De annis imperii ſcriptores non conueniunt, de quibus RVPERTVS *b*) conſulendus eſt. Plerique EVTROPIVM ſequuntur, qui diſerte: *obiit apud Larios*, inquit, *c*) *villam ſuam milliario ab vrbe XII. vitae anno ſeptuageſimo octauo, imperii viceſimo quar-*

a) Antonino Pio c. 2. *b*) Obſeru. in ſynopſin Beſoldi pag. 321. *c*) Hiſt. l. 8.

Digitized by Google

quarto, atque inter Deos relatus eſt, et merito conſecratus. De rebus geſtis pluribus conferantur CAPITOLINVS, XIPHILINVS, AVR. VICTOR, SVIDAS.

§. IV.

Quam maxime liberalis erga bonarum artium doctores fuit M. Antoninus Pius, qui, teſte MODESTINO, *d*) decreuit, vt grammatici, ſophiſtae, rhetores, medici, qui *περιοδευται*, i. e. circulatores vocantur, quemadmodum a reliquis muneribus, ita et a tutela et a cura requiem habeant. Etiam lege numerum rhetorum in vnaquaque ciuitate; qui vacationem munerum habent, et haereſes quaſdam propoſuit. Minores ciuitates iuſſit quinque medicos immunes habere, et tres ſophiſtas, et grammaticos totidem: maiores autem ciuitates ſeptem, qui curent; quatuor, qui doceant vtramque doctrinam: maximas ciuitates decem medicos, et rhetores quinque, et grammaticos totidem. Philoſophorum autem non conſtituit numerum: quia rari ſunt, qui philoſophantur. Qui in patria docebat, aut medicabatur, immunitatem habebat; qui extra patriam, non item. Sed tamen qui diſciplinis excellebant, etſi ſupra numerum, et extra patriam morarentur, immunes erant. Romae philoſophantes, cum ſalario, vel ſine ſalario, remiſſionem onerum habebant publicorum, ac ſi in patria ſua docerent: vt regia vrbs illa, quae communis omnium Ciuium Romanorum videbatur eſſe patria, ſua cuique emolumenta praeſtaret. Legum doctores, in aliquo praeſidatu, ſeu prouincia, docentes, remiſſionem non habebant: Romae autem docentes a tutela et cura liberi erant. *e*) Vt

IVLIVS

d) L. 6. D. de excuſationibus. *e*) Videatur omnino MODESTINVS l. c.

IVLIVS CAPITOLINVS *f*) habet, rhetoribus et philoſophis, per omnes prouincias, et honores, et ſalaria detulit. Quae ſalaria prouincialia fuiſſe ſexcentos Rom. aureos, ſeu, vt Latine hoc efferamus, ſexagena ſeſtertia, nobis mille quingentos Philippeos, CASAVBONVS *g*) e Tatiano obſeruauit, qui, in oratione apologetica philoſophorum increpans auaritiam, *veſtri*, inquit, *philoſophi tantum a contemtu opum abſunt*, ὥστε παρὰ τῶ Ρωμαίων βασιλέως ἑτησίας χρυσᾶς ἑξακοσίας λαμβάνειν τινὰς, *vt a Romano imperatore quidam illorum ad ſexcentos annuos aureos accipiant*. Sed haec pro ingenio principum atque meritis doctorum varia, nec eadem ſemper fuiſſe videntur. Ita LVCIANVS, *h*) vbi philoſophos fugillat, diem ait obiiſſe quemdam ex peripateticis doctoribus, in cuius locum alii contenderint ſurrogari: nec immerito, nam ſtipendium grande ab imperatore conſtitutum erat ſingulis philoſophorum generibus; decem videlicet millia drachmarum in ſingulos annos, ſiue quadragena ſeſtertia, nobis mille Philippei. *i*) Cum Apollonium, quem Chalcide acciuerat, ad Tiberianam domum, in qua habitabat, vocaſſet, vt ei Marcum Antoninum traderet, atque ille dixiſſet: *non magiſter ad diſcipulum debet venire, ſed diſcipulus ad magiſtrum*: riſit eum, atque dixit: *facilius fuit Apollonio a Chalcide Romam venire, quam a domo ſua in palatium*. Atque etiam illius auaritiam mercedibus notauit. *k*)

§. V.

M. ANTONINVS PHILOSOPHVS natus

f) Antonino Pio c. 11. *g*) Animadu. in Sueton. Oth. c. 4. pag. 293. *h*) In Eunucho. *i*) Pl. confer. Celeberrim. WALCHIVS parerg. acad. pag. 123. ſeqq. *k*) CAPITOLINVS Ant. Pio c. 10.

Digitized

tus ex Annio Vero, qui frater erat vxoris Antonini Pii, et in praetura deceſſit; ab Adriano imperatore datus eſt Antonino Pio adoptandus, ſimul atque LVCIVS VERVS, Aelii filius. Patri in imperio ſucceſſit anno Chriſti CLXII. ſuumque non natiuitatis, ſed adoptionis lege fratrem fecit imperii conſortem: quod tunc primum coepit duos habere Auguſtos. Vnde factum, vt M. Antoninus et L. Verus in iuris ciuilis voluminibus atque hiſtoricorum monumentis *Diui fratres* nominati fuerint. Lucius ille quidem Verus parum literis imbutus luxuriae ſuisque voluptatibus indulgebat. Quamobrem a Marco fratre in Syriam ad bellum aduerſus Parthos gerendum mittebatur: ne quid in vrbe, ciuium ſuorum conſpectu, peccaret; ad frugem rediret meliorem; peregrinationis pluribus incommodis parſimoniae cogeretur ſtudere, tandemque ſe imperatorem eſſe cognoſceret. Sed nullo modo emendanda inueterata libido. Quamprimum enim in Syriam venit, apud Antiochiam et Daphnen deliciis ſuis deditus, effeminatus homo perdidis amoribus et adulteriis, et luxu diffluens, imperium ne capeſſeret, belli ducibus res expediendas commiſit, qui Babyloniam, Mediam, et Armeniam Romano imperio vindicarunt: vnde nomen Armenici, Parthici et Medici venit vtrique fratri, vno vehiculo triumphanti. Sed Lucius Verus tandem apoplexia correptus, non ſine veneni ſuſpitione, certe non ſine inſigni vitiorum macula, anno imperii nono, vel, vt CAPITOLINVS ſcribit, vndecimo, morte immatura extinctus eſt. Marcus Antoninus contra ab ineunte aetate optimis literis et philoſophiae ſtudio ſemet conſecrauerat totum, adeo quidem, vt adſcitus iam in imperatoriam dignitatem non erubuerit, diſcendi cauſſa ad Apollonii et Hermogenis rhetoris domum ve-

nire. Et maxima cum attentione animi Sextum Chaeronenſem, Plutarchi nepotem, Herodem Atticum, Iunium Ruſticum, Claudium Maximum, Cinnam Catullum, aliosque Stoicos philoſophos audiuit: ſuoque demonſtrauit exemplo, verum eſſe, quod memoriae prodidit poeta, fideliter didiciſſe artes, emollire mores, nec ſinere eſſe veros. Sic enim factus formatusque eſt, vt per omnem vitam, quemadmodum eos maxime decet, qui rerum potiuntur, grauis eſſet ſine triſtitia, frugi ſine contumacia, verecundus ſine ignauia. Atque in eo conſpirant hiſtorici omnes, imperatorem fuiſſe, quem facilius admireris tacitus, quam laudes, cum nulla oratio viri huius poſſit aequare virtutes. Cum a prima aetate quietam et conſtantem vitam ſibi delegiſſet, eodem ſemper conſpectus eſt vultu, quem neque propter laetitiam, neque propter metum mutauit vnquam. Similis in omnibus ſemper ſibi nullo modo commoueri poterat, ne vxoris quidem Fauſtinae ſceleribus nefandis, quae impudicitia et libidine, vel ſtudio, Meſſalinam, Claudii coniugem, ſuperare voluit. Optimus erat Princeps, nec ſimulati quicquam habebat. Quacunque autem re dicebat ſe iuuari literis et philoſophiae ſtudio: et ſententiam Platonis nunquam non commendare ſolebat, reſp. florere, ſi aut philoſophi imperarent, aut imperatores cum philoſophis conuerſarentur. Cum duae imperatorem maxime ornarent virtutes, conſtantia in rebus perferendis aduerſis, quae ferre neceſſe eſt; et miſericordia erga eos, qui imperantis ſe ſubiiciunt poteſtati, vt parcerent ſubiectis, et debellarent ſuperbos: M. Antoninus erat durus in hoſtes omnes, ſed miſericordiae affectu, debellatis victisque hoſtibus, ad humanitatem ferebatur. Clementiae teſtimonium verba perhibent,

bent, quibus ad Fauſtinam coniugem ſcribens vtitur: *non eſt quidquam, quod Imp. Rom. melius commendet gentibus, quam clementia. Haec Caeſarem Deum fecit, haec Auguſtum conſecrauit, haec patrem tuum inprimis Pii nomine ornauit* etc. Et ad Senatum ſcripſit: *vtinam poſſem multos ex inferis etiam excitare. Non enim vnquam placet in imperatore vindicta ſui doloris, quae etſi iuſta fuerit, acrior videtur.* Poſt mortem L. Veri bellum ſolus tandem confecit Marcomannicum longe grauiſſimum, et multis Romanorum cladibus funeſtum, in ea Germaniae regione, quae nunc Morauia dicitur. Et eo bello aiunt Chriſtianam legionem, quae fulminatrix fuerit nominata, Romanorum exercitui pluuiam et victoriam impetraſſe. *l*) Quoquo ſe res habeat modo, imperator iam tum Chriſtianis mitior eſſe coepit Epheſi in conuentu publico, et ſatis clementer ſcripſiſſe, EVSEBIVS narrat: *m*) *eſt illis Chriſtianis optabile, vt accuſati pro Deo ſuo mori malle, quam viuere videantur: vnde et victores euadunt, animas ſuas potius tradentes, quam vobis ad ea, quae petitis, vt faciant obtemperantes. - - Pro quibus et pater noſter reſcripſit, non eſſe tales moleſtandos, niſi quid contra Romanum imperium tentaſſe deprehendantur. Quod ſi poſthac quisquam negotium talibus, tanquam talibus (i. e. Chriſtianis) faceſſere perrexerit, is qui defertur, ab accuſatione abſolutus ac liber ſit, etſi talis eſſe deprehendatur. Delator vero poenae ſubiaceat.* Commodum filium Caeſarem faciens, triumphi de victis Marcomannis habuit ſocium, eumque

l) Vid. EVSEBIVS hiſt. eccleſ. l. 5. c. 5. OROSIVS l. 7. c. 15. TERTVLLIANVS apolog. c. 5. et ad Scapul. c. 4. Confer. OBRECHTI diſſertatio de legione fulminatrice.

m) Hiſt. eccleſ. l. 4. c. 13.

in imperio ſucceſſorem reliquit. AVSONIVS vero *n*) prorſus ait felicem futurum fuiſſe, niſi hunc filium generaſſet:

Poſt Marco tutela datur, qui ſcita Platonis
Fecit ad imperium patre Pio melior.
Succeſſore ſuo moriens (ſed principe prauo)
Hoc ſolo patriae, quod genuit, nocuit.

Vitam priuatam ſic egit, vt nihil ſe ſupra ceteros efferret; nihil etiam adoptione poſtea mutatus. Imperium vtut ſumma cum poteſtate teneret, prorſus ad nullam deflexit inſolentiam: ſed bonus ac moderatus in regendis populis, largus in beneficiis dandis, adeo noluit ſibi ſubiectis ciuibus eſſe oneri: vt, cum, aerario exhauſto, pecunias militibus diſtribuendas non haberet, ſub haſta publice in Traiani foro, per duos continuos menſes, regii cultus vaſa, veſtes, ornamenta, et quicquid rei domeſticae fuit, non ſine opprobrio diſtraxerit. Poſt reportatam victoriam, emtoribus pretia reſtituit, qui, quod parauerant ſibi, reddere maluerunt. Nulli vero, qui emta retinebat, moleſtus fuit. Cum annos imperaſſet duodeviginti, aetatis anno LIX. apud Vidobonam morbo conſumtus eſt. Res domi forisque, bello et pace ab illo bene geſtas ſigillatim deſcripſerunt CAPITOLINVS, XIPHILINVS, EVTROPIVS, AVR. VICTOR, SVIDAS, ZONARAS, OROSIVS, partim etiam HERODIANVS, qui hiſtoriae ſuae exordio elogia Marco poſt obitum tributa recenſet, quod dixerint eum πατέρα χρηστὸν, ἀγαθὸν βασιλέα, καὶ γενναῖον στρατηγὸν, parentem bonum, probum principem, et fortiſſimum ducem. Cum his omnino meretur conferri RVPERTVS obſeruationi-

n) Caeſarum verſ. 110. confer. CAPITOL. Anton. Philoſ. c. 18.

tionibus ad ſynopſin Beſoldi. *o*) Extat quoque elegans M. Aurelii Antonini vita ex recenſione critica CHRISTOPHORI WOLLII. Placet illius tanti imperatoris nomen in laudati regiminis exemplum ANTONIO GVEVARAE, in Hiſpania epiſcopo Mendenenſi, qui patrio ſermone *horologium principum* edidit, in plures mox linguas translatum. Quod quidem non ad fidem hiſtoriae, ſed ad ingenium boni principis effictum eſt. RITTERSHVSIVS quoque *ſpeculum principis ciuiliter boni* ex huius M. Antonini hiſtoria concinnauit.

§. VI.

Reliquit noſter hic, cui ſtudio philoſophico et oratorio imperatorum nemo comparandus, libros XII. τῶν εἰς ἑαυτὸν, eorum quae de ſe ipſo ad ſe ipſum ſcripſit. Complectuntur vero non tam ipſius vitam, quam viuendi praecepta ſecundum Stoicam philoſophiam. Opuſculum nitidiſſimum egregio commentario THOMAS GATAKERVS illuſtrauit. Ad exemplar Oxonienſe ɔlɔlɔcc-xiii. recuſum Lipſiae ɔlɔlɔccxxix. 8vo. Cui praeter vitam imperatoris, a CHRISTOPHORO WOLLIO illuſtratam, IOH. FRANC. BVDDEVS, Theologus Ienenſis, introductionem ad philoſophiam Stoicam ex mente M. Antonini praemiſit. Accedunt aliquot eius epiſtolae. Volunt etiam ſcripſiſſe opus φιλοσοφικώτατον, quod vulgo ſub *itinerarii Antonini* nomine innotuit: ſed dubiae auctoritatis eſt, et cuiuis potius, quam huic imperatori adſcribi meretur. *p*)

§. VII.

Pari modo, atque Pius Imperator M. Antoninus Philoſophus liberalium artium doctoribus per omnes pro-

o) Cap. 14. p. 323. *p*) Vid. VOSSIVS de hiſt. Lat. l. 3. p. 695. FABRICIVS biblioth. Graec. l. 4. part. 2. c. 23.

prouincias honores et ſalaria detulit. Ita certe X. PHILINVS: *q*) ἔδωκε δὲ καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις διδασκάλοις ἐν ταῖς Ἀθήναις, ἐπὶ πάσης λόγων παιδείας, μισθὸν ἐτήσιον φέροντας. Et, teſte AVR. VICTORE, *r*) Caeſar hic philoſophiae ſtudens, et Graecarum literarum peritiſſimus, permiſit viris clarioribus, vt conuiuia eodem cultu, quo ipſe, & miniſtris ſimilibus, exhiberent. Oratori Latino Frontoni, cui multum detulit imperator in omni vita philoſophiae deditus, et qui vitae ſanctitate omnibus principibus antecellit, ſtatuam in ſenatu petiit. Proculum Siccenſem, Latinum grammaticum vſque ad proconſulatum prouexit, oneribus in ſe receptis. *s*) Cum Iunio Ruſtico, Stoicae diſciplinae peritiſſimo, omnia communicauit publica et priuata conſilia: et illum ſemper ante praefectos praetorio oſculatus eſt: conſulem iterum deſignauit: ac illi poſt obitum ſtatuas ab ſenatu poſtulauit. Tantum honoris ſemper ſuis detulit magiſtris: vt imagines eorum aureas in larario haberet, ac ſepulchra aditu, hoſtiis, floribusque honoraret. *t*) Sic ſane, quamuis, CAPITOLINO teſte, *v*) in largitionibus pecuniae publicae parciſſimus eſſet, quod laudi potius, quam reprehenſioni dabatur, bonis viris tamen pecunias dedit, ac pro meritis cuique opitulari quam liberaliſſime inſtituit.

§. VIII.

Anno reparatae ſalutis CLXXX. optimo patri peſſimus ſucceſſit filius L. ANTONINVS COMMODVS,

q) Dionis epit. huius imperat. vita. Confer. Cl. WALCHIVS paterg. acad. pag. 122. ſeq. *r*) Epit. c. 16. confer. CAPITOLINVS Anton. Philoſ. c. 17. *s*) CAPITOLINVS Ant. Philoſ. c. 2. *t*) CAPITOL. l. c. cap. 3. *v*) Antonino Philoſ. cap. 23.

Digitized by Google

DVS, Caligulae aut Neroni ſimillimus, vel etiam vtroque deterior, ſiue libidinem reſpicias, ſiue auaritiam et crudelitatem. De Quadis, in Germania victis, triumphauit. Cetera bella per legatos geſſit: ipſe vero interea temporis domi ſe turpitudinis et crudelitatis omni genere volutauit. Lucillam ſororem occidit: reliquas conſtuprauit, bacchantis inſtar, trecentas inter concubinas, quas ex matronarum et meretricum delectu, ad formae ſpeciem, coegit, in palatio per conuiuia et latebras ſua cumulans ſcelera. Eo tandem impudentiae venit, vt muliebri habitu in ſenatu ſedens publice bibere non erubuerit. Gladiatorem inter gladiatores egit: quos ſub ſpecie pugnae ſaepius trucidauit: donec a Scaeua quodam deterreretur: qui, cum audatia, et robore corporis, et pugnandi peritia valeret, ſpreto gladio, quem inutilem cernebat, ſufficere vtrique, ait, quo imperator ipſe armabatur. Eo metu, ne inter congrediendum, extorto pugione conficeretur, Scaeuam remouit, ſuamque ferociam in feras beſtias conuertit, quarum multa millia ſua manu occidit. Prouinciarum adminiſtrationes publice, et vndecunque pecuniam corradere poterat, vendidit. Suum ipſe repudiauit nomen, et Herculeum ſe, et Iouis filium dici, et Septembrem menſem nomine ſuo Commodum appellari voluit. Abiecto Romanorum habitu, ſe pelle inuoluit leonina, et clauam geſſit, atque ita cum beſtiis et hominibus publice duello congrediebatur. Apud eum Perennis primo, mox ei ſublato Cleander ſuffectus, ex cubiculariis nimium potens, ſcelerumque miniſter, luculentum raro diuturnae potentiae aulicae poſteritati exemplum reliquit. Poſtquam enim aliquandiu crudelitatem et auaritiam exercuit ſuam, ab imperatore populo donatus, et interfectus eſt. Imperatorem

torem tandem cum inſatiabilem ſanguinis omnes horreſcerent: ipſe etiam vrbem incendi iuſſiſſet, et populum in amphitheatro a militibus claſſiariis interimi praecepisſet, et cubiculario ſuos pro lubitu occideret: Q. Aelius Laetus, praefectus praetorio, et Marcia concubina, quam Commodus prae ceteris dilexerat, cum aliis in eius necem conſpirant. Ita accepto veneno, alui ſentiens dolorem ad palaeſtram properat, a magiſtro vngendi vero, velut artis exercitio, faucibus nodo validius preſſis, enecatur, annos natus XXXII. poſtquam Romano imperio XII. annos non tam praefuit, quam exitio fuit ſpurciſſimus gladiator et parricida. Quamobrem imperatoris execrati cadauer ſenatus vnco in Tiberim trahendum abiiciendumque decreuit. Attamen Pertinacis conſilio, in monumentum Hadriani translatum eſt. Tyranni facinora diſerte LAMPRIDIVS et HERODIANVS deſcripſerunt: quibuscum et AVR. VICTOR *x*) conferendus eſt, et EVTROPIVS. *y*)

§. IX.

Commodus Imperator quamuis homo fuerit nequam, maiorum tamen veſtigiis inſiſtens, rem literariam, ni promouere, tueri certe viſus eſt, atque doctorum honores et immunitates firmare. Ita voluit, teſte MODESTINO, *z*) *philoſophos, rhetores, grammaticos, medicos, immunes eſſe, gymnaſiis ſacerdotii ſtantes; et neque ad frumenti, et vini, et olei emtiones et praepoſitiones; et neque cogitare, neque legatos eſſe, neque in militia numerari nolentes; neque ad alium famulatum eos cogi.* Neque ſilentio praetermittendum, quod Romae res literaria, Commodo imperatore, incommodum ſenſerit. Poſtquam

x) De Caeſar. c. 17. et epit. c. 17. *y*) Lib. 8. *z*) L. 6. D. de excuſationibus. §. 8.

quam enim Apollonius, vrbis ſenator, legit ſenatui inſigne volumen, quod de fide Chriſtiana compoſuerat, et capite truncatus eſt: in capitolium fulmen ruit, factaque magna inflammatione, cum multis aedibus vicinis incomparabilis illa bibliotheca concremata eſt. *a*)

§. X.

Commodo extincto poſt Chriſtum natum anno CXCII. Laetus, praefectus praetorio, et cubicularii P. HELVIVM PERTINACEM, vrbis praefectum, intempeſta nocte ad imperium vocant. Natus hic fuit patre libertino, qui eum Sulpicio Apollinari erudiendum dedit, tanto quidem ſucceſſu, vt ipſe Pertinax grammaticam poſt Apollinarem apud Ligures doceret Sed cum doctrina quaeſtum non faceret vitae ſuſtinendae ſufficientem: per Lollianum Auitum, patris patronum, ducendi ordinis dignitatem petiit. Militari induſtria ad praeturam et conſulatum peruenit. Ex conſulatu Syriam, Moeſiam, Daciamque prouincias obtinuit. Inde redux vrbis Romae praefecturam meruit: tandemque ad imperium vocatus ſexagenario maior, optimorum principum more, vulneribus reip. mederi quouis modo inſtituit. Petenti ſignum primo die tribuno dedit, *militemus*; ſegnitiem exprobrans ſuperiorum temporum. Dum vero multorum Commodi flagitiis corruptam viuendi rationem ſaluberrima voluit emendare diſciplina; et militum praeſertim, nimiae licentiae et ignauiae aſſuetorum, mores coercere: cum Didio Iuliano in imperatoris conſpirant exitium, qui et ipſum Laetum, praetorio praefectum commouit, vt eum in palatio a militibus pateretur trucidari imperii LXXXV. die. Caput interfecti

a) EVSEBIVS chron. olymp. 242.

Digitized by Google

tota vrbe circumuectum milites in caſtra pertulerunt. Sed Populus mortem eius aequo non potuit ferre animo: quin nomen illi decernerent *Diui*, vocesque in laudem eius ingemiſcerent: *Pertinace imperante ſecuri viximus, neminem timuimus. Patri pio, patri ſenatus, patri omnium bonorum.* Hinc et ſucceſſor eius Iulianus laceratum cadauer, eius recuperato capite, quam honorificentiſſime efferri curauit. Conſulendi ſunt rerum Romanarum ſcriptores accuratiſſimi huius temporis IVL. CAPITOLINVS, HERODIANVS, XIPHILINVS, EVTROPIVS, AVR. VICTOR.

§. XI.

Heluio Pertinace V. Kalend. Iul. CXCII. extincto, venum exponitur a militibus praetorianis imperium, quod, peſſimo exemplo, emit vigilum praefectus, DIDIVS IVLIANVS, iuris peritiſſimus, ſed eruditione melior, quam animo: cuius auus Saluius ille fuit Iulianus, ICtus nobiliſſimus, qui ſub Hadriano Imperatore floruit, ac edictum perpetuum compoſuit. Senatu blanditiis, vel metu, in partes ſuas tracto, populum nullo modo ſibi conciliare potuit: quin, poſt conuicia et lapides in eum coniectos, Peſcennium Nigrum, qui iam tum in Syria imperare dicebatur, ad vrbis praeſidium vocarent. Mox etiam Seuerus in Illyrico et Pannonia, et Albinus in Britannia defecerunt. Iulianus interea temporis Romae fruſtra ſenatum rogabat, vt hoſtes renunciarentur. Adeo ſpem inter perpetuo atque metum omnibus aſſentari, obuiis arridere, multa libero homine indigna, ad conciliandum ſibi fauorem multitudinis perpetrare. Sed ſuſpecta erant plerisque immodica officia: tantoque magis malam accuſabant imperatoris fidem: qui ne militibus quidem ſuis promiſſam poterat ſoluere pecu-

Digitized by Google

pecuniam. Albinum Seuerus in Britannia Caeſarem dicit: vt ſecuritatis opinione in ea prouincia detineretur. Ipſe vero tota deuincta ſibi, praeter Byzantium, Europa, Romam infeſto agmine contendit: vbi Iulianus milites deſides luxuriaque vrbana diſſolutos, in armis fruſtra exercebat. Ratus, Laetum fauere Seuero, eum Marciamque interficit, per quos, vt ſupra vidimus, interierat Commodus. Pueros mactat non paucos, vt per exta eorum, et ſacerdotum ludibria, rerum futuros cognoſceret euentus. Crebro mittit ad Seuerum interficiendum: qui omnes tranſeunt in eius partes. Rebus ſic deſperatis omnibus, ipſum tandem ſenatum per milites ad obſequium cogere, aut obtruncare decreuit. Sed mox conſilio mutato, offert Seuero imperii ſocietatem: qui prorſus nihil attendens, acie illum prope pontem Miluium vincit. Victus et ab omnibus deſertus in palatium fugit: ab ſenatu vero capitis damnatur, et a milite gregario quodam decollatur, cum annos vixiſſet LX. et imperaſſet LXVI. dies. Conſulendi ſunt AELIVS SPARTIANVS, XIPHILINVS, AVR. VICTOR, EVTROPIVS, HERODIANVS.

§ XII.

CXCII. Iuliano ſublato SEPTIMIVS SEVERVS ſurrogatur, natione Afer, oppido Leptitano natus in Tripolitana prouincia: de quo AVSONIVS: *b*)

Impiger eligendo mouet arma Seuerus ab Iſtro:
Vt parricidae regna adimat Didio.
Punica origo illi; ſed qui virtute probaret,
Non obſtare locum, quum valet ingenium.

Ordinis equeſtris Marci Getae filius ab ineunte aetate Latinis, Graecisque literis optime inſtitutus, vt eruditiſſi-

b) Caeſar. v. 126.

tiſſimos inter numeretur, duodeuiceſimo aetatis anno publice declamauit. Poſtea ſtudiorum cauſſa Romam venit, latumque clauum a diuo Marco impetrauit, Septimio Seuero, affine ſuo, conſulari viro, ſibi fauente. Per omnes dignitatis gradus ad ſummum imperii culmen peruenit: ac vere de ſemetipſo dicere potuit: *omnia fui, et nihil expedit.* Romae quaeſturam diligenter egit: eaque finita Baeticam ſorte accepit prouinciam. Inde rediit in Africam: vt, mortuo parente, rem domeſticam curaret. Interea temporis pro Baetica, quam Mauri iam tum populabantur, Sardiniam accepit. Mox legationem obtinuit Africani proconſulis. Marco imperatore decernente, tribunatum pl. promeruit. A. Marco etiam deſignatus eſt praetor aetatis anno XXXII. et miſſus in Hiſpaniam. Legioni quartae Scythicae deinde praepoſitus eſt circa Maſſiliam. Poſtea ſtudiorum gratia petiit Athenas, quibus, quod ciuium aliquot pertuliſſet iniurias, factus imperator, iraſcebatur. Ex prouincia Lugdunenſi, quam legatus accepit, ſeueritatis et abſtinentiae ſummam laudem reportauit. Pannonias Siciliamque proconſulari imperio rexit. Poſt conſulatum Germanico praefectus exercitui, tandem a Pannonicis et Illyricis legionibus, quod Iulianus audiretur inuitis imperare bonis omnibus, imperator eſt appellatus. Quo facto, Romam armata properat manu, Iuliani vincit exercitum, eodemque ſenatus decreto, quo Iulianus damnatur capitis, in imperatoria dignitate confirmatur. Prima ergo illi cura fuit, praetorianorum coercere inſolentiam. Pertinacis interfectores morte multauit, reliquos exarmatos vrbe eiecit. Eodem tempore Peſcennius Niger in oriente, et Clodius Albinus in occidente imperium affectabant. Hunc ergo Caeſaris lactans honore, illum,

Digitized by Google

illum, conſtitutis Romae iudiciis, perſequitur bello, atque vt res in oriente componeret, ingenti profectus cum exercitu, tribus proeliis ad Cizycum, ad Nicaeam et poſtremo ad Iſſum in Cilicia vincit. Inde Peſcennium, qui Antiochiam ſe receperat, interfici, eiusque caput amputatum pilo circumferri curauit. Expeditionis initio Byzantium toto triennio obſedit, reſiſtentibus illi tanta pertinacia praeſidiariis, vt carnibus veſci maluerint humanis, quam victoris amplecti gratiam. Facta deditione, Seuerus iuſſit demoliri muros. Nec ea vrbs ante inſtaurata fuit, quam Conſtantinus M. eam aedificatam ſuo nomine inſigniret. Syriae, Aegypti, et alias ciuitates, quae Peſcennii fouerant partes, grauiter multauit. Sed Alexandriam ingreſſus, teſte SVIDA, cum aegre Seuerus ferret, moenibus inſcriptum, *Domini Nigri eſt vrbs:* ciues illi obuiam prodiere, cauſſamque ſcite dixerunt ita: *nouimus dixiſſe nos, Domini Nigri eſſe vrbem: tu enim es Nigri dominus.* Qua promta defenſione imperator placatus illis ignouit. In orientem vlterius progreſſus Parthos, Adiabenos et Arabes, qui cum Peſcennio ſe coniunxerant, victricibus ſuperauit armis, ſuaque ab his victoriis cognomina triumpho accepit. Hoc vero etiam inter res Peſcennii Nigri memoratu dignas ab AELIO SPARTIANO *c*) notatur, cum imperatori facto quidam vellet recitare panegyricum, illi dixiſſe: *ſcribe laudes Marii, vel Hannibalis, vel alicuius ducis optimi vita functi, et dic, quid ille fecerit, vt eum nos imitemur. Nam viuentes laudare, irriſio eſt, maxime imperatores, a quibus ſperatur, qui timentur, qui praeſtare publice poſſunt, qui poſſunt necare, qui proſcribere. Se autem viuum placere velle, mortuum etiam laudari.* Sublato

c) Peſcennio Nigro cap. 11.

lato Nigro, reliquus erat in occidente Albinus, quem parum ex ſententia, parumque vſui fore ſibi arbitrabatur: iam tum maxime vulgato rumore, nimis illum impotenter ac moleſte Caeſaris nomen vſurpare, multosque ſenatores clam eius reditum, datis ad eum literis, ſolicitare, qui eum mallent, quam Seuerum imperatorem eſſe. Duxit ergo aduerſus Clodium Albinum in Galliam exercitum. Dubio primum dimicatur Marte; adeo quidem, vt Seuerus ipſe ictus deficiens animo decideret equo. Mox iterato iuxta Lugdunum proelio Seuerus victor hoſtilem fudit exercitum, captumque Albinum truncauit capite, quod Romae iuſſit publice praefigi: vt exemplo eius eſſet neceſſariis, quid ipſis futurum, ni mandato principi audientes eſſent. In vrbem redux omnem irae animique atrocitatem in Albini effudit amicos, quos crudeliter interfecit ipſos, eorundemque bona publicauit. Sic ergo imperium metu potius, quam beneuolentia tenuit; magisque militum armis, quam ciuium amore nixus eſt. Bellum in Britannia nouiſſimum geſſit, gentesque Britannis infeſtas ſubegit: atque vt perpetuam illis ſecuritatem praeſtaret, murum per tranſuerſam inſulam excitauit vtrinque ad oceani fines. Tandemque deceſſit Eboraci, Britanniae municipio, anno imperii XVIII. aetatis LXV. Quod et crudelis, et vtilis eſſet reip. iactatum vulgo, eum aut nunquam naſci, aut mori nunquam debuiſſe. Ingenium eius bene repraeſentat AVR. VICTOR: *d*) *fuit bellicoſiſſimus omnium, qui ante eum fuerunt. Acer ingenio, ad omnia, quae intendiſſet, in finem perſeuerans. Beneuolentia, quo inclinaſſet, mirabili ac perpetua. Ad quaerendum diligens; ad largiendum liberalis. In amicos inimi-*

d) Epitom. c. 20.

inimicosque pariter pariter vehemens. Quibuſcum omnino conueniunt, quae XIPHILINVS memoriae prodidit: *erat corpore robuſtus, niſi quod ſenex podagra laborauit. Acies mentis acerrima fuit et validiſſima: doctrinas appetiuit et intellexit: nec garrulus fuit: non ingratus amicis, ſed aduerſus inimicos acerrimus, intentus in ea, quae agenda erant, nihil morabatur fabellas et rumuſculos, qui de illo ſpargebantur.* Pluribus conferantur SPARTIANVS in ipſius Seueri, Didii Iuliani et Peſcennii Nigri vitis, CAPITOLINVS in Clodio Albino, XIPHILINVS, HERODIANVS, EVTROPIVS, AVR. VICTOR.

§. XIII.

Anno Chriſti CCXI. Septimio Seuero filii, ANTONINVS BASSIANVS CARACALLA et GETA, ſucceſſerunt, quos pari poteſtate pater imperio praeeſſe iuſſerat, minime auſpicato. Baſſianus enim conſortem non ferens imperii, Getam fratrem quouis modo excludi cupiebat. Hinc apud milites conqueſtus, ſe fratris circumueniri inſidiis, vt eum hoſtem iudicarent, impetrare non potuit, propter fidem, quam duobus ſe liberis Seueri iuraſſe dictitabant. Mox ipſo patre ſuperbior et truculentior, medicos nutriciosque ſupplicio affecit, quod patris necem non acceleraſſent. Nec alia experti ſunt, qui de ſancienda inter fratres concordia laborarunt. Ea tamen ſimulata ex Britannia cum reliquo patris exercitu Romam contendit, fratre eum comitante Geta; verum ita, vt propter ſuſpitionem veneni, neque eadem menſa, neque iisdem diuerſoriis vterentur. Sic quoque partiti Romae inter ſe fuerunt palatium, et corporis cuſtodes vterque ſibi alios elegit, et ipſa ciuitas in factiones diſtracta fuit. His malis Iulia mater mederi quidem et fratrum gratiam reſtituere quouis modo ſtu-

det, et qui bene vtrique imperatori cupiebant, paterni imperii diuiſionem ſuadent: vt Baſſianus Europae et Africae, Geta vero Aſiae praeeſſet: ſed incaſſum laborantibus bonis, et aucto in dies odio, Caracalla in Getae cubiculum irrumpens, eum nihil metuentem opprimit, atque de matris collo pendentem enecat. Perpetrato paricidio, per palatium caſtraque diſcurrens, magnum ſe clamitat effugiſſe periculum, et infinitas fratris mentitur inſidias, vt euadere vix tandem potuerit. Mox Getae omnes domeſticos et amicos occidere iubet, et Papiniano, vrbis praefecto et celeberrimo Iuris conſulto, dat ſceleris excuſandi negotium: qui, quod facinus defendendum eſſe negabat, neque tam facile teſtabatur excuſari paricidium, quam committi, cum omnibus domeſticis et familiaribus obtruncatur. Referentibus aliis, ſcelus mitigari poſſe, fratrem ſi appellaret diuum: ſit diuus, inquit, dummodo non viuus. Poſtea promiſcue in homines ſaeuiit, in eos maxime, qui vel auctoritate, vel opibus, vel nobilitate praeſtabant. Sic Pertinacem ob rem nullam aliam occidit, quam quod imperatoris filius eſſet. Saeuitiae atque rapinis nuptias minus decoras addidit. Iulia nouerca, praeſtanti corpore et voluptatibus aeſtuans femina, in cuius ſinu modo fratrem occiderat, maxima ſe pectoris parte, quaſi per negligentiam nudauerat. Ad eam Baſſianus accedens, *quam vellem*, inquit, *ſi liceret*. Illa vero, *ſi libet*, reſpondit, *licet. An neſcis te imperatorem eſſe, et leges dare, non accipere.* Sic mulierem impudicam, ſua licet nouerca eſſet, petulantiſſimis verbis ad inceſtum ſe allicientem pro vxore habuit, ac participem fecit imperii, appoſito etiam eius nomine in epiſtolis atque libellis. Tot tantorumque facinorum conſcientia, cum odio ſe haberi ab omnibus ſentiret,

ſentiret, Romam relinquit, et primum ad Danubii ripas, deinde in Macedoniam ſecedit, illic Germanico, hic Macedonico ſumto habitu. Et omnino ſimilis eſſe voluit Alexandro Magno. Hinc et ſcholas Alexandriae Ariſtotelicas euertit, et omnes Ariſtotelis libros abolere conatus eſt: quod philoſophum hunc diceret iuuiſſe conſilium mittendi veneni ad Alexandrum necandum. In Aſia ad Ilium progreſſus exequias fecit Achilli: vt eius videretur eſſe aemulus. Vbique locorum flamma ferroque graſſabatur: in primis ſaeuitiam eius Alexandrini experti ſunt, qui dicteriis imperatorem offenderant, ipſum Oedipum, et Iuliam locaſtam nominantes. Quam ignominiam vt vindicaret, ſimulans ex ciuibus ſe legionem lecturum, non numerandam eorum multitudinem, eamque inermem crudeliter trucidare curauit: vt tinctus cruore Nilus ſtagnaret. Hinc ad orientem profectus, Parthici nomen, quod ſua deſperabat comparandum eſſe virtute, non verebatur affectare dolo. Miſſis ad Artabanum regem legatis, filiam eius vxorem petit. Cum Parthus nouo genero, ſumma ſibi religione deuincto, obuiam proceſſiſſet cum ſponſa et multitudine inermi floribusque ornata, dum ſacra faciunt, dato militibus ſigno, omnes fraude circumuentos trucidauit: rege per fugam aegre dilapſo. Tandem in Meſopotamia hibernaturus, apud Carras, Macrini, praetorio praefecti, conſilio, a Martiali centurione, ventri exonerando intentus, per auerſum pugione traiectus eſt, imperii VII. aetatis XLIII. anno. Iulia, Caracallae nouerca et vxor, conſpectis defuncti cineribus, ſuper vrnam iacens mortem ſibimet ipſi conſciuit. Videantur huius aeui ſcriptores SPARTIANVS in vita Antonini Caracalli et Getae, XIPHILINVS, HERODIANVS, EVTROPIVS, et AVR. VICTOR.

§. XIV.

Anno Chriſti CCXVII. Caracallae interfecto OPILIVS MACRINVS ſucceſſit. Huius propter obſcuritatem generis etiam parentes ignorantur. Sub Commodo imperatore fuit tabellio: ſub Seuero in Africam relegatus, declamationibus dedit operam, vt cauſſarum fieret patronus, atque damnationis infamiam tegeret. Sub Baſſiano fiſci factus eſt aduocatus, patrocinante inprimis illi Feſto liberto. Tandem praefectus praetorio iuris clarior fuit conſultus, quam belli dux; tantaque aſtutia interitum Baſſiani procurauit, vt ne conſilium quidem ab eo caedis videretur ſuppeditatum fuiſſe. Rebus ergo dubiis, cum Artabanus, Parthorum rex, ab Romanis acceptas vlturus eſſet iniurias, a militibus imperio ſuffectus, et ab ſenatu, ſolo Caracallae odio, confirmatus eſt, clamantibus fere omnibus, *quemuis magis quam paricidam, quemuis magis, quam inceſtum, quemuis magis quam impurum, quemuis magis quam interfectorem et ſenatus, et populi.* Poſt primum conflictum, a Parthis emit pacem: atque vt imperium ſeruaret, militibus ſtipendium ſolito largius dedit. Ex Meſopotamia Antiochiam profectus luxui, voluptatibus, ludisque maluit vacare, et alios ſuperbia, alios crudelitate offendere, quoad in odium perueniret ipſorum militum ſuorum, quos nouis ſeruilibusque ſuppliciis afficere coeperat. Cum ita ſe tandem omnibus inuiſum ſentiret: filium ſuum Diadumenum conſortem imperii fecit, et Antoninum, ad captandam multitudinis beneuolentiam, appellari iuſſit. Verum ne ita quidem militum ſtudia retinere potuit: qui quamprimum Baſſiani filium, qui Heliogabalus poſtea dictus eſt, audierant agere in Syria, Macrinum L. annos natum, imperii menſe XIV. vna cum filio, facta con-

Digitized by Google

conſpiratione, proelio victum et fugientem in quodam Bithyniae oppido trucidarunt. Conſulantur CAPITOLINVS in Macrino, LAMPRIDIVS in Diadumeno, EVTROPIVS, XIPHILINVS, AVR. VICTOR, HERODIANVS.

§. XV.

CCXVIII. HELIOGABALVS, *e*) homo omnium nequiſſimus, militum beneficio factus eſt imperator: quibus Meſa Varia, auia eius materna perſuaſerat, filium eſſe Baſſiani, profuſasque largitiones dederat. Solis ille ſacerdos cum ingrederetur Romam idolo ſuo templum et nuptias conſtituit. Ipſe matri obſequentiſſimus fuit, quacum more viuebat meretricio, turpiſſima quaeque agebat; eamque mulierem Caeſarum omnium primus in ſenatu conſulum ſubſellia occupare iuſſit: imo et in colle Quirinali mulierum voluit eſſe ſenatum, et ridicula multa fieri ſenatus conſulta. Inter alias vxores virginem Veſtalem e templo abreptam duxit. Luxuria, libidine, omni omnium hominum turpitudine, ſceleribus atque flagitiis, quae referre pudor prohibet, peſſimos quosque ſuperare ſtuduit. Et mirari ſubit, et deplorare populi Romani fortunam, qui moribus adeo caſtis olim ſartam ſeruabat tectam libertatem ſuam, nunc peſſimos tolerare principes et illorum ſpurcis voluptatibus ſeruire debebat. Sed tanta monſtri huius inſania non potuit eſſe diuturna. Cum et Maeſa mater, et ſacerdotes, et inſolentes militum voces maturam illi minarentur necem, ad meliorem noluit redire frugem, ſed aurea et pretioſiſſima caedis ſibi comparauit inſtrumenta: quibus militum poſſet anteuertere violentiam, mortem dictitans,

e) De cuius nomine et genere vid, RVPERTVS obſerv. ad ſynopſin Beſoldi pag. 349.

ſuam pretioſam eſſe debere, et ſine exemplo. Matris conſilio tandem imperii conſortem facit conſobrinum Alexandrum Seuerum. Mox milites mittit, qui eum interficerent. Quod cum praetoriani intelligerent, qui Alexandri mores valde probabant, Heliogabali furorem contra ferre diutius non poterant, facto impetu, in latrina iſtum, quo confugerat, trucidarunt. Cadauer deinde per circum et vias vrbis traxerunt, militari addita voce, indomitae et rabidae libidinis catulum fuiſſe: poſtremo in Tiberim abiecerunt, adiecto pondere, ne vnquam emergeret. Occiſa cum eo et mater, et ſcelerum adminiſtri. Senatus conſulto etiam cautum, ne mulier vnquam poſthac ſenatum ingrederetur. Periit aetatis anno XVIII. imperii IV. Hiſtoria eius, non alia re, quam nefaria libidine inſignis, haurienda eſt ex LAMPRIDII Heliogabalo, XIPHILINO, HERODIANO, EVTROPIO, AVR. VICTORE.

§. XVI.

CCXXII. Homini foediſſimo ſucceſſit M. AVRELIVS SEVERVS ALEXANDER, princeps pace belloque optimus, ab Heliogabalo conſobrino adoptatus, Arcena Syriae vrbe natus, patre Vario, matre Mamaea, quae Chriſto dicitur fuiſſe deuota, ſuisque monitis filio etiam imperanti ſubueniſſe, vt prudenter ageret omnia, nec Chriſtianis quicquam aduerſaretur. Nullum diem ſponte ſua paſſus eſt tranſire, quo puer ſe vel optimis literis, vel militari diſciplina non exerceret. Sic ab ineunte aetate liberaliori quacunque diſciplina imbutus, et eleganter doctus, verſibus Graecis principum optimorum vitas deſcripſit: et viros doctos, etiam cum rerum eſſet potitus, ita amplectebatur: vt iudicia eorum reformidaret; ne quid aſperi de ſe proderetur memoriae. Initio

tio principatus, ex aulico miniſterio omnes impuros, obſcoenos, infames, ab Heliogabalo ornatos, remouit. Ad ſalutationem non niſi honeſtos bonaeque famae admiſit. Senatorium et equeſtrem ordinem inſtaurauit. Iudicia reſtituit. Pro meritis cuique honores diſtribuit. Si de iure tractaret, aut de negotiis, ſolos doctos et diſertos adhibebat. Si de re militari, milites veteranos ac bene meritos, et locorum peritos, maxime eos, qui hiſtoriam norant, requirens, quid in talibus cauſſis, quales in diſceptatione verſabantur, veteres imperatores, vel Romani, vel exterarum gentium, feciſſent. Nec facile recipiebat, niſi profeſſionis ſuae peritos. Singulis meditandi ſpatium conceſſit: ne de rebus magni momenti non bene praeparati docere cogerentur. Et ſine horum conſilio nihil facere ſolebat: et doctiſſimos quoſque videbatur ferre in oculis; adeo quidem, vt horum illi conſuetudine nihil iucundius, qua recreari ſe magis, paſcique profitebatur: quam cibis delicatiſſimis. Iuſti et aequi ſemper illi fuit, Chriſtianis adeo commendata, regula: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Quod et operibus publicis praeſcribi, et milites inter voluit ſonare praeconem. Non ſolum flagitia militum, ſed tribunorum etiam delicta grauiter vlciſcebatur: ac militaris diſciplinae tam ſtudioſus fuit, vt Seueri nomen inde parauerit ſibi. Quam accuratiſſime obſeruandum hoc eius monitum: *ſi vis tribunus eſſe, imo ſi viuere vis, manus militum contine. Nemo ſegetes atterat. Nemo ſalem, oleum, ligna auferat. Nemo ouem alterius rapiat. Annona ſua miles contentus ſit: ex praeda hoſtium, non ex lacrumis prouincialium habeat.* Factum inde eſt, vt, quocunque exercitum duceret, non milites, verum ſenatores tranſire viderentur. De bello eius contra Perſas,

qui

qui in Parthorum imperio ſucceſſerant, non vnum ſentiunt omnes; aliis victoriam illi tribuentibus; aliis clades eius ingentes memorantibus. Alteram expeditionem in Germaniam ſuſcepit: quod Gallia inde perpetuis vaſtationibus diriperetur. Eo bello a militibus, diſciplinae impatientibus, quos immiſerat Maximinus, aetatis anno XXX. imperii XIII. vna cum matre, cuius inſtinctu credebatur agere multa, occiſus eſt. Pluribus conferendi ſunt LAMPRIDIVS in Alexandro Seuero, HERODIANVS, XIPHILINVS, EVTROPIVS, AVR. VICTOR.

§. XVII.

AELIO LAMPRIDIO teſte, *f*) cum Alexander Seuerus imperator inter ſuos conuiuaretur, aut Vlpianum, illuſtrem eius temporis Iureconſultum, aut doctos homines alios adhibebat: vt haberet fabulas literatas, quibus ſe recreari et paſci dicebat. Etiam in menſa librum habebat, cum priuatim conuiuaretur, et legebat, ſed vt plurimum Graeca. Maxima cum animi voluptate Latinos lectitabat poetas. *g*) Hos aeque ac oratores, non ſibi panegyricos dicentes (quod ſtultum dicebat) ſed alia, et facta inprimis veterum recitantes, libenter audiuit: libentius tamen, ſi quis Alexandri M. laudes, aut bonorum, qui ante eum vixerunt, principum res geſtas, aut magnorum vrbis Romae virum merita enumerauit. Ad Athenaeum, quod Romae Hadrianus imperator conſtituit,

f) Vita Alexandri Seueri c. 34. ſeqq.

g) LAMPRID. Alex. c. 30. *Poſt actus publicos -- lectioni Graecae operam maiorem dabat, de rep. libros Platonis legens. Latina cum legeret, non alia magis legebat, quam de officiis Ciceronis et de rep. nonnunquam et oratores, et poetas, in queis Serenum Sammonicum, quem ipſe nouerat et dilexerat, et Horatium. Legit et vitam Alexandri, quem praecipue imitatus eſt.*

Digitized by Google

conſtituit, audiendorum et Graecorum, et Latinorum rhetorum, vel poetarum cauſſa, frequenter proceſſit. Sic quoque oratores attente audiuit forenſes, qui vel apud ipſum, vel apud praefectos vrbis, inſigni facundia cauſſas orabant. Statuas ſummorum virorum in foro Traiani collocauit, vndique translatas. *h*) Paulum et Vlpianum in magno honore habuit. *i*) Chriſto templum facere voluit, eumque inter Deos recipere: ſed prohibitus eſt ab iis, qui conſulentes ſacra repererant, omnes Chriſtianos futuros, ſi id optato euenisſet, et templa reliqua deſerenda. *k*) Eodem AELIO LAMPRIDIO *l*) teſte, rhetoribus, grammaticis, medicis, aruſpicibus, mathematicis, mechanicis, architectis, ſalaria inſtituit, et auditoria decreuit: et ingenuos adoleſcentes, ſed rei familiaris anguſtia preſſos, ſubleuauit. Medicus ſub eo vnus palatinus ſalarium accepit: ceteri omnes, qui vſque ad ſex fuerunt, annonas binas, aut ternas accipiebant. Etiam in prouinciis oratoribus forenſibus multum detulit, plerisque etiam annonas dedit, quos conſtitiſſet gratis agere. Moleſtius aliquando illi erat, nihil peti, quam dare. Et virtute conſpicuos vltro ſaepe inuitabat: *Quid eſt? cur nihil petis? an me tibi vis fieri debitorem? Pete, ne priuatus de me queraris.* *m*)

§. XVIII.

b) LAMPRID. Alex. c. 31. *Virgilium Platonem poetarum vocabat, eiusque imaginem cum Ciceronis ſimulacro in ſecundo lararío habuit, vbi et Achillis et magnorum virorum. Alexandrum vero Magnum inter diuos et optimos in lararío maiore conſecrauit.* *i*) LAMPRID. Alex. Seu. c. 26. *k*) Ibid. c. 43. *l*) Vita Alexandri Seueri c. 44. et 42. *m*) Ibid. c. 46.

§. XVIII.

CCXXXV. Alexandrum excepit MAXIMINVS Thrax, patre Gotho, matre Alana, ex infima ſorte hominum natus, ſed corporis ſtupendo robore et voracitate inſignis. Militari virtute ad ducatum, et a militibus tandem, ſine ſenatus conſenſu, ad imperium euehitur, quod variis modis, ſed perbreue tempus, affligit. Neque adeo mirum immiſſos in imperium promiſcue bonos et malos, nobiles et ignobiles, imo et barbaros, paſſim turbare et confundere omnia: vtpote qui fas putant, perturbam agere pro lubitu, et aliena rapere officia, quae regere nequeunt, quaeque barbarie ſua et bonarum artium ignorantia foede peruertunt. Maximinus cum Alexandri exercitu Germaniam ingreſſus vicos longe lateque incendit, hoſtium vim magnam concidit, multoque plures cepit. Filium Maximinum, quem alii Maximum vocant, pulchritudine celebrem, Caeſarem dixit: vt ſtabilius ſibi pararet imperium. Sed cum, rebus Germaniae pacatis, aduerſus Sarmatas moueret: in Africa exercitus, ſubita et ingenti ſeditione, GORDIANVM reluctantem cum filio GORDIANO imperatorem appellat: quibus et poſtea ſenatus conſulto imperium confirmatum eſt. Maximini contra hoſtes ab Romano ſenatu iudicati ſunt. Sed Gordianus ſenior, audita filii morte, in pugna quadam occiſi, laqueo ipſe vitam finiit *n*). Maximinus iniuriam vindicaturus, habita ad exercitum concione, Romam contendit. Quo cognito, ſenatus anno poſt Chriſtum natum CCXXXVII. BALBINVM et PVPIENVM, Gordianorum loco, imperatores declarat. Pupienus vrbi fuerat praefectus, factusque imperator belli admi-

n) ZOSIMVS tamen Gordianos, in traiectu in Italiam, vi tempeſtatis periiſſe aſſerit.

Digitized by Google

adminiſtrationem aduerſus Maximinos ſuſcepit. Balbinus vero interea temporis ſeditiones Romae vix compeſcuit; quippe, iuuantibus demum praetorianis, populus laniatus, et vrbis pars magna incenſa eſt. Maximinus, Aquileiam obſidens, dum quieſceret in tabernaculo, vna cum filio, a militibus ſuis interfectus eſt. Et ipſe Pupienus, poſt Maximinorum caedem, Romam reuerſus, vna cum Balbino, a militibus, qui imperatores oderunt, quod ab ipſis electi non eſſent, miſere trucidatus eſt, Germanis, eorum ſtipatoribus ad auxilium ſero venientibus. Conſulendi ſunt CAPITOLINVS in Maximinis et Gordianis, item in Balbini et Pupieni vita, HERODIANVS, EVTROPIVS, AVR. VICTOR, ZOSIMVS. Confer. RVPERTI obſeruationes ad ſynopſin Beſoldi *o*).

§. XIX.

Illis occiſis imperium ſolus obtinuit anno CCXXVIII. GORDIANVS III. ſenioris illius Gordiani, qui morte voluntaria obiit, nepos, et optimae ſpei iuuenis. Hic iam tum XIII. annorum puer, imperium vſurpante Maximino, quod populus flagitaret, Caeſar appellatus eſt, et poſt eius caedem pari poteſtate cum Balbino et Pupieno Auguſtus dictus. Vxorem duxit filiam Miſithei, viri ſapientis et iuſti, quem et praefectum praetorio eſſe voluit, et plerisque in rebus conſiliarium habuit. Nec dubitauit aliquando ad eum ſcribere: *Diis gratias, quod te inſinuante, qui nihil vendis, didici ea, quae incluſus ſcire non poteram. Mi pater, verum audias velim: miſer eſt imperator, apud quem vera reticentur: qui cum ipſe publice ambulare non poſſit, neceſſe eſt vt audiat; et vel audita, vel a plurimis roborata confirmet.* Oppreſſis, qui, Sabiniano duce, in Africa contra ipſum con-

o) Pag. 351. ſeqq.

iurauerant; cum Sapores, Perſarum rex finibus Romanorum infeſtus, iam teneret Antiochiam, et in ipſa Italia timeretur: Perſicam expeditionem ſuſcepit, atque victricibus armis recepta Antiochia, Niſibi, et Carris, Saporem in regnum ſuum retruſit. Huius victoriae laudem, Gordianus ad ſenatum ſcripſit, magna ex parte Miſithei conſiliis deberi: quem et ſenatus propterea hoc titulo, arcui inſcripto, ornauit: *Miſitheo, eminenti viro, parenti principum, praetorii praefecto et totius vrbis, tutori reip. S. P. Q. R. vicem reddidit.* Vti vero perpetua virtutis comes eſt inuidia, vir tantae auctoritatis non potuit carere inſidiis. Vel obtrectatorem, vel laudis aemulum habuit Philippum Arabem, cuius perfidiae tandem ſuccubuit. Cum enim alui laboraret profluuio, atque ventris ſiſtendi cauſſa a medicis poculum accipere iuberetur: eo mutato, quod paratum erat, aliud tinctum accepit veneno, quo exanimatus eſt. Miſitheo ſublato, Philippus Arabs praefectus praetorio, et in locum parentis a Gordiano adſcitus, ipſi imperio inhiat, infeſtos Caeſari reddit milites, in ea loca deductos, quibus annona haberi non poterat. Hinc ſparſae maleuolorum voces, Gordianum eſſe adoleſcentem, regimini imparem, melius eſſe, imperare alium, qui remp. ſciret. Cum et duces corrupiſſet Philippus, effecit tandem, vt ipſe ad imperium poſceretur. Initio quidem a militibus, Gordiani quaſi tuto, pari cum eo poteſtate imperare iuſſus eſt. Sed imperio ſuſcepto, ſuperbiſſime ſe geſſit. Eoque Gordianus tandem redactus eſt, vt aequale ſaltem peteret imperium, quod impetrare non potuit. Petiit deinde, vt Caeſaris loco haberetur, neque id obtinuit. Porro, vt praefecti loco eſſet Philippo: illi vero etiam hoc negatum. Obſecrauit tandem, vt Philippus

lippus eum pro duce haberet, ac viuere pateretur: ad quod Philippus conſenſerat quidem; ſed tamen ratus, poſſe rerum ſibi nocere viciſſitudines, mox eum, quod recentes eſſent militum propter famam irae, conditiones quasvis offerentem ac miſere clamantem in conſpectu ſuo trucidari iuſſit, *p*) anno aetatis XIX. imperii VI. Videantur CAPITOLINVS in Gordiano III. EVTROPIVS, AVR. VICTOR, ZOSIMVS, et HERODIANVS, qui in Gordiani huius initiis deficit.

§. XX.

Tres Gordiani literarum et literatorum amantiſſimi fuerunt. Senior ille, qui octogenarius imperio admotus, ab ineunte aetate poemata ſcripſit, atque in his Alcyonas, Vxorium, et Nilum. Reliquit etiam, quemadmodum Virgilius Aeneidos, Statius Achilleidos, multi alii Iliados, ita ille Antoniniados libros XXX. quibus Antonini Pii et M. Antonini Philoſophi res priuatim et publice geſtas verſibus diſertiſſimis deſcripſit. Vbi adoleuit magis in Atheneo controuerſias declamauit, audientibus etiam imperatoribus ſuis. *q*) Scripſit quoque laudes ſoluta oratione omnium Antoninorum, qui ante eum fuerunt. *r*) Gordianus Iunior imperator artium et literarum adeo fuit ſtudioſus, vt, CAPITOLINO *s*) teſte, in bibliotheca LXII. millia voluminum coaceruarit:

p) Valet omnino hic, quod in Eutropium l. I. CLAVDIANVS cecinit:

Aſperius nihil eſt humili, cum ſurgit in altum:
Cuncta ferit, dum cuncta timet: deſaeuit in omnes,
Vt ſe poſſe putent. Nec bellua tetrior ulla,
Quam ſerui rabies, in libera terga furentis.
Agnoſcit gemitus, et poenae parcere neſcit,
Quam ſubiit, dominique memor, quem verberat, odit.

q) CAPITOLINVS in eius vita c. 3. *r*) Ibid. c. 4.
s) Gordiano Iuniore c. 18.

quae Serenus Sammonicus moriens illi teſtamento reliquit: quod eum docendo cognouit eſſe in ſtudiis grauiſſimae opinionis, memoriae ſingularis et bonitatis inſignis: vt literis non minus, quam moribus haberetur clarus. *t*) Et tantae bibliothecae copia et ſplendore donatus, in famam hominum literarum decore peruenit. *v*) Extiterunt CAPITOLINI temporibus *x*) Gordiani dicta, et ſoluta oratione, et verſibus, non magna, non minima, ſed media, et quae appareant eſſe hominis ingenioſi, ſed luxuriantis et ſuum deſerentis ingenium. De grammaticis et oratoribus Gordianus III. Imperator Auguſtus conſtituit, *y*) vt decreto ordinis probati, ſi non ſe vtiles ſtudentibus praebeant, denuo ab eodem ordine reprobentur. Sed eruditionis verae ſtudioſiſſimus fuit, ac literarum incomparabilis patronus; adeo quidem, vt, CAPITOLINO teſte, *z*) vxorem duceret filiam Miſithei, doctiſſimi viri, quem eloquentiae cauſſa dignum parentela ſua putauit, et praefectum eſſe ſtatim voluit. Ipſe laudibus ſummis ad coelum euehitur iuuenis laetus, pulcher, amabilis, gratus omnibus, in vita iucundus, in literis nobilis, prorſus vt nihil praeter aetatem imperio deeſſet. *a*)

§. XXI.

CCXLIV. Senatus Romanus cum et ipſius Gordiani III. mortem accepiſſet, iure ſuo vſus, MARCIVM quemdam e ſenatu, ſapientiae et philoſophiae ſtudiis deditum, imperatorem creauit. Sed is morbo ſtatim in palatio abſumtus eſt. Extat tamen eius apud GOLZIVM in theſauro nummus inſcriptus IMP. CAES. M. MARCIVS. AVG. P. M. TR. P. Succeſſit eorundem patrum ſuffragiis HOSTI-

t) Ibid. c. 17. init. *v*) Ibid. c. 18. *x*) Gord. Iun. c. 20. extr. *y*) L. 2. C. de profeſſoribus et medicis. *z*) Gordiano III. c. 23. *a*) Ibid. c. 31.

Digitized by Goog

HOSTILIANVS, qui et ipſe morbo correptus, mox poſt miſſum ſanguinem fatis conceſſit. In nummo legitur: IMP. CAES. LVCIVS. AVRELIVS. SEVERVS. HOSTILIANVS. *b*) Vtroque breui tempore extincto, ſenatus Philippi accipit literas, illique imperium, quod inuaſerat, nullo iam aemulo facile confirmat. Fuit PHILIPPVS ARABS humili genere ortus, patre nobili latronum ductore. A teneris patrio ſolo relicto militauit, et per gradus ad tantum dignitatis faſtigium aſcendit. Poſt Gordiani paricidium imperator a milite proclamatus, vt e Syria ad vrbem aduolaret, ingens victricium armorum dedecus admittit, ac foedere cum Perſis inito, Meſopotamiam Syriamque hoſtibus relinquit. Et itinere conſortem imperii filium facit C. Iulium Saturnium, patris nomine poſtea dictum M. IVLIVM PHILIPPVM, adeo ſeueri triſtisque animi puerum, vt iam tum ab aetate quinquenni nullo cuiusquam commento ad ridendum ſolui potuerit: imo et patrem, ſecularibus ludis effuſius ridentem, velut eum correcturus, vultu auerſato notarit. Non longe poſt maxima pompa celebratum vrbis natalem Scythae, ſuis limitibus egreſſi, vrbes et agros imperii Romani vaſtare, depopulari, factaque irruptione, vbique locorum rapinis, ferro et flamma graſſari coeperunt. Marinus ergo quidam dux limitis Sarmatici ab Illyrico exercitu imperator ſalutatur. Quod cum Romae eſſet nunciatum: Philippus, aduocato ſenatu, de ingrato Marini animo multa conqueſtus imperium deponere conſtituit. Sed confirmatur a Meſſio Decio, V. Cl. certa ſpe excitata, fore vt Marinus perfidiae mox daret poenas. Hunc ergo, ſed inuitum, aduerſus Scythas cum ſupplemento copiarum mittit. Quamprimum vero ad exercitum Illyricum venit: ipſe communi omnium conſenſu

b) Vid. RVPERTVS obſeruat. ad ſynopſin Beſoldi c. 14. pag. 355.

censensu a militibus imperator dilectus, renuens repugnansque strictis ensibus imperium suscipere cogitur. Decius aliorum periculis cautus, ne locum praeberet calumniis, fidelissimum cum literis Romam mittit nuncium, supplex se excusat, belloque confecto, se suae dignitati abdicaturum promittit. Philippus autem, furore quodam concitus, summis viribus expeditionem parat, ac Decio simul atque Illyricis legionibus internecionem minatur. At militum insidiae praeuenerunt: vt Veronae trucidaretur, imperii anno v. *c*) Decii comperta Romae victoria, ipse quoque Philippi filius, imperii consors, duodecimum agens aetatis annum, a praetorianis militibus occiditur. Videantur CAPITOLINVS Gordiano III. EVTROPIVS, AVR. VICTOR, ZONARAS, ZOSIMVS, OROSIVS.

§. XXII.

Poetas, Philippus Arabs, imperator Augustus, noluit, vlla immunitatis praerogatiua iuuari. *d*) Vnde patet, reliquis artium professoribus, vt imperatores adhuc voluere, beneficia salua reliquisse. Philippus hic primus dicitur ex Romanis imperatoribus fuisse Christianus. *e*) SCALIGERVS *f*) vero recte iudicat, magnam iniuriam Christiano facere nomini, qui Araba latronem hunc, domini sui innocentissimi interfectorem, ac idolorum cultorem superstitiosissimum, ex cuius vita melioris nihil possit colligi frugis, sacrosanctae affirment addictum fuisse religioni. Fictae sunt Origenis ad eum eiusque vxorem Seueram epistolae. Veniam quidem Eusebius meretur, quod ab aliis deceptus est, ac semet incertitudinis formula, *traditum*

c) CASSIODORVS septem illi tribuit imperii annos, alii sex. *d*) L. 3. C. de professoribus et medicis. *e*) Vid. EVSEBIVS hist. eccles. l. 6. c. 25. conf. ARNOLDVS hist. eccles. et haeret. l. 3. c. 1. *x*) Ad Eusch. n. 2260.

Digitized by Google

traditum nobis eſt, ferunt, egregie tuetur. Euſebium OROSIVS *g*) ſequitur, quem poſtea auctor anonymus de Conſtantio Chloro, Conſtantino M. et aliis imperatoribus ſequitur, ille primum a Valeſio cum Ammiano Marcellino editus. Suſpicantur alii, factum eſſe tandem Chriſtianum, poſtquam imperare coepit. Sed ad finem vſque vitae idololatrica multa commiſit, ac poſt obitum ab religionis profanae ſtatoribus inter diuos relatus eſt. *h*) Vero hinc ſimilior eorum eſt coniectura, qui ſcriptores, rerum nimis ſecuros, Philippum Arabem cum Philippo Auguſtali, patre S. Eugeniae, confudiſſe credunt. *i*)

§. XXIII.

CCXLIX. Philippo Arabe vna cum filio ſublato, DECIVS e Pannonia inferiore, Sirmienſium vico ortus, ad imperium peruenit, ab exercitu Illyrico electus, et Auguſtus ab ſenatu appellatus. Spem indolis optumae ab adoleſcentia praebuit: quam aduerſariam inde in patriam meritis atque virtutibus ſuperauit. Neque ad honores eum effrenata cum ambitione libido, neque ſuffragiorum conſenſus emtorum, ſed morum ſanctitas et flagrans ſalutis publicae promouendae ſtudium euexit. Sub imperii initium Gallorum motibus extinctis, ſenatus eum prope Decium filium dignitatis Caeſareae coegit adſciſcere ſocium. Ipſe vero ſenatus auctoritatem multum auxit. Contentus enim patriae patris cognomine, proconſulare imperium, tribunitiam poteſtatem, cenſuram, et alia, quae inde a Caeſarum dominio penes imperatorem fuerant, S. P. Q. R. arbitrio permiſit, ac nomen optimi principis meruit: Neque Traiano habitus eſt inferior, quod libe-

g) Lib. 7. cap. 20. *h*) EVTROPIVS l. 9. *i*) Confer. RVPERTVS obſerv. in ſynopſin Beſoldi p. 3 - 6. ſeq.

liberalioribus disciplinis probe imbutus atque virtutis amantissimus excelleret belli pacisque artibus. Sed eam virtutis laudem vna insontium Christianorum persecutione maculauit: qua Romae Fabianus episcopus, Hierosolymis Alexander, Antiochiae Babylas senex, alibi crudeliter alii interfecti, et passim magna Christianorum agmina trucidata fuerunt. *k*) Cuius quidem rei nominis ille Christiani hostis Scythico bello poenas dedit. Scythae, vel Getae, qui Gothi postea dicti sunt, partes imperii Romani septentrionales infestabant. Aduersus istos Decius mouet: atque commendata senatui rep. ipse cum filio ad Thraciam Daciamque liberandam proficiscitur. Victor primis aliquot proeliis hostes iam fractos repulit. Vti vero istos locorum angustiis clausos penitus extirparet: Gallum in Maesiae limitibus ducem ad obsidendos aditus mittit: qui homo perfidus imperatoris consilia hostibus prodit. Hinc ipsi praeter opinionem maxime commoda occupant loca, et imperatorem in paludes deductum circumueniunt. Filius imperatoris prima acie caeditur: de quo consolantibus pater respondit, detrimentum vnius militis sibi

k) Magnas inter haec persecutio septima fuit, atque prioribus saeuior. Et propter atrocitatem huius a Decio motae persecutionis factum est, vt fidem multi abnegarent. Quidam Diis aperte sacrificarunt, qui dicti sunt vel *sacrificati*, vel *thurificati*: quos inter Originem ipsum nominat SVIDAS, et ex eo NICEPHORVS l. 5. c. 32. Quidam vero *libellatici* nominabantur, qui Christum quidem non abnegarunt, sed libellum a praesidibus redemerunt, ne Diis sacrificare cogerentur. Confer. animaduersiones nostrae ad Rohecci differt. de morte voluntaria p. 277. At saniori consilio alii in loca deserta aufugerunt, et aliis, vt fugerent, persuaserunt, quos inter Cyprianus et Gregorius Thaumaturgus fuerunt. Pl. confer. EVSEBIVS hist. eccles. l. 6. c. 39. ROHECK l. c. pag. 272. seq.

Digitized

ſibi parum videri. Sed vrgente mox pugna ipſe ab hoſtibus circumdatus, vt manus eorum euaderet, in paludis voraginem inſiliit: neque cadauer eius inueniri potuit. Alii, Deciorum antiquiſſimo exemplo, ſemet vtrumque pro victoria Romanorum deuouiſſe, ſcribunt. Imperauit menſes XXX. Confer. EVTROPIVS, AVR. VICTOR, ZOSIMVS, atque ZONARAS.

§. XXIV.

CCLI. Poſt illam Deciorum funeſtam cladem GALLVS ab ea ſibi ſeruata legione et Romanorum reliquiis imperator ſalutatus, cum Scythis pacem iniit genti ſuae turpem et ignominioſam. Promiſit enim barbaris, quod nominis Romani maieſtate indignum, annuum CC. drachmarum aurearum tributum. Romam aduolans ille C. VIBIVS TREBONIANVS GALLVS, vt firmius ſibi pararet imperium, VOLVSIANVM, filium ſuum, Auguſtum dixit, multaque crudeliter et auare fecit. *l*) At Scythae ferociores facti, rupto foedere, Dardaniam, Thraciam, Theſſaliam, Macedoniam, Aſiam depopulantur: et ipſi minantur Italiae, ad Romam, imperii ſedem perrecturi: niſi AEMILIVS AEMILIANVS, Maeſiae praefectus, ad oram Sarmaticam confirmato milite illos fugaſſet, ac longiſſime perſecuturus, fines ipſorum diripuiſſet. Hinc ab exercitu ipſe imperator appellatus: Gallus autem, vt partes

l) Hiſtoriam illorum temporum valde inuolutam eſſe CASAVBONVS queritur ad ſcriptores hiſtoriae Auguſtae p. 202. Eumque AVRELIVS ſequitur obſeruat. ad ſynopſin Beſoldi pag. 361. Viuentibus etiam Deciis, L. Priſcus, Macedoniae praeſes, et Licinianus imperatores appellati fuerunt. Et Gallus Decii filium alterum, ab ſenatu Auguſtum vocatum, Hoſtilianum adoptauit. At ſimultanei fuerunt imperatores, et perbreue temporis ſpatium vixerunt.

tes tueretur ſuas, obuiam illi profectus, vna cum filio Voluſiano, imperii ſocio, ab ſuis deſertus et oppreſſus eſt: cum rerum eſſet potitus annis duobus. Aemilianus, Lybicus natione, ſed qui a pueritia ſub Romanis ſtipendia meruerat, ad ſummum imperii faſtigium euectus, datis ad ſenatum literis, Thraciam ſe liberaturum, Meſopotamiam Armeniamque, a Parthis occupatam, recuperaturum, ac hoſtes vndique nominis Romani depulſurum promiſit. Priusquam vero ad bellum proficiſceretur, milites, qui in Alpibus erant, Valerianum, nobili genere natum, et per omnes dignitatum gradus euectum, imperatorem faciunt. Quo nuncio accepto, qui cum Aemiliano erant, ne turbis vexarentur nouis, imperatorem ſuum interficiunt, et nobiliorem Valerianum ſequuntur. Interea temporis barbarorum res valde ſunt auctae: et miſeria Romanorum vix ſatis deplorari potuit. Videantur ZOSIMVS, ZONARAS, IORNANDES de rebus Geticis, EVTROPIVS, AVR. VICTOR.

§. XXV.

CCLIII. Succeſſit Gallo eiusque filio Voluſiano P. LICINIVS VALERIANVS, *m*) Romanorum nobili genere natus, et per omnes dignitatis gradus ad ſummum imperii faſtigium tandem euectus eſt, aetatis anno ſeptuageſimo. Cum deliberatio olim inſtituta eſſet, cuinam Romanorum cenſura optime ac pro meritis decernatur: hanc enim, vt ſupra monuimus, Decii imperatores ſenatus permiſerant poteſtati: omnes vna voce dixerunt, ipſam Valeriani vitam eſſe cenſuram, in primis hunc eſſe eligendum, qui *primus genere*, *nobilis ſanguine*, *emendatus vita*, *NB. doctrina clarus*, *moribus ſingularis*, *exemplum antiquitatis*. Ita

m) Vnde patet, Valerii filium in gentem Liciniam adoptatum fuiſſe.

Digitized by Google

Ita TREBELLIVS POLLIO *n*) diſerte ex ipſo SCto memoriae prodidit. Et quotidiana docemur experientia, homines bene doctos ſapientiae et humanitatis in omni vita eſſe ſtudioſos. Atque adeo, vt poeta loquitur, fideliter didiciſſe artes emollit mores, nec ſinit eſſe feros. At contra Pollionis fidem AVR. VICTOR *o*) *parentibus*, inquit, *ortus ſplendidiſſimis, ſtolidus tamen, et multum iners, neque ad vſum aliquem publico officii conſilio, ſeu geſtis accommodatus.* Quod CASAVBONVS *p*) etiam ex epiſtola quadam Dionyſii, epiſcopi Alexandrini, probat. Enimuero quis non videt, illum virtutes laudare hominis integri; hunc aetatis accuſare vitia, quae et optimos quosque priſtino robore et animi viribus deſtituit. Senes bis pueri. Cum annis grandior in Alpibus exercitui praeeſſet: ſuorum non modo militum fauore et iudicio, ſed meritis ipſius atque totius quaſi orbis conſenſu factus eſt imperator, et mirum quantum honoratus ab ſenatu. Mox ipſe filium ſuum, Valerianum iuniorem appellauit Caeſarem. Senatus vero etiam Gallienum, Valeriani filium alterum, voluit imperii eſſe participem. Initio prae ſe ferebat inſignem beneuolentiam erga omnes: et ipſos fouebat homines Chriſto deuotos: imo ſeruos Domini venerabatur ita, VT EVSEBIO teſte *q*) tota eius domus videretur eſſe eccleſia Dei. Sed breui poſt ab Aegyptio mago deprauatus, innocuos perſequi et interimere coepit Chriſtianos: quod magicis aduerſarentur artibus, quibus ſedulam nauauit operam. Et eo vſque nefandi proceſſit furoris: vt hoſtias non vereretur mactare humanas. Haudquaquam impune. Non enim calamitoſior fuit quam his temporibus imperii Romani ſtatus: Scythis, Germanis

n) In vita Valeriani patris & filii c. 1. dictum Trebellii Pollionis locum. *o*) Epit. c. 30. *p*) Ad *q*) Hiſt. eccleſ. l. 7. c. 9.

atque Perſis magna vi irrumpentibus. Quam calamitatem in primis ZOSIMVS accurate deſcribit. Expeditione hinc in orientem ſuſcepta contra Perſas, Valerianus a Sapore, Perſarum rege, victus acie et circumuentus, in eius poteſtatem venit, ac miſerrimam ad mancipii conditionem, anno imperii ſexto redactus eſt. Sic decrepitus ille ſenex a ſummo dignitatis faſtigio eo vſque peruenit ignominiae: vt quoties Sapor, Perſarum rex atque victor eius, vellet conſcendere equum, incuruati eius ceruicibus pedem imponeret: tandemque iſtius ſilicernii ac miſerrimi hominis adhuc viuentis cutem, vt AGATHIAS *r*) memoriae prodidit, a ceruice ad pedes detrahere curaret. Conferantur TREBELLIVS POLLIO in Valerianis, EVTROPIVS, AVR. VICTOR, ZOSIMVS atque ZONARAS. Gratum erga bene meritos Valeriani animum ipſius ad Albinum vrbi praefectum epiſtola teſtatur, *s*) qua nihil magis ſignificat in votis habere, quam *ſingulis quibusque deuotiſſimis reip. viris multo maiora deferre compendia, quam eorum dignitas poſtulat; maxime vbi honorem vita commendat. Debet enim quid, praeter dignitatem, pretium eſſe meritorum.*

§. XXVI.

De VALERIANO Iuniore, illius a Perſis victi et foede laniati ſenioris filio, alia quam Gallienus matre genito, TREBELLIVS POLLIO *t*) teſtatur, quod forma fuerit conſpicuus, verecundia probabilis, eruditione pro aetate clarus, moribus periucundus, atque a fratris diſſolutione ſeiunctus. Nihil vero habuiſſe in vita praedicabile, niſi quod fuerit nobiliter natus educatus optime, et miſerabiliter interemtus. Prope Mediolanum ſepultus eſt, Claudii iuſſu addito titulo, *Valerianus imperator.*

§. XXVII.

r) Lib. 4. *s*) Apud VOPISCVM diuo Aureliano c. 9.
t) Valerianis Imperatoribus.

Digitized by Google

§. XXVII.

CCLX. A Sapore capto Valeriano imperatori filius succeſſit GALLIENVS, homo ſegnis et abdomini natus, qui interea temporis, quo vagabantur exercitus, murmurabant duces, omnes in moerore erant, quod Romanus imperator a Perſarum rege captus pro mancipio in duriſſima ſeruitute haberetur, gentium quoque aliarum principes quouis eum modo liberare ſtudebant; Romae in ſumma luxuria viuebat: tantumque aberat, vt quicquam pro patre auderet, vt de captiuitate eius potius gaudere videretur. In omnem laſciuiam, neglecta rep. diſſolutus ſe totum libidini ac voluptatibus tradidit, et nullius plane rei, praeterquam gulae ventrisque curam geſſit. Maximo dedecori et inſolentiae cum quotidianas militum adderet caedes: generis humani monſtrum paſſim optimorum ſecuta ſunt odia: vt duces ab eo deficerent per prouincias, Galliam, Hiſpaniam, Pannoniam, Illyricum, Aegyptum, Africam, alias. Sed tanta hominis erat ſocordia et effrenata libido, vt cum de prouinciarum defectionibus et calamitate publica audiret: nunciantibus ridicule ſemper atque contemtim reſponderet. *Quid? ſine lino Aegyptio eſſe non poſſumus? Non ſine trabeatis Gallorum ſagis tuta eſt reſp.* Sic de prouinciis omnibus iocabatur, ac ſi rei viliſſimae iactura quadam afficeretur. Hinc XXX. oriebantur tyranni, qui Romanum imperium miſere diſtrahebant, vaſtabant, depopulabantur. At breui poſt ciuilibus diſſidiis plerique oppreſſi fuerunt. Maior Romanis calamitas imminebat a Scythis, Gothis, aliisque populis, qui cum iſtis ſemet coniunxerant: vt in perniciem eorum CCCXX. hominum millia coniuraſſe dicerentur. Gothi Thraciam occupant, Macedoniam vaſtant, Theſſaliam obſident. Scythae in Bithyniam, Cappadociam et

Aſiam

Asiam inuadunt, longe lateque grassantes. Gallienus, propter luxum et ignauiam domi et foris exosus, hostem sibi proximum, Aureolum, cogitur Mediolani obsidere. Sed milites ipsius, quasi adessent hostes, tumultu excitato nocturno, eum telo sauciant, vt breui post prope Mediolanum efflaret animam. Consulendi sunt TREBELLIVS POLLIO in Gallienis et xxx. tyrannis, EVTROPIVS, AVR. VICTOR, OROSIVS, ZOSIMVS, atque ZONARAS.

§. XXVIII.

CCLXVIII. Caeso Gallieno, ab exercitu imperator electus, et ab senatu confirmatus est FLAVIVS CLAVDIVS, e Dalmatis, sed maioribus obscuris ortus: in quo Traiani virtus, Antonini pietas, Augusti moderatio, et magnorum principum bona simul fuerunt omnia: vt spem Romanis excitarit recuperandae salutis longe maximam. Imperii initio Aureolum tyrannum, collatis signis, ab reip. gubernaculis depulit. Extrema deinde rerum vrgente necessitate, aduersus Scythas, Sarmatas, atque Gothos, ingenti copia irruentes expeditionem suscepit. Hos Claudius terrestribus naualibusque proeliis passim locorum ita attriuit: vt insigni accepta clade, in patriam reuerterentur. Victor Syrmium Pannoniae se recipit aegrotans, ducibus conuocatis Aurelianum successorem sibi eligendum commendat, ac mortem anno imperii secundo cum vita commutat. Sunt qui eum peste velint obiisse; alii pro rep. se, Deciorum exemplo, deuouisse. Consulendi sunt TREBELLIVS POLLIO in diuo Claudiano, qui vitam huius imperatoris panegyrico stilo exequitur; EVTROPIVS, AVR. VICTOR, OROSIVS, ZOSIMVS, ZONARAS. Et hoc memoratu dignum, quod cum Gothi, Graecia vastata captisque Athenis, vim librorum ingentem coaceruassent, atque consilium de illis comburendis cepissent;

Digitized by Google

piſſent; ex principibus eorum aliquis id fieri noluerit, qui, *abſtineamus*, dixit, *hanc iniuriam ab his codicibus, quibus Graii homines dum ſtudioſius incumbunt, minus ad bella idonei fiunt.*

§. XXIX.

CCLXX. Claudio mortuo, eius frater M. AVRELIVS QVINCTILLVS imperium ſibi omnium iudicio delatum ſuſcepit, qui Claudio ſimillimus, ſuis meritis virtutibusque obtinuiſſet imperium, etiamſi principis defuncti frater non fuiſſet. Sed perbreui, quo rerum potiebatur, temporis ſpatio, nihil potuit imperio vel ſemetipſo gerere dignum. Cum enim diſciplinae militaris eſſet quam maxime ſtudioſus, et bonis ſpem excitaret principatus optumi, XVII. die, ab ſuis Aquileiae interemtus eſt. Vel, vt ZOSIMVS memoriae prodidit, Aureliano imperatore creato, quod ſibi conatibus eius videretur eſſe impar, venis ſibi inciſis, morte voluntaria obiit. Conſulendi TREBELLIVS POLLIO *v*) et ſcriptores ſupra nominati.

§. XXX.

CCLXX. Quinctillum, Claudii fratrem L. DOMITIVS AVRELIANVS *x*) excipit. Is tam obſcuris parentibus fuit natus, vt ne patria quidem eius ſatis innotuerit. Plerique tamen Sirmii in Pannonia natum fuiſſe affirmant. Bellicae virtutis documenta priuatus iam dederat multa aduerſus Gothos, viribus corporis atque animi tam validus, vt Sarmatas erumpentes in Illyrico trecentis militibus praeſidiariis ſolus attriverit, ſuaque ipſe manu quadraginta

v) Diuo Claudio c. 12. *x*) Ita in Graecis Latinisque nummis et lapidibus apud GRVTERVM p. 276. ab aliis *Valerius Aurelianus* vocatur. Confer. RVPERTVS obſeru. ad ſynopſin Beſoldi p. 382.

Digitized by Google

ginta octo vno die interfeciſſe; plurimis autem diuerſisque diebus vltra nongentos et quinquaginta trucidaſſe creda-tur. Factus imperator aduerſus Sueuos et Sarmatas feliciter pugnauit. A Marcomannis, qui circa Mediolanum omnia vaſtabant, ingentes primo quidem apud Placentiam accepit clades: vt metus hinc Romae longe maximus oriretur, quem non paucorum ſeditio ſequebatur: ſed pulcherrima breui poſt reportata victoria, ad vrbem irarum atque vindictae plenus acceſſit, ac ſeditionis auctores interemit, quos inter multi ſenatores etiam periere: vt ſupra modum excedente medicina, timeri potius, quam amari coeperit. Conſtitutis rebus vrbanis, et quae ad occidentem ſolem pertinent, arma aduerſus Zenobiam mouet, orientis reginam, illius Odenati Palmyraeni coniugem, quem Gallienus ipſe, participato imperio, Auguſtum appellauit. Poſt mariti necem haec virago, vt filiis imperium ſeruaret, Auguſta in oriente dicta res maxima cum laude geſſit: ſed Aureliano inuito, qui, vt prouincias ſub poteſtatem ſuam redigeret, tremendam aduerſus eam expeditionem ſuſcipit. In itinere Illyricum et Thraciam pacat: Gothorum ducem cum quinque millibus occidit: Bithyniam ſine pugna obtinet: Tyanam proditione, Antiochiam ſpontanea deditione capit. Sic via ad Zenobiae regionem aperta, ſtuduit reginae multis modis deditionem ſuadere: ſed ab illa reſponſionem accepit, virtute faciendum eſſe, quicquid in rebus bellicis gerendum. Hinc vario pugnatum Marte, donec orientis heroina ad Edeſſam vinceretur, et Palmyra poſt difficillimam obſidionem expugnata, fugiens interciperetur. Breui poſt Aurelianus, recepta quoque Aegypto, quam Firmus ſibi vindicabat, in occidentem reuerſus Tetricum in Gallia opprimit, qui victas illi ſtatim porrigit manus. Sic Romam rediit

diit tandem, ſine aemulo totius imperii ſecurus, atque pulcherrimum de Zenobia et Tetrico egit triumphum. Occiſus eſt imperii anno ſexto, ob crudelitatem in itinere aduerſus Perſas, inſidiis Mneſtei, qui a literis illi ſecretioribus fuerat. Diſerte vitam eius FLAVIVS VOPISCVS deſcripſit, quocum AVR. VICTOR, EVTROPIVS, ZOSIMVS, ZONARAS atque OROSIVS conferendi ſunt. Quanti Aurelianus ſapientes fecerit, vel vno Apollonii Thyanaei exemplo patet. Cum enim imperator de Thyanae ciuitatis euerſione cogitaret: teſte VOPISCO, *y*) in eius tentorium philoſophus ille celeberrimae famae auctoritatisque venit, et Latina, vt homo Pannonius intelligeret, haec verba dixit: *Aureliane, ſi vis vincere, nihil eſt, quod de ciuium meorum nece cogites. Aureliane, ſi vis imperare, a cruore innocentium abſtine. Aureliane, clementer te age, ſi vis viuere.* Nouerat Aurelianus philoſophi venerabilis vultum, quem in multis iam viderat templis. Statim ergo attonitus, et imaginem, et ſtatuas, et templum eidem promiſit, atque in meliorem rediit mentem. Longinum philoſophum occidit: ſed quia Zenobiae fuit auctor, ne imperatoris ſe committeret fidei, et ſuperbiorem pro deditione ad eum ſcriberet epiſtolam. *z*) Salutaris omnium minime viſus eſt fauere profeſſoribus artis: medicum enim ad ſe, cum aegrotaret, nunquam vocauit: ſed ipſe inedia ſeſe vt plurimum curare ſolitus eſt. *a*)

§. XXXI.

CCLXXV. Interfecto Aureliano, quaeri in exercitu coeptum eſt, quiſnam princeps fieri ex omnibus deberet. Nam odium interceſſit praeſentium et de imperatoris nece valde ſuſpectorum. Literas ergo ad ſenatum mittunt,

y) Diuo Aureliano c. 24. *z*) VOPISCVS diuo Aureliano c. 30.
a) VOPISC. l. c. cap. 30.

vt principem ex ordine ſuo legerent. Senatus vero, experientia doctus, ab ſe lectos principes non placere multitudini, eam rem cauſſamque ad milites retulit. Quod dum ſaepius fit, non triſti, aut inuido, ſed grato et religioſo certamine ſenatum inter atque exercitum, ſex menſium interregnum fuit. Cum rumor eſſet, M. AVRELIVM TACITVM, *b*) illum ab illuſtri hiſtorico oriundum, et primae ſententiae conſularem virum, imperatorem appellandum eſſe: is Roma diſceſſit, aliquot menſibus in Campania commoraturus. Sed inde deductus SCto interfuit, quo vnanimi omnium conſenſu dictus eſt imperator, et ſenatus acclamauit inter alia: *princeps ſenatus recte Auguſtus creatur: primae ſententiae vir recte imperator creatur. Et quis melius, quam grauis imperat? Et quis melius, NB. quam literatus imperat.* *c*) Libenter a populo et ab exercitu receptus, patrum arbitrio permiſit omnia, et Floriano, fratri ſuo, conſulatum, ſed fruſtra, petiit. Qua quidem ſenatus libertate multum laetatus eſt imperator, dixitque: ſcit ſenatus, quem principem fecerit. Tantum vero ſenatus gaudium fuit, quod eligendi principis cura, et rerum ſumma ad ſe rediiſſet: vt ſupplicationes propterea decernerentur; et inuicem ſibi gratulantes ad prouincias ſcriberent: ſenatum principes legere, a ſenatu leges petendas, reges barbaros ſenatui ſupplicaturos, pacem ac bellum ſenatu auctore tractantes. Attamen princeps ille ob modeſtiam in primis laudatus, quod ad rem militarem attinet, nihil memoratu dignum geſſit: ſexto enim imperii menſe, aduerſus Maeotidas barbaros mouens, vel morbo, vel militum inſidiis periit. VOPISCVS de eo conſulendus eſt in vita, quam ſigillatim deſcripſit:

b) Alii *M. Claudium*, vel etiam *P. Annium* vocant.

c) Apud VOPISCVM in Tacito c. 4.

Digitized by Google

ſcripſit: quocum conferendi ſcriptores, ſupra ſaepius allegati. Quod ad merita huius principis eruditiſſimi literaria attinet: non poſſumus ſilentio praeterire, quod, teſte VOPISCO, *d*) Cornelium Tacitum, hiſtoriae Auguſtae ſcriptorem vtiliſſimum, quem parentem ſuum dicere ſolebat, in omnibus bibliothecis collocari iuſſerit: et ne lectorum incuria periret, eius libros quotannis decies deſcribi, et in bibliothecis poni voluerit. Quod ſeptembrem menſem iuſſerit appellari *Tacitum*, factum non in honorem illius hiſtorici, vt memoriae falſo quidam prodiderunt; ſed quia, vt diſerte VOPISCVS habet, *e*) eo menſe et natus et factus eſt imperator. Ipſe legit, etiam valde ſenex minutulas literas, ad ſtuporem vſque: nec intermiſit vnquam noctem, qua non aliquid vel ſcriberet, vel legeret. *f*)

§. XXXII.

CCLXXVI. Tacito extincto, non germanus, ſed vterinus frater, M. ANNIVS FLORIANVS, cui ante fruſtra conſulatum petierat, imperium, non publica ſenatus, vel exercitus Romani, ſed priuata auctoritate, et proprio motu arripuit, quaſi iam hereditarium eſſet factum. Ecquis mirabitur, minus illi fuiſſe diuturnum? Duobus poſt menſibus rerum potiebatur Probus, quem ſenatus optabat, miles eligebat, populus Romanus acclamationibus amplectebatur; Florianus contra opprimere ſtudebat. Hinc Tarſi Florianum occidunt milites, qui Probum imperare audiuerant. *g*) Videantur VOPISCVS

d) In Tacito imperatore c. 10. *e*) Taciti vita extr. *f*) Ibid. c. 11.

g) Ita cum reliquis ſcriptoribus AVR. VICTOR memoriae prodidit de Caeſaribus c. 37. init. Sed alius VICTOR epitom. c. 33. cum magna pars exercitus equitum Probum militiae peritum legiſ-

in Floriano, AVR. VICTOR, EVTROPIVS, ZOSIMVS, ZONARAS, OROSIVS.

§. XXXIII.

CCLXXVI. In imperio ſucceſſit, ab ſenatu pariter atque ab exercitu confirmatus, AVRELIVS PROBVS, e Sirmio Pannoniae oriundus, nobiliore matre, quam patre, adoleſcens moribus adeo inclaruit, vt Valerianus imperator eum vere probum, cum adhuc imberbis eſſet, tribunum fecerit. Rebus deinde ſub Valeriano et Gallieno, Claudio, et Aureliano fortiter geſtis tantam auctoritatem laudemque meruit: vt Tacitus, cum ipſi offerretur imperium, in ſenatu palam profeſſus ſit, *principem fieri debere Probum.* Factus in oriente ab exercitu imperator aduerſus Germanos mouit, qui omnem prope Galliam tenebant, eosque inſigni virtute repellit. In Illyrico Sarmatas aliasque gentes concidit, et facto per Thraciam itinere, barbaros nominis Romani terrore et rerum ab ſe geſtarum magnitudine deuinctos habuit, Aſiam pacauit, et Parthorum regem ſola nominis ſui fama ad pacem petendam excitauit. Inde reuerſus in Thraciam, multos ex hoſtibus ad ſolum Romanum colendum transtulit: quorum in fide alii manſerunt, alii rebellantes pertinaciae dederunt poenas. Saturninum in oriente, Proculum et Bonoſum in Gallia imperium arripientes, barbarorum auxilio, vicit. Sic tandem populis longe lateque pacatis, et quam maxime rep. florente, aliquando dixit: breui futurum vt legionibus atque praeſidiis nihil eſſet opus. Hoc illius dicto milites valde offenſi, melius iudicarunt eſſe praeuenire, quam praeueniri, ipſumque e medio tollendum imperatorem. Itaque ingreſſus iter per Illyricum, vt Perſis inferret

ſet, iſtum LX. dierum quaſi per ludum imperio vſum, inciſis a ſemetipſo venis, effuſo ſanguine conſumtum fuiſſe.

Digitized by Google

ferret bellum, ſexto imperii anno, ab ſuis inſidioſe interfectus eſt: qui ingens tamen ei ſepulchrum elatis aggeribus fecerunt, titulo marmori inciſo: *hic Probus imperator, et vere probus ſitus eſt, victor omnium gentium barbararum, victor etiam tyrannorum.* Conſulendi ſunt VOPISCVS in Probo, Firmo, Saturnino, Proculo, et Bonoſo, EVTROPIVS, AVR. VICTOR, OROSIVS, ZONARAS, et ZOSIMVS, in quo tamen notandus eſt hiatus fine primi et exordio ſecundi libri, a morte Probi ad ſeculares Diocletiani ludos. Belli pacisque artibus clariſſimi imperatoris qui fuerit animus, quam elegantiſſime VOPISCVS *b*) ex voto ipſius demonſtrat, futurum breui, vt milites neceſſarii non ſint. Sic enim futurum, vt populus, qui bellis ciuilibus remp. vexaret, pacis incumberet ſtudiis, et artibus erudiretur.

§. XXXIV.

CCLXXXII. Probi ſucceſſor M. AVR. CARVS *i*) incertum quo loco, aut quibus parentibus fuerit natus. *k*) In literis ſemet Romanum profeſſus eſt. *l*) Romae literarum certe ſtudiis imbutus, eo vſque per omnes dignitatum gradus aſcendit, vt praefectus praetorio ab ipſo Probo imperatore ornaretur, tantaque apud milites auctoritate eſſet, vt ſolus poſt eum imperio dignus haberetur. Factus imperator Probi interfectores grauiſſimis poenis affecit.

b) Probo c. 23. *i*) *Carus* ab ſcriptoribus tantum nominatur: ſed *M. Aurelius Carus* in nummis eſt. Conf. RVPERTVS obſerv. in ſynopſin Beſoldi p. 390. *k*) EVTROPIVS l. 9. Narbonae dicit natum fuiſſe in Gallia. Oneſimus apud VOPISCVM Cari imperatoris vita c. 3. Romae natum et literis eruditum, ſed Illyricianis parentibus. Cerilianus ibid. c. 4 in Illyrico genitum parentibus Poenis. Et VOPISCVS l. c. in ephemeride quadam legit, Mediolanenſem fuiſſe. *l*) Apud VOPISCVM Caro imper. c. 4. et 5.

cit. Sarmatas Probi morte insolentiores factos, ac Italiae minitantes, ingenti glade repressit. Postea bellum Persicum, quod Probus iam tum parare coeperat, consensu militum aggressus est, filiis ante suis, CARINO et NVMERIANO, Caesaribus nuncupatis. Illum ad Gallias destinauit tuendas: hunc belli socium atque rerum gerendarum faciundum participem secum duxit. Ea expeditione, perquam sibi ob seditiones Persarum domesticas prospera, facillimo negotio Mesopotamiam occupat, et Ctesiphontem vsque ipsorum regiam peruenit. Cum vlterius progredi vellet: decumbens ad captandam in tentorio quietem, immani exorta tempestate fulmina inter atque tonitrua exanimatus est. NVMERIANVS, moribus et eloquentia decorus, imo orator et poeta suo tempore praestantissimus, obitum parentis nimium deplorans, oculos perdidit, ac breui post, lecticae vmbraculo radios prohibens solares, clanculum ab Apro socero suo, qui imperium affectabat, occisus est. CARINVS, filius Cari natu maximus, qui viuo etiamnum parente Augustus appellatus est, homo contaminatissimus omni dedecore vitiisque enormibus se polluit. Viros quosque optimos et amicos relegauit, aut interfecit. Pessimos quosque et pestem nefariam patriae amplexus est multisque muneribus ornauit. Mimis, meretricibus, lenonibus, parasitis palatium impleuit, vnice deditus luxuriae. Quae cum pater audiret: *non est meus*, dixit, et de imperio illi abrogando cogitauit. Defuncto patre, etiam se effudit multo licentius, cum luxu et nefanda vitae ratione caedes innocentum cumulans, et nobilium contaminans matrimonia: cum et ipse duxerit ac repudiarit vxores nouem, praegnantibus vtplurimum pulsis. Non ferendum Diocletianus tandem vicit ac interemit apud Murtium, cum a militibus suis derelictus

derelictus esset. Consulatur inprimis VOPISCVS in Caro, Numeriano et Carino, AVR. VICTOR, EVTROPIVS, OROSIVS. Carus inter bonos magis, quam inter malos principes collocandus est. Sed longe fuisset melior, si Carinum non reliquisset heredem. Ipse literis probe institutus bonas literas quouis modo promouere studuit *m*) Malos Carini mores quam maxime auersatus est. Filium alterum Numerianum perquam solicita doctorum informatione cum lectissimum, tum etiam disertissimum habuit. *n*) Hic, FLAVIO VOPISCO teste, *o*) moratus egregie et vere dignus imperio, vsque adeo praepollebat eloquentia, vt publice declamarit, et scripta nobilissima ediderit: declamationi tamen, quam Tulliano stilo accommodatiora. Poetas sui temporis omnes vicit. Nam et cum Olympio Nemesiano contendit, et Aurelium Apollinarem, iamborum scriptorem excellentissimum, iisdem, quae recitauerat editis, velut solis radio obtexit. Huius oratio ad senatum missa, tantum dicitur habuisse eloquentiae, vt illi statua, non quod Caesar, sed quod rhetor esset, decerneretur, in Vlpia bibliotheca ponenda, cui subscriptum est: *Numeriano Caesari, Oratori temporibus suis potentissimo.*

§. XXXV.

CCLXXXIV. His extinctis imperio DIOCLETIANVS admotus est, in Dalmatia ignobili et obscuro parente natus, sed qui ab ineunte aetate literis probe imbutus per omnes militarium dignitatum gradus ad summum fastigium peruenit. Cum in Gallia gregarius esset miles, atque in caupona quadam moraretur: cum hospita Druide muliere conuictus rationem conficiens increpatus aliquando

m) VOPISCVS Cato imperatore c. 3. *n*) Ibid. c. 7. *o*) Numeriano init.

quando fuiſſe dicitur: *Diocletiane nimium auarus, nimium parcus es:* cui reſpondiſſet, non ſerio, ſed ioco: *tunc ero largus, cum imperator fuero.* Illa vero: *Diocletiane iocari noli, imperator eris, cum Aprum occideris.* Apros in venatione, data quauis occaſione, poſtea ſua manu occidit plurimos. Fruſtra. Tandem poſt Numeriani caedem ingens habita eſt concio, factumque imperatoris vindicandi tribunal. Et cum quaereretur, quis iudex iuſtiſſimus, quis reip. dandus bonus princeps: omnium ſuffragiis Auguſtus appellatur Diocletianus: qui conſcendens tribunal, educto gladio, Aprum, praefectum praetorii, oſtendit necis auctorem, Aprum certe ſibi fatalem: eumque percutiens gloriae et ambitionis plenam addidit vocem: *gloriare Aper, Aeneae magni dextra cadis.* Quod VOPISCVS *p*) adeo miratur de homine militari, ſimul atque teſtatur, plurimos plus quam militares, vel Graece, vel Latine, vel comicorum vſurpare dicta, vel ſimilium poetarum. Cum priuatus *Diocles* vocaretur, factus imperator *C. Aurelius Valerius Diocletianus* appellari voluit. *q*) Imperii initio cum profligandus eſſet Carinus, verum ſe praeſtitit patriae patrem, eoque ciuili bello prorſus neminem dignitatibus aut fortunis ſpoliari voluit. Hinc ſummo honore ab S. P. Q. R. exceptus eſt. Breui poſt in prouinciis paſſim locorum excitatis tumultubus, vt tanto facilius compeſcerentur hoſtes, neque tota moles vni incumberet, Auguſtum atque imperii conſortem facit MAXIMIANVM, qui, vt filius patri, ſemper illi obtemperauit. Et horum in omnem poſteritatem memoranda concordia, quae tanta fuit, vt quod honeſta cuperet vterque et quae eſſent e rep. alter nunquam repugnauerit alteri.

p) Numeriani vita c. 15. *q*) Conſer RVPERTVS obſeru. ad ſynopſin Beſoldi pag. 391.

Digitized by Google

alteri. Nec immerito hinc erecti in ſpes triumphi maximas, boni ominis gratia, aſſumſerunt cognomina; Diocletianus *Iouii*, Maximianus *Herculei*. Diocletianus aduerſus Aegyptios mouet, quos Achilleius quidam ad rebellionem concitarat: ſuisque victricibus armis eo rediget, vt caeſo et ad beſtias condemnato rebellionis auctore, datisque excidio duabus ciuitatibus, ceteri omnes quieſcerent, atque intra IX. menſes tota prouincia pacaretur. Maximianus pari felicitate in Gallia oppreſſit Bagandas, qui Amandum et Aelianum, ruſticae multitudinis concurſu armatos, imperatores ſibi et belli duces conſtituerant. Poſtea in Africam profectus Gentianos vicit, qui ob emerita ſtipendia agrorum diuiſionem armis flagitabant. Mox propter ingruentes vndique hoſtes atque tyrannos CCXCI. duo concordes Auguſti Caeſares ſibi adoptarunt duos, Diocletianus GALERIVM MAXIMINVM, Maximianus vero IVLIVM CONSTANTIVM CHLORVM. Adoptio vtrinque firmata affinitate. Bellorum inter ſe diſtribuerunt operas. Galerius aduerſus Narſem, Perſarum Regem, miſſus eſt, aduerſo primum militans Marte. Collectis viribus, res fortiter geſſit, Cteſiphontem expugnauit, Aſſyriam cepit totam, et quinque prouincias trans Tigrim, quae ſtatim poſt Traianum defecerant, priori excitatus ignominia recuperauit. In occidente Conſtantio Chloro graue certamen cum Alemannis fuit: a quibus apud Lingonas fugatus, aliquantisper vnius vrbis moenibus ſeſe tutatus eſt. Mox deſperabundus erupit, hoſtes vicit, Germaniam attriuit, Galliae ſecuritatem praeſtitit, et victoriae quaſi monumentum Spiram ad Rhenum condidit. Maximianus Africae Italiaeque praefuit. Diocletianus res in oriente compoſuit. Inde tranſiit in Europam et grauiſſima bella cum Scythis, Sarmatis,

matis, Alanis, Carpis, Cattis, et Quadis geſſit. Poſt tot victorias maximus triumphus principibus a ſenatu decretus eſt. Sed Diocletianus, faſtu omnium maxime notandus, diuinae cultum venerationis imperatoribus Auguſtis deferendum praecepit, et ipſe velut numen aliquod coeleſte adorari voluit. Cum imperatores ante manus oſculandas nobilibus praeberent, et genua plebi: hic ad oſcula calceamentorum, auro gemmisque radiantium promiſcue omnes adegit. Primus nomen *Domini* in titulum imperatorum intulit, et regio prorſus modo imperare coepit: cum ante eum quotquot fuere S. P. Q. R. quandam libertatis ſpeciem reliquiſſe videantur. Vna cum Maximiano in Chriſtianos inſontes ſaeuiit, quos ne quidem in legionibus eſſe voluit, ſed miſere omnes trucidauit. r) Furoris atque caedium pertaeſus tandem anno poſt Chriſtum natum CCCIV. nouo exemplo ſeſe cum collega imperio abdicare decreuit. Simul etiam Maximianus, vtut aſpero et ambitioſo eſſet ingenio, collegae ſui conſilio acquieuit. Vterque igitur imperator eodem die, Diocletianus Nicomediae, et Maximianus Mediolani imperium depoſuerunt, atque Caeſares ſuos Conſtantium Chlorum et Galerium Maximinum Auguſtos renunciarunt: Diocletiano affirmante, iſtum diem et vitae, et felicitatis ſibi primum illuxiſſe. Maximianum poſtea repetendi imperii libido cepit, eoque ſimul ſtuduit ſuum perducere collegam, qui, *nolo*, inquit, *peſte liberatus, plus imbibere veneni. Satis pro rep. laboraui. Tempus adeſt, vt mihi viuam. Quod tum primum coepiſſe mihi videor, poſtquam ipſus in patria mea olera ſeui. Nec res iam anguſta pro dignitate videri debet: quia non eſt turpe homini, animi*

r) Vid. ad Robecci tr. de morte voluntaria animaduerſiones noſtrae (bp) (cp) et (dp).

Digitized by Google

animi bonis felicitatem metienti, honeſtam profiteri paupertatem. Salonis autem in Dalmatia priuatus agriculturae vacauit, et mortuus eſt anno aetatis LXXVIII. ita quidem, vt mentis ſtupore longaque aegritudine confectus animam inter ſuſpiria efflaret. Maximianus, vt imperium recuperaret, rem primo apud Maxentium filium Romae, deinde apud Conſtantium generum ſuum in Galliis ſed fruſtra tentauit. Et gener, cognitis ex vxore inſidiis, illum Maſſiliae capi et ſtrangulari iuſſit. Videantur ZONARAS, ZOSIMVS, AVR. VICTOR, EVTROPIVS, OROSIVS.

§. XXXVI.

Diocletianus et Maximianus, imperatores Auguſti, noluerunt cuiquam, decurionum decreto, immunitatem tribui: exceptis, qui liberalium ſtudiorum antiſtites ſunt, et qui medendi cura funguntur. *s*) Et hi imperatores omnium primi vacationem a publicis patriae ciuitatis muneribus, in annum vſque viceſimum quintum, illis largiri voluerunt, qui in academia quadam liberalioribus ſtudiis erant dediti: atque ita Seuerino et aliis Arabiae (forſan Beryti) ſcholaribus reſcripſerunt: *t*) *Cum vos affirmetis liberalibus ſtudiis operam dare maxime circa iuris profeſſionem, conſiſtendo in ciuitate Berytiorum, prouinciae Phoeniciae: prouidendo vtilitati publicae et ſpei veſtrae, decernimus, vt finguli vſque ad viceſimum quintum annum aetatis ſuae ſtudiis non auocentur.* Ante ſcilicet fas erat ſemper, quemuis peregre ſtudiis vacantem ad munia reip. capeſſenda reuocare domum: vt ſtudiorum curſu aliquando, non ſine maximo ſuo dolore ac damno, impedirentur. Qua quidem de re etiam lege ſequenti cautum

s) L. 1. C. de decretis decurionum ſuper immunitate quibusdam concedenda. l. 10. tit. 46. *t*) L. 1. C. qui aetate vel profeſſione ſe excuſant. l. 10. tit. 49.

eſt ab iisdem imperatoribus Auguſtis. Neque voluerunt liberalium ſtudiorum profeſſoribus etiam calculatores annumerari: *v*) neque medicos intra numerum praeſtitutum immunitatem habere. *x*) Erga doctores, liberaliori diſciplina excellentiſſimos, imperatores hi quam maxime liberales fuerunt. Quod vel EVMENII rhetoris exemplo patet, qui ſalarium accepit a liberaliſſimis principibus, Diocletiano et Maximiano, in ſexcenis millibus nummum, nobis Philippeorum millia quindecim. Sed ipſum EVMENIVM *y*) audiamus: *ſalarium*, inquit, *me liberaliſſimi principes ex huius reip. viribus in ſexcenis millibus nummum accipere iuſſerunt: non quoniam non amplius tribuere commodis meis vellent, in quem multo maiora et prius, et poſtea praemia contulerunt: ſed vt tercena illa ſeſtertia, quae ſacrae memoriae magiſter acceperam, in honore priuati huius magiſterii addita pari ſorte geminarent.* Ea vero ſumma CASAVBONVM *z*) offendit, qui ſibi perſuadere nullo modo potuit, ſalarium tam amplum vlli rhetori fuiſſe. Hinc ex collatione Graeci ſcriptoris, qui teſtatur annua ſtipendia profeſſorum ſub imperatoribus fuiſſe aureorum ſexcentorum, in ea oratione putat, ſemper *ſexagenis* et *tricena*, non autem *ſexcentenis* et *tercena* ſcribendum eſſe. Sexagena ſeſtertium millia, ſiue ſexagena ſeſtertia, ſunt aurei ſexcenteni, nobis mille quingenti Philippei: quod ſalarium fuiſſe profeſſorum hac aetate, probat ex oratione Tatiani apologetica, vbi philoſophorum increpans auaritiam, veſtri, inquit, philoſophi tantum a contemtu opum abſunt, ὥστε παρὰ τῷ Ῥωμαίων βασιλέως ἑτησίας χρυσᾶς ἑξακοσίας λαμβάνειν τινὰς εἰς ἄδειν χρήσιμον, ὅπως μηδὲ τὸ γένειον δωρεὰν

v) L. 4. C. de profeſſoribus et medicis. l. 10. tit. 52. *x*) Lege ſequenti 5. C. de profeſſ. etc. *y*) Orat. pro reſtaurat. ſchol. c. 11. n. 2. *z*) Animadu. in Sueton. Othon. c. 4. pag. 293.

Digitized by Google

δωρεὰν καθειμένον αὐτῶν ἔχωσι. Et inprimis notat vocem τινὰς: ex qua intelligatur, celeberrimis doctoribus tantum id ſalarium fuiſſe datum. Et hoc putat ſufficere ad deſtruendam illam immenſam pecuniae ſummam, quam falſa ingerat apud Eumenium ſcriptura. Quae cum facile arrideant omnibus, et quindecim millia Philippicorum rhetoribus nunquam videatur conueniens ſalarium fuiſſe: GRONOVIVS *a*) tamen, CELLARIVS *b*) et VVALCHIVS, *c*) Viri Clariſſimi, ſine mendo iudicarunt ipſius Eumenii verba eſſe, atque adeo retinendum *ſexcenis*. Neque ſilentio praetermittendum eſt, Diocletianum imperatorem, ſublata priori obſeruatione, qua in orbe Romano de conſulum nominibus tempora ſignabantur, edicto cauiſſe, vt anni a primo principatus ſui anno numerarentur. Quae quidem aera Diocletiana ſcriptoribus eccleſiaſticis quoque, Epiphanio, Ambroſio, et aliis vſitata ab anno CCLXXXIV. vſque ad annum Chriſti DXXXII. quo Dionyſius Exiguus, annos indignatus numerari ab imperio eccleſiae perſecutoris, epocham, qua hodie vtimur, a Chriſti ſeruatoris noſtri natiuitate ſubſtituit. *d*) Quamuis enim Diocletianus et Maximianus profanorum ſatis fauerent ſtudiis, et rem literariam quouis modo ornarent: Chriſti Seruatoris noſtri tamen doctrinam et religionem delere prorſus, ac velut in cineres redactam ſepelire cupiebant. Hinc impii ac furentes tyranni literis publicis praeceperunt, vt non modo Chriſtianorum templa omnia funditus, ſi quas vſquam tales haberent aedes, euerterentur; verum et ſacrae flammis abolerentur ſcripturae: quas inter ſuſpiria et lacrumas in medio platearum concrematas viderunt. *e*) §. XXXVII.

a) De pecun. veter. l. 4. c. 2. *b*) Obſeru. ad Eumen. orat. p. 70.
c) Parergis academicis p. 64. *d*) Vid PETAVIVS l. 11. de doctr. temp. c. 29. 30. CRVCIVS de aera Diocletiani.
e) EVSEBIVS eccleſ. hiſt. l. 8. c. 1.

§. XXXVII.

CCCIV. Ab imperatoribus decedentibus, annuente ſenatu, praefecti rerum potiebantur CONSTANTIVS CHLORVS, Romanae gentis ſine dubio nobiliſſimus, et GALERIVS MAXIMINVS, ſiue vt eum vocare alii maluerunt, MAXIMIANVS *Armentarius* cognominatus, quod parentibus agrariis ortus ex Dacia Ripenſi, paſtor primo armentorum fuit. Conſtantio Galliae, Hiſpaniae, Italiae, et Africae adminiſtratio mandata erat. Galerius Illyrico, Graeciae et orienti imperabat. Sed Conſtantius tanti oneris detrectans moleſtias, duabus prouinciis contentus, ſua ſponte Italia et Africa ceſſit. Galerius adoptat FL. VALERIVM SEVERVM atque C. GALERIVM VALERIVM MAXIMINVM, Maximiani imperatoris ex ſorore nepotem. Hunc orienti, illum Italiae et Africae, Caeſaris titulo praefecit. Interea temporis Romae praetoriani milites, pro vſurpata hucuſque licentia, MAXENTIVM, Maximiani filium, nec abnuente ſenatu, imperatorem appellauerant. Quo cognito, Seuerus illi milite et fauore impar, ab vrbe aufugit, et cum ad Galerium contenderet, qui in Illyriis erat, Rauennae captus et occiſus eſt. In eius locum Galerius ſtatim legit LICINIVM, Dacia oriundum, cuius virtus ipſi in bello Perſico ante cognita ſatis fuerat. Eo in Illyriis relicto, Romam aduerſus Maxentium proficiſcitur. Sed cum in itinere de futura militum defectione cognouiſſet, ſi cum Maxentio confligere conaretur: in Illyriam redit, ac Licinium adoptaſſe dolet. Saeuiſſimus Chriſtianorum perſecutor fuit: et faſtu omnes prope imperatores ſuperauit, adeo quidem, vt conceptum ſe a matre ex coitu draconis, ſicut Alexander ab Olympiade, affirmare non erubuerit. Sed in morbum incidit, quo vlcus inguinibus innatum virilia exedit,

Digitized by Google

exedit, ac marceſcente tota corporis illa parte vermes pullularunt. Deerant remedia, et ſi qui fuerant medici, qui noua tentaſſent, manus admouere non audebant, metuentes, ne a principe ſaeuiſſimo occiderentur. Ad Chriſtianorum ergo confugit preces, ratus propter eorum perſecutionem tantos ſe iam dolores perpeti, et atrocia aduerſus iſtos reuocat decreta. Mox eo morbo periit. Maximinus in oriente a Licinio victus, ſemetipſum, ne viuus caperetur, Tarſi ſtrangulauit. Conſtantio Chloro, optimo principi, ex voto ſucceſſerunt omnia. Erat natura mitis, placidus, humanus, et frugalitatis in omni vita ſtudioſus: nec volebat amore ſubiectorum populorum ſibi comparare theſauros, quos ad vſus publicos fidelius nouerint cuſtodire ciues ſui. Feruente perſecutione, dum ceteri imperatores immeritis pios afficiebant poenis, nouo ſtratagemate ſuorum de religione animos tentabat. Ex Chriſtianis quicunque dignitatis aliquem locum in miniſterio aulico tenebant, hanc conditionem ſubito ab imperatore accipiebant, vt vel ſacra deorum curando ſartam tectam ſeruarent dignitatem ſuam; vel negligendo eam amitterent. Statim aulicorum turba in duas factiones diſſiliit, altera defectionem a religione ſua, altera conſtantiam profeſſa, quocunque tandem eos iactarit fortuna: vtſalua, quam Chriſto dederint, fide et virtute, ignominiam et paupertatem exſpectare maluerint. Sed Conſtantius, expoſito conſilio, primorum leuitatem et perfidiam grauiter coarguit. Quomodo, inquit, fidem ſeruabitis imperatori inuiolatam, qui in Deum et ſeruatorem veſtrum perfidi eſtis. Aliorum ſinceram et conſtantem erga Chriſtum mentem laudauit. Illos vt proditores et miniſterio indignos eiecit: hos integritate probatos amplioribus ornauit honoribus. At ſecundo imperii anno Eboraci

in Britannia morbo absumtus est: cum ante obitum vidisset filium Constantinum, qui initiatus Christianorum sacris, ex aula Galerii profugus, ad patrem rediit, et rerum in occidente post eius obitum potitus est. Consulendi sunt ZOSIMVS, ZONARAS, AVR. VICTOR, EVTROPIVS, OROSIVS, Anonymus a Valesio editus et Marcellino adiunctus, Panegyristae, EVSEBIVS de vita Constantini, et ecclesiastica historia.

§. XXXVIII.

Tota optimi principis vita liberalioris disciplinae et omnium virtutum schola fuit. Bonis artibus, vbique locorum exulantibus, vitam et libertatem reddidit. Iuuentutis mores incomparabili consilio formauit. Honorem dicendi magistris, dignitatem sapientiae doctoribus summam habuit: vt sub eo et spiritum, et sanguinem, et patriam recepisse videantur studia, quae barbari eius temporis principes, velut pestem aliquam patriae, auersari et propellere omnes iusserant. Quantam vero Constantius scholis ac literarum officinis tuendis impenderit curam, quamque liberaliter suppeditarit omnia, vt artes et scientiae florerent: vel ex vnius EVMENII rhetoris, *f*) qui eo tempore, cum esset magister sacrae memoriae, scholis Cliuiensium praefectus fuit, oratione, ad Galliarum praesidem habita, laudisque et gratulationis iustissimae plena, intelligi facile potest. Scripsit ad Eumenium literas longa obseruatione dignissimas: *g*) *Merentur et Galli nostri, vt eorum libris, quorum vita in Augustodunensium oppido ingenuis artibus eruditur, et ipsi adolescentes, qui*

f) Cuius paulo superius facta est mentio. Confer. FRANC. BALDVINVS Constantino Magno pag. editionis Gundlingianae 124.

g) Quas EVMENIVS recenset oratione pro restaurandis scholis c. 14. Confer. FALSTERVS quaestionibus Romanis p. 94. seqq.

Digitized by Google

qui hilari conſenſu meum (Conſtantii Caeſaris ex Italia reuertentis) ſuſcepere comitatum, vt eorum indoli conſulere cupiamus. Proinde quod aliud praemium his quam illud conferre debemus, quod nec dare poteſt, nec eripere fortuna? Vnde auditorio huic, quod videtur interitu praeceptoris orbatum, te vel potiſſimum praeficere debuimus, cuius eloquentiam et grauitatem morum ex actus noſtri habemus adminiſtratione compertam. Saluo igitur priuilegio dignitatis tuae, hortamur, vt profeſſionem oratoriam repetas, atque in ſupra dicta ciuitate, quam non ignoras nos ad priſtinam gloriam reformare, ad vitae melioris ſtudium adoleſcentium excolas mentes, nec putes, hoc munere ante partis aliquid tuis honoribus derogari: cum honeſta profeſſio ornet potius omnem quam deſtruat dignitatem. Denique etiam ſalarium te in ſexcenis millibus nummum ex reip. viribus conſequi volumus: vt intelligas, meritis tuis etiam noſtram conſtituere clementiam. Vale, Eumeni cariſſime nobis. Tantorum principum exhortatione, doctorum animi ad optimas artes excolendas videbantur attolli; et ipſi quodammodo veterum ſcholarum parietes atque tecta conſurgere. Vel ex illis Conſtantii imperatoris Auguſti literis conſtat, quam honorifica et iucunda fuerit olim profeſſoribus ſcholaſtica prouincia.

§. XXXIX.

CCCVI. Poſt obitum Chlori in occidente rerum potitus eſt FL. VALERIVS CONSTANTINVS, MAGNVS a virtute et imperii amplitudine cognominatus, Conſtantii Chlori filius ex Helena Britannica, priore coniuge, quam Zoſimus et alii Chlori concubinam vocant; alii coniugem quidem, non vero matronam et minus nobilem, quod ante imperium ducta fuerit, poſt repudiata ceſſerit Flauiae Maximianae Theodorae, Maximiani Her-

culei priuignae. *h*) Pueritiam in oriente sub Galerio imperatore, vel tyranno, exegit: a quo adolescens aduersus Sarmatas missus insignem victoriam reportauit: hostes enim non profligauit modo, verum etiam ducem illorum cepit, vinctumque catenis ad Galerium adduxit. Hic inopinatos Constantini successus admiratur quidem, sed tamen fastu et inuidia, vel tanti herois futuri formidine commotus, eum quouis modo interimere studebat. Non desinebat ergo gloriae cupidum adolescentem hortari, vt cum leone pugnam iniret. Fortianimo in arenam descendit, feramque pertinacissime luctatus vicit, ac palmam inter maximos spectatorum applausus meruit. Imperator ipse laetitiam simulabat, mente agitans, quibus illum maioribus obiiceret periculis. Constantinus vero insidiis se peti intelligens, assumtis quibusque fidelissimis, in Britanniam ad patrem profugit. *i*) Hoc mortuo Constantinus ab exercitu imperator salutatus est, et annitentibus, qui aderant, omnibus, et inprimis Eroco, Alemannorum rege, opitulante, Galliarum, Hispaniarum, Alpiumque Cottiarum imperium cepit. Cura haec illi prima fuit, vt quorumque militum sibi conciliaret animos. Agros igitur illis distributos, qui militia pro imperio augendo consenuerant, hereditarios esse, atque etiam ad liberos ipsorum transire iussit. Reliqua in imperio ita disposuit: vt virtutis, iustitiae et clementiae fama vbique locorum diffunde-

h) Vid. ARNOLDI supplem. ad hist. eccles. et haereticor. obseru. 23. §. 7. RVPERTI obseru. ad synopsin Besoldi pag. 415. HARTMANNI v. cl. differt. de Helena Constantini M. matre.

i) Cum in Britannia Chloro vitae finis imminerer: Constantinum filium ad eum profectum esse ex ambitione imperii ZOSIMVS scribit. Quod alii negant, et idoneas allegant causas, cur id facere necesse habuerit.

funderetur. Romae tunc temporis rerum potiebatur MAXENTIVS, Maximiani Herculii filius, qui ſuperato Seuero, elatus gloria, ciues Romanos primum immoderata libidine et luxu, deinde caedibus vexare, et prope ab omnibus odio haberi coepit: qui clanculum a Conſtantino petunt opem. Mox ab ipſo ſenatu, aduerſus iſtum Romae furentem audacia, et caedibus ſtuprisque polluentem cuncta Maxentium, imperii vindex et aſſertor appellatus, cum ſelecta manu in Italiam venit: et Maxentius quoque, accepto nuncio, exercitum aduerſus eum educit. Commiſſum eſt proelium ingens ad ipſam vrbem anno poſt Chriſtum natum cccxii, quo caeſae Maxentii maiores ſunt copiae: et ipſe imperator ponte, per quem fugere conabatur in vrbem, armatorum onus non ſuſtinente, in Tiberim praecipitatus periit. Hoc bello ſcriptores Chriſtiani affirmant Conſtantino ſignum crucis apparuiſſe in coelo, cum literis Graecis, ΕΝ ΤΟΤΤΩ ΝΙΚΑ, *in hoc vinces:* atque ita Chriſtianum eſſe factum.*k*) Victo Maxentio S.P.Q.R. liberatori

O 3

k) EVSEBIVS l. 1. de vita Conſtantini, ſe narrat ex ore ipſius audiuiſſe, quod die quodam, cum ſol ad medium coelum aſcendiſſet, ac in tempus pomeridianum paulo inclinaſſet, ex lucis ſplendore ſignum crucis figuratum conſpexerit, atque in eo ſcriptum ἐν τούτῳ νίκα. Quae cum animo ſecum agitaret, obdormienti Chriſtum id ſibi praemonſtratum in coelo crucis ſignum, quo vincere poſſet, commendaſſe. Vtrum illo tempore ſtatim, quo Chriſtum religioſius colere coeperit, an ſub vitae finem Chriſtianorum ſacris tandem initiatus, atque, vt loquuntur, baptiſatus fuerit, non vnum omnes ſentiunt. Legi omnino meretur vossii diſſertatio de baptiſmo Conſtantini. Scriptores profani de Conſtantini Chriſtianiſmo alia atque alia mentiuntur. Et ZOSIMVS quidem, illi procul dubio propter ſacra mutata iniquior, ſcelerum ait expiandorum gratia factum eſſe Chriſtianum.

ratori vrbis, ac fundatori quietis, Constantino arcum triumphalem ex marmore dicauit, et omne imperium illi quam lubentissime detulit. Tantoque magis formidandus LICINIO, qui parentibus rusticis natus, et a Galerio adoptatus, rerum in oriente potiebatur. Ex inuisa imperii societate et minime ferendis vtrinque moliminibus ineuitabile bellum: quo ad Cibalim, Pannoniae oppidum victus cum fugeret Licinius: eum Constantinus persequitur, ac denuo aggreditur in Thracia: vbi pugnatum est dubio Marte; et pacem his conditionibus fecerunt, vt Constantinus Illyriis et reliquis occidentalis imperii prouinciis praeesset; Licinius Thraciam cum oriente teneret; Valens, quem Licinius Caesarem dixerat, velut malorum lerna e medio tolleretur; et Christianis vbique locorum parceretur. Foedus affinitate firmatum. Licinius enim Constantiam, Constantini imperatoris sororem, in matrimonium duxit. CRISPVS, e concubina natus, et CONSTANTIVS, Constantini filii, cum LICINIANO, Licinii filio, Caesares designati sunt. Sed diuturna non potuit esse illa Principum concordia. Licinius mox ad ingenium reuersus Christianos persequitur, insontes interficit, multorum coniuges, liberos, diuitias rapit. Fatigatur hinc Constantinus misere calamitatibus suis oppressorum precibus: vt pro illorum salute intercederet. Licinius pergit agere ferociter, et saniora suadentibus respondet superbe. Hinc bellum inter Constantinum et Licinium recruduit, magno vtrinque apparatu susceptum. Victus memorabili proelio ad Hebrum flumen Licinius, fuga se Byzantium recipit: vbi a Constantino obsessus, amissa etiam classe, Martinianum, officiorum magistrum nominat Caesarem, atque cum eo Chalcedonem proficiscitur. Hic denuo conserta manu vincitur atque cum reliquiis copiarum Nicomediam

Digitized by Google

mediam fugit. Quam quod Conſtantinus cum milite victore obſideret Licinius ſupplex illi factus, primo imperium, poſt tradita poteſtate imperii titulum, denique cum nihil obtinuiſſet, vitam petiit. Facta igitur deditione, et purpura poſita, imperii anno XVI. Theſſalonicam abiit, vt vitam cum vxore priuatam ageret. Quietis vero impatiens et otii, arma reſumere ſtudet, exitio ſuo. Nam a praeſidio Conſtantini oppreſſus ſtatim, anno Chriſti CCCXXV. aetatis ſuae LXX. laqueo vitam finiuit; imperator auaritia et crudelitate omnium peſſimus, qui literis atque literatis adeo infeſtus, vt oratores et philoſophos peſtem diceret venenumque reip. ipſe adeo omnis literaturae ignarus, vt epiſtolis atque mandatis vix nomen ſuum ſubſcribere potuerit. *l*) Martinianus ſtatim iuſſu imperatoris occiſus. Anno Chriſti CCCXXIX. Criſpus quoque, ipſius Conſtantini filius, Fauſtae nouercae inſidiis periit, quae illum accuſarat, quod ſe de ſtupro ſolicitaſſet. Sed Fauſta breui poſt ipſa dedit poenas: quae calumniarum rea, imperatoris iuſſu, in balneo nimis calefacto ſuffocatur. Cum vtriusque imperii dignitas penes vnum Conſtantinum eſſet: *Magni* cognomen accepit. Factusque maior eſt, poſtquam Gothos, Sarmatas, gentesque vicinas, Thraciam diripientes victricibus repreſſit armis. Pacem illae quidem gentes barbarae inierunt; ſed tamen illius violandae in omnes occaſiones fuerant intentae. Conſtantinus ergo contra hoſtium irruptiones orientis imperium valido pro-

l) AVR. VICTOR epitom. c. 36. *Licinius annum dominationis fere poſt quintum decimum, vitae prope ſexageſimum, occiditur, auaritiae cupidine omnium peſſimus, neque alienus a luxu venerio, aſper admodum, haud mediocriter impatiens, infeſtus literis, quas, per inſcitiam immodicam, virus ac peſtem publicam nominabat, praecipue forenſem induſtriam.*

propugnaculo munire instituit. Quod cum mente agitaret, Byzantium in primis placuit, augustius faciundum. Erat vrbis maxima commoditas, in ampliſſimo Propontidis freto positae, portubusque duobus firmiſſimis iam tum satis munitae. Vrbs ergo illa festinatione mira maximisque operibus aedificata est: quam virgini Deiparae sacram ipse voluit Nouam Romam vocari: *m*) sed tamen longo vsu obtinuit, vt a conditore suo *Constantinopolis* diceretur. Vrbs sede Romana, amplitudine et magnificentia, inferior ne esset: aedificia non modo publica maximis sumtibus excitauit, palatium, curiam, circum, porticus, thermas, fora, et quicquid passim fuit in Europa, Asia, et Africa, ornamentorum, eo congessit; verum etiam Roma nobiliſſimas familias in vrbem suam pellexit. Eoque translata imperii sede, *n*) ciuibus suis omnibus ius impertiuit ciuitatis Romanae, vt quaesturas, aedilitates, praeturas, consulatus possent petere, ac si Romae essent nati. Ita quidem orientis imperium firmatum ornatumque satis fuit: sed occidentis status tanto magis eneruatus paulatim ad interitum vergere coepit. Nouiſſima Constantini fuit in Persas expeditio, qui perpetuis vastationibus Mesopotamiam infestabant. Sed ea expeditione in morbum incidit, non sine suspicione veneni, quo ingraueſcente Nicomediam translatus, haud multo post diem obiit supremum, imperii anno XXXI. Pluribus consulendi sunt

m) Encaenia nouae vrbis Constantinopoleos EVSEBIVS describit l. 3. de vita Constantini. HIERONYMVS in chronico ad annum Christi CCCXXXIV. refert.

n) De translatione sedis imperatoriae diuersa scriptorum iudicia recenset ARTOPOEVS dissert. 7. de summis orbis imperiis §. 5. et PETR. GILLIVS de Constantinopoli. Traditio de Constantini M. donatione, olim credita, hodie ne apud ipsos quidem Pontificios fidem inuenit.

Digitized by Google

ſunt EVSEBIVS, qui σύγχρονος Conſtantini M. vitam deſcripſit; ZOSIMVS, qui vtpote ſcriptor a Chriſtianis alienus, imperatori iniquior; ZONARAS, SOZOMENVS, SOCRATES, EVTROPIVS, AVR. VICTOR. Conferantur ARNOLDVS hiſtor. eccleſ. et haeret. l. 4. c. 2. ſupplem. a pag. 63. et RVPERTVS obſeru. ad ſynopſin Beſoldi p. 414. ſeqq. FRANC. BALDVINVS Conſtantino Magno, qui cum aliis memoratu digniſſimis rebus imperatoris huius leges et conſtitutiones recenſet.

§. XL.

Conſtantinus M. non confirmauit tantum, verum etiam multum auxit priuilegia, doctoribus olim inſigni Caeſarum liberalitate conceſſa. Ita kalendis Auguſti, Sirmio Criſpo et Conſtantino conſulibus, ad Voluſianum ſcripſit: o) *Medicos, et maxime archiatros, vel ex archiatris, grammaticos et profeſſores alios literarum, et doctores legum, vna cum vxoribus et liberis, nec non et rebus, quas in ciuitatibus ſuis poſſident, ab omni functione, et ab omnibus muneribus, vel ciuilibus, vel publicis, immunes eſſe praecipimus: et neque in prouinciis hoſpites recipere, nec vllo fungi munere, nec ad iudicium deduci, nec eximi, vel exhiberi, vel iniuriam pati: vt ſi quis eos vexauerit, poena arbitrio iudicis plectatur. Mercedes etiam eis et ſalaria reddi iubemus, quo facilius liberalibus ſtudiis et memoratis artibus multos inſtituant.* Eadem, ſed multis mutatis, Codice Theodoſiano leguntur p) ita: *Medicos, grammaticos, et profeſſores alios literarum, immunes eſſe, cum rebus, quas in ciuitatibus ſuis poſſident, praecipimus. Et honoribus fungi, in ius etiam vocari eos, vel*

o) L. 6. C. de profeſſoribus et medicis. Confer, FRANC. BALDVINVS Conſtantino M. pag. edit. Gundlingianae 122. ſeqq. 127. ſeqq. p) Eluſd. tituli l. 1.

vel pati iniuriam, prohibemus. Ita vt, si quis eos vexauerit, centum millia nummorum aerario inferat, a magistratibus vel quinquennalibus exactus, ne ipsi hanc poenam sustineant. Seruus eis si iniuriam fecerit, flagellis debet a suo domino verberari, coram eo, cui fecerit iniuriam: vel si dominus consensit, viginti millia nummorum fisco inferat, seruo pro pignore, donec summa haec exsoluitur, retinendo. Mercedes etiam eorum et salaria reddi praecipimus. Quoniam grauissimis dignitatibus, vel parentibus, vel domini, vel tutores esse non debent, fungi eos honoribus volentes permittimus, inuitos non cogimus. Ita quoque ad populum rescripsit: *Beneficia diuorum retro principum confirmantes, medicos et professores literarum, vxores etiam, et filios eorum, ab omni functione, et ab omnibus muneribus publicis vacare praecipimus: nec ad militiam comprehendi, neque hospites recipere, nec vllo fungi munere: quo facilius liberalibus studiis et memoratis artibus multos instituant.* Literatis omnino omnibus ex religionis mutatione incomparabile fatum. Siquidem abolita hominum profanorum superstitione, et idolorum cultu profligato, sanctior disciplina vbique locorum introducta est. Templa Seruatori deuotis exstructa: docentium atque discentium collegia condita, quibus ad immortalem nominis gloriam imperator, pro insigni liberalitate sua, reditus amplissimos constituit. Sic tandem sanior doctrina et vera sapientia, quae misere adhuc fuerat afflicta, respirare et agere securius, et palam erecto libertatis signo, plurimos ad sacraria sua pellicere coepit. Anno Christi cccxxv. synodum Nicaenam conuocauit, qua Arii haeresis damnata est. In ea synodo imperator sedit inter episcopos non altiore loco, suamque prolixe testatus est erga Christo deuotos et sapientes beneuolentiam, et palam inter alia dixit:

de

Digitized by Google

de dogmatibus in ecclesia dissensiones quouis bello ciuili periculosiores esse. Extremo postquam symbolo Nicaeno subscripsit, ad episcopos se conuertens, affuisse, inquit, ceu vnum ex ipsis, seque valde laetari, quod fuerit illorum comminister, donec omnium conueniens inquisitio facta, et prolata in lucem veritate, concordia constituta sit. Cum in eadem synodo imperatori offerrentur accusationum libelli, de litibus episcoporum priuatis: obsignatos omnes asseruari iussit, ratus, caussam publicam prius agendam esse: Sub exitum synodi, inspectantibus omnibus, libellos adhuc obsignatos in ignem coniecit, hac addita voce: *sacerdotum crimina in publicum efferenda non esse.* Hac ratione ἀμνησίαν priuatarum offensionum sanxit, cum diceret: *se sacerdotem, vel in adulterio deprehensum, purpura sua contecturum esse, ne vulgo scandalum innotesceret.* Ecclesiarum ministros ali necesse erat. Sed vt hi multo etiam magis populum verbo Dei pascerent: iuniores clerici omnino erudiri, et ab ineunte aetate Christiana doctrina imbui debent. Voluit ergo Constantinus, Christianae libertatis assertor, vt quaelibet ecclesia suam haberet scholam: qua religionis prima elementa viua traderentur voce, et literarum sacrarum libri enarrentur. Haec doctorum atque discipulorum collegia et ordines, quibus quoddam seminarium quasi et certa propago est ecclesiae, et sine quibus religio nulla persistere potest, imperator studiose tueri, perquam liberaliter augere et omnibus modis ornare visus est. Videbat scilicet, quam pulchre et vtiliter vbique locorum florerent profanorum academiae. Has et plures alias optimarum artium et sanioris disciplinae officinas constituisse: atque in illis tuendis propagandisque Constantinum insignem operam impendisse, adeo mirari non possumus. Et suas Christianis esse biblio-

thecas, consilio nunquam satis laudando, nec sumtuum habita ratione, instituit. Habebat Roma in Capitolio bibliothecam maiorum. Augustus prope templum Apollinis Graecam et Latinam bibliothecam extruxerat. Habebat templum Traiani suam quoque Vlpiam, optimis libris refertam. Domitianus ipse cum templum Iouis Capitolini instauraſſet, bibliothecas, incendio absumtas, impensissime reparauit, librorum exemplaribus vndique conquisitis, missisque Alexandriam librariis, qui codices optimos describerent et emendarent. Habebant etiam Smyrnenses, teste STRABONE, *q*) Homeri sui templo adiunctam bibliothecam. Quas et plerosque alios, Principum cura et iussu, fanis suis addidisse, nouerat: quod religionem sine libris diu conseruari non posse intellexerint. Voluit ergo Constantinus etiam Christianorum templa quam selectissimis ornata esse bibliothecis: in quibus colligendis atque conseruandis plurimum posuit impensarum et industriae. Et priuata auctoritate iam tum episcopi coeperant librorum congerere thesauros. Ita Alexander, Hierosolymitanus episcopus, nobilem ecclesiae suae bibliothecam adiunxit: vnde EVSEBIVS, quod ipse fatetur, *r*) totius operis sui, et historiae conscribendae materiam sumsit. Idem *s*) bibliothecam Caesariensem commendat, quam Pamphilus martyr praecipuo et nobili studio composuerit. Et HIERONYMVS, ad Pammachium scribens, *t*) non obscure innuit, tanto subsidio ecclesias post auspicatissimum Constantini imperium, in primis gauisse. Cum enim Pammachium suum hortatur, vt sedulam sacris literis nauaret operam: *reuolue*, inquit, *omnium, quos supra memoraui commentarios, et ecclesiarum bibliothecis fruere: et magis concito*

q) Geogr. l. 14. *r*) Eccleſiaſt. hiſtor. l. 6. c. 16.
s) L. c. cap. 23. extr. *t*) Oper. tom. 2. epiſt. 58.

Digitized by Google

cito gradu ad optata coeptaque peruenies. Ipſe EVSEBIVS Imperatori a bibliotheca fuit, certe a conſiliis, vt eas quam elegantiſſime inſtrueret. Scripſit itaque ad virum hunc eruditiſſimum de libris ſacris exſcribendis, qui legis ſacroſanctae loco Chriſtianis eſſe debent, epiſtolam, in hunc verborum ſenſum a Iohanne Porteſio latine verſam: v) *in vrbe mihi cognomine multitudo immenſa eccleſiae ſe conſecrauit aliqua fati prouidentia. Quapropter increſcentibus aliis, etiam noua quaedam aedificia templorum ſurgere conuenit. Age vero conſilium meum, et quid agere in ea re velim, audi. Mihi viſum eſt hoc eſſe cum tua prudentia coniunctum, vti quinquaginta pellibus adornatis et ſuccinctis, vt legi et portari facile queant, ea deſcribi prouideas e ſacro volumine, quorum in eccleſia magnum vſum, atque neceſſarium eſſe cognoſces. Id autem ab architectis ſcribendi totum redimi volo. Quaeſtori noſtro, quae neceſſaria erunt, in eam rem praeſtet, ego ipſe reſcripſi. Nam quo citius abſolui poſſint, hoc vnum diligentiae tuae fuerit; vt afferri, curae noſtrae. Cuius auctoritate publicis operis ad exportationem duabus vtere. Quo pacto ad nos illa pulchre deſcripta nullo negotio perferentur, hanc prouinciam adeunte de tuis diaconis aliquo, qui poſtquam venerit, humanitatem noſtram ſentiet. Te, chariſſime frater, aſſeruet Deus.* Sic ſane tantus imperator de ſacris literis optime eſt meritus. Cum adulterina multa, mendoſa multa et contaminata longe lateque ſpargerentur volumina: cum naeniae multae falſis titulis inſignitae, et pulchre ad fallendum inſtructae Chriſtianis obiicerentur: religionis ſaluberrimae inſtaurator, ratus, magna hic cautione opus eſſe, non modo prophetica et apoſtolica ſcripta, quibus diuina oracula ſeruantur; verum et alia rerum eccleſiaſticarum monumenta,

v) Apud EVSEBIVM de vita Conſtantini l. 4.

numenta, acta, similia, quam diligentissime custodiri curauit: ne perirent, aut corrumperentur: neue in has tabulas publicas, quibus impostores multi insidiabantur, falsi quid irrepere, aut coniici posset. Inprimis laudat EVSEBIVS *x*) sapientissimum hunc et vere Christianum principem, quod liberos diligenter suos erudiri voluerit, optimisque eos formandos tradiderit praeceptoribus, non rei tantum militaris, vt fieri vulgo videmus, sed religionis praesertim Christianae, et iuris ciuilis, et bonarum artium probe gnaris. Vt priuatim familiae suae, et imperio publice hoc modo consultum esse voluit: ita etiam alios patres familias ad exempli sui imitationem allicere studuit: et ipse quicquid ad hanc rem videbatur esse necessarium, quam liberalissime suppeditauit: ac teste AVR. VICTORE, *y*) non destitit *nutrire artes bonas*, *praecipue studia literarum*, *legere ipse*, *scribere*, *meditari*, *audire legationes et querimonias prouinciarum*. Cum Lactantium Firmianum, qui Nicomediae multis annis bonas literas docuerat, Crispo filio suo in Gallia praeceptorem dedit, praestantem magnumque non eloquentiae modo, verum et Christianae religionis et omnigenae eruditionis doctorem: eumque ipse iam senem, et ab ingratis auditoribus desertum summopere coluit ac perpetuis ornauit beneficiis: satis superque testatum reliquit, se talem omnino esse principem, qualem et populus Christo deuotus et liberaliores Musae vnquam sibi optare potuerunt.

§. XLI.

CCCXXXVII. Constantino M. mortuo tres eius filii successerunt CONSTANTINVS, CONSTANS et CONSTANTIVS, qui iam tum a patre, cum in viuis esset, fuerant Caesares designati. Diuisione imperii tres inter fratres

x) De vita Constantini. *y*) Epitom. c. 37.

Digitized by Google

tres facta, *Conſtantino* Alpes Cottiae, Gallia, Hiſpania, Britannia, Orcades, ac Thule obtigerunt. *Conſtans* Italiam, Africam cum Inſulis, Illyricum, Macedoniam et Graeciam obtinuit. *Conſtantii* oriens cum Thracia fuit. Sed inter fratres mox ruptum concordiae vinculum. Conſtantinus enim, prouinciis ſuis non contentus, debellare coepit fratrem ſuum Conſtantem interea temporis, quo Sarmatas bello perſequebatur. Cum vero ad Aquileiam peruenisſet, ſatis quidem firmo exercitu, et incautius congrederetur: feruente proelio, excutitur ab equo vulnerato, et humi iacens ſine purpura multis ictibus confoditur anno Chriſti CCCXL. nondum finito imperii triennio. z) Conſtantinus anno ſibi fatali, Feliciano et Titiano coss. poſt Chriſtum natum CCCXL. artifices quoscunque, per ſingulas ciuitates morantes, ab vniuerſis muneribus vacare praecepit: ſiquidem in diſcendis artibus otium ſit accommodandum, quo magis cupiant et ipſi peritiores fieri, et ſuos filios erudire. a) Conſtans, a bello Sarmatico reuerſus, prudenti conſilio et forti manu victoriam perſequitur, atque omnes fratris prouincias breui temporis ſpatio adiungit ſuis. Iuſtus atque ſtrenuus fuit, quamdiu animum aduerſus voluptatum illecebras inuictum praeſtitit. Iſtis vero poſtquam ſuccumbere, ac liberius indulgere coepit: corporis ſibi et animi contraxit morbos: vt omnium minime decenti modo imperare potuerit. Grauis et militi, et populo, in conſpirationes centurionum incidit, qui, clandeſtino habito conſilio, MAGNENTIVM, Rhetiae praefectum, imperatorem faciunt. Is, percuſſoribus miſſis, anno Chriſti CCCL. Conſtantem, in tentorio forte quieſcentem, truci-

z) Vid. EVTROPIVS l. 10. AVR. VICTOR de Caeſaribus c. 41. Epit. c. 37. ſeq. ZOSIMVS l. 2. AMMIANVS MARCELLINVS alii.

a) L. 1. C. de excuſationibus artificum, l. 10. tit. 64.

trucidauit, cum annos vixiſſet triginta, et tredecim imperio praefuiſſet. Magnentius quibus artibus imperium ſibi parauit, iisdem illud quoque ſibi firmare ſtuduit. Literis Conſtantis nomine miſſis, vndique tribunos praefidesque prouinciarum ad ſe vocauit: quos in itinere omnes interfici iuſſit: ne qua rebellione caedem imperatoris vlciſcerentur. Interea temporis Conſtantius in oriente bellum aduerſus Perſas gerebat. Qua oportunitate Magnentius vtens, Decentium fratrem ſuum, Caeſarem denominatum Galliis praeficit: ipſe vero Italiam cum ingenti agmine ingreditur, eamque facili negotio, neque multo maiori Africam ſub poteſtatem ſuam redigit. Rebus ſic confirmatis, ad Conſtantium legatos mittit, qui et feliciſſimos armorum ſucceſſus exponant, et eum, quietis publicae cauſſa, oriente ac Thracia contentum eſſe iubeant. At ille nihil reſpondens, Gallum patruelem renunciat Caeſarem, et in oriente ad bellum gerendum relinquit: ipſe cum exercitu aduerſus Magnentium proficiſcitur anno CCCLI. eumque primo ad Murſam Pannoniae vincit tanta ſtrage, vt Conſtantius victor cadaueribus inſpectis grauiter ingemiſceret. Magnentius, inſignibus abiectis, ignoto habitu fugit, vires vndecunque colligit, et in Gallia vltimam exſpectat aleam pugnae: ſatis quidem infelici exitu, vt miſer Lugdunum fugeret, fratrisque et amicorum peracta caede, ne ſolus moreretur, manus ſibimet ipſi inferret. Frater eius Decentius quoque, adeo triſti audito caſu, vt victoris ſe ſubtraheret libidini, ſponte ſua vitam laqueo finiuit. Victo Magnentio pulcherrimum Conſtantius Romae triumphum egit. Poſtea Gallum Caeſarem, quem in oriente reliquerat, omnibus ſe volutantem ſceleribus, vt ad meliorem traduceret frugem, ad ſe per legatos vocat. Renuentem et legatos male multantem edicto

Caeſarea

Caeſarea non modo priuat dignitate, verum et aqua interdicit illi et igni. Et ne longius res protraheretur, percuſſores mittit, qui poſt terga reuincto ceruicem abſciderunt. Neque Sapore, Perſarum rege, quieſcente, arma denuo aduerſus illum conuertere debuit. Quoniam vero ſub hoc ipſum tempus Germani, facta irruptione, XL. Romanorum vrbes ad Rhenum concremarunt, et Galliam longe lateque vaſtarunt: Conſtantius, vtrique bello, tam diſſitis locis gerendo, impar, alterum patruelem ſuum, Iulianum, Galli fratrem, XXIII. annos natum, Caeſarem fecit, Helenam ſororem illi ſuam elocauit, atque Galliarum tutelam commiſit. Hic rebus aduerſus Germanos fortiter geſtis, ab exercitu non ſolum Caeſar, verum et imperator, atque hinc Auguſtus ſalutatus eſt, enſibus nudatis etiam ad diadema recipiendum coactus. Qua re Conſtantius valde offenſus, Perſico bello finito, arma aduerſus Iulianum conuertit. In itinere vero, Aſiam nondum egreſſus, febri corripitur ad Tauri montis radices, et Mopſueſtiae anno Chriſti CCCLXI. imperii XXIV. aetatis XL. diem obit ſupremum. Arianorum fautor fuit, quos aduerſus orthodoxos pluribus conciliis defendit. *b*) VTVT, NAZIANZENO teſte, *c*) eum iam morientem poenituerit trium maxime rerum, quas imperio indignas et pernitioſas agnouerit, quod generum ſuum enecaſſet, quod Iulianum Caeſarem nominaſſet, et quod nouis fidei dogmatibus ſtuduiſſet.

§. XLII.

Conſtantius *d*) et Conſtans imperatores ad Leontium,

b) Videantur ſcriptores ſupra citati, et hiſtoriae eccleſiaſticae monumenta. *c*) Oratione in laudem Athanaſii ſcripta. *d*) Perperam

tium, praefectum praetorio, prid. non. Iul. Leontio et Salluſtio coss. anno imperii ſeptimo, poſt Chriſtum natum CCCXLVII. reſcripſerunt in hunc modum: e) *Mechanicos, geometras, et architectos, qui diuiſiones partium omnium inciſionesque ſeruant, menſurisque et inſtitutis opera fabricationibus ſtringunt, et eos, qui aquarum ductus et inuentos modos docili libratione oſtendunt, in par ſtudium docendi atque diſcendi noſtro ſermone compellimus. Itaque immunitatibus gaudeant, et ſuſcipiant docendos, qui docere ſufficiunt.*

§. XLIII.

CCCLXI. Solus rerum potitus eſt IVLIANVS *Apoſtata* cognominatus a Chriſtianis, quod a religione Chriſtiana rurſum ad gentilium idololatriam deſciuit, ac veritatis confeſſores quouis modo perſequi coepit. Genere fuerat nobiliſſimo, et forma liberali, et ingenio ad literas pariter atque ad arma accommodato: vt ſuos inter aequales adoleſcens excelleret. Datus Euſebio Nicomediae epiſcopo inſtituendus, a quo ſaluberrimam doctrinam probe hauſit, et lector in eccleſia Nicomedienſi factus eſt. Clanculum vero Libanium rhetorem et celebriores eius temporis pſeudophiloſophos amplexus eſt, qui ſenſim ad veterum idololatriam et profanam religionem eum traduxerunt. Sic tandem factus imperator idolorum templa, ſub Conſtantino M. eiusque filiis clauſa, aperiri, et iſtis ſacra fieri iuſſit. In numiſmate etiam ſibi ſymbolum fecit Iouem diadema imponentem, Palladem chlamyde circumdantem, Mercurium ſibi ſceptrum tribuentem. In rebus omnibus Alexandrum M. imitari voluit, eius facinora ſe aut

Conſtantinus legitur in plerisque legum libris, qui hoc tempore nullus fuerat.

e) L. 2. C. de excuſationibus artificum. l. 10. tit. 64.

Digitized by Google

aut ſuperaturum, aut aequaturum certo confiſus: quod metempſychoſi Pythagorica illius in ſe animam tranſiiſſe putaret. Egregius ſimulator fuit: vt lenitate Tito, felicitate Traiano, clementia Antonino, moderatione M. Aurelio, literarum ſtudio ſummis philoſophis exiſtimaretur ſimilis fuiſſe. Etiam prae ſe tantam ferebat auctoritatem: vt hoſtes populi Romani, eo regnante, intra terminos ſe ſuos continerent. Sed omnem laudem, et ſi quae fuerunt praeclarae animi dotes, nefanda ſuperſtitione et peſſimo veritatis odio maculare non veritus eſt. Duo in eius epiſtolis habentur edicta, quorum altero ſcholis Chriſtianos omnes, altero bonis fortunisque interdicit. In homines Chriſto deuotos atque inſontes ferro et flammis quidem graſſari noluit: mentibus vero illorum et ſtudioſae inprimis iuuentuti veritatis nutrimenta et ornamenta eripere quouis modo conatus eſt: ne quis bonis artibus et diſciplinis erudiretur, aut poetas, oratores, optimos philoſophos legeret, ſuosque conuerteret in vſus. *f*) Remouit omnes Chriſtianos quoque ab omni vel ciuili, vel militari dignitate. Eccleſiarum reditus et ſuas cuique facultates eripiens, vtplurimum cauillatus eſt, hoc ſe agere, vt facilius in regnum coelorum veniant. Nam Galilaeum magiſtrum eorum (ita Chriſtum appellare ſolebat) dixiſſe, beatos pauperes: talium enim eſſe regnum coelorum.

f) AMMIANVS MARCELLINVS lib. 22. *illud autem inclemens obruendum perenni ſilentio, quod arcebat docere magiſtros rhetoricos et grammaticos ritus Chriſtiani cultores.* Lib. 25. *Iura condidit non moleſta, abſolute quaedam iubentia fieri, vel arcentia, praeter pauca, inter quae erat inclemens, quod docere vetuit magiſtros rhetoricos et grammaticos Chriſtianos, ne tranſirent a numinum cultu.* Confer. VALESIVS quaeſtionibus Romanis p. 93. ſeqq. et p. 185.

Digitized by Google

Scripſit ipſe, vt imperator eruditiſſimus erat, aduerſus Chriſtianos: quorum doctrinam exagitans, in primis vindictae prohibitiones perſibilauit, eamque priuatam ad publicam detorſit, atque ita affirmauit tolli magiſtratus, iudicia, poenas, bella, neruos denique ſocietatis humanae retinendae omnes. Cum aliquando, omnium nomine oblatam Chriſtianorum accepiſſet apologiam, animo ſatis maligno eam deriſit, et tria ſubſcripſit verba: ἀνέγνων, ἔγνων, κατέγνων, *legi, cognoui, damnaui.* Quibus epiſcoporum reliquorum nomine Baſilius reſpondit: ἀνέγνως, ἀλλ' οὐκ ἔγνως. εἰ γὰρ ἔγνως, οὐκ ἂν κατέγνως. *Legiſti, ſed non cognouiſti. Nam ſi cognouiſſes, non damnaſſes.* Athanaſius, Alexandria iectus, auditoribus ſuis, triſtem abitum lugentibus, dixit: *bono animo eſtote, filii, nubecula eſt mox tranſitura.* Alius vir pietate conſpicuus Libanio ſophiſtae, Chriſtianos ridenti, quos, Perſico finito bello, minatus fuerat ex toto Romano imperio iecturum, et ſe roganti, quid nunc fabrifaceret filius; ligneam, reſpondit, ad mortem imperatoris tui elaborat arcam. Coniectura certe non vana. Perſis bellum ipſe mouet, ac eius cauſſa in Aſiam proficiſcitur. Hic Chriſtianis idolorum ſacra pertinaciter aſpernantibus; Iudaeis contra imperatori morem quoquo modo gerentibus, templum Hieroſolymitanum inſtaurare coepit irrito conatu. Quod, teſtibus non modo Chriſtianis, *g*) verum et ipſis gentilibus, *h*) metuendi flammarum globi, prope fundamenta ſaepius erumpentes, locum fecerunt inacceſſum, et aliquot operantes cum inſtrumentis ſuis

g) SOCRATE l. 3. c. 20. SOZOMENO l. 5. c. 22. RVFINO l. 1. c. 37. NICEPHORO l. 10. c. 32. PHILOSTORGIO l. 7. c. 9. THEODORETO l. 3 c. 20. GREGORIO NAZIANZENO orat. 4. in Iul. CHRYSOSTOMO l. 3. adu. Ind. oper. tom. 1.

h) AMMIANO certe MARCELLINO l. 23. princip.

Digitized by Google

ſuis perdiderunt. Delphicum quoque templum his temporibus fulmine deletum eſt, nec inſtaurari poſtea vnquam potuit. Cum contra Cteſiphontem in ripa Tigridis et Euphratis iam mixti caſtra haberet: dum incautus per agmina errat, excito puluere, ereptus e ſuorum conſpectu, ab obuio hoſtium equite conto per ilia ictus, et inguinum tenus vulneratus, inter nimii ſanguinis effuſionem impiam cunctantem animam efflauit. *i*) Addit NICEPHORVS, *k*) ex vulnere ſanguinem manu concaua hauſiſſe, coelum verſus de ſalute ſua deſperantem conieciſſe, et impia blasphemaque dixiſſe lingua: *viciſti tandem, Galilaee, viciſti.* Sic obiit VI. kalend. Iulias, aetatis anno XXXII. imperii VII. cum rerum potiretur ſolus, anno ſecundo. *l*) Hoc ego ſatis quidem certe ſcio, in recenſendis principum, qui longe ante nos fuerunt, meritis, vt plurimum offendere auctoritatis praeiudicium, et ſanctos eccleſiae patres, bonos aut malos fuiſſe, ſecundum religionis principia et ipſum fauorem, affirmare, quo fuerint ab illis ornati. Pulchrum omnino fateor, imo valde neceſſarium, res natura ſua diſſociatas ſecernere, atque ſingula, vt in ſe ſunt, intueri. Ecquis ierit inficias, vbique locorum et mortalium quibuscunque ordinibus illuſtria extare documenta, ex quibus diſcamus, ineſſe etiam extra lucem illam ſalutarem, quae nobis a Chriſti vultu affulget, in multis non contemnenda diuinitatis ſemina, et omni loco naſci virtutem? Non fuit autem cauſſa PETRO CVNAEO *m*)

i) Vid. RVFI FESTI breuiarium c. 18. AVR. VICTOR de Caeſar. extr. Alius epitom. c. 39. EVTROPIVS l. 10. qui ipſe Iuliani aduerſus Perſas expeditioni interfuit. *k*) Loco ſupra cit. *l*) Vid. praeter auctores ſupra citatos ZOSIMVS l. 3. ZONARAS, et LIBANIVS, doctiſſimus declamator tom. 2. *m*) Praefatione in Iuliani Caeſares, quos Latine vertit. Editi iam tum preſtant cum

et aliis *n*) Iulianum ſummis laudibus ad coelum euehendi, vt omni modo commendarent eum *laudatiſſimum principem, quem natura omnibus ornatum rebus excellere voluerit.* Recte inita rerum quarumque geſtarum ratione, quoties ſecum aliquis agitat, qualem quantumque eſſe oporteret, qui ſummum inter homines teneret faſtigium: nunquam eius certe, quam Cunaeus prae ſe ferre non veretur, animum ſubire poterit tanta Iuliani veneratio: vt maior in eo atque altior ſpiritus eſſe videretur, quam vt cum cetera imperatorum plebe in ordinem cogi poſſit. Immerito plane CVNAEVS *o*) *eſt quidem*, inquit, *haud exigua res, ab eruditione et ſapientiae nutricibus literis aliquod decus trahere: verum haec vmbratici hominis magis, quam principis laus eſt.* - - Iulianus, *quod paucis fuit quodam deorum munere conceſſum, virtutes diſpares prudentia iunxit, et cum ne in caſtris quidem, interque clangentes tubas philoſophum exueret, aut a prioris vitae recederet conſuetudine, tamen manu ſtrenuus omnibus affuit locis, ſucceſſibusque ſuis inſtitit, et oblata caſu flexit ad conſilium.* Quam ille ſtrenuus fuerit miles, qui armis et conſilio res didicerit peragere feliciter, aduerſa illi teſtantur plurima apud AMMIANVM MARCELLINVM: *p*) atque in primis, *q*) quod exuſtas temere voluerit eſſe naues, omnium fere malorum, quae ſecuta ſunt, cauſſam. Multo vero minus potuit

Nicol. Rigaltii funere paraſitico, Iuſti Lipſii ſatyra Menippaea, et P. Cunaei Sardis venalibus, Lugduni Batauorum 1620. 12. Contrarium vero oſtendit PETAVIVS praefatione Caeſarum eorundem Iuliani, quos cum reliquis operibus edidit. Quem et RVPERTVS ſequitur obſeruat. ad ſynopſin Beſoldi pag. 437. ſeqq. Confer BOSCLERI bibliographia critica p. 58. ſeq.

n) LEVNCLAVIVS in apologia pro ZOSIMO. ARNOLDVS hiſt. eccleſ. et haeret. l. 4. c. 1. *o*) L. c. *p*) Hiſt. l. 21. *q*) Ibid. l. 24.

Digitized by Google

potuit esse philosophus, nedum, vt Cunaei verba facerem mea, vitam semper in sapientiae et optimarum rerum studiis egisse: qui cognita et neglecta, imo turbata veritatis et sapientiae scaturigine, iam tum superstitiosissimis hominibus satis suspectum idolorum studuit instaurare cultum. Quod ipse Cunaeus diffiteri non potuit. *Scio*, inquit, *et doleo medius fidius, fuisse illum religionis nostrae, cui semel sese addixerat, desertorem atque hostem. Turpe profecto facinus, et quod furiarum vltricibus poenis multandum haud negamus.* Haeccine stulta sapientia est, non sapere sibi, et meridiana luce ad summum dedecus, et ingens populi sui detrimentum, quam lubentissime caecutire, atque adeo *πρὸς κέντρα λακτίζειν, aduersus clauos calcitrare?* r) Quae, obsecro, virtus? quae innocentia? vt Cunaeus, Iulianum cum ceteris principibus Graecis Romanisque componens, asserere non dubitauerit, illorum omnium virtutes ita superauisse, vt quae singulis partitim contigere, eas vnus hic habuerit vniuersas. *Rarissimam enim*, addit, *rem, et prope inuidendam, magno studio concupiuit, innocentiam, et (sine inuidia dixerim) assecutus est.* Caesarum, fateor, ante se omnium vitia notasse illa quidem satis elegante satyra, et iudicem quasi de tota antiquitate sedisse: num vero ipse virtutibus istos, censuram agens regnantium, superauerit, aliis iudicandum relinquo. Eloquentiae studiosissimus fuit: si quae sine sapientia potest esse eloquentia. Nemo certe magis sophistas sui temporis coluit; nemo avidius est imitatus; nemo familiarius cum iisdem vixit. Hinc et epistolas, et alia opera, quae profecto ad omnem, pro illorum temporum genio, elegantiam sunt facta, non scribarum, vt mos alioqui est principum, sed sua manu concinnauit.

r) Actor. IX. 5.

nauit. *s*) Et artium magiſtros decenti voluit eſſe facundia inſtructos.

§. XLIV.

Quamprimum ergo factus eſt imperator Auguſtus, Spoleti, XV. kalend. Iulii, Mamertino et Neuitta coss. ita reſcripſit: *t*) *Magiſtros ſtudiorum doctoresque excellere oportet moribus primum, deinde facundia. Sed quia ſingulis ciuitatibus adeſſe ipſe non poſſum: iubeo, quisquis docere vult, non repente, nec temere proſiliat ad hoc munus, ſed iudicio ordinis probatus, decretum curialium mereatur, optimorum conſpirante conſenſu.* Ipſum inter eruditiſſimos fuiſſe, notauimus ſupra. Teſte AVR. VICTORE, *v*) *fuerat in eo literarum ac negotiorum ingens ſcientia. Aequauerat philoſophos et Graecorum ſapientiſſimos.* Conſentit omnino EVTROPIVS, *x*) qui expeditioni eius aduerſus Perſas interfuit. Is enim de eo *liberalibus*, inquit, *diſciplinis apprime eruditus, Graecis doctior, atque adeo, vt Latina eruditione nequaquam cum Graeca ſcientia conueniret. Facundia ingenti, et pronta, memoriae tenaciſſimae, in quibusdam philoſopho propior.* Eruditionis monumenta edidit plurima, quae ex SVIDA recenſet G. I. VOSSIVS: *y*) et quaedam hodie magno in pretio habentur. Extat elegantiſſimus liber, quem καίσαρας, *Caeſares*, inſcripſit: non quod Caeſarum vitas contineat; ſed vitia eorum vt plurimum perſtringat. Eſt enim in Caeſares priores, ſatyra, et in libris veteribus χρόνια, *ſaturnalia*, et συμπόσιον in-

s) Confer. MORHOFIVS polyhiſt. liter. l. 6. c. 2. §. 18. *t*) L. 7. C. de profeſſoribus et medicis. Et codice Theodoſiano, eodem titulo l. 5. *v*) Epit. c. 39. *x*) Lib. 10. *y*) De hiſtoricis Graecis l. 2. c. 18. init. Confer. MORHOFIVS polyhiſt. liter. l. 3. c. 2. §. 18.

Digitized by Google

inſcribitur. z) Extant porro quaedam eius orationes et epiſtolae, miſipogon aduerſus Antiochenos, περὶ βασιλείας, ſiue *de regno* liber, et ὕμνος εἰς βασιλέα ἥλιον, *canticum in ſolem regem*. Iuliani opera Graece et Latine edidit Carolus Cantoclarus Pariſiis 1583. 8. Longe auctiora dedit, ac denuo vertit, notis etiam inſtruxit doctiſſimis Dionyſius Petauius Pariſiis 1630. 4. Cuius diligentiam ſuperauit tandem Ezechiel Spanhemius pleniſſima editione Lipſienſi 1696. folio. *a*) Separatim Iuliani Caeſares prodierunt Gothae ex officina Reyheriana 1736. 8. cum integris annotationibus aliquot doctorum virorum, et ſelectis Ezech. Spanhemii, interpretatione Latina et Gallica, additis imperatorum nummis, ex inſtituto et bibliotheca Chriſtiani Sigiſm. Liebe. Accedit Sponii diſſertatio de vſu nummorum in phyſiognomia, et vita Iuliani. Recenſuit, cum codice MSto Auguſtano editisque omnibus contulit, variantes lectiones, obſeruationes et indices adiecit Ioh. Michael Heuſinger. *b*) FRANC. BALDVINO teſte, *c*) extant adhuc Romae in Vaticana bibliotheca Graecae Iuliani Apoſtatae orationes, quibus impius et diſertus conuiciator in Conſtantinum debacchatur. Sunt vero etiam illis adiunctae calumniarum confutationes, ab Artemio Viro Clariſſimo, qui dux militiae fuit ſub Conſtantino, ſcriptae. AMMIANVS MARCELLINVS item teſtatur, Iulianum Conſtantini memoriam, vt nouatoris turbatorisque pri-

z) Male. Satis enim e SVIDA nouimus, aliud plane a Caeſaribus ſcriptum Iuliani κρόνια fuiſſe. *a*) Iuliani imperatoris apoſtatae opera Gr. et Latine, item Cyrilli Alexandrini contra Iulianum libri x. cum notis Dionyſii Petauii et Ezechielis Spanhemii.

b) Confer. Leipz. neue Zeitungen von gelehrten Sachen 1736. pag. 732. *c*) Conſtantino Magno pag. edit. Gundlingianae 94.

priſcarum legum, et moris antiquitus recepti, multis conuiciis vexaſſe.

§. XLV.

CCCLXIII. Extincto Iuliano et circumfuſis vndique hoſtibus IOVIANVS eligitur imperator, qui domeſticorum ordinis fuerat primus, pātris, quam ſua, virtute illuſtrior. Is enim Varronianus ordinum comes, agri Syngidonenſis, quem hodie Segedinum vocant, in Pannonia ciuis, qui non ita pridem, onere depoſito militiae, ſemet tranquillitati dederat emeritus, et auitos coeperat colere agros. Ille vero principatum vix iniit, cum ipſi et populo maxima calamitas immineret. Nam in caſtris Romanis tum erat fames et rerum omnium penuria. Perſarum rex Sapor autem victoria et Iuliani obitu elatus a tergo agmen vrgebat. Adeo ſemper aucta inter abeundum trepidatione, foedus tandem Iouianus cum Sapore iniit. Quinque prouinciae trans-Tigridanae, quas Galerius occupauerat, Perſis reſtitutae, et cum his Syngara et Niſibis, vrbes ampliſſimae, et pars Meſopotamiae, ſola Cteſiphonte ſeruata. Atque etiam pacis illius conditione Arſaci, Armeniae regi, fideliſſimo populi Romani ſocio et amico, contra Perſas auxilia non ferenda. Hinc longe maximum imperatori concitatum eſt odium: vt redux, vel tranſitu, cantionibus libellisque famoſis derideretur, in quibus et haec erant: *veniſti e bello: vtinam ibi periiſſes:* et δύσπαρι, *forma praeſtantiſſime:* et alia, quae SVIDAS *d*) commemorat. Etiam anum quandam refert, cum pulchritudinem et proceritatem imperatoris conſpicata eſſet, ex-

d) In Ἰοβιανός. Plur. confer. AMMIANVS MARCELLINVS l. 25 ZOSIMVS l. 3. SOZOMENVS l. 6. c. 6. SOCRATES l. 3. c. 22. OROSIVS l. 7. c. 31. AVR. VICTOR epitom. c. 40. EVTROPIVS l. 10. EXIT. NAZIANZENVS oration. de Iouiano imperatore.

exclamaſſe: *quanta longitudo eſt, et profunditas, tanta eſt ſtultitia.* Sed pacis turpitudo, et res infeliciter geſtae, ad Iulianum potius referendae ſunt, qui maiori fiducia, quam conſilio, exercitum eduxit. Noſter octauo imperii nondum expleto menſe, noctu Dataſtenae in cubiculo ſuo exanimatus inuentus eſt, quod recens fuerat illitum calce. Vnde ſuffocatum eſſe creditur. Inſidias alii non obſcure innuunt. Breue licet Iouiani fuerit imperium, et nihil fere potuerit agere laude dignum: celebrant tamen et laudant eccleſiaſtici ſcriptores, quod, orthodoxus cum eſſet, magna cura et ſollicitudine res ſacras et epiſcopos exulantes complexus ſit; Athanaſium ab exilio reuocarit, partem bonorum eccleſiis reſtituerit, quae Iulianus ademerat, atque etiam idolorum templa iuſſerit claudi. Secundum THEODORETVM *e) vir clarus ac nobilis, egregiis facinoribus celeber, corpore ingens, animo excelſo, in bello et grauibus certaminibus ſemper victor, fidem Nicaenam ſequebatur.*

§. XLVI.

CCCLXIV. Iouiano extincto, poſt decem dierum interregnum, VALENTINIANVS, non adeo claris parentibus e Pannonia oriundus, ſcutariorum militum tribunus, imperator factus eſt, qui altero poſt menſe fratrem VALENTEM imperii et laborum conſortem eſſe voluit, ita quidem vt hunc orienti praeficeret Auguſtum Conſtantinopoli reſidentem: ipſe vero Italiam et occidentem verſus prouincias omnes gubernandas ſumeret, et imperii ſui ſedem Mediolanum faceret. *f)* Anno imperii tertio filium ſuum GRATIANVM, nouem annorum, appellauit Auguſtum. Fuit Valentinianus catholicus, Valens contra Arianus et catholicorum acerrimus perſecutor

R 2

e) Hiſt. eccleſ. l. 4. c. 1. *f)* Vid. ARTOPOEVS de ſummis orbis imperiis diſſert. 7. §. 6.

Digitized by Google

cutor in ditionibus ſuis. Valentiniano multum negotii fuit cum Alemannis, Galliae incumbentibus, quos aegerrime repreſſit. Prima tunc temporis mentio facta eſt Saxonum, quibus truculentior nullus hoſtis. Hos dicitur non robore tantum et audacia, verum etiam conſilio et arte viciſſe. Obuiam illi eundum graſſantibus vbique Sarmatis, Quadis, aliis Germaniae populis, qui magna vi in Rom. prouincias irruebant. Imperii tandem anno duodecimo, aetatis LV. cum apud Brigionem oppidum, quod Brega Sileſiae eſſe exiſtimatur, Quadorum latrocinia excuſantium legationi reſponderet, ſubito incenſus ira, illos magna vocis contentione obiurgans, vel apoplexia, vel ſanguinis vomitu anno Chriſti CCCLXXV. periit. Dicitur in omni vita fuiſſe vehemens, ſeuerus, infeſtus vitiis, praeſertim auaritiae, animo grauis, ingenio ſolers, moribus Aureliano ſimilis, ſermone cultiſſimus, et tamen ad loquendum parcus. Hadriano etiam in his proximus, quod pingere ſciret venuſtiſſime, et ſimulacra e cera aut limo fingere. Valens in oriente cum Perſis, mox cum Iſauris, Hunnis, Scythis, Gothis varia bella geſſit. Tandemque aduerſus Gothos pugnans anno Chriſti CCCLXXVIII. imperii XIV. aetatis L. in tugurio combuſtus, nec vſquam deinde repertus eſt *g*)

§. XLVII.

Valentiniani et Valentis, Caeſarum Auguſtorum, in hanc ſententiam extat reſcriptum: *h*) *Medicis et magiſtris vrbis Romae ſciant omnes immunitatem eſſe conceſſam: ita*

g) Vid. AMMIANVS MARCELLINVS l. 26. ſeqq. ZOSIMVS l. 4. SOZOMENVS l. 6. SOCRATES l. 4. AVR. VICTOR epitom. c. 41. OROSIVS l. 7. c. 32. PAVLLVS DIACONVS hiſtoria miſcella, ſiue de geſtis Roman. ad Eutrop. addito l. 11. init.

h) Codice Theodoſiano de profeſſoribus et medicis.

Digitized by Google

ita vt etiam vxores eorum ab omni inquietudine habeantur immunes, et ceteris oneribus publicis vacent: eosdemque ad militiam minime comprehendi placeat: ſed nec hoſpites militares recipiant. De philoſophis autem Sirmii XIV. kalend. Februarii, Valentiniano et Victore coss. ad Mamertinum ita reſcripſerunt: *i) Reddatur vnusquisque patriae ſuae, qui habitum philoſophiae indebite et inſolenter vſurpare cognoſcitur: exceptis his, qui a probatiſſimis approbati, et ab hac debent colluuione ſecerni. Turpe enim eſt, vt patriae functiones ferre non poſſit, qui etiam fortunae vim ſe ferre profitetur.* Hoc tempore Caeſares inſignem diſciplinae academicae inſtaurandae curam ſuſceperunt circa annum reparatae ſalutis CCCLXX. Et notatu digniſſimum hoc eſt ad Olybrium, praefectum vrbis, Valentiniani, Valentis, et Gratiani, Caeſarum, qui ſimul rerum potiebantur, reſcriptum de iis, qui ſtudiorum gratia Romam mitterentur. *k) Quicunque ad vrbem diſcendi cupiditate veniunt, primitus ad magiſtrum cenſus prouincialium iudicum, a quibus copia eſt danda veniundi, eiusmodi literas proferant, vt oppida hominum, et natales, et merita expreſſa teneantur. Deinde, vt in primo ſtatim profiteantur introitu, quibus potiſſimum ſtudiis operam nauare proponant. Tertio, vt hoſpitia eorum ſollicite cenſualium norit officium, quo ei rei impertiant curam, quam aſſeruerint expetiſſe. Iidem immineant cenſuales, vt ſinguli eorum tales ſe in conuentibus praebeant, quales eſſe debent, qui turpem inhoneſtamque famam et conſociationes, quas proximas putamus eſſe criminibus, aeſtiment fugiendas: neue ſpectacula frequentius adeant, aut appetant vulgo in-*

i) L. 8. C. de profeſſoribus et medicis. *k*) Codice Theodoſiano l. 14. tit. 9. Et apud CONRINGIVM de antiquit. acad. diſſert. 6. pag. 171. et FALSTERVM quaeſtionibus Romanis p. 97.

tempeſtiua conuiuia. Quin etiam tribuimus poteſtatem, vt ſi quis de his non ita in vrbe ſe geſſerit, quemadmodum liberalium rerum dignitas poſcat, publice verberibus affectus, ſtatimque nauigio ſuperpoſitus abiiciatur vrbe, domumque redeat. His ſane, qui ſedulo operam profeſſionibus nauant, vſque ad viceſimum aetatis ſuae annum Romae liceat commorari. Poſt id vero tempus, qui neglexerit ſponte remeare, ſollicitudine praefecturae etiam inuitus ad patriam reuertatur. Verum ne haec perfunctorie fortaſſe curentur, praecelſa ſinceritas tua officium cenſuale commoneat, vt per ſingulos menſes, qui, vel vnde veniant, quiue ſint pro ratione temporis ad Africam, vel ad ceteras prouincias remittendi, breuibus comprehendat. His duntaxat exceptis, qui corporatorum ſunt oneribus adiuncti. Similes autem breues etiam ad ſcrinia manſuetudinis noſtrae annis ſingulis dirigantur: quo meritis ſingulorum inſtitutionibusque compertis, vtrum quandoque nobis ſint neceſſarii, iudicemus.

§. XLVIII.

CCCLXXV. Valentiniano filius ſucceſſit GRATIANVS, ille pridem a parente Auguſtus nominatus, qui et fratrem VALENTINIANVM II. imperii ſtatim conſortem fecit. Orientem vero patruus VALENS tenebat. Initia imperii laeta erant patriae et religioni. Nam Alemannos, prouinciis graues, ad Argentoratum ingenti proelio vicit. Et tranquillitate in illis regionibus reſtituta, Valenti patruo aduerſus Gothos affuturus in orientem profectus eſt anno CCCLXXVIII. Sed antequam illi ſe coniungeret, victus Valens periit. Quo defuncto, per totum illius imperium orthodoxos ab exilio reuocauit, damnis quibuscunque compenſatis, et prorſus excluſis ab eccleſia Eunomianis, Photinianis, et Manichaeis haereticis. Primus Chriſtianae

Digitized by Google

nae religionis intuitu pontificis maximi ſtolam accipere noluit: cum omnes ante eum principes, etiam Chriſtiani, pontifices maximi fuerint. Quoniam vero Gothi Thraciam Daciamque poſſidebant. Simul atque ab Hunnis et Alanis extremum Romanis periculum imminebat: accitum ex Hiſpania THEODOSIVM, ingentis animi et pietatis virum, quod plurima et longe maxima eius eſſent merita, magiſtrum fecit militum, et cum ſelecta manu aduerſus barbaros miſit. Quos cum feliciter in Thracia repreſſiſſet: ipſum Auguſtum nominatum Thraciae et orienti anno CCCLXXIX. praefecit. Gratianus e Pannonia reuerſus in Galliam, remp. negligens ludis ac venationibus nimium indulget. Alanos etiam, quos ſibi poſt obitum patrui conciliauit, militibus Romanis praeferre non veretur. Imo illis ipſe moribus et habitu placere ſtudet. Hinc ſuorum incurrit odium: vt, cum Maximus dux Romani exercitus, qui iam tum in Britannia tyrannidem arripuerat, Galliam ex improuiſo adoriretur, legiones pene omnes a Gratiano deficerent et Maximum amplecterentur. Cuius inſidiis apud Lugdunum in Gallia periit anno Chriſti CCCLXXXIV. imperii poſt obitum parentis IX. aetatis XXV. *l*) Gratianus eruditiſſimus fuerat princeps, optimis literis ab ineunte aetate haud mediocriter inſtitutus. Praeceptorem Auſonium habuerat, a quo carmina didicit eleganter ſcribere, ornate loqui, et rhetorum more controuerſias explicare. *m*) Hinc et AVR. VICTOR *n*) Gratianum teſtatur cunctis bonis plenum fuiſſe futurum, ſi reſp. illi curae magis

l) Videantur auctores ſupra citati omnes, quibus accedit AVSONIVS in gratiarum actione ad Gratianum pro conſulatu.

m) Confer. VOSSIVS de poetis Latinis pag. 55. *n*) Epitom. c. 43. Quae totidem verbis PAVLVS DIACONVS ad Eutropii Hiſtoriam addito l. 13. extr. exſcripſit.

gis cordique fuiſſet. Extat eius ad Ambroſium, Mediolanenſem Epiſcopum, *o*) ſcripta epiſtola, quo profitetur, ſe amplecti ſymbolum Nicaenum, et epiphonema in fine addit, eloqui ſe de Deo rebusque diuinis, non quantum debeat, ſed quantum poſſit: ſic tamen, vt confeſſionem ſuam ſperet ad normam verbi diuini congruere.

§. XLIX.

Habemus Valentis et Gratiani, imperatorum, ad praefectum praetorio Galliarum reſcriptum ſequens: *p*) *Per omnem dioeceſin commiſſam magnificentiae tuae, frequentiſſimis in ciuitatibus, quae pollent et eminent claritudine praeceptorum, optimi quique erudiendae praeſideant iuuentuti. Rhetores loquimur et grammaticos Atticae et Romanae doctrinae. Quorum oratoribus viginti quatuor annonarum e fiſco emolumenta donentur. Grammaticis Latino et Graeco duodecim annonarum deductior paulo numerus ex more praeſtetur. Vt ſingulis vrbibus, quae metropoles nuncupantur, nobilium profeſſorum electio celebretur. Nec vero iudicamus, liberum vt ſit cuique ciuitati ſuos doctores et magiſtros placito ſibi iuuare compendio. Treuirorum vero clariſſimae ciuitati vberius aliquid putauimus deferendum: rhetori vt triginta, item viginti grammatico Latino, Graeco etiam, ſi qui dignus reperiri potuerit, duodecim praebeantur annonae.* Annona, quae optimis ſcriptoribus frumentum eſt fructusque annuus agrorum, certa videtur eſſe portio atque menſura annonae. Neque ex ea conſtitutione obſcurum eſt, ſcholam in qualibet Galliae metropoli fuiſſe publicam, imperatorum liberalitate ornatam: atque in illis maxime rhetores atque

o) Qui et ſuos de fide orthodoxa libros ad Gratianum imperatorem ſcripſit. *p*) Codice Theodoſiano lib. 13. tit. 3. de medicis et profeſſoribus l. 11.

Digitized by Google

atque grammaticos docuiſſe. Minime vero inde patet, vt CONRINGIVS *q*) opinatur, nullos in illis philoſophiae, medicinae, iuris, aut theologiae magiſtros fuiſſe: vtut non omnes iisdem potuerint gaudere commodis.

§. L.

CCCLXXXIV. Extincto Gratiano rerum in occidente potitur VALENTINIANVS II. qui cum fratre illo ſuo iam tum anno CCCLXXV. imperii particeps fuit, admodum adoleſcens. Poſtquam Cl. Maximus tyrannus in Gallia Gratianum peremit: ipſe Valentinianus eundem habuit hoſtem, qui vel Arianiſmi cauſſa, quem Iuſtina, imperatoris mater, fouebat, exitium illi quoque minabatur. Bis ergo ad tyrannum legatione Ambroſius functus eſt: vt corpus Gratiani repeteret, et imperatoris nomine foedus cum illo pangeret. Fruſtra. Neque enim longe poſt, imperator, inſidiis pluribus ſuperatis, Italia eiicitur: vt fuga ſalutem in oriente apud Theodoſium quaereret: qui anno CCCLXXXVIII. Maximum prope Aquileiam captum occidi iubet, vna cum filio Victore, quem Maximus Nobiliſſimum et Imperatorem nuncupatum Galliae praefecerat. Et Andragathius, Maximi ſocius, qui Gratianum interfecerat, de illius caede certior factus, in mare ſe praecipitem dedit. Valentinianus ita in occidentis imperium reſtitutus, poſt eam victoriam cum Theodoſio Romam proficiſcitur, et pulcherrimum agit triumphum. Theodoſius Conſtantinopolin reuertit. Valentinianus in Galliam ſe contulit, tandemque Viennae anno CCCXCII. ab Arbogaſte Franco, qui militum beneuolentia munitus imperatori grauis eſſe coeperat, noctu in cubiculo ſuo ſtrangulatus

q) De antiquit. academ. diſſert. 1. pag. 17.

tus est atque suspensus, vt semetipsum interfeciſſe videretur. r)

§. LI.

Extat Theodosii et Valentiniani II. rescriptum ad Theophilum, praefectum vrbis, quod Tribonianus ita retulit: s) *Grammaticos tam Graecos, quam Latinos, sophistas, et iurisperitos in hac regia vrbe professionem suam exercentes, et inter statutos connumeratos, si laudabilem in se probis moribus vitam esse monstrauerint, si docendi peritiam, facundiam dicendi, interpretandi subtilitatem, copiamque differendi se habere patefecerint, et coetu amplissimo iudicante digni fuerint aestimati: cum ad viginti annos obseruatione iugi ac sedulo docendi labore peruenerint, placuit honorari, et his, qui sunt ex vicaria dignitate, connumerari. Dat. id. Mart. Constantinopoli Theodosio A. XI. Valentiniano Caes. coss.* In eandem sententiam eorundem imperatorum ad Theophilum codice Theodosiano t) rescriptum legitur: *Grammaticos Graecos Helladium et Syrianum, Latinum Theophilum, Sophistas Martinum et Maximum, Jurisperitum Leontium, placuit honorari codicillis comitiuae ordinis primi iam nunc a nostra maiestate perceptis, ita vt eorum qui sunt ex vicariis dignitate potiantur. Qua in re quicunque alii ad id doctrinae genus, quod vnus quisque profitetur, ordinentur; si laudabilem in se probis moribus vitam esse monstrauerint, si docendi peritiam, facundiamque dicendi, interpretandi subtilita-*

r) ZOSIMVS l. 4. extr. Auctores supra citati. AMBROSIVS funebri oratione de obitu Valentiniani. Hic plurimas etiam ad eum epistolas scripsit. s) Lege vnica C. de professoribus, qui in vrbe Constantinopolitana docentes ex lege meruerunt comitiuam. l. 12. tit. 15. t) Lib. 6. tit. 21. confer. CONRINGIVS antiquit. acad. dissert. 6. pag. 168.

Digitized by Google

tilitatem, copiamque diſſerendi ſe habere patefecerint, et coetu ampliſſimo iudicante digni fuerint aeſtimati, qui in memorato auditorio profeſſorum fungantur officio: hi quoque cum ad viginti annos obſeruatione iugi ac ſedulo docendi labore peruenerint, iisdem, quibus praedicti viri, dignitatibus perfruantur. Reſcripſerunt quoque Conſtantinopoli III. kalend. Mart. Theodoſio Auguſto XI. et Valentiniano coss. de ſtudiis liberalibus vrbis Romae et Conſtantinopolitanae: *x) Vniuerſos, qui vſurpantes ſibi nomina magiſtrorum, in publicis magiſtrationibus cellulisque collectos vndecunque diſcipulos circumferre conſueuerunt, ab oſtentatione vulgari praecipimus amoueri: ita vt ſi quis eorum poſt emiſſos diuinae ſanctionis effatus, quae prohibemus atque damnamus, iterum forte tentauerit, non ſolum eius, quam meretur, infamiae notam ſubeat, verum etiam pellendum ſe ex ipſa, vbi verſatur illicite, vrbe cognoſcat. Illos vero, qui intra plurimorum domos eadem exercere priuatim ſtudia conſueuerunt, ſi ipſis tantummodo diſcipulis vacare maluerint, quos intra parietes domeſticos docent, nulla huiusmodi interminatione prohibemus. Sin autem ex eorum numero fuerint, qui videntur intra Capitolii auditorium conſtituti: hi omnibus modis priuatarum aedium ſtudia ſibi interdicta eſſe cognoſcant: ſcituri, quod ſi aduerſus coeleſtia ſtatuta facientes deprehenſi fuerint, nil penitus ex illis priuilegiis conſequantur, quae his, qui in Capitolio tantummodo docere praecepti ſunt, merito deferuntur. Habeat igitur auditorium ſpecialiter noſtrum in his primum, quos Romanae eloquentiae doctrina commendat, oratores quidem tres numero, grammaticos vero decem. In his etiam qui facundia grauitatis pollere noſcuntur, quinque numero ſint ſophiſtae, et grammatici aeque decem. Et*

x) Codicis Iuſtinianei l. 11. tit. 18.

quoniam non his artibus tantum adoleſcentiam glorioſam optamus inſtitui: profundioris quoque ſcientiae atque doctrinae memoratis magiſtris ſociamus auctores. Vnum igitur adiungi ceteris volumus, qui philoſophiae arcana rimetur; duos quoque, qui iuris ac legum voluntates pandant: ita vt vnicuique loca ſpecialiter deputata aſſignari faciat tua ſublimitas: ne diſcipuli ſibi inuicem poſſint obſtrepere, vel magiſtri: neue linguarum confuſio permixta, vel vocum, aures quorundam, aut mentes a ſtudio literarum auertat.

§. LII.

CCCXCII. Rerum in occidente potitus eſt THEODOSIVS *Magnus* a rebus geſtis nominatus, orientis imperator, dignus certe, qui inter optimos principes numeretur. Genere Hiſpanus fuit, ſuamque a Traiano originem duxit, cui corpore, moribus, felici rerum ſucceſſu, haud diſſimilis. Hinc etiam gentes barbarae, quae ante imperio inſultabant, pacem ab eo petebant ſupplices, eiusque gratiam muneribus ſibi conciliare ſtudebant. Arbogaſtus, qui Valentinianum II. oppreſſerat, iuncto ſibi Eumenio, magnae ob eloquentiam auctoritatis viro, quem ex grammatico imperatorem fecit, Alpium inſidet anguſtiis, Theodoſium Italiae acceſſu prohibiturus. Hic vero exercitum intra fauces Alpium duxit, ac proelio acerrimo, quanquam numero militum longe inferiori, hoſtes vicit CCCXCIV. pugnantibus etiam pro eo ventis, qui ſponte hoſtibus contrarii proruperant, atque ſagittas et tela omnia in iſtos retorquebant. Qua de re elegantes CLAVDIANI *x*) ſunt verſus:

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Aeolus armatas acies, cui militat aether,
Et coniurati veniunt ad claſſica venti.

Euge-

x) Paneg. de 3. conſul. Honorii v. 95.

Eugenius captus et ante pedes Theodosii prostratus veniamque petens, a militibus capite truncatus est. Arbogastus sua se iugulauit manu. Victor incomparabili gloria potitus, amplissimo liberati orbis triumpho, subactis vbique locorum tyrannis, duos filios imperii consortes facit, Arcadium orienti, et Honorium occidenti praefectum: quibus, quod aetate minores essent, duces ac moderatores quasi addidit, Arcadio Ruffinum, Honorio Stiliconem. Ipse, quod reliquum erat vitae, Mediolani exegit, vbi templum aliquando ingressus, vt Deo solueret vota, ab Ambrosio exclusus est, quod seditione quadam Thessalonicae orta, promiscue in vulgus saeuire iussisset. Aliquot enim eo missis cohortibus, septem ciuium millia trucidata fuerant. Sed cum instaret dies festus Christi natalis, in ecclesiam Ambrosius eum recepit poenitentem. THEODORETVS y) factum hoc describens subiungit tandem: *tali tantaque virtute et pontifex, et imperator erant illustres. Nam vtrumque ego admiror, illius quidem libertatem, huius vero obedientiam; itemque feruoris flammas illius, et huius fidei puritatem.* Fuit alioqui Theodosius princeps pius, et incomparabilis Christianae religionis fautor. Omnia fana claudi voluit. Idolorum cultum prohibuit. Sacrificia publicis fieri sumtibus prohibuit, atque ita primus idololatriae alimenta subtraxit. Omnia etiam Romae lupanaria sustulit. Mortuus est anno Christi cccxcv. imperii xvii. aetatis. l. z) Vt ipse iuuenis olim ab excellentissimis magistris bene doctus fuit, Arcadium et Honorium,

y) Lib. 5. z) Vid. ZOSIMVS, SVIDAS, PAVLI DIACONI historia miscella, THEODORETVS, SOCRATES, SOZOMENVS, AVGVSTINVS de ciuitate Dei l. 5. c. 26. AMBROSIVS laudatione funebri Theodosii, et epistolis, SYMMACHVS epistolis,

norium, filios ſuos, *a*) quoque voluit accurata Arſenii, Romani diaconi, diſciplina imbui, non vt Caeſares, verum vt diſcipuli; adeo quidem, vt verberibus etiam exciperentur, ſi quid deliquiſſent. Theodoſius aliquando ingreſſus ſcholam, cum, ſedentibus filiis, ſtantem conſpexiſſet docere praeceptorem: mutauit conſuetudinem, filiosque ſtantes iuſſit auſcultari Arſenio ſedenti. *b*) Epiſtola vero eius notatu longe digniſſima eſt, qua ſummam cum in ceteros doctrina et eruditione illuſtres viros, tum in Auſonium poetam et praeceptorem ſuum, quem ideo parentem vocat, beneuolentiam teſtatur, ſuamque optimis literis proficiendi cupiditatem demonſtrat. Epiſtola, vulgo Auſonii operibus praemiſſa, ſic ſe habet: *c*) *Theodoſius Auguſtus Auſonio parenti ſalutem. Amor meus, qui in te eſt, et admiratio ingenii atque eruditionis tuae, quae multo maxima ſunt, fecit, parens iucundiſſime, vt morem principibus aliis ſolitum ſequeſtrarem, familiaremque ſermonem autographum ad te transmitterem, poſtulans pro iure, non quidem regio, ſed illius priuatae inter nos caritatis, ne fraudari me ſcriptorum tuorum lectione patiaris. Quae olim mihi cognita, et iam per tempus oblita, rurſum deſidero: non ſolum, vt, quae ſunt nota, recolam; ſed vt ea, quae fama celebri adiecta memorantur, accipiam. Quae tu de promtuario ſcriniorum tuorum, qui me amas, libens imper-*

a) Honorium vero cum Arcadio ſimul Arſenii diſciplinae tradidiſſe, valde dubito, qui IIIX. prope annis minor. *b*) IOH. CLVVERI hiſtor. totius mundi epitom. p. m. 355. BAYLE dictionaire v. *Arſenius* p. 351. Neu-vermehrtes hiſtoriſch- und geographiſches lexicon v. *Arſenius* p. 268. *c*) Haec epiſtola immerito criticis quibusdam ſuſpecta, et ſatis quidem abſurde a CASP. BARTHIO Aduerſ. l. 12. c. 12. et l. 58. c. 3. Aſcenſio tribuitur. Confer, FABRICIVS biblioth. Lat. vol. 1. p. 584.

Digitized by Google

impertiare, ſecutus exempla auctorum optimorum, quibus par eſſe meruiſti, qui Octauiano Auguſto, rerum potienti, certatim ſua opera tradebant, nullo fine in eius honorem multa condentes. Qui illos, haud ſciam, an aequaliter, ac ego te, admiratus ſit, certe non amplius diligebat. Vale, parens.

§. LIII.

cccxcv. Theodoſio rebus humanis exemto, cum robore et dignitate imperii Romani, Latina lingua non tam ſeneſcere, aut ſenectutis quibusdam vitiis laborare, ſed decrepita imbecillitate prorſus titubare coepit: neque principum, ad impendentem malorum tempeſtatem ſuſtinendam, ſatis aut neruorum, aut animi fuit. Filios enim Theodoſius Magnus poſt fata imperatores reliquit minores, ARCADIVM, duodeuiginti annorum, in oriente, HONORIVM, decem annorum, in occidente, vtrumque tot tantisque rebus adminiſtrandis parum idoneum, vtrumque, etiam cum eſſent grandiores, vecordem, ſuisque deliciis indulgentem magis, quam de rep. miſere vbique locorum affecta, ſolicitum. Inſignis tutorum Ruffini et Stiliconis erat improbitas, qui infirma imperatorum, ſuae fidei commendatorum aetate, ipſi animum certatim ad inuadendum imperium per omnia ſcelera perfide contulerant. Non numeranda erat Gothorum copia, qui ſuperiorum imperatorum indulgentia recepti, honoribusque militaribus, excluſis veteribus Romanis, ornati, eo inſolentiae venerunt, vt non iam ſeruire, ſed dominari, et commoda occaſione, quam ipſis ducum praebebat diſcordia, in prouincias irrumpere conſtituerent. Non dicam in oriente quid egerint: ſub initium ſeculi poſt Chriſtum natum quinti Alaricus, Gothorum rex, cum per quinquennium Graeciam direptionibus et flagitiis foedaſſet,

foedaſſet, in Dalmatiam tandem Pannoniamque tranſiit. Inde per Noricum ſaltumque Tridentinum Italiam ipſam ingreſſus eſt, et, Pado traiecto, Honorium ad Aſtam, Liguriae vrbem, obſidione cinxit. Ex ea difficultate Stilico imperatorem explicaturus, ſubito legiones, ad Gallicos Britannicosque limites diſpoſitas, coegit, ac ſigna in Gothos auerſa direxit. Pugna in ipſo paſchatis feſto committitur. Gothi vincuntur a Stilicone, captisque eorum caſtris, trans Alpes in Illyricum vſque fugantur victricibus armis. Hanc vna cum Stiliconis virtute calamitatem PRVDENTIVS *d*) deſcribit:

Tentauit Geticus nuper delere tyrannus
Italiam, patrio veniens iratus ab Iſtro,
Has arces aequare ſolo, tecta aurea flammis
Soluere, maſtrugis proceres veſtire togatos.
Iamque ruens Venetos turmis proſtrauerat agros,
Et Ligurum vaſtarat opes, et amoena profundi
Rura Padi Tuſcumque ſolum, victo amne premebat.

Pacem Alaricus tandem cum Stilicone iniit, et militarem ab Honorio praefecturam impetrauit, cum xv. librarum millibus: ne in Italiam denuo irrumperet. Radagaiſus, ſeu Radagaſtus, Gothorum dux alius, id aegre ferens, ducenta amplius millia in Italiam, quarto poſt Alarici cladem anno, intulit, et locis per eam regionem vaſtatis omnibus, Romam recta contendit. In Hetruria, vero ad Feſulanas anguſtias cum peruenisſet, ab Stiliconis exercitu circumuentus, cccc v. in aſpero aridoque montis iugo, famae et ſiti ſuae gentis plurimos amiſit: reliqui a Romanis caeſi ſunt, vel capti, tanta quidem multitudine, vt, viliſſimarum inſtar pecudum, ſingulis aureis venderentur. Radagaiſus ipſe, cum filiis captus, in carcere necatus

d) Contra Symmachum lib. poſter. v. 695.

Digitized by Google

necatus eſt. Sequenti anno, qui erat cccevi. tertia barbarorum in occidentem facta impreſſio, qua Gallia primum, deinde Hiſpania et Africa denique miſerum in modum afflicta eſt. Godigiſilus enim, Vandalorum rex, qui ad Maeotidem conſederant, vbi Italiam vidit hoſtium eſſe plenam, plurimis Germanorum et Sarmatarum aſſumtis, Galliam inuadere conſtituit, et agmine citato, nemine reſiſtente, ad Rhenum recta proceſſit. Francos reſiſtentes nihil moratus, flumine traiecto Galliam biennio peragrauit, et in Hiſpanias tranſiit. Quae clades repente nouas reip. turbas dedit. Nam Britannici milites rati, nulla ſibi ex Italia aduerſus Vandalos praeſidia eſſe futura, Marcum quendam imperatorem fecerunt ſuum: et eo mox peremto, Gratianum ſubſtituerunt: quo itidem poſt quartum menſem occiſo, ad Conſtantinum eam dignitatem deuoluerunt. Hic militibus in Gallia ſibi iunctis, ab Saro, Honorii legato, vincitur quidem primo vt in Valentiam ſe reciperet, ac diuturnam obſidionem toleraret: ſed nouis mox copiis auctus non modo repellit exercitum imperatoris, verum etiam Conſtantem, filium ſuum, Caeſarem creatum, in Hiſpaniam mittit, qui clauſtris Pyrenaei ſuperatis, Didymum et Verinianum fratres, Honorii cognatos, peremit, loca regionis occupauit plurima, Alanis et Sueuis Luſitaniam, Vandalis Boeticam poſſidendas reliquit. Anno cccevIII. mors in oriente imperatoris Arcadii multarum dedit turbarum occaſionem. Moriturus ille Anthemium imperii curatorem conſtituit: ſucceſſori vero ſuo, Theodoſio II. octenni filio, Iſigerden, Perſarum regem, centum pacto annorum foedere, tutorem dedit: vt amoris vinculo detentus, hoſtis adeo formidandus, ab regionibus ſuis abſtineret, ac irruentes paſſim auerteret gentes. Hunc vero in tutela ſibi praelatum, Ho-

norius, occidentis imperator, indignatus, Conſtantinopolin traiicere conſtituit. Iter Stilico diſſuadet, reip. ratus intereſſe, vt propter hoſtium in Gallia motus atque gentium tot migrationes in Italia remaneret: ſeque promittit Alarium, Gothorum ducem, cum Conſtantino tyranno in Gallia commiſſurum, et ipſum breui cum legionibus Romanis, ad res orientis componendas, minori diſpendio et periculo profecturum. Nec defuere, qui Stiliconis conſilium ſiniſtre interpretabantur, et Honorio perſuadebant, eum nulla alia de cauſſa iter in orientem parare, quam vt, Theodoſio iuniore ſublato, imperium ipſe in Eucherium, filium ſuum, transferret. Tumultu etiam militari concitato, ſpes nulla ſupererat quietis, quam Stilico, dextera imperii manus, ex templo Rauennatenſi, quo confugerat, extractus, vna cum filio capite plecteretur. Poſt eum cccclviii. Olympius quidam imperatoris tantam promeruit gratiam, vt pro arbitrio aulam imperiumque adminiſtraret, Gothicosque milites omnibus iniuriis afficeret. Quae cum ad Alaricum, Gothorum regem, perferrentur: is Athaulpho, affine ſuo, cum exercitu ex Pannonia vocato, trans Alpes recta proficiſcitur Romam. Honorius Rauennae a viribus atque conſiliis imparatus inepte agit omnia. Romani ad extremam famem adacti, quinquies mille libris auri, tricies mille libris, ſericarum quatuor millibus tunicarum, et pellium coccinearum tribus millibus oblatis, Alaricum in Tuſciam ab vrbis obſidione auertunt. Hic imperatori aequas offert pacis conditiones, quae contemnuntur: vt Romam rediret, ac ciuibus euocatis, multa de Honorio conqueſtus, poſtularet, viribus coniunctis ſecum aduerſus illum arma conuertere velint. Quod cum impetrare non poſſet, vrbem rurſum operibus cingit, eoque Romanos adigit, vt Attalum,

Digitized by Google

Attalum, vrbis praefectum, imperatorem crearent. Hic Alarico militarem praefecturam, quam Honorius illi negauerat, concedit, eiusque affinem Athaulphum comitem domeſticorum deſignat, et Rauennam pergit cum vtroque ad Honorium expugnandum. Sed cum Roma fame et peſte vexaretur, et periculum eſſet, ne Conſtantinus, qui rerum in Gallia potiebatur, Honorio ſuccurreret; Alaricus, detracta Attalo purpura et diademate, cum Honorio his conditionibus pacem iniit, vt ipſi Romani imperii ſocio et amico ſedes in Gallia concederetur, hoſtes eius, quotquot eſſent futuri, oppreſſuro. Sed mala hic quoque Romanorum fides. Cum in Galliam Gothi trans Alpes proficiſci vellent, Saras praefectus ex inſidiis eos aggreditur, factoque impetu atterere non veretur: vt ſatis irritati, Alarico duce, anno cccccx. Romam repeterent, occuparent, vaſtarent. Quamuis etiam Alaricus ea victoria ſatis moderate ſit vſus, et vrbi, quantum fieri potuit, ex ſingulari gratia pepercerit: magna tamen et non ſatis deploranda fuit eius, olim orbis dominae, calamitas atque ex barbarorum irruptione vaſtatio; Rauennae Honorio torpeſcente, et mortem lugente gallinae, quam, nomine inſignitam Romae, perditam eſſe crediderat. *e*) Direpta per triduum Roma (nam a caede abſti-

 nebat)

e) Epicum poema de capta Roma, ad imitationem Virgilii, ſua lingua ſcripſit DE SCVDERY, celebris Gallus, et Chriſtinae, Suedorum reginae, quod ipſa ex Gothica Stirpe ſupereſſet, inſcripſit. *Alaric, ou Rome vaincue.* Specialia quoque narrat BARRONIVS ad ann. 410. et BARTHIVS aduerſ. l. 60. pag. 2832. Valet hic, quod in Rufinum l. 2. CLAVDIANVS cecinit:

Eheu quam breuibus pereunt ingentia fatis!
Imperium tanto quaeſitum ſanguine, tanto
Seruatum, quod mille ducum peperere labores,
Quod tantis Romana manus contexuit annis,
Proditor vnus iners anguſto tempore vertit.

nebat) Alaricus in Calabriam digreſſus omnia depopulabatur. Conſentiae vero, quam expugnarat modo, animam efflauit, et in Beſantio amne, aquis de alueo ante deriuatis, ſepultus eſt. Gothorum poſt eum Rex Athaulphus factus eſt, qui nominis Romani prorſus extinguendi gratia Romam repetiturus, a Placidia coniuge mitigatur, blandisque verbis et prudenti conſilio ab excidio illo prohibetur. Formoſa haec et callida femina Honorii erat ſoror, quam Athaulphus, ab Alarico, cui obſes data fuerat, abductam, connubio ſibi iunxit ſtabili, et commoda ſuadentem occaſione lubentiſſime audiuit. Sic tandem relicta Italia, Gothi in Galliam Narbonenſem Hiſpaniamque tranſierunt. Anno cccccxx. Honorius, qui nullum vnquam genuerat filium, Conſtantium, cuius in bellis aduerſus tyrannos egregia opera vſus fuerat, imperii conſortem facit, atque Placidiam, ſororem ſuam, a Wallia, Gothorum rege, quicam ceperat, redditam, illi deſpondet. Ex quo matrimonio Valentinianus Honorii ſucceſſor natus eſt. Conſtantius vero ſeptimo poſt menſe diem obiit ſupremum. Anno cccccxxiii. Honorius deceſſit, poſtquam inter perpetuas calamitates atque miſerias: imperio Romano duodetriginta annos praefuit. *f*)

§. LIV.

Honorius et Theodoſius, Caeſares Auguſti, Conſtantinopoli pridie kalend. Decembris, Conſtantio et Conſtante

f) Pluribus de eo conſulantur ZOSIMVS, ZONARAS, OROSIVS IORNANDES de rebus Geticis, MARCELLINVS in chronico, CLAVDIANVS de tertio et quarto conſulatu Honorii, in laud. Stilichonis, in Ruffinum, in Eutropium, de bello Getico, et de bello Gildonico, PROCOPIVS de rebus Vandalicis. AVGVSTINVS de ciuitate Dei l. 1.

Digitized by Google

ſtante coss. ad Monachium ita reſcripſerunt: g) *Grammaticos, oratores, atque philoſophiae praeceptores, nec non etiam medicos, praeter haec, quae retrolatarum ſanctionum auctoritate conſecuti ſunt, priuilegia immunitatesque, frui hac praerogatiua praecipimus: vt vniuerſi, qui in ſacro palatio inter archiatros militarunt, cum comitiuam primi ordinis vel ſecundi adepti fuerint, aut maioris gradum dignitatis aſcenderint, nulla municipali, nulla curialium collatione, nulla ſenatoria vel glebali deſcriptione vexentur: et ſeu indepta adminiſtratione, ſeu accepta teſtimoniali meruerint miſſionem, ſint ab omni functione, omnibusque muneribus publicis immunes: nec eorum domus, vbicumque poſitae, militem ſeu iudicem ſuſcipiant hoſpitandum. Quae omnia filiis etiam eorum et coniugibus illibata praecipimus cuſtodiri, ita vt nec ad militiam liberi memoratorum trahantur inuiti. Haec autem et profeſſoribus memoratis, eorumque liberis deferenda mandamus.*

CAPVT III.

De Poetis vegeta Latinae linguae ſenectute illuſtrioribus.

§. 1.

POetae fortius linguae reſtiterunt corruptioni, et vegetam ſenectutem reddiderunt. 2. *Sed illuſtriores fuerunt pauci.* 3. *Sub Hadriano, qui artis poeticae amantiſſimus, Florus, Annianus, et Iulius Paulus fuerunt.* 4. *Sub Antoninis L. Apuleius.* 5. *Artis ſummus fautor Verus imperator,*

g) L. 11, C. de profeſſoribus et medicis. Et codice Theodoſiano, eodem titulo l. 16.

ſub quo Marcus Marullus floruit. 6. *Septimii Seueri temporibus Tertullianus.* 7. *Serenus Sammonicus*, *et* 8. *Aemilius Macer.* 9. *Sub Alexandro Seuero et ipſo poeta vixit Toxotius.* 10. *Gordianus quoque imperator poemata ſcripſit.* 11. *Sub Philippo Arabe Cyprianus carmina edidit.* 12. *Et Gallienus Auguſtus inter poetas celebris.* 13. *Et Numerianus Caeſar.* 14. *Sub Caro Nemeſianus.* 15. *Et Calpurnius fuerunt.* 16. *Sub Diocletiano Caecilius.* 17. *Sub Conſtantino M. floruit Rhemnius Fannius.* 18. *Optatianus Porphyrius.* 19. *Et Iuuencus*, *cuius vita.* 20. *Scripta*, *quae ſuperſunt.* 21. *Quae perierunt.* 22. *Apud veteres auctoritas.* 23. *Merita.* 24. *Editiones recenſentur.* 25. *Sub Conſtantio floruit Hilarius Pictauienſis.* 26. *Hilarius Arelatenſis.* 27. *Marius Victorinus.* 28. *Aquilius Seuerus.* 29. *Lucius et Quintus Aurelii Symmachi.* 30. *Sub Gratiano florentis Auſonii vita.* 31. *Scripta*, *quae ſuperſunt.* 32. *Scripta perdita et ſuppoſita.* 33. *Auctoritas.* 34. *Confeſſio.* 35. *Petulantia.* 36. *Merita.* 37. *Editiones ſeculi decimi quinti.* 38. *Decimi ſexti.* 39. *Decimi ſeptimi.* 40. *Duodeuiceſimi poſt Chriſtum natum ſeculi editiones recenſentur.* 41. *S. Paulini vita.* 42. *Scripta*, *quae exſtant.* 43. *Quae periere.* 44. *Quae perperam illi tribuuntur.* 45. *Criniti error.* 46. *Paulini apud veteres auctoritas.* 47. *Elegantia.* 48. *Sanctitatis affectatio.* 49. *Vena poetica.* 50. *Editiones ſeculi decimi ſexti.* 51. *Decimi ſeptimi recenſentur.* 52. *S. Ambroſii poetica.* 53. *Ruſi Feſti Auieni vita.* 54. *Scripta*, *quae extant*, *atque in his Aratea phaenomena.* 55. *De orbe terrarum*, *et orae maritimae deſcriptio.* 56. *Aeſopicae fabulae.* 57. *Carmen ad Flauium Murmecium*, *Sirenum allegoria*, *et de agro ſuo ad amicos.* 58. *Scripta Auieni perdita.* 59. *Merita notantur.* 60. *Damaſi vita.* 61. *Scripta genuina.* 62. *Suppoſita.* 63. *Laudes.* 64. *Stilus.* 65. *Editiones.* 66. *La-*

Digitized by Google

66. *Latronianus.* 67. *Claudiani vita.* 68. *Scripta.* 69. *Auctoritas.* 70. *Sacrorum confessio.* 71. *Imitandi ratio.* 72. *Pietio.* 73. *Ingenium.* 74. *Stilus.* 75. *Editiones seculi post Christum natum decimi quinti.* 76. *Decimi sexti.* 77. *Decimi septimi.* 78. *Duodeuicesimi enumerantur.* 79. *Rutilius Claudius Numatianus laudatur.* 80. *Prudentii vita.* 81. *Scripta.* 82. *Vitia.* 83. *Auctoritas.* 84. *Merita.* 85. *Stilus.* 86. *Editiones seculi decimi quinti.* 87. *Decimi sexti.* 88. *Decimi septimi.* 89. *Duodeuicesimi recensentur.* 90. *Sedulii vita.* 91. *Scripta.* 92. *Auctoritas.* 93. *Merita.* 94. *Vitia.* 95. *Poetae haeretici.* 96. *Editiones recensentur.* 97. *Dracontius laudatur.* 98. *Dracontii alii.* 99. *Paulinus Petrocorius.* 100. *Probae Falconiae fata.* 101. *Scripta.* 102. *Laudes.* 103. *Merita.* 104. *Editiones recensentur.* 105. *Eudoxia laudatur.*

§. I.

Ante omnes Latinae linguae antistites, qui immortalibus ingenii monumentis posteritati rationem loquendi reliquerunt, Musarum sunt nominandi sacerdotes atque poetae. *a*) Hi quoniam metro consueuerunt religiosius paulo alligare veterum flores, quos lectitabant semper atque studio nunquam satis praedicando imitabantur: quoad ipsis licuit, prae ceteris longius fortiusue barbarorum insolentiae restiterunt: ac vegetam reddiderunt senectutem eius linguae, cuius elegantiae et suauitati, cum cetera ornamenta, tum veram dignitatem gratiamque diuina poesis dicenda olim retuliſſe acceptam. Vigore suo et spiritus vndique collecta virtute multorum firmarunt, vel

a) Tantoque magis mirandum, ex rescripto Philippi imperatoris Augusti, inter reliquos artium professores, poetis nulla immunitatis praerogatiua iuuari, L. 3. C. de professoribus et medicis.

Digitized by Google

vel corroborarunt ingenia, quo minus ea simul omnia cum cadente Latinitate caderent; sed vires recipere aliquomodo et respirare possent. Attamen huius aetatis omnes, in primis qui carminibus res sacras tradiderunt, etiamsi presse antiquiores sequuntur, multa ex sui seculi vitiis trahunt, barbara miscent Latinis, eaque affectant orationis ornamenta, quae elegantioribus linguae aetatibus nulla fuerunt. Locutiones multae inauditae: sermonis habitus, cum vigeret eius maxima gloria, receptus nunquam fuit: et licentiam poetarum plerique maiorem sibi, quam leges ferunt metricae, in vocibus Latinis, et maxime in Graecis, incauti plane erroris indulgent.

§. II.

Hac quidem ineunte Latinitatis senectute vegeta, vt vires coeperunt deficere magis, et varii generis semet cumulare morbi; sub imperatoribus paganae superstitioni deditis pauciores fuerunt illustres poetae: vtut illis quam maxime voluerint fauisse videri. Quemadmodum vero lucis, mox mox extinguendae, maior semet paulisper ostendit splendor: et hominis, morti aliquando proximi, sensu et intellectu fortior deprehenditur esse spiritus: senectutis Latinae linguae magis ad inertiam atque interitum vergentis inuenti sunt plures, ad veram artis gloriam adspirantes, poetae, qui et maiori copia, et illustriori opera, felicioribus excitatae et fundatae passim in imperio Romano religionis Christianae temporibus, liberaliora studia tractare, et inuicem sese ad eundem laudem excitare coeperunt. Sunt ergo periodum hanc illustrantes poetae vel gentiles, vt hodie loquuntur, vel Christiani: neque nos iam religionis habita ratione, partis vtriusque illustriores aliquot in medium producemus, qui carminibus suis elegantiam Latinae linguae prae ceteris solutae orationis scripto-

Digitized by Google

ſcriptoribus defendere, ſuisque monumentis ſanctius tueri inſtituerunt. Neque audiendus eſt FALSTERVS v. c. *b*) qui, poſt Alexandrum Seuerum, nobis perſuadere conatur, quod ſequiora tempora vſque ad Conſtantinos & Theodoſios, vt pauca, imo fere nulla praeſtantium poetarum ingenia tulerint, ita neutiquam commendari mereantur. Sed quo quisque vixerit tempore, iam ſigillatim videamus.

§. III.

HADRIANVS imperator poetas quidem dilexit & honorauit: vtpote qui artis ipſe ſtudioſus non raro cum iſtis, velut de palma certauit: *c*) ſed non ſine inuidia et contentione profeſſores omnium artium ſemper, vt doctior riſit, contemſit, obtriuit: adeo quidem, vt libris etiam vel carminibus, inuicem editis, ſemet experirentur. *d*) Iudicio etiam ſatis peruerſo, vt antiquitatis ſtudium affectaret, Ciceroni Catonem, Virgilio Ennium, Salluſtio Coelium praetulit: eademque iactatione de Homero et Platone iudicauit. FLORI, eius tempore celeberrimi poetae, nihil ſupereſt, praeter verſiculos ad Hadrianum, quorum SPARTIANVS *e*) meminit. Neque ANNIANVS poeta, cuius ingenium et eruditionem A. GELLIVS *f*) commendat, ſcriptorum quicquam poſteritati reliquit. Neque carminibus nobis magis notus eſt IVLIVS PAVLVS, qui, eodem GELLIO *g*) iudice, poeta, vir bonus, et rerum literarumque veterum impenſe doctus.

§. IV.

Sub Antoninis, Pio et Philoſopho, L. item Antonino

b) Quaeſtionibus Romanis pag. 280. *c*) SPARTIANVS Hadr. c. 16. *d*) Ibid. c. 15. *e*) L. c. *f*) Noct. Attic. l. 7. c. 7. et l. 20. c. 8. *g*) Noct. Attic. l. 19. c. 7. Laudat eum quoque l. 1. c. 22. et l. 5. c. 4.

tonino Vero imperatoribus floruit L. APVLEIVS Madaurenſis Afer, Platonicus philoſophus, qui poetica multa vtraque lingua ſcripſit. Teſtatur ipſe: *h) non eo inficias, nec radio, nec ſubula, nec lima, nec torno, nec id genus ferramentis vti noſſe: ſed pro his praeoptare me fateor, vno chartario calamo me reficere poemata, omne genus, apta virgae, lyrae, ſocco, cothurno; item ſatyras ac gryphos* etc. Verſuum meminit ſuorum in apologia, *i)* atque in his AVSONIVS *k)* epigrammatum, quibus ſe amatorem praeſtiterit. Scripſit etiam verſibus ludicra: *l)* quae cum reliquis iniuria temporum periere. Extant iambi laſciui e Menandro expreſſi, qui inſcribuntur Apuleii *ἀνεχόμενος*. Sed carmen iſtud illi ſuppoſitum eſſe, viri doctiſſimi credunt. In ipſis de aſino libris exordium verſibus ſcriptum eſt iambicis: et carmina paſſim latent, quae neglecta et pro libera oratione habita neſcio quam prae ſe videntur ferre duritiem, atque tumorem in proſa oratione minime ferendum. *m)* Memorato mileſiar. libri primi initio verſus iambicos pridem obſeruarunt BEROALDVS atque RVTGERSIVS, et auctoritate codicis Florentini gloſſaeque veteris interlinearis, in editione ſua ELMENHORSTIVS reponi curauit: etſi hoc minus probetur PRICAEO, in cuius tamen editione itidem verſus, ſed inuito Pricaeo, typographus expreſſit. De Apuleio vero ipſo pluribus inter philoſophos agemus. Videri etiam poſſunt Apuleii vitae a BEROALDO, COLVIO, ELMENHORSTIO et BAYLIO *n)* conſcriptae.

§. V.

VERVS imperator ſummus poetarum fautor et patronus

b) Florid. pagina 346 edit. Elmenhorſt. *i)* Pag. 278. *k)* Ad Paullinum edyll. 13. *l)* APVLEI. apolog. p. 276. *m)* Confer. LIPSIVS elect. l. 2. c. 21. *n)* Dictionaire hiſtorique et critique v. Apulée tome 1, pag. 270. ſeqq.

Digitized by Google

tronus fuiſſe videtur. Nam et, CAPITOLINO *o*) teſte, amauit in pueritia ipſe verſus facere, quamuis inuita ſaepe Minerua. Poſtea, cum imperator eſſet, etiam fuit adiutus amicorum ingenio: multosque diſertos et eruditos ſemper ſecum habuiſſe dicitur. Illius et M. Antonini Philoſophi temporibus MARCVS MARVLLVS mimos docuit. *p*) Sed quidquid eius fuit, temporum iniuria periit.

§. VI.

Septimii Seueri Auguſti temporibus vixit Q. SEPTIMIVS FLORENS TERTVLLIANVS, Carthaginienſis, vir, vt eius aeui conditio ferebat, omni eruditionis genere tinctus. Eius vero, vt inferius ſuo loco *q*) monebimus, ingenium fuit aſperum, et horridior lingua, omnes reſpuens dictionis elegantias, compoſitionem, numerum et ordinem. Scripſit inter alia, etiam ligata oratione, aduerſus Marcionem libros quinque: ſed quos non abſoluit. Sibi enim ereptos queritur, et mendoſiſſime editos. Eſt ergo poema iſtud valde dubium, et vossio *r*) adeo non probatum, vt inter poetas auctori ne quidem relinquat locum. Tertulliani eſt etiam carmen de Sodoma, quod Cypriano ab aliis tribui ſolet, carmen item de Iona et Niniue. Forſan et alia, quae aetatem ferre non potuerunt.

§. VII.

Septimio Seuero eiusque filio Caracalla imperantibus, tertio ſeculo ineunte, floruit Q. SERENVS SAM-

o) Veri imperatoris vita cap. 2. *p*) Vid. IVL. CAPITOLINVS M. Ant. Philoſopho c. 8. Et SERVIVS eius meminit eclog. 7. *q*) Vbi de ſcriptoribus ſacris ſermo erit. *r*) De poetis Latinis p. 52. Confer. P. ALLIXIVS diſſert. de vita & ſcriptis Tertulliani, qui poematum illi relinquit parum. FABRICIVS biblioth. Lat. vol. I. p. 698.

MONICVS, *s*) vir ſui ſeculi doctiſſimus, qui non ſolum arte poetica, verum et ſalutari, hiſtoria et multiplici doctrina, principum ſibi gratiam conciliare facile potuit. Hinc opibus affluens, inſignem ſibi ſexaginta et duorum millium librorum comparauit bibliothecam, *t*) nobiliſſimae iuuentutis praefuit liberalioribus ſtudiis, ac politiſſima omnigenae eruditionis monumenta edidit. Neque adeo veritus eſt Alexander Seuerus imperator, eius ſcripta maxime poetica cum optumis componere, et in manibus ſemper habere. Nam, AELIO LAMPRIDIO teſte, *v*) *poſt actus publicos, ſeu bellicos, ſeu ciuiles, lectioni Graecae operam maiorem dabat, de rep. libros Platonis legens. Latina cum legeret, non alia magis legebat, quam de officiis Ciceronis, et de rep. Non nunquam et oratores, et poetas, in queis Serenum Sammonicum, quem ipſe nouerat et dilexerat, et Horatium.* Diſcipulos inter illuſtres ipſum videtur Antoninum Caracallam habuiſſe, ad quem libros aliquot ſcripſit, procul dubio de ciuili prudentia, vt eum ad felix imperium praepararet. Atque etiam frater eius Antoninus Geta *Sereni Sammonici libros familiariſſimos habuit, quos ille ad Antoninum ſcripſit.* *x*) Cum vero tyrannus Caracalla in fratrem et omnes illius fautores ſaeuiret: anno poſt Chriſtum natum CCXII. cum aliis Sammonicum noſtrum Serenum, cuius libri plurimi ad doctrinam extabant, coenantem percuſſit. *y*) Filium reliquit eiusdem nominis, qui Gordiani Iunioris praeceptor, huic imperatori

s) MACROBIVS Saturn. l. 3. c. 16. Confer. VOSSIVS de hiſtor. Latin. l. 2. c. 2. pag. 175. de poetis Latinis c. 4. p. 52. KOENIG biblioth. vetere et noua pag. 719. FABRICIVS Biblioth. Latin. vol. 1. p. 640. *t*) IVL. CAPITOLINVS Gordiano Iuniore c. 18.
v) Alexandro Seuero c. 30. *x*) AELIVS SPARTIANVS Geta c. 5.
y) Idem Caracalla c. 4.

Digitized by Google

peratori tam carus et acceptus fuit: vt omnes libros Sereni Sammonici, patris ſui, qui cenſebantur ad ſexaginta et duo millia, moriens illi teſtamento relinqueret. Quod cum ad coelum tulit. Siquidem tantae bibliothecae copia et ſplendore donatus, in famam hominum literarum decore peruenit. *z*) Cum patre ergo, vt fieri aliquando videmus, non confundendus ille filius. Et a Septimio Sereno diſtinguendum eſſe SIDONIVS *a*) monet, qui Sammonicum noſtrum inter matheſeos peritiſſimos conditores cum Firmiano et Saturnino, atque alibi cum Varrone et Cenſorino laudat. Scripſit multa ad hiſtoriam, res naturales reconditas, et Romanas antiquitates pertinentia. *b*) Ex omnibus vnum ſupereſt *carmen de medicina et morborum remediis*. *c*) Quo quidem carmine heroico dicendi vtitur charactere humili. IVL. CAESAR SCALIGER *d*) Macro, inquit, *paulo mundior Serenus Sammonicus: verum adeo tenuis, vt nullum vnquam aeque meminerim. Vtitur tamen vocibus valde bonis. - et poeticis, vt* ſaneſcere. *Auſus et componere* dulcacidis, *quae Africani vocant* Muzi. *Verum, vt tumor dicitur, ita ab eodem* duror. *Pauciſſimis figuris vtitur.* Cum Sereni carmen extrema parte truncum eſſe videatur: cum ROBERTO CONSTANTINO FABRICIVS *e*) verſus in calce libri Marcelli Empirici de medicamentis pro poematis Sereniani peroratione habet. In lucem prodiit Sereni carmen iſtud de medicina *Venetiis* 1488.

z) IVL. CAPITOLINVS Gordian. iuniore c. 18. *a*) Epiſtola ad Polemium carmini 13. ſubiecta, et epiſt. ad Pontium Leontium, quae carmini 21. adiungitur. *b*) Laudantur a LAMPRIDIO Alexandro Seuero c. 30. SPARTIANO Caracalla c. 4. et Geta c. 5. ARNOBIO l. 6. MACROBIO Saturn. l. 3. c. 9. 16. et 17. *c*) Inſcribitur ab aliis *praecepta de medicina paruo pretio parabili.* *d*) Poetices l. 6. ſeu hypercritico. c. 5. pag. 822. *e*) Biblioth. Lat. vol. 1. pag. 542.

fol. cum Arato, Auieno, et aliis. 1502. et 1528. 4. apud Aldum, cum Celſo medico. 1547. fol. inter medicos veteres Aldi. 1566. 8. *Patauii* 1563. 8. *Tiguri* 1540. et 1581. 4. cum Gabr. Humelbergii commentario. *Baſileae* 1571. 8. cum breuioribus Georgii Pictorii ſcholiis. *Lugduni* 1554. 12. *Pariſiis* 1567. fol. inter medicos veteres Henrici Stephani, 1590. 12. inter poemata vetera P. Pithoei, recuſa *Lugduni* et *Geneuae* 1596. 8. In reliquis poetarum corporibus. Sed reliquis omnibus facile praeferenda eſt editio *Amſtelodamenſis* 1668. et 1706. 8. quam Robertus Keuchenius ad MS. codicem caſtigatam cum notis et commentariis locupletiſſimis dedit.

§. VIII.

Vulgo ad hanc aetatem referunt AEMILIVM MACRVM, qui verius pſeudo dicendus eſt Macer, quisquis etiam ille fuerit, aut cuiuscunque ſeculi auctor opuſculi, quod extat hodie de herbarum virtutibus. Nouimus illum veterem poetam atque medicum Aemilium Macrum, Ouidii temporibus, atque ſub felici Caeſaris Octauiani Auguſti imperio, poema de herbis ſcripſiſſe, quod temporum periit iniuria. *f*) Hinc recentioris aeui poeta ſuo carmini, quod idem argumentum pertractat, et in vires herbarum inquirit, ad conciliandam antiquitatis auctoritatem, Aemilii Macri praeſcripſit nomen: quo iſtud plane indignum eſſe, tam manifeſtum hodie, vt probatione non indigeat. Pſeudo iſte Macer, qui quo vixerit tempore, dici nequit, de viribus herbarum poemate ſuo RAPHAELI quidem VOLATERRANO *g*) imponere haud difficulter potuit,

f) Vid. comment. de vitili aetate Lat. linguae part. 1. c. 4. §. 18. Confer. VOSSIVS de poetis Latinis pag. 28. FABRICII bibliotheca Latina vol. 1. p. 868. *g*) Anthropologia, ſiue commentariorum vrbanorum l. 17. p. 610. At SIGEBERTVS Gemblacen-

Digitized by Google

tuit, qui forſan illud non inſpexit, extare autem nouerat, et nomen illud prae ſe magnificum ferre. Vbi notauit, quod Aemilius Macer, Veronenſis poeta, volucres cecinerit et herbarum virtutes, Ovidii tempore, atque etiam opus Homeri perſecutus ſit, quicquid apud Ilium actum vſque ad finem belli: addit tandem, *opus autem hoc de herbis ad noſtram vſque peruenit aetatem.* Atqui pſeudo Macer in illo de herbarum viribus poemate, quod extat, Plinii meminit, qui Neronis tandem et Veſpaſiani temporibus, longe poſt Macri et Ouidii aetatem, floruit. Neque carminis auctor ille poteſt eſſe Macer, *h*) ad quem iunioris PLINII aliquot ſcriptae leguntur epiſtolae. *i*) Nam et Galenum citat, qui, Marco Aurelio Antonino imperante, vixit, et Oribaſium, Iuliani imperatoris archiatrum. Et valde vereor, ne veſtigia oſtendat longe recentioris aetatis. *k*) Quoque ſe res habeat modo, audiendus omnino magnus eſt SCALIGER: *l*) *Macrum, qui Auguſti fuit tempore, non hunc eſſe, cuius de herbis circumfertur poema, ſatis conſtat, tum ex quibusdam barbaris nominibus, tum ex Plinii aetate: cuius auctoritatem cum ille ſuis verſibus interponit: quanam ratione ab Ouidio inter aequales ſuos recenſeatur? Is igitur, cuius opus in manibus habemus, neque poeta fuit, neque bonus medicus, neque ſincerus verſificator.* Hoc vero Macri cuiuscunque opuſculum ſchola Salernitana variis in locis ſequitur: imo verſus quandoque ex eo transſcribit integros: vt

ſis de ſcriptoribus eccleſiaſticis c. 13. Macrum, qui metrico ſtilo librum de viribus herbarum ſcripſit, homines inter Chriſtianos recenſet. *h*) Quae ſententia IOH. ATRIANI fuit. Confer. VOSSIVS de poetis Latinis p. 28. *i*) Lib. 3. epiſt. 5. l. 5. ep. 18. et l. 6. ep. 24. *k*) Vid. THOMAS BARTHOLINVS diſſertatione de medicis poetis. FABRICIVS biblioth. Lat. vol. 1. p. 868. *l*) Hypercritico, ſiue poetices l. 6. p. 822.

vt ex. gr. ex illorum collatione patet, quae vtrinque de absynthio, hyssopo, et aliis, memoriae prodita leguntur. Quod extat Aemilii Macri *de herbarum virtutibus* opusculum in aliquibus exemplis etiam inscribitur, *de materia medica* libri quinque, versibus conscripti. Neque est, quod IOH. IACOBVS MANGETVS *m*) opusculum ab vno alterum distinguat. Libro I. et II. agit de herbis ac plantis vulgaribus. III. de plantis peregrinis. IV. de quibusdam plantis, itemque animalium partibus ac terrae speciebus. V. de lapidibus, ac gemmis. Opusculum hexametris versibus exaratum prodiit *Basileae* 1527. 8. cum Ioh. Atrociani commentariis. 1559. 8. apud Henricum Petri. 1581. 8. apud Sebast. Henric. Petri. *Friburgi Brisg.* 1530. 8. apud Emmaeum. *Francofurti* 1540. 8. apud Egenolphum, ex recognitione Iani Cornarii. *Venetiis* 1547. fol. apud Aldum cum medicis antiquis, et Atrociani commentariis longe vtilissimis. *Hamburgi* 1596. 8. hoc titulo: *Henrici Rantzouii editio librorum Macri de virtutibus herbarum, de quibusdam animalium partibus, de terrae speciebus, itemque medicamentis totius corporis humani, iam recenter ex bibliotheca sua Bredensi depromtorum.* Sed opuscula praeter Macri poema de herbis, etiam Sereni Sammonici carmen de medicamentis totius corporis humani, & Strabi Galli hortulum referunt.

§. IX.

Poetarum maximus fautor fuit ALEXANDER SEVERVS imperator, et ipse poeta non inuenustus, qui vitas principum bonorum versibus scripsit: quique Virgilii legitur admirationi ita deditus fuisse, vt imaginem eius cum

m) Bibliotheca scriptorum medicorum tom. 2. part. 1. pag. 122. voc. *Macer*.

Digitized by Google

cum Ciceronis ſimulacro in ſecundo larario haberet. *n*) Floruit eius aetate TOXOTIVS, ordinis ſenatorii vir doctiſſimus et poeta, cui Iunia Fadilla, Antonini proneptis, deſponſata erat: quique poſt praeturam periit. Eius poemata Iulii Capitolini aetate exſtabant: quae hodie nuſquam apparent. *o*)

§. X.

GORDIANVS pater Auguſtus, qui anno poſt Chriſtum natum CCXXXVIII. rerum potitus eſt, ſui temporis poetas non modo beneficiis omnibus cumulauit; verum et ipſe, adoleſcens cum eſſet, poemata ſcripſit, et edidit cuncta illa, quae Cicero ex Demetrio et Arato, et Alcyonas, et Vxorium, et Nilum. Scripſit praeterea, vt Virgilius libros Aeneidos, Statius Achilleidos, et multi alii Iliados, ita ille libros Antoniados, h. e. Antoninum Pium et Antoninum Marcum, verſibus diſertiſſimis: libris triginta vitam illorum, et bella, et publice priuatimque geſta illuſtrans. *p*) Illorum vero prorſus nihil ad aetatem noſtram peruenit.

§. XI.

Sub Philippo Arabe, Decio, Gallo et Voluſiano, tum Valeriano et Gallieno Auguſtis floruit CAECILIVS CYPRIANVS, Carthaginienſis epiſcopus: cui quatuor vulgo tribuuntur carmina, Geneſis, Sodoma, in ſenatorem apoſtatam, hymnus de paſcha domini. Sed valde vereor, ne illa omnia alios auctores agnoſcant. De Cypriano videbimus ſuo loco, vbi de ſcriptoribus ſacris prolixior differendi fuerit occaſio.

§. XII.

n) LAMPRIDIVS Alexandro Seuero cap. 31. *o*) Vid. IVL. CAPITOLINVS Maximino iuniore c. 1. *p*) Vid. IVL. CAPITOLINVS Gordianis c. 3.

§. XII.

GALLIENVS Augustus, Valeriani eius filius, qui anno CCLX. a Sapore victus in misera seruitute apud Persas consenuit, inter sui temporis poetas, carmine excelluit. TREBELLIVM POLLIONEM *q*) audiamus: *fuit Gallienus, quod negari non potest, oratione, poemate, atque omnibus artibus clarus. Huius est illud epithalamium, quod inter centum poetas praecipuum fuit. Nam cum fratrum suorum filios coniugaret, et omnes poetae Graeci Latinique epithalamia dixissent, idque per dies plurimos, cum ille manus sponsorum teneret, vt quidam dicunt, saepius ita dixisse fertur:*

Ite, ait, o pueri, pariter sudate medullis
Omnibus inter vos: non murmura vestra columbae,
Brachia non hederae, non vincant oscula conchae.

§. XIII.

NVMERIANVS Caesar, qui cum patre Caro, et fratre Carino, anno post Christum natum CCLXXXII. clauum imperii tenebat, in tanta dignitate, carminibus cum optimis poetis certare ac semet saepius ea tam nobili arte exercere non dubitauit. Ac versu talis fuisse praedicatur, vt omnes poetas sui temporis vicerit. Nam et cum Olympio Nemesiano contendit, qui ἁλιευτικὰ, κυνηγετικὰ, et ναυτικὰ scripsit, quique omnibus coloniis illustratus emicuit, et Aurelium Apollinarem, iamborum scriptorem, qui patris eius gesta in literas retulit, iisdem, quae recitauerat, editis, veluti radio solis obtexit. *r*)

§. XIV.

Sub Caro eiusque filiis Carino et Numeriano imperatoribus Augustis, circa annum reparatae salutis CCLXXXII. M. AVRELIVS OLYMPIVS NEMESIANVS Carthaginiensis,

q) Gallienis c. 11. *r*) Ita FLAVIVS VOPISCVS Numeriano c. 11.

Digitized by Google

nienſis, poeta celeberrimus floruit: qui tunc temporis inter omnes arte ſua inclutos principatum tenuit, ac omnibus coloniis illuſtratus emicuit: adeo quidem, vt Numerianus imperator ipſe, cum omnes ſui temporis poetas vicerit, cum eo contendere dignatus fuerit. *s*) Scripſit, teſte VOPISCO, *t*) ἁλιευτικὰ, κυνηγετικὰ et ναυτικὰ. Ex quibus hodie ſolum eius *Cynegetica* ſuperſunt, *v*) carmine heroico, ad Carinum et Numerianum, diui fortiſſima pignora Cari, ſcripta. Extant quoque eius *eclogae quatuor*. Poematibus his Nemeſianus elegantiae et ingenii ſummam laudem obtinuit, *x*) caſtaque et pura dictione ſemet, prae omnibus aliis ſcriptoribus Africanis, commendauit. Neque adeo mirum, etiam barbaris poſt Carolum Magnum temporibus, in ſcholis praelegi conſueuiſſe. Ita enim voſſio referente, *y*) illius aetatis ſcriptor, HINCMARVS Rhemenſis Archiepiſcopus ad Hincmarum Laudunenſem: *aliter*, inquit, *reſpondere non potui, niſi vt venatores ferae luſtra ſequentes agere, auditu et lectione puer ſcholarius in libro, qui inſcribitur Cynegeticon Carthaginenſis Aurelii didici* etc. Eius ſcripta vtplurimum coniunctim edi ſolent cum eclogis Calpurnii, de quibus paragrapho ſequenti agemus.

s) Vid. FLAVIVS VOPISCVS Numeriano init. ſ. cap. 11. *t*) L. c. *v*) Hunc de venatione librum SCALIGER poet. l. 6. ſeu hypercritico pag. 825. valde bonum, valdeque luculentum vocat: et cum ipſo Gratio in optima poeſeos aetate componit. *x*) Vid. PETRVS CRINITVS de poetis Latinis l. 5. c. 83. FABRICIVS Biblioth. Lat. vol. 1. p. 283. Nemeſianum notat cynegetico, ſ. carmine de venatione, praeter rem gloriari, primum ſe Latinum poema de venatione condidiſſe: cum et Gratius poeta olim eandem materiam tractauerit. *y*) De poetis Latinis c. 4. pag. 53. Confer. BERTRAMI v. c. meletemata literaria diſſert. 5. §. 11. p. 163.

§. XV.

Eiusdem aetatis est T. IVL. CALPVRNIVS Siculus poeta, cum aliis eiusdem nominis illustribus viris, qui plurimi sunt, non confundendus, z) inter eos excelluit suo tempore, qui carmina bucolica scripserunt. Sed valde modicis facultatibus vixit, quod ex ipsius carminibus satis patet: ac inopia ferme oppressus, ad Olympium Nemesianum, patronum suum, qui multis eum studuit ornare beneficiis, *septem eclogis* carmen suum bucolicum misit. Et sunt, qui putant, Diocletianum imperatorem notari, vbi sub Orniti persona scribit:

Aurea secura cum pace renascitur aetas
Et redit ad terras tandem squalore situque
Alma Themis posito, iuuenemque beata sequuntur
Secula maternis causam qui lusit in vlnis.

Haud incommode vero etiam ad Numerianum haec referri possunt, qui et scribendis carminibus, et eloquentia excelluit, neque dedignatus est de palma cum Nemesiano contendere. a) Et hodie extant Calpurnii *eclogae septem*: quibus non solum artificio et gratia carminis, verum etiam ipsius linguae proprietate et elegantia excelluit. b) GYRALDVS vero c) in Calpurnii eclogis se quidem ait sermonis facilitatem et volubilitatem, sed parum aliquando nerui et con-

z) Et fallitur, nisi me fallunt omnia, etiam VOSSIVS de poetis Latinis pag. 53. qui huius atque Nemesiani apud Vopiscum mentionem fieri putat; *Iunium* innuens, siue, vti GRVTERVS in codice Palatino legi refert, *Iulium Calpurnium* dictatorem memoriae, cuius de Cari morte epistolam ad vrbis praefectum VOPISCVS in Cari imperatoris vita c. 8. producit. Confer. KOENIGII bibliotheca vetus et noua p. 156. v. *Calpurnius Titus*.

a) VOPISCVS Numeriano c. 11. b) Vid. PETR. CRINITVS de poetis Latinis l. 5. c. 82. c) Dialogo quarto de poetis.

Digitized by

concinnitatis offendisse. IVLIVS CAESAR SCALIGER *d*) Calpurnio qui post Maronem primas deferant, inuenit. Quod iudicium illi neutiquam probatur. Laxus enim illi, et tumidus est. *Is tamen*, inquit, *cum versus saepe fundat non contemnendos, permittit me legentem dormitare. Nusquam acuit, nusquam tenet: aueoque frequenter absoluere, quae vix dum occoepi videre.* etc. VOSSIVS *e*) Calpurnium Nemesiano castigatiorem esse notat: et paulo post, alterum, ait, quaedam alteri sublegisse: vt inter alia apud vtrumque legatur:

Te sine, vae misero mihi, lilia nigra videntur,
At tu si venias, et candida lilia fient.

Sed FABRICIVS *f*) bene obseruat, hos versus Calpurnio magis conuenire, vtpote satis inopi, *g*) qui ad Nemesianum, patronum suum, scripserit. Huic autem fortassis in ora libri e Calpurnio annotatos, tandemque a librariis ipsius carmini insertos. Calpurnii Siculi eclogae lucem primum adspexerunt *Parmae* 1478. 4. Deinde cum Nemesiani, aliorumque eclogis prodierunt *Florentiae* 1504. 8. *Venetiis* 1534. 8. e Sannazarii codice vetusto et Langobardicis literis scripto accurante Paulo Manutio. *Augustae Vindelicorum* 1534. 8. *Bononiae* 1554. fol. cum Dominici Guidalotti commentario. *Lugduni* 1575. 8. *Parisiis* 1590. 12. inter poemata vetera P. Pithoei, recusa *Lugduni*. et *Genuae*

d) Poetices l. 6. seu hypercritico c. 5. pag. 823. *e*) Instit. poetic. l. 3. p. 34. Calpurnio contra SCALIGER poet. l. 6. seu hypercritico c. 5. pag. 814. Nemesianum longe castigatiorem vocat.
f) Biblioth. Lat. vol. 1. p. 546. *g*) Propter egestatem ecloga 4. etiam suae indignatur Musae:

Frange, puer, calamos, et inanes defere Musas.
- - Quid enim tibi fistula reddet,
Quo tutere famem? Certe mea carmina nemo
Praeterquam scopulis ventosa remurmurat Echo.

uae 1596. 8. *Florentiae* 1590. 4. cum Roberti Titii notis. *Genevae* 1611. 4. corpore omnium veterum poetarum Latinorum. *Hanoviae* 1613. 8. cum Caſpar. Barthii, duodecennis adoleſcentuli, notis. *Lugduni Batauorum* 1645. 12. in venatione nouantiqua, ſeu venaticis et bucolicis poetis Iani Vlitii, qui et in ſcriptores venaticos ab ſe diligenter recenſitos, et docte illuſtratos, curas edidit ſecundas 1655. 12. *Londini* 1699. 8. cum variis lectionibus et notis perpetuis, accurante Thoma Iohnſon.

§. XVI.

Sub Diocletiano et Conſtantino M. imperatoribus floruit L. CAECILIVS, vel vt exempla eum vocant alia, COELIVS, qui a lacteo dicendi genere et ſumma ſuauitate LACTANTIVS a patria FIRMIANVS nominatur. Hic ab ineunte aetate in Africa Siccae fuit diſcipulus, et humanitatis praecipue ex celluit ſtudiis; adeo quidem vt Diocletianus imperator eum ad elogantiorum literarum et artis oratoriae profeſſionem, cui vnus omnium maxime videbatur ſufficere, Nicomediam Bithyniae, cum celeberrimis doctoribus aliis pertraheret. Vbi Chriſtianorum initiatus ſacris, cum, propter inſolentiam ciuitatis Graecae, pauciſſimos inter diſcipulos verſaretur, ad ſcribendum ſe contulit, et extrema paupertate vixit. Donec ingraueſcentibus annis a Conſtantino M. praeficeretur Criſpo Caeſari in Gallia, vt Latinas eum literas doceret. Inter alia, quae merito magni fiunt ab eruditis, non pauca etiam verſibus ſcripſiſſe, HIERONYMVS teſtatur. *b*) Nihil vero eorum ſupereſt praeter ſympoſium et Phoenix: quae carmina valde adoleſcentulus in Africa, vel inter ludendum edidit, cum diuina ſapientia nondum eſſet imbutus. Quae illi adſcribuntur

b) De viris illuſtribus c. 80.

Digitized by Google

buntur de paſchate et paſſione Domini: recentioris ſeculi auctorem haud obſcure produnt. De illis vero pluribus agemus, vbi de Lactantio commodior ſacros inter ſcriptores differendi fuerit occaſio.

§. XVII.

Sub Conſtantino Magno imperatore floruit RHEMNIVS FANNIVS, illuſtris poeta, et Arnobii diſcipulus. *i*) Vtplurimum is perperam cum *Q. Rhemnio Fannio Palaemone*, Vicentino grammatico et poeta, confunditur, qui Tiberii et Claudii Caeſarum temporibus vixit, ac ipſius Perſii poetae praeceptor fuit. *k*) In codice Abbatiae Morbacenſis, atque in editionibus non nullis REMVS FAVINVS vocatur: *l*) ex quo temporis ſucceſſu, quod celeberrimum poetae vetuſtioris nomen eſt, *Rhemnius Fannius* poſtliminio quaſi reſtitutus fuiſſe videtur. Scripſit elegans carmen de medicinalibus, quod ad Lactantium Firmianum miſit. Cuius ne MANGETVM *m*) quidem meminiſſe valde miror. Et forſan illi iure meliori, quam Priſciano, tribuitur liber, hexametro carmine exaratus, de ponderibus ac menſuris. Saepius cum Priſciani operibus prodiit, et *Coloniae* 1528. fol. Inter medicae artis principes apud Aldum *Venetiis* 1547. fol. apud Stephanum *Pariſiis* 1567. fol. Saepius cum Celſo et Sereno Sammonico editus, cum Eliae Vineti notis prodiit Pariſiis

i) Vid VOSSIVS de poetis Latinis p. 54. KOENIG biblioth. vet. et nou. p. 295. et 687. *k*) Conſer. comment. de imminente L. L. ſenectute pag. 100. 254. ſeq. 303. ſeqq. *l*) POLYCARPVS LEYSERVS hiſt. poetarum medii aeui p. 1057. FABRICIVS biblioth. mediae et infimae Latinitatis l. 6. pag. 449. BOECLERVS bibliographia critica p. 588. *m*) Biblioth. medicorum veterum et recent. tom. 1. part. 2. p. 257. vbi Fannius notatur Palamon Rhemnius ex quo habeatur de ponderibus et menſuris liber Salingiac. 8. 1538.

siis 1565. 8. et Graeuii thesauro antiquitatum Romanarum tomo II. Cum notis Rob. Constantini *Lugduni* 1566. 8. ad calcem Celsi et Sereni.

§. XVIII.

PVBLIVS OPTATIANVS PORPHYRIVS ad Constantinum Magnum imperatorem, vicennalia celebrantem, anno post Christum natum CCCXXVI. paulo ante Crispi necem, panegyricum scripsit carmine varii generis per acrostichides et similes literarum lusus, minio distinctos, composito. Exul carmen istud panegyricum composuit: quod ipse auctor non obscure innuit. *n*) Sed eo meruit ab exilio in patriam reuocari. Quod et HIERONYMVS in chronico *o*) notauit: *Porphyrius, misso ad Constantinum insigni volumine, exilio liberatur.* Atque ita poetae sua Musa, vt ipse loquitur, natumque laremque reddidit. Vtrum hic fuerit Optatianus ille, qui anno CCCXXIX. et CCCXXXIII. vrbis Romae praefectus, certe non constat. Constat vero longe, diuersum a Porphyrio, philosopho et acerrimo nominis Christiani hoste. Hinc Baronium, qui istos confundit, IOS. SCALIGER *p*) et LVCAS HOLSTENIVS *q*) castigarunt. Et ipse BARONIVS *r*) errorem suum retractauit. Paganis videri posset fuisse addictus: quod istorum hinc inde seruat, poetis familiarem dicendi consuetudinem FVLGENTIVS, *s*) vbi de Venere agit, et omnem libidinem docet rerum pati naufragia, satis quidem lasciui meminit Porphyrii epigrammatis: *Nudus, egens, Veneris naufragus in pelago.* BEDA: *t*) *reperiuntur quaedam, et in*

n) Carmine 1. et apertius carmine 6. *o*) Anno Christi 332. *p*) Ad Euseb. p. 250. *q*) De vita et scriptis Porphyrii c. 4. *r*) A. C. 325. Confer. VOSSIVS de hist. Graecis l. 2. c. 16. et de poetis Latinis p. 54. *s*) Mytholog. l. 2. c. 5. *t*) De arte metrica.

Digitized by Google

in inſigni illo volumine Porphyrii poetae, quo ad Conſtantinum Auguſtum miſſo, meruit de exilio liberari; quae quia pagana erant, nos tangere non libuit. Sed carmina plurima, in primis nonum, ſatis demonſtrant, Chriſtianorum ſacris initiatum fuiſſe. In illo carmine, literarum artificio, non ſolum monogramma Chriſtiani refert nominis, quo Conſtantinus in vexillis vtplurimum vti ſolebat; verum etiam hos verſus de numine tribus in perſonis vno ſcribit:

Omnipotens genitor, tuque o diuiſio mixta,
Filius atque pater, et ſanctus ſpiritus vnum,
Faueas votis. --- ---

Quoquo ſe res habeat modo, imperatori opuſculum valde placuit, adeo quidem, vt poetam non modo liberaret exilii poena; verum etiam literis illi perhumaniter ageret gratias, eumque *fratrem chariſſimum* appellans, inter alia reſcriberet quam clementiſſime: *vix hoc cuſtoditum pluribus fuit, qui modis quibusdam arctis innexi literarum, diſtinctionibus verſuum, qui ita medium corpus propoſiti occulte interneant, vt oculorum ſenſus interſincta colorum pigmenta delectent, hoc tenuere propoſitum, vt haeſitantiam carmini multiplex legis obſeruantia non repararet. Gratum igitur hoc mihi dicationis tuae munus fuit.* etc. Sic certe Porphyrius, miſerabili patientia, temeritate vix ſuperanda, et, quantum conſtat, ante ſua tempora nullius exemplo, verſibus initio, medio, et fine, vocibus artificioſe diſtinctis, carmina finxit infiniti laboris, quae ad carnificinam ingenii potius, quam ad diſciplinam et vſum referenda ſunt. Merus ſine ſenſu verborum luſus eſt, difficillimis paſſim mixtus nugis, quae plus induſtriae, quam ingenii requirunt. Inde vossivs,

v) non tam ingenium, inquit, *vel ſpiritum poeticum, in eo laudes, quam ingentem laborem atque induſtriam.* Et MORHOFIVS: *x) vix recenſeri merentur, qui in verſibus quadratis, cubicis, retrogradis, cabaliſticis, excogitandis verſati fuerunt: non enim niſi obſcuri laboris res eſt, et nullius ingenii. Ianus Nicius Erythraeus pinac. 1. imag. 144. nugas transalpinas vocat. E nugis iſtiusmodi conſtatus P. Optatiani Porphyrii panegyricus eſt, Conſtantino M. imperatori conſecratus, et ex operoſis ineptiis conſtans.* Poeta ſolum propter antiquitatem ſuſpiciendus eſt, et quia ſui temporis hiſtoriam aliquo modo illuſtrare poteſt. Prodiit Porphyrii ad Conſtantinum imperatorem et huius ad Porphyrium epiſtola, cum laborioſiſſimo illius ad Conſtantinum panegyrico *Auguſtae Vindelicorum* 1595. fol. accurante Marco Velſero, qui opuſcula e Pauli fratris ſui codice recenſuit. Deinde *Norimbergae* 1682. fol. cum M. Velſeri notis et Chriſtiani Daumii ſpicilegio, a Chriſtophoro Arnoldo, Velſeri operibus adiecta ſunt.

§. XIX.

Sanior mente, ac diuina poeſi illuſtrior circa idem tempus fuit IVVENCVS *y*) presbyter. Ita eum HIERONYMVS, *z*) atque ex eo HONORIVS *a*) et TRITHEMIVS *b*) vocant: et egregie falluntur, qui eccleſiae Romanae cardinalem

v) De poetis Latinis p. 54. *x*) Polyhiſt. liter. l. 7. c. 3. §. 7.

y) Simplici hoc nomine a plerisque celebratur. Exempla vulgata *Caium* vocant *Iuuencum*. Et integrum nomen ſibi perſuadent alii codicibus MStis repertiſſe C. *Vettii Aquilini Iuuenci*. vid. DV PIN noua biblioth. eccleſiaſt. auct. tom. 2. p. 44. FABRICIVS annot. ad Hier. de viris illuſtr. biblioth. eccleſ. p. 171. biblioth. Lat. vol. 1. p. 703. biblioth. mediae et infimae Latin. l. 9. p. 624. *z*) De viris illuſtr. c. 84. *a*) De ſcript. eccleſ. l. 1. c. 85. *b*) De ſcript. eccleſ. c. 62.

Digitized by Google

nalem fuiſſe, nullo antiquitatis teſtimonio, memoriae prodiderunt. *c*) Natione fuit Hiſpanus, *d*) atque ſi FVLVIO VRSINO, *e*) et IOHANNI GLANDORPIO *f*) habenda eſt fides, et nobili et antiqua Vettiorum familia: vt HIERONYMVS etiam ipſe teſtatur, *g*) generis nobiliſſimi fuiſſe. Nihil praeterea nobis de illius Chriſto deuoti, nec inelegantis poetae vita conſtat. Neque obſcurum, quando cum ceteris eccleſiae doctoribus carminis diuina modulandi facultate nominis ſibi immortalitatem comparauerit. In quibusdam HIERONYMI de viris illuſtribus *h*) exemplis legitur: *floruit ſub Conſtantio principe.* Eamque lectionem ipſe MIRAEVS, erroris incautus, ſeruauit. ERASMVS vero, quem et CYPRIANVS, et critici quique doctiſſimi ſequuntur, ex probatae fidei codicibus reſtituit, ſub *Conſtantino Principe. i*) Sic quoque HIERONYMVS epiſtola ad Magnum: *Iuuencus presbyter ſub Conſtantino hiſtoriam domini Saluatoris verſibus explicauit, nec pertimuit euangelii maieſtatem ſub metri leges mittere.* Et chronico poſt Chriſtum natum anno CCCXXXII. *Iuuencus presbyter, natione Hiſpanus, euangelia heroicis verſibus explicat.* Sed Conſtantinus Magnus imperator anno Chriſti CCCXXXVII. diem obiit ſupremum. IVVENCVS ipſe: *k*)

Haec mihi pax Chriſti tribuit, pax haec mihi ſecli,
Quam fouet indulgens terrae regnator apertae,
Conſtantinus, adeſt cui gratia digna merenti.

c) Vid. NIC. ANTONIVS biblioth. vet. Hiſpanae l. 2. c. 4. *d*) Teſte HIERONYMO, l. c. *e*) De familia Vettia p. 273. *f*) Onomaſtici p. 895. conf. auctor libri Gallici, les amenitez de la critique, qui Pariſiis prodiit 1718. 12. part. 2. *g*) L. c.

h) Cap. 84. extr. *i*) Confirmat hoc etiam lectio HONORII Auguſtodunenſis de ſcript. eccleſ. l. 1. c. 85. qui totidem vulgo Hieronymum verbis exſcribere ſolet.

k) De hiſtoria euangelica l. 4. extr.

Conſtat inde, ſub Conſtantini M. Chriſtianis valde iucundo ac felici imperio, finitis iam bellis inteſtinis, circa annum Domini CCCXXXII. a Iuuenco euangelicam hiſtoriam carmine heroico vulgatam eſſe. Neque adeo quis facile ierit inficias, Iuuencum etiam deinceps, et poſt fata Conſtantini M. ſub filiis eius Auguſtis, Conſtantino, Conſtantio et Conſtante, non ſine nominis inſigni fama vixiſſe. *l*) Attamen Hieronymi corrupto codice vſus videtur eſſe PETRVS CRINITVS, *m*) qui eum docet praecipue floruiſſe imperantibus Conſtantio et Conſtante, qua tempeſtate in eloquentia apud Latinos clari fuerint Tiberianus, Nazarius et Flauius Vopiſcus.

§. XX.

Scripſit *hiſtoriae euangelicae libros quatuor*, verſibus hexametris; non, ſicut TRITHEMIVS *n*) ſibi legiſſe videtur, etiam pentametris. Neque ſingulos libros ſingulis impendit euangeliſtis, *o*) ſed Chriſti Ieſu vitam, ſiue hiſtoriam et harmoniam euangelicam quatuor libris ita digeſſit, vt nuſquam a textu ſacro recedat, in primis ducem ſecutus Matthaeum, *p*) quem ex aliis quouis modo ſupplere ſtuduit. E Luca vero ſtatim a Iohannis admiranda promiſſione carmen auſpicatur ſuum; ſacri codicis narrationem ad verbum pene referens. Poematis exordio immortalem ſibi promittit nominis famam: ſiquidem carmina eorum, qui mortalium facta cecinerunt, gloriam acqui-

l) Confer. TRITHEMIVS de ſcript. eccleſ. c. 62. *m*) De poetis Latinis l. 5. c. 88. *n*) De ſcript. eccleſ. c. 62. *o*) VOLATERRANVS anthropologia, ſiue comment. vrbanorum l. 16. p. 595. *quatuor euangelia hexametris, totidem libris, tum non nulla alia compoſuit.* *p*) Matthæum in primis ſequitur, non ſolum, vt VOSSIVS habet de poetis Latinis p. 54. et BORRICHIVS de poetis p. 96.

Digitized by Google

acquiſiuerint tantam: eam ſe tanto magis exſpectare, qui vitam ſeruatoris deſcripſerit, cuius merita nulla ſit vnquam deletura obliuio.

Quod ſi tam longam meruerunt carmina famam,
Quae veterum geſtis hominum mendacia nectunt:
Nobis certa fides aeterna in ſecula laudis
Immortale decus tribuet, meritumque rependet.
Nam mihi carmen erunt Chriſti vitalia geſta:
Diuinum in populis falſi ſine crimine donum.
Nec metus, vt mundi rapiant incendia ſecum
Hoc opus. Hoc etenim forſan me ſubtrahet igni
Tunc, cum flammiuoma deſcendet nube coruſcans
Iudex altithroni genitoris gloria Chriſtus.

Deinde, vt Muſas vulgo conſueuerunt implorare ſuo quaſi numine elati, ordinis profani poetae, ſancti ſpiritus auxilium deuotis pergit inuocare precibus, vt ſibi de geſtis aeterni ſeruatoris dicenti verba largiatur, quae illorum magnitudini reſpondeant.

Ergo age, ſanctificans adſit mihi carminis auctor,
Spiritus, et puro mentem riget amne canentis
Dulcis Iordanis, vt Chriſto digna loquamur.

Verſu primo codices plerique *ſanctificus* habent, quo vim fieri metro iudicantes *ſanctificans* ſubſtituerunt. Atqui etiam vltimo in *Iordanis* tertia producitur: vt paſſim obſeruare licebit, a ſcriptoribus ſacris adeo accurate non ſemper leges proſodiae cuſtodiri. In operis fine Conſtantinum imperatorem alloquitur, de pace illi gratias agit eccleſiae reddita, eumque laudat, quod regum omnium vnus ea ſibi noluerit tribui nomina, quae Deo ſoli omnipotenti maximo conueniant.

§. XXI.

Quod vena Iuuenci fertilis admodum fuit, procul

dubio et alia edidit eruditionis monumenta: quae ad aetatem noſtram non peruenerunt. S. HIERONYMO *q*) et HONORIO *r*) teſtibus, etiam nonnulla hexametris verſibus edidit, ad ſacramentorum ordinem pertinentia. Libros TRITHEMIVS ait *s*) de ſacramentis duos reliquiſſe. Hymnorum, quos illi tribuunt, ex veteribus nemo, quantum ego quidem ſcio, mentionem fecit. PETRVS vero CRINITVS: *t*) *idem Iuuencus aliquot hymnos fecit, quibus facile indicauit, ſe optime meritum de religione Chriſtiana.* Si TRITHEMIO *v*) credimus, pro aedificatione legentium tam metro, quam proſa, multa praeclara volumina edidit, quae ne tum quidem cuiquam cognita fuerunt.

§. XXII.

Sacrum poema Iuuenci, hiſtoriam deſcribens metro eleganti euangelicam, docti ſemper magni fecerunt. HIERONYMVS commendat eum, vt eruditum et incomparabilem poetam. In primis admiratur, *x*) quod pulcherrime munerum ſacramenta vno verſiculo comprehenderit:

Aurum, thus, myrrham, Regique, Hominique, Deoque,
Dona ferunt.

Vbi, varians obſeruanda Iuuenci lectio in libris vulgatis, *regique, deoque, hominique.* TRITHEMIO *y*) eſt vir nobilis atque doctiſſimus philoſophus, poeta, rhetor, et theologus inſignis, et non minus conuerſatione, quam ſcientia ſcripturarum eccleſiae venerabilis. BAPTISTA MANTVANVS, *volo*, inquit, *ante iſtorum oculos Iuuencum Hiſpanum ſtatuere, quem inter illuſtres viros, et in doctiſſimorum Chriſtianorum catalogo Hieronymus enumerat, vt acci-*

q) De viris illuſtr. c. 84. *r*) De ſcript. eccleſ. l. 1. c. 85.
s) De ſcript. eccleſ. c. 62. *t*) De poetis Latinis l. 5. c. 88. *v*) L. c.
x) Comment. in Matth. cap. 2. *y*) De ſcript. eccleſ. c. 62.

Digitized by Google

accidat eis, quod a Perſio dicitur, Virtutem videant, intabeſcantque relicta. Prodite, o Zoili noſtri. Videte virum ſacris initiatum myſteriis, lauro coronatum, Muſis vndique cinctum, lyram tenentem. Currite ad rarum hoc et grande ſpectaculum. Sed cauete, ne repente culpetis: laudatur ab Hieronymo. Hic igitur immenſam euangelicae legis maieſtatem verſibus includit heroicis. FRANCISCVS PETRARCHA: z)

Mira loquarque ſupra fidem: ſed carmina vidi
Hic hominis pariterque aquilae, bouis atque leonis,
Hiſpanum noſtra modulantem voce Iuuencum.

§. XXIII.

Poema ſatis quidem pium, et pro temporis ratione elegans: quo labore propemodum Herculeo ſacri codicis euangelicam hiſtoriam ex quatuor illis limpidiſſimis fontibus ad verbum reddere ſtuduit. Illud quoque tam arduum opus feliciſſime perfecit: vt dubites, ab alio facilius meliusue ad finem optatum perduci potuiſſe. Carminis forma profecto non contemnenda: numerus, vt decet, verſuum concinnus eſt. In metro, quod ſenectutis commune vitium, paſſim peccatur varie: nec verſa ipſa ſunt ſemper poetica, ſaepius etiam non ſatis Latina. Vt de compoſitione et aliis ſermonis Latini virtutibus nihil dicam: quae in ſcriptoribus huius aeui omnibus, in ſacris vero, qui res diuinas, ſine vllo verborum ornatu, maximo nitore ſuo, aut ſublimiori ſenſu, explicare maluerunt, quam maxime deſiderantur. Nec ab re PETRVS CRINITVS, *a*) euangelicam Iuuenci hiſtoriam, verſibus hexametris conſcriptam, intuens, maiori diligentia vſum fuiſſe iudicat in ſeruanda rerum hiſtoria, quam in demonſtranda ingenii ſui elegantia. Secundum BOECLERVM, *b*) non eſt

z) Bucolicorum ecloga 10, quae laurea occidens inſcribitur.
a) De poetis Latinis l. 5. c. 88. *b*) Bibliographia critica p. 135.

eſt valde eruditus, ob perſpicuitatem autem et veneration-nem antiquitatis, ſatis celebris. BORRICHIVS: *c*) *poeta non humillimi ſpiritus, qui ſi aliquando ſibi excidat in mora ſyllabarum, ignoſcendum erit ſeculi illius ruditati. Enimuero plures habet huius culpae ſocios, imo propemodum omnes poetas Chriſtianos antiquos. Dictio eius natiua et ſimplex, quaeque ſibi ſatis conſtanter exprimit rerum ſenſum.*

§. XXIV.

Iuuenci carmina ſacra primum edita ſunt *Pariſiis* 1499. fol. Iacobo Fabro Stapulenſi accurante. *d*) Deinde *Venetiis* 1502. 4. apud Aldum, cum Sedulio, Aratore et aliis. *Lipſiae* 1505. fol et 1511. 4. *Rothomagi* 1509. 4. cum ſcholiis Iodoci Badii. *e*) *Viennae* 1519. 4. *Mediolani* 1569. 8. *Coloniae Agrippinae* 1537. 8. cum Sedulio, ex Reinhardi Lorichii Hadamarii recenſione. *Baſileae* 1537. 8. cum Aratore et enchiridio Prudentii. Sine anni nota, 8. apud Oporinum, cum Sedulio, Aratore, et quatuor Venantii Fortunati hymnis, curante Theodoro Pulmanno. 1541. 8. additis Aelii Antonii Nebriſſenſis in Sedulium, et Iodoci Badii in Iuuencum annotationibus. *f*) 1545. 8. cum Sedulio et Aratore. 1562. 4. in Georgii Fabricii poetis Chriſtianis. *Pariſiis* 1506. 4. 1545. 12. *Lugduni* 1553. 1566. 1588. 12. apud Ioh. Tornaeſium, cum Sedulio et Aratore.

c) De poetis Latinis diſſert. 2. §. 47. *d*) Qui huius rei ipſe meminit praef. ad Aldhelmum de virginitate, editum Dauentriae 1512. 4. *conſiderans ego fructum illum, qui emerſit ex editione illa diui Iuuenci, quem ego ante multos annos primus omnium publicaui.* *e*) Hoc titulo: *Iuuencus presbyter immenſam euangelicae legis maieſtatem heroicis verſibus concludens, ab Iodoco Badio Aſcenſio elucidatus.*

f) Hanc editionem laudat REIMMANNVS, Theologus et polyhiſtor Hildeſienſis biblioth. Reimmann, part. 1. pag. 378.

Digitized by Google

Aratore. 1603. 4. et 1616. 4. in corpore poetarum veterum Latinorum. Aureliae Allobrogum, ſiue *Genevae* 1611. 1627. 1640. 4. in poetarum Latinorum corporibus. *Coloniae Agrippinae* 1618. fol. magna bibliotheca patrum tomo 4. num. 1. *Francofurti* et *Lipſiae* 1710. 8. accurante Erhardo Reuſchio, cum integris notis G. Martini Koenigii, Magni Danielis Omeiſii, et Chriſtiani Schoetgenii, ſelectisque Iodoci Badii, Georgii Fabricii, Caſp. Barthii et aliorum obſeruationibus. *g*) *Londini* 1713. fol. in operibus veterum poetarum Latinorum, a Michaele Maittaire recenſitis et iunctim editis.

§. XXV.

Conſtantio imperatore, ſeculo poſt Chriſtum natum quarto medio, poetas inter clarum nomen fuit HILARII, Pictauienſis Epiſcopi, qui inter multa eruditionis monumenta ſacra, de quibus ſuo loco agemus, hymnorum reliquit librum. *h*) Sed temporum is periit iniuria: nec vſquam reperire potui tres hymnos, quos GERH. IOHANNES VOSSIVS *i*) hodie ſupereſſe putat. *k*) Et ille, tanto viro indignus, cuius initium, *Lucis largitor optime*, non Aſprae ſorori, vt opinatur, ſed Abrae filiae inſcribitur. *l*) Epiſtolae et hymno, qui cum illa vulgo coniungi ſolet, ERASMVS hanc breuem cenſuram praefixit: *haec epiſtola merum*

g) Editionem hanc REIMMANNVS biblioth. Reimmannianae part. 1. pag. 366. optimam vocat auctoris optimi, qui omnium poetarum Chriſtianorum ſit antiquiſſimus. *h*) Vid. HIERONYMVS de viris illuſtribus c. 100. et praefat. epiſt. ad Galatas. *i*) De poetis Latinis pag. 55. *k*) Nam fruſtra illi quidam tribuunt hymnum de ligno crucis, cuius initium, *pange lingua glorioſi proelium certaminis*; et alterum de S. Iohanne baptiſta, qui incipit, *vt queant laxis*. *l*) Confer. FORTVNATVS de Hilarii vita lib. 1.

merum eſt nugamentum hominis otioſe indocti. Hymnus eiusdem eſt farinae. Sed bene habet, quod non plures naenias affinxerit S. Hilario. Quapropter et IOH. GILLOTIVS *m*) nihil prorſus Hilarii habere, ſed a Fortunato, qui vitam deſcripſit, confictam eſſe putat. Sed PETRVS COVSTANT, eiusque ſodales Benedictini Monachi, in operum Hilarii recentiſſima editione *n*) pro foetu genuino agnoſcunt. Vix autem hodie quisquam eiusdem metrum in geneſin eſſe affirmarit: de cuius auctore paucis quoque differere nunc operae pretium putamus: vtut paulo poſt ea tempora vixerit, quae hoc libello nobis, pro inſtituti ratione, deſcribenda ſunt.

§. XXVI.

Diuerſus a Pictauienſi Epiſcopo HILARIVS fuit Arelatenſis Epiſcopus, *o*) qui et Narbonenſis dicebatur a prouincia, cuius Arelate vrbs nobiliſſima fuit: quamuis IOH. ALBERTVS FABRICIVS diſtinguere videatur vtrumque. *p*) Anno poſt Chriſtum natum CCCCI. illuſtri genere natus, et optimis literis probe inſtitutus, coenobii Lirinenſis monachus primum, deinde Abbas, et mox, anno ſcilicet CCCCXXIX. Epiſcopus Arelatenſis factus eſt. Concilio Regienſi anno CCCCXXXIX. et Arauſicano CCCCXLI. interfuit. Annis aliquot in epiſcopatu transactis, priſtino vitae ſolitariae deſiderio commotus, Lirinum rediit: *q*) quo quidem tempore ad eum S. EVCHERIVS elegantem de laude eremi

m) Commentatione de S. Hilario, eius operibus praemiſſa. Confer. ANDR. RIVETVS critici ſacri l. 3. c. 12. operum tomo altero pag. 1110. *n*) Pariſiis 1693. fol. *o*) Vt tradit PROSPER AQVITANICVS de vita contemplat. l. 2. c. 9. *p*) Bibliotheca mediae et infimae Latinitatis lib. 8. pag. 748. et 754. *q*) Vt ipſe HILARIVS teſtatur homilia de S. Honorato, et SIDONIVS in euchariſtico ad Fauſtum.

Digitized by Google

eremi libellum ſcripſit. *r*) Erga pauperes quam maxime liberalis, ſuas non modo erogauit diuitias, verum etiam, contra quam eius paterentur vires, egeſtati illorum ſtrenuis manuum ſuarum operibus ſubuenire ſtuduit: donec anno Domini CCCCL. exſpiraret, Valentiniano III. in occidente, et Marciano in oriente imperantibus. *s*) Elogium hoc illi GENNADIVS *t*) ſcripſit: *vir in ſanctis ſcripturis doctus, paupertatis amator, et erga inopum prouiſionem non ſolum mentis pietate, ſed et corporis ſui ſolicitus labore fuit. Nam pro reficiendis pauperibus etiam ruſticationem contra vires ſuas homo genere clarus, et longe aliter educatus, exercuit: ſed nec in ſpiritualibus neglexit. Nam et in docendo gratiam habuit, et absque perſonarum acceptione omnibus caſtigatum opus praedicationis ingeſſit. Ingenio vero immortali aliqua et parua edidit, quae eruditae animae et fidelis linguae indicio ſunt.* Quod totidem verbis in martyrologio ſuo ADO, Archiepiſcopus Treuirenſis *v*) exſcripſit. TRITHEMIVS *x*) tantam viri ait pietatem in pauperes fuiſſe, vt omnibus ſuis in eorum vſus hilariter diſperſis, pater pauperum deinceps vocaretur et eſſet. Qui

r) Vid. MIRAEVS ſchol. ad Gennadii lib. de viris illuſtr. c. 63. apud FABRICIVM biblioth. eccleſ. pag. 30. *s*) Ita diſerte GENNADIVS de viris illuſtr. c. 69. extr. et TRITHEMIVS de ſcriptoribus eccleſiaſticis c. 149. FABRICIVS biblioth. mediae et infimae Latinitatis l. 8. p. 748. ait obiiſſe CCCCXLIX. Atqui Marcianus anno tandem ſequenti rerum in oriente potitus eſt. MIRAEVS ad Gennadium l. c. apud FABRICIVM biblioth. eccleſ. p. 32. auctorem ſequitur, qui vitam Hilarii ſcripſit, eumque mortuum eſſe tradidit CCCCXLVI. Leonis I. pontificis decimo. *t*) De viris illuſtr. c. 69. Confer. HONORIVS Auguſtodunenſis de ſcript. eccleſ. l. 2. c. 68. *v*) III. Nonas Mail, apud SVRIVM de probatis ſanctorum hiſtoriis tom. 7. pag. 326.

x) De ſcript. eccleſ. c. 149.

Digitized by Google

vitam eius reliquerit deſcriptam, quique praeter eam conſulendi ſint, FABRICIVS *y*) annotauit. Sermone ſcripſit ſoluto varia, vitam S. Honorati *z*) Arelatenſis Epiſcopi, praedeceſſoris ſui, quam GENNADIVS *a*) vocat neceſſarium opus, et ad multorum vtilitatem compoſitum: *b*) de miraculo S. Geneſii, martyris Arelatenſis narrationem atque ſermonem: *c*) epiſtolas ad Eucherium et Auguſtinum, *d*) Oratione ligata inprimis memorandum eius carmen heroicum in Geneſin vſque ad diluuium, ad Leonem I. papam: quem aliquot diſtichis alloquitur primo:

Paruimus monitis tua dulcia iuſſa ſecuti,
Antiſtes Chriſti, quae dabas ore pio.
An ego nunc canerem tanti praeconia patris?
Munus opusque Dei dum mihi lingua foret.
Rauca quidem, ſtridens, et nullis digna coronis,
Ingeniumque iacens, ſed libet alta loqui.

Stilo deinde magnifico celſoque orditur opus:

Dignum opus et iuſtum eſt, ſemper tibi dicere grates,
Omnipotens mundi genitor, quo principe cuncta
Natalem ſumſere diem, atque exorta repente:
Poſt tenebras ſtupido ſpectarunt lumina coelo,

Gens

y) Bibliothecae mediae et infimae Latinitatis l. 8. p. 748. ſeq.
z) Non *Honorii*, vt HONORIVS Auguſtodunenſis de ſcript. eccleſ. lib. 3. c. 18. habet. *a*) De viris illuſtr. c. 69. Confer. HONORIVS l. c. et ISIDORVS Hiſpalenſis de ſcriptoribus eccleſiaſticis c. 16. VOSSIVS de hiſtoricis Latinis l. 2. c. 16. p. 224.
b) Edidit Gilbertus Genebrandus Pariſiis 1578. 8. Vincentius Barralis in chronologia ſanctorum ſacrae Inſulae Lirinenſis Lugduni 1613. 4. Surius et Bollandus in actis ſanctorum.
c) Apud SVRIVM de probatis ſanctorum hiſtoriis d. 25. Aug.
d) Magna bibliotheca patrum Colon. Agripp. 1618. fol. tom. 5. part. 2. num. 10.

Digitized by Google

Gens hominum pecudesque ferae milleque volucres,
Et quae per liquidos diſcurrunt agmina campos,
Omnia per temet, ex te qui maxima condis,
Ex te nate pater: nec iam patris eſt pater alter.

Extat hoc carmen, ſiue metrum, vt vocatur, in magna bibliotheca patrum: *e*) ſaepius et editum eſt in poetis Chriſtianis Georgii Fabricii, et in operibus Hilarii Pictauienſis. Separatim etiam prodiit cum notis Ioh. Weitzii Francofurti 1625. 8. Atqui is et plures alii egregie falluntur, quod Hilarii Pictauienſis hoc carmen eſſe putant. Hic enim ſeculo ferme integro e viuis exceſſit ante, quam Leo, pontifex Romanus, cui metrum iſtud inſcriptum, eccleſiae praeeſſet. *f*) Auctor ille quidem, vt dixi, ſublimia petit, ſed in meteoris plerumque verſatur, et ſui ſeculi vitiis laborat. De linguae parum ſolicitus caſtitate et proſodia, barbaris vocibus ſermonem maculat, ſententias nondum perfectas abrumpit, breues ſubinde producit ſyllabas, et corripit longas. Tribuunt Arelatenſi Hilario etiam poemata alia, quae adeo certa non ſunt. *g*) Vincentii Lirinenſis et Hilarii Arelatenſis opera ad codices MSstos editionesque praeſtantiores recognita et notis illuſtrata a D. Salinas, Neapolitano, prodierunt Romae 1731. 8. Sed nec ipſe Arelatenſis ille Hilarius huius loci eſt: cuius

e) Loc. cit. *f*) Confer. ANDR. RIVETVS critici ſacri lib. 3. c. 12. extr. operum tomo altero p. 1111. REIMMANNVS biblioth. Reimmanniana tom. 1. p. 368. *g*) Non magis certum eſt, Hilarii huius eſſe carmen de prouidentia, quod inter S. Proſperi Aquitanici opera legitur, et illi a NORISIO tribuitur: quam auctorem eſſe carminis de fratribus ſeptem Maccabaeis, quod alias Victorini nomine venit, atque Hilario vindicatur a BARTHIO aduerſar. lib. 3. c. 23. Confer. FABRICIVS biblioth. mediae et infimae Latinitatis lib. 8. p. 751.

ideo tantum facta est mentio, quod vulgo cum Hilario Pictauiensi confundi solet: cum altero post eum vixerit seculo. Ad antiquiora ergo reuertimur tempora: vt claros vegetae senectutis poetas reliquos, ordine quemque suo, recenseamus.

§. XXVII.

Sub Constantio principe Ariano floruit MARIVS VICTORINVS Afer, qui Romae rhetoricam docuit, non sine omnium applausu, et statuam meruit. Valde senex iam Christianorum sacris initiatus est. Praeter rhetorica, grammatica et sacra plurima, scripsit carmen hexametrum, quod extat, de septem fratribus Maccabaeis cum matre ab Antiocho Epiphane interemtis. Carmen istud BARTHIVS *b*) Hilario Arelatensi, aliis alii tribuunt. Et DAVMIVS *i*) obseruat, ita interpolatum esse, vt, qui exempla contulerit, iouem lapidem iuraturus sit, diuersorum auctorum opuscula esse. Adeo nihil in eo exquisitum, nihil vere poeticum: ni forsan quaedam seruiles Virgilianae imitationes, aut affectatio potius, commendationem merentur. Versus plerique sunt humiles et abiecti. Victorinorum opuscula simul omnia prodierunt *Gothae* 1652. 8. Carmen de fratribus Maccabaeis interfectis legitur in corpore poetarum veterum ecclesiasticorum a Georgio Fabricio recensitorum et notis illustratorum, *Basileae* 1562. 4. In aliis poetarum corporibus. Extant etiam *Coloniae Agrippinae* 1618. fol. in magna bibliotheca patrum tom. 4. n. 9. opuscula Victorini contra Arianos, hymni et carmen. Sunt de homousio recipiendo hymni tres, quorum primo et tertio laudes celebrat sacro sanctae trinitatis, quam multis vocabulis explicat: secundus oratio ad Deum, prosae, quam ligatae, similior, vt symbolum

b) Aduers. l. 3. c. 23. *i*) Annot. ad Paulinum Petrocorium.

Digitized by Google

bolum eſt, quod Athanaſio tribuitur. Iudice LAVNOIO, *k*) Victorini tres hymni interpretem in nonnullis benignum exigunt. Scripta reliqua inferius paulo recenſebimus, vbi de rhetoribus huius aeui illuſtrioribus differendi occaſio erit.

§. XXVIII.

Conſtantii, Iuliani, et Valentiniani, Auguſtorum, temporibus inter Chriſtianos poetas claruit AQVILIVS *l*) SEVERVS, de quo HIERONYMVS *m*) ita memoriae prodidit: *in Hiſpania, de genere illius Seueri, ad quem Lactantii duo epiſtolarum ſcribuntur libri, n) compoſuit volumen, quaſi ὁδοιπορικὸν, o) totius ſuae vitae ſtatum continens, tam proſa, quam verſibus, quod vocauit καταςροφὴν, p) ſiue πεῖραν, q) et ſub Valentiniano principe obiit.* r) Et pſeudo-Dexter in chronico ad annum CCCLXX. *Aquilius Seuerus, domo Toletanus, ex genere alterius Aquilii Seueri, ad quem Lactantius nuncupauit volumen epiſtolarum, hoc tempore magno in pretio habetur.* Eius vero nihil hodie ſupereſt. Et carmen Seueri Sancti de mortibus boum, quod legitur in collectione epigrammatum et poematiorum veterum, quae Pariſiis 1590. 8. et 1596. 12. cura Petri Pithoei prodierunt, ſecundum ipſius editoris ſententiam, eo videtur eſſe antiquius, cuius Hieronymus meminit. *s*)

§. XXIX.

k) Diſſert. de Victorinis pag. 56. *l*) Codices MSti nomen iſtud diuerſimode exprimunt, *Acbilium*, *Acilium*, *Attilium*, (*aecilium*. Vid. VOSSIVS de poetis Latinis p. 55. FABRICIVS ad Hieronym. de viris illuſtr. c. 111. bibliotheca eccleſ. p. 201. *m*) De viris illuſtr. c. 111. *n*) De quibus idem c. 8. Sed iſtae Lactantii epiſtolae nullibi hodie reperiuntur. *o*) i. e. *itinerarium*. Et iſtud hodie non extat. *p*) i. e. *conuerſionem*. *q*) i. e. *experientiam*. r) Confer. HONORIVS de ſcript. eccleſ. l. 1. c. 112. *s*) Vid. etiam VOSSIVS de poetis Latinis p. 55.

§. XXIX.

Inter huius aeui poetas etiam locum merentur Viri conſulares, Vrbi Romae praefecti, et Pontifices maiores, LVCIVS et QVINTVS AVRELII SYMMACHI, de quibus oratores inter prolixius fuerit differendi occaſio. L. AVRELIVS AVIANVS SYMMACHVS pater inter praecipua illius aeui doctrinarum et modeſtiae exempla nominandus eſt. *t*) De poetices ſtudio teſtantur eius epigrammata ex iis, quae in LXXX. illuſtres ſui ſeculi viros condiderat. Quae ſuperſunt de Arcadio Ruffino, de Valerio Proculo, de Anicio Iuliano, de Petronio Probiano, de Verino, epiſtola ad filium miſit. *v*) Q. AVRELIVS SYMMACHVS filius et paternarum dignitatum ex aſſe heres, qui epiſtolis maxime inclaruit, etiam verſibus aliquando ludere non dubitauit: ſuarumque deliciarum ſpecimina quaedam ad patrem miſit: *x*) quae, dici non poteſt, quantum indulgentiſſimo parenti placuerint. *Quid concinnius*, illi reſcripſit, *y*) *epiſtola tua, quam nuper accepi? Quid verſuum admixtione iucundius? -- Et ego igitur gratulor, non magis oſtreis et peloridibus abdomen, quam pectus tibi eloquio eſſe ſatiatum.* Et AVSONIVS *z*) illi Gryphum de ternario numero inſcripſit.

§. XXX.

Gratiani, Valentiniani II. et Theodoſii Auguſtorum temporibus diuina poeſi et doctrina illuſtris fuit DECIVS *a*) MAGNVS AVSONIVS, Burdigalenſis Gallus. Parentum

t) Vid AMMIANVS MARCELLINVS hiſt. l. 27. *v*) Quae eſt inter SYMMACHIANAS l. 1. epiſtola 2. *x*) Lib. 1. epiſt. 1. *y*) Lib. 1. epiſt. 2. *z*) Edyllio 11. *a*) Quem rectius dixeris DECIMVM. Vitam Auſonii deſcripſerunt inter alios PETRVS CRINITVS de poetis Latinis lib. 1. c. 86. IOSEPHVS SCALIGER Auſoniarum lectionum l. 2. c. 33. AVBERTVS MIRAEVS auctario de ſcriptoribus eccleſiaſt. c. 36. FABRICIVS biblioth. eccleſ. pag. 7.

Digitized by Google

Parentum et neceſſariorum memoriam poeta ipſe parentalium libello conſeruauit. Pater fuit Iulius Auſonius Burdegalae medicus longe celeberrimus: de quo inferius plura dicendi ſuppeditabitur occaſio. Mater Aemilia Aeonia, Caecilii Argicii Arborii filia, quam *fama pudicitiae*, *lanificaeque manus*, *coniugiique fides*, *et natos cura regendi*, *et grauitas comis*, *laetaque ſerietas* commendat. *b*) Haud degener filius ab ineunte aetate virtutis ac eruditionis ſpecimina haudquaquam vulgaria dedit. Hinc aui materni Caecilii Argicii Arborii ſpes vna fuit reliqua: *c*) in cuius domo educatus, factusque maturior diſciplinae formandus traditur auunculo ſuo Aemilio Magno Arborio, Toloſae et Narbonenſis Galliae rhetori excellentiſſimo: quo vſus praeceptore fideliſſimo, dici non poteſt, quantos in optimis artibus et linguis Graeca Latinaque fecerit profectus. *d*) Annos triginta natus Burdigalae primum docuit grammaticam, et rhetoricae mox cathedram obtinuit, Acilio Glabrione grammatico in eius locum ſuffecto. In eo docendi munere permanſit: donec a Valentiniano I. imperatore, in cuius palatio tum fuerat pater Iulius Auſonius medicus, Gratiani et Valentiniani principum ſtudiis praeficeretur. Principes etiam ſuos comitatur in bello: neque deſinit, cum illorum expeditionibus intereſſet ſaepius, inter arma et ſaeua Martis ſtudia, manſuetioribus litare Muſis. Sic ſane in finibus Sueuorum, magna Alemannorum ſtrage, a Valentiniano patre et Gratiano, victoribus Auguſtis, captam Biſſulam, formaſam Venerem, verſibus ornauit delicatiſſimis. *e*) Mox a Valentiniano patre et Gratiano Auguſtis Quaeſtor conſtitutus, et praefectus

b) Vt AVSONIVS habet parentalium c. 3. *c*) De quo parentalium c. 5. *d*) L. c. cap. 4. *e*) Edyllio 7.

ctus praetorio, duplicem praefecturam accepit, primam Italiae, alteram Galliarum. Cum adhuc Treuiris esset, cuius regionis mira captus amoenitate, delitias Mosellae fluminis descripsit, *f*) absens a Gratiano Sirmii in annum v. c. MCXXXII. qui est post Christum natum CCCLXXIX. cum Hermogeniano Olybrio consul Romanus designatur, et prior nuncupatur. *g*) Atque etiam illi Gratianus grato animo insignia misit cum munera, tum ornamenta consularis dignitatis: inter alia togam palmatam, *h*) in qua diuus Constantius intextus fuerat. *i*) Sic altissimum honoris gradum assecutus, imperatoris maximam liberalitatem expertus est, atque iucundissimos doctrinae fructus percepit. Proconsul Asiae praefuit: mox et vicarius dioeceseos

f) Edyllio 10. *g*) Insolentiae plena sunt verba AVSONII ad Gratianum imperatorem discipulum gratiarum actione pro consulatu: *te consulem designaui, et declaraui, et priorem nuncupaui. Quis haec verba te docuit? ego tam propria et tam Latina nescisti.* *h*) *Toga palmata* vel a pictis appellata est palmis; vel quod ea vterentur, qui palmam, i. e. victoriae atque adeo summi honoris signum meruissent. Vid. LIVIVS l. 30. c. 15. MARTIALIS l. 7. epigr. 1. FERRARIVS rei vest. part. 1. l. 2. 8.

i) AVSONIVS. gratiarum actione pro consulatu, ad Gratianum imperatorem: *In Illyrico arma quatiuntur. Tu meae caussa per Gallias ciuilium decorum indumenta dispensas. Loricatus de toga mea tractas. In procinctu, et maxime dimicaturus, palmatae vestis meae ornamenta disponis feliciter et bono omine. Namque iste habitus, vt in pace consulis est, sic in victoria triumphantis -- Munera tua verborum honore prosequeris. Palmatam, inquis, tibi misi: in qua diuus Constantius, parens noster, intextus est. -- Haec est picta, vt dicitur, vestis, non magis auro suo, quam suis verbis. -- Geminum in vno habitu radiat nomen Augusti. Constantius in argumento vestis intexitur. Gratianus in muneris honore sentitur.*

Digitized by Google

ſeos Africanae virtutis ſpecimina dedit. Poſtea diu in palatio manſit, omnibusque perfunctus eſt honoribus, quoad in viuis Gratianus imperator erat. Eo, fraude Maximi tyranni, ſublato, etiam inuitus in palatio manere cogitur. Poſteaquam vero Maximus ad Aquileiam caeſus eſt, miſſione a Theodoſio Auguſto impetrata, rerum pertaeſus in patriam rediit: vt ſenex iam, laboribus exantlatis domeſtica negotia curaret, ac otii literarii ſuauitate perfrueretur. Ita quod reliquum aetatis fuit, molliter et tranquille in aedibus praediisque paternis tranſegit. Tres fundos magnifice inſtructos habuit, Lucaniacum, Nouerogum, et Maroialium. In matrimonio habuit vnice dilectam Attuſiam Lucanam Sabinam, Attuſii Lucani Taliſii, ciuis ſplendidi Burdigalenſis, filiam, quam vix tum XXVIII. natam amiſit, tantoque proſecutus eſt luctu, vt ad vota ſecunda tranſire nunquam voluerit, et XLV. vltra annos poſt eius, ſuauiſſimae coniugis ſuae, mortem coelebs viuere maluerit. *k*) Reliquit illi cum filia vnica duos, amoris pignora, natos. Auſonium patri cognominem amiſit infantem. *l*) Filium alterum, Heſperium Aquilium ſummis dignitatibus ornatum vidit, ſuisque monumentis eius memoriam conſeruauit. *m*) Hunc proconſulem ipſe praefectus praetorio; et praefectum praetorio conſul vidit. Filia nupſit Valerio Latino Euronio, Thalaſſio iuueni nobiliſſimo, qui praeſes Illyrii et rationalis fuit; ſed immatura morte obiit, lactantis nati vix bene notus pater. *n*) Hunc ſuum ex filia nepotem amore tenerrimo amplexus eſt, ad quem optimis literis imbutum carmen ſuum protrepticon miſit, *o*) de ſtudio puerili, ſuoque eum nomine Auſonium

k) Memoriam eius conſeruauit parental. c. 10. *l*) Parental. c. 11. *m*) Epigr. extr. Edyll. 4. praefat. Epiſt. 2. et 3. *n*) AVSON. parental. c. 15. *o*) Edyllio 4.

vocauit. Sed Herculano, ſuo ex ſorore Dryadia nepote, a ſe primum inſtituto, deinde ſucceſſore in cathedra ſibi relicto, non parum offendebatur, luxum eius perpetuo, diſſolutos mores, ac praeceps ingenium accuſans. *p*) Inter amicos praecipue coluit Syagrium Gregorium et Symmachum, epiſtolarum auctorem, quos filiorum loco habuit, *q*) Tetradium, ſatyrarum ſcriptorem, *r*) Clementem Theonem, poetam Medulum, *s*) Axium Paulum rhetorem et poetam Bigerritanum. *t*) Suſpiciebat quoque Latinum Drepanium Pacatum Aginnatem, proconſulari dignitate, cuius nobiliſſima eſt Theodoſio imperatori dicta oratio, et cui noſter ludum ſeptem ſapientum inſcripſit. Sed omnium maxime amplectebatur Pontium Paulinum, quoad ſecum in Aquitania erat. Poſteaquam vero ille Chriſto, ſeruatori ſuo, deuotus, ad ſolitudinem quaſi, in Hiſpaniam ſeceſſit: aegerrime id ferens Auſonius calumniari coepit, et exprobrare beneficia, quibus eum ſemper cumulauerit: iam vero plane ingrato, et obſtinato ad taciturnitatem, animo, toties non ſibi reſpondere ſcribenti. Multum autem Paulinus infra Auſonii aetatem ab eo inſtitutus olim fuerat, ac in palatium promotus. Quod Paulinus non negabat, ſed Auſonio ſe diſciplinam, dignitatem, literas, linguam, togam, famam, et omnia accepta referre manifeſto profitebatur, eumque ſuum patronum, patrem, et praeceptorem vocabat. *v*) Obiit tandem Auſonius, ſecundum plurimorum ſententiam, certi enim ſtatuere quicquam nemo poteſt, valde ſenex Burdigalae,

p) Commemoratione profeſſorum Burdigalenſium c. 12.
q) Praefat. Edyll. 6. et 11. Epiſt. 17. *r*) Epiſt. 15. *s*) Epiſt. 4. 5. 6. *t*) Praefat. Edyll. 7. Epiſt. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14.
v) Vid. PONTII PAVLINI ad Auſonium epiſtolae, quae huius operibus vulgo ſubiiciuntur.

Digitized by Google

galae, Honorio imperante, qui cum Arcadio fratre anno poſt Chriſtum natum cccxcv. rerum potitus eſt, vel paulo ante eum cccxcii. Ante quadriennium certe quidem in viuis adhuc erat, ſuisque literis elegantioribus animi vires teſtabatur. Nam in carmine de Aquileia *x*) mentionem facit de Maximi tyranni nece: qui Aquileiae a militibus ſuis proditus, et proelio a Theodoſio imperatore victus, anno a reparata ſalute noſtra cccLxxxviii. vi. kal. Septembris occubuit. Plurima etiam Theodoſii rogatu ſcripſit carmina ſenex: quorum dedicatione Auguſti literis gratia et humanitate plenis reſpondet:

Scribere me Auguſtus iubet: et mea carmina poſcit,
Paene rogans: blando vis latet imperio.
Non habeo ingenium: Caeſar ſed iuſſit: habebo.
Cur me poſſe negem: poſſe quod ille putat?
Inualidas vires ipſe excitat: et iuuat idem,
Qui iubet. Obſequium ſufficit eſſe meum.

§. XXXI.

Extant hodie Auſonii i. *epigrammata*, quibus praemittitur Theodoſii Imperatoris ad Auſonium ſcripta epiſtola, gratiae et humanitatis plena, vt carmina ad eum ſua perferenda curaret. *y*) Sequitur Auſonii reſponſio verſibus, et duplex libelli dedicatio, vna Syagrio, altera Latino Pacato Drepanio ſcripta. MICHAEL NEANDER *z*) epigrammatum ait maximam partem a Graecis acceptam mira elegantia parique ingenio transtuliſſe. Aliis vero illa omnium minime placent. Et IOS. SCALIGER noſtrum epigrammata nunquam ſcripſiſſe putat. Sunt epigrammata nu-

x) Ordine nobilium ciuitatum c. 6. *y*) Epiſtolam hanc BARTHIVS aduerſ. l. 12. c. 12. plane ſpuriam eſſe iudicat. Confer. PLACCIVS de pſeudon. *z*) Erot. Gr. linguae praefat. p. 196. Ita quoque PETRVS CRINITVS de poetis Latinis l. 5. c. 86.

numero CXXXVIII. et quatuor, quibus fastorum, a se digestorum, meminit. 2. *Ephemeris*, siue totius diei negotium, vario carminis genere descriptum. Sed medio poemate multa desiderantur. 3. *Parentalia*, quibus necessariorum piam memoriam conseruare studet, aut *nomina*, vt ipse loquitur, *carorum iam condita funere iusto*. Versibus perbreui oratione praefatus est prosa. 4. *Commemoratio professorum Burdigalensium*. 5. *Epitaphia heroum, qui bello Troiano interfuerunt*: quibus aliquot aliorum sunt addita. Praefatio scripta oratione soluta. 6. *De XII. Caesaribus per Suetonium Tranquillum scriptis monosticha*, Hesperio filio suo dicata. 7. *De iisdem Caesaribus a Iulio Caesare vsque ad tempora sua tetrosticha*. Sed quae Heliogabalum sequuntur ad Theodosium vsque, temporum iniuria periere. 8. *Ordo nobilium vrbium*. 9. *Ludus septem sapientum*: quem Ausonius consul ad Latinum Drepanium Pacatum proconsulem scripsit. 10. Eorundem *septem sapientum sententiae*. 11. *Edyllia XX.* quorum nonnullis epistolae praemittuntur solutae. 12. *Eclogarium* carminum et epigrammatum variorum. 13. *Epistolae XXVI.* quibus soluta miscentur multa. 14. *Ad Gratianum imperatorem discipulum oratio panegyrica*, seu gratiarum actio pro consulatu prosa. 15. *Periochae in Homeri Iliadem et Odysseam*, prosa et ligata oratione.

§. XXXII.

Scripsit alia multa, in quibus nominantur *fasti*, quos ab vrbe condita ad consulatum suum perfecit, *chronica* Corn. Nepotis, *apologi Aesopi*, quos stilo exarauit pedestri, cetera, quae temporum iniuria periere. Perperam illi tribuuntur *tetrasticha in singulos menses*, quae GRAEVIVS thesauri antiquitatum Romanarum tomo octauo inseruit, et Ausonio non indigna esse iudicauit. *Oratio paschalis*

Digitized by Google

paſchalis verſibus Rophalicis conſcripta. Verſus autem Rophalici dicuntur, quibus voces, clauae more, gradatim ſurgunt, et ſyllabarum numero augentur: *a*) vt orationis verſus docet primus, *Spes Deus aeternae ſtationis conciliator.* Eam SCALIGER operibus Auſonii, inter veterum quorundam carmina, annectit. *Satyra de ſtatu reip. et temporibus Domitiani*, quam ſaniores critici tandem Sulpitiae vindicarunt. *b*) *Catonis diſticha* pueris etiam hodie valde familiaria. *c*)

§. XXXIII.

Incomparabilis ſuo tempore eruditionis fama inclaruit, adeo quidem, vt Valentinianus I. Imperator, eum ſtudiis principum ſuorum praeficere non dubitauerit: Gratianus et Valentinianus II. diſcipuli eius Auguſti aliis ſuper alia muneribus ornarit, quoad altiſſimum dignitatis gradum attingeret. Quanti eum Theodoſius imperator fecerit, ſuis ipſe literis, ad poetam ſcriptis, teſtatus eſt. *d*) Moſellam Auſonii SYMMACHVS ita praedicat, vt libris opinetur non immerito adiungi Maronis.

§. XXXIV.

Fruſtra Auſonius quidem a ROBERTO CARDIN. BELLARMINO, *e*) IOH. GERHARDO, *f*) inter eccleſiaſticos ſcriptores numeratur. Omnium vero minime audiendus eſt IOH. TRIT-

a) A. GELLIVS noct. Attic. l. 14. c. 6. verſus vocat, qui per ſingula vocabula ſingulis ſyllabis increſcant. Pro *Rophalicis* verſibus legunt alii *Euryphallicos*. Conf. TVRNEBVS aduerſ. l. 5. c. 6.

b) Vid. comment. de imminenti Lat. linguae ſenectute c. 3. §. 113. p. 250. *c*) Vid. SCALIGER Auſon. lect. l. 2. c. 32. VOSSIVS de poetis Latinis pag. 55. *d*) Quae vulgo ante Auſonii epigrammata leguntur, et ſuperiori capite altero, vbi de meritis Theodoſii egimus, bona fide exhibentur. *e*) De ſcriptoribus eccleſiaſticis a. 420. *f*) Patrolog. pag. 403.

TRITHEMIVS, *g*) qui aut plures confundit Auſonios, aut ſine fide cuiusquam ſufficiente affirmat, epiſcopum fuiſſe Burdegalenſem, virum in diuinis ſcripturis eruditiſſimum, et in ſecularibus literis ſuo tempore nulli ſecundum, metro excellentem et proſa, non minus ſanctitate, quam eruditione clarum effulſiſſe: qui apud Treuirim in concilio ſub Maximo principe vna cum ſanctis Martino, Ambroſio Mediolanenſi, et Hieronymo presbytero multa praeclara geſſerit. *h*) Inter eius ſcripta laudat Moſellam, et laudes patriae. Alia ad nos non peruenisſe putat, et maxime clarum ſub Maximo fuiſſe, anno Domini ccccx. Sed non vno fallitur modo: et noſtra non refert, inhaerere nugis. Auſonium vero Chriſtianorum ſacris addictum fuiſſe, miror tot tantosque viros ire inficias, et religione ethnicum palam pronunciare. OLAVS BORRICHIVS, *i*) GVILIELMVS CAVEVS, *k*) G. I. VOSSIVS, *l*) EZECH. SPANHEMIVS, *m*) CHRISTOPH. HENDRICH, *n*) LVDOV. ANT. MVRATORIVS, *o*) alii, ſibi plane perſuadent, neminem dubitare, quod a religione Chriſtiana alienus fuerit. Eius verſus non omnino eam prae ſe ferre caſtitatem et morum elegantiam, quae Chriſtianos decet, facile deprehendimus, etiam conniuenti oculo centonem nuptialem *p*) perluſtrantes. Atqui non raro

g) De ſcriptoribus eccleſiaſticis c. 114. Eumque erroris incautus ſequitur GADDIVS de ſcriptoribus non eccleſ. tom. 1. p. 57.

h) De concilio Treuirenſi anno poſt Chriſtum natum CCCLXXXVI, habito SVLPICIVS SEVERVS teſtatur dial. 3. c. 15. Auſonium vero noſtrum Burdegalenſem epiſcopum huic concilio interfuiſſe, neſcio, quo auctore Trithemius ſcripſerit. Confer. FABRICII biblioth. eccleſiaſt. pag. 34. *i*) De poetis pag. 73.

k) Hiſt. liter. ſcript. eccleſ. part. 2. p. 100. *l*) De poetis Latinis p. 55. *m*) Tom. 2. de vſu numiſm. p. 414. *n*) In pandectis Brandenburgicis tom. 1. p. 360. *o*) Anecdot. biblioth. Ambroſianae p. 114. *p*) Edyll. 13.

Digitized by Google

raro his quoque temporibus fatentur deuoti homines noſtri: *laſciua eſt nobis pagina, vita proba.* q) Symmachi amicitia non Auſonii magis, quam D. Ambroſii doctrinae ſaniori ac fidei, quam Chriſto dederant, ſeruatori ſuo aduerſari videtur. Pontium Paulinum diſcipulum increpat, non quod nomen dederit Chriſto, ſed quod ingrato animo conſuetudinem ſuam et bonarum artium ſtudia, ac ſi deuotioni Chriſtianae ſint aduerſa, reliquerit, et ſuperſtitione quadam abreptus in ſolitudinem ſeceſſerit. Ita prima PAVLINVS ad Auſonium ſcripſit epiſtola:

Quid abdicatas in meam curam, pater,
Redire Muſas praecipis?
Negant Camenis, nec patent Apollini
Dicata Chriſto pectora.
Fuit iſta quondam non ope, ſed ſtudio pari,
Tecum mihi concordia,
Ciere ſurdum Delphica Phoebum ſpecu,
Vocare Muſas numina:
Fandique munus, munere indultum Dei,
Petere fonte, nemore, aut iugis.
Nunc alia mentem vis agit, maior Deus:
Aliosque more poſtulat,
Sibi repoſcens ab homine munus ſuum:
Viuamus vt vitae patri.
Vacare vanis, otio, aut negotio,
Et fabuloſis literis.
Vetat — — — —

Inter Chriſtianos, non inter religioſos homines Auſonius numerandus eſt: vt hodie ſunt plures elegantioris diſciplinae patroni, et Chriſtum vera fide ac deuota mente colunt.

q) MARTIALIS l. 1. epigr. 5.

lunt. Numina vocat Muſas, vt vulgo poetae ſolent, quorum fictionibus, ſalua meliori doctrina, nimium aliquando indulget. Idololatriae aut ſuperſtitionis eum Paulinus nunquam accuſauit: eiusdem contra ſecum teſtatur confeſſionis, et Chriſti cultorem fuiſſe: r)

Inque tuo tantus nobis conſenſus amore eſt,
Quantus et in Chriſto connexa mente colendo.

Eſto paſchalem orationem, cuius initium, *Spes Deus aeternae ſtationis conciliator*, Auſonio falſo tribui: Ephemeris certe, ſeu totius diei negotium, genuinus Auſonii foetus, cuius parecbaſi:

Nec thus, inquit, *cremandum poſtulo,*
Nec liba cruſti mellei.
Faculumque viui caeſpitis
Vanis relinquo altaribus.
Deus precandus eſt mihi,
Ac filius ſummi Dei,
Maieſtas vniusmodi
Sociata ſacro Spiritui.

Qui et ſequentem legerit orationem, minime profecto Chriſtianum auctorem fuiſſe negabit. Nec edyllia quisquam fuerit auſus in dubium vocare: quorum quod ordine primum paſchale vocatur, et verſibus Chriſtum celebrat omnibus: vt plane non ab homine ethnico proficiſci potuerit. Initium carminis:

Sancta ſalutiferi redeunt ſolemnia Chriſti:
Et deuota pii celebrant ieiunia myſtae.

Fuit ergo Auſonius ſerio Chriſtianus: alioqui nec piis potuiſſet placere Auguſtis, quorum ſtudiis praefectus, et a quibus poſtea immane quantum honoratus fuit. Neque hinc

r) PONTIVS PAVLINVS ad Auſonium epiſt. 2. v. 18.

Digitized by Google

hinc LILIVS GREG. GYRALDVS, *s*) PETRVS CRINITVS, *t*) IOS. SCALIGER, *v*) PETR. BAELIVS, *x*) IAC. CHRISTOPH. ISELIVS, *y*) IOH. ALBERT. FABRICIVS, *z*) Viri eruditiſſimi, Auſonium Chriſtianis annumerandum eſſe dubitarunt.

§. XXXV.

Haud immerito poetae laſciuia et inſolens petulantia accuſatur: qua ſemet non paucis de peſſima ethnicorum conſuetudine ſuſpectum reddidit. Caſtis profecto Chriſtianorum auribus indigna, quae ad deſignandam ſpurciciem atque nefandam aliquando Veneris improbitatem miſcere non veretur. In primis cento nuptialis atro carbone notandus. HENRICVM STEPHANVM *a*) audiamus. *Quidni autem*, inquit, *Virgilio centones itidem appellabimus, quos Auſonius, et quos Proba Falconia nobis dederunt? Ex ſolis enim Virgilii verſibus eſſe conſutos videmus. Neque tamen ex Auſonio, vbi quaedam de hac ſcriptione praecepta tradit, conſtare nobis poteſt, ex huius duntaxat poetae verſibus centones conſarcinari conſueuiſſe. Ac ne praecepta quidem eius vsquequaque vera eſſe videntur: illudque potiſſimum, quo monet, ne duo verſus iunctim locentur. Quod idem ſcribit, Virgiliani carminis dignitatem centonibus eſſe dehoneſtatam, merito de iis dicetur, quos ſcripſit, quum ibi nonnullos verſus ad obſcoeniſſimum ſenſum detorqueat. Sed quos Proba Falconia edidit, tantum abeſt, vt hoc nomine nobis diſplicere, vt contra placere ideo debeant, quod Virgilianos magis auguſtos, et velut ſacros ex profanis reddiderint.* De Proba Falconia videbimus

s) Dialogo 10. de poetis. *t*) De poetis Latinis l. 5. c. 86.
v) Auſon. lect. l. 2. c. 32. *x*) Diction. v. Auſon.
y) Lex. vniuerſ. v. Auſon. *z*) Biblioth. Lat. vol. 1. p. 583. ſeq.
a) Centonum et parodiarum exemplis pag. 8.

Digitized by Google

himus infra ſuo loco. Centone Auſoniano autem turpius nihil inueniri poteſt.

§. XXXVI.

Auſonius poeta quidem fuit Graece et Latine doctus, diligens et ingenioſus: ſed tamen elegantioris ſeculi non potuit attingere virtutes; nedum ſermonis Romani ſeruare caſtitatem vbique: vt parum aliquando videatur eſſe Latinus, ac diuerſimode nonnunquam lectores offendat. BARTHIO *b*) tamen ſupra modum placuit, qui eum tanti fecit, vt quicquid apud eum legitur, pro Latino exiſtimauerit habendum eſſe. *Nihil enim*, inquit, *quicquam ſine antiquitatis exemplo poſuit*, *c*) *vt fuit eruditior, quam pro eo aeuo, et ſcriptorum eorum amator, qui nobis ademti ſunt, nec ſperantur vnquam e tenebris emerſuri obliuionis.* Idem Auſonianae poeſeos diuinitatem admiratur, *d*) et eum paſſim huius aetatis ſcriptoribus longe praefert. Ita quoque BOHVRSIVS *e*) rigidus alias veterum et recenſiorum auctorum cenſor, nihil concinnius epigrammate Auſoniano eſſe tradit, in quo omnia miro artificio quadrent. Sed FRANC. VAVASSOR: *f*) *repraeſentare nobis Auſonius Graecos velle viſus eſt, quippe cum epigrammata ſcripſerit pauca ſupra centum, a Graecis amplius quinquaginta ſumſerit, vel vt aemulus, vel vt interpolator.* Acerbiori paulo criſi IVL. CAESAR SCALIGER: *g*) *Auſonius ingenium magnum, acutum: ſtilus duriuſculus. Multa ſcripſit, non ſolum varia, ſed etiam varie. Quare quid facere potuerit,*

b) Aduerſ. l. 3. c. 7. *c*) Neque ideo ſibi ab archaiſmis cauere ſatis potuit. Confer. SCALIGER Auſon. lect. l. 2. c. 21. *d*) L. c. cap. 18. *e*) La maniere de bien penſer p. 41.

f) Lib. de epigrammate c. 15. p. 171. confer. MORHOFIVS polyhiſt. liter. lib. 4. c. 14. §. 15. *g*) Hypercritico ſ. de arte poetica l. 6. c. 5. pag. 825.

Digitized by Google

potuerit, non quid fecerit, potius iudicandum. Vtinam epigrammata nv ſcripſiſſet. Nam et inculta ſunt pene omnia, et omnia dura: quaedam etiam inepta, aut frigida, aut friuola: vt e Graecis ſatis habuit quae exprimeret. Nonnulla vero adeo foeda atque deteſtanda, vt neque ſcriptore, neque auditore digna, non in ſpongiam incumbere merita ſint, ſed ſolis flammis expiari poſſe videantur. b) Sane ſibi multum placuiſſe conſtat ex incuria ſcriptionum futurorum ſeculorum ſecurum, cum ſibi videretur ſui eſſe princeps. Eum vero piguiſſe caſtigationis videmus in ipſis iambis: quos cum puriores inchoaſſet, lutulentos fieri permiſit. Et multis paginis demonſtratum iuit, eſſe plurima, in quibus vel vis, vel venuſtas, vel denique cultus deſideretur. Ceterum tanta locorum eſſe reliquorum merita: vt animos, perfectionis ſtudioſos, voluptate et gratia facile obruere poſſit. Quamuis illi vitia huius aetatis cum ceteris ſcriptoribus fuerint communia: vt neque poetas antiquiores ſpiritu aequauerit et arte; neque puram vbique et aequabilem dictionem adhibuerit, quae ſine impetu ſuauiter fluat: auctor eſt tamen pro captu ſeculi acutus et diſertus, nec omnino contemnendus poeta. De quo qui

b) Attamen STOLLIVS introduct. in hiſtor. liter. part. 1. c. 5. §. 61. n. 7. ſibi perſuadet, fuiſſe non nulla eius epigrammata elegantер et neruoſe concluſa. Et ipſe MORHOFIVS polyhiſt. liter. l. 4. c. 14. §. 15. opinatur, Iul. Caeſaris filium, IOSEPH. SCALIGERVM, qui ſingularem huic auctori impendit operam, ſuasque lectiones Auſonianas edidit, non ſatis ex dignitate de epigrammatibus Auſonianis iudicaſſe. Sed ipſe vix ſui memor, de legendis, imitandis et excerpendis auctoribus pag. 50. ſeq. *in epigrammatibus*, inquit, *plerumque infelix; in dictione poetica non adeo cultus, niſi cum centonem Virgilianum ſcripſit, in quo mire fuit ingenioſus. Primus enim, quantum conſtat, hoc poematis genere ſe exercuit.*

optime meritus est, IOSEPHVS SCALIGER *i*) ridet omnes, quibus hic poeta non placet, ac eos esse dicit, qui Garumnam fluuiolum, Burdigalem oppidulum, Aquitaniam ipsam minorem illis praefecturis, quae vno contineantur episcopatu, alia ridicula et plane absurda affirmare non vereantur.

§. XXXVII.

Ausonius typis primum dicitur fuisse descriptus *Mediolani* 1490. et 1497. fol. cum Terentiano Mauro. *Venetiis* 1496. fol. cum Georgii Merulae praefatione.

§. XXXVIII.

Seculo post Christum natum decimo sexto Ausonius prodiit *Venetiis* 1501. 4. cum Thadaei Vgoleti Parmensis praefatione. 1517. 8. apud Aldum. *Parisiis* 1517. 4. apud Iodocum Badium Ascensium, a Michaele Humelbergio emendatus. 1551. 8. ab Elia Vineto castigatus, curante Vineti amico, Iacobo Goupylo. *Basileae* 1523. cura Valentini Curionis. *Lugduni* 1540. et 1549. 8. apud Gryphium. 1557. 8. cura Ludouici Miraei. 1575. 8. cum Scaligeri, Vineti et aliorum obseruationibus. *Antverpiae* 1567. forma minore, accurante Theodoro Pulmanno. *Burdegalae* 1575. 4. 1580. 4. 1590. 4. et 1599. 4. cum eruditissimis Eliae Vineti commentariis: cui iam tum anno 1573. Iosephus Scaliger duo libros Ausonianarum lectionum inscripserat, simul editos: quibus accessit rerum Burdegalensium chronicon, auctore Gabr. Lurbeo. *Heidelbergae* 1588. 8. apud Commelinum, cum iisdem et aliorum obseruationibus. *Geneuae* 1588. forma minori apud Iacobum Stoer, cum Scaligeri lectionibus Ausonianis, Vineti et aliorum notis.

§. XXXIX.

Seculo post Christum natum decimo septimo Ausonii

i) Epistola ad Vinetum, Ausonianis lectionibus praemissa.

Digitized by Google

ſonii opera prodierunt *Genevae* 1608. 12. typis Iacobi Stoer, cum Ioſephi Scaligeri Auſonianis lectionibus, et excerptis Adriani Turnebi, Adriani Iunii, Guilielmi Canteri, Iuſti Lipſii, et Eliae Vineti notis: quae iuſti commentarii inſtar eſſe poſſunt. *Amſtelodami* et *Lugduni Batauorum* 1671. 8. cum integris Scaligeri, Mariangeli Accurſii, *k*) Freheri, Scriuerii, ſelectis Vineti, Barthii, Acidalii, Gronouii, Graeuii aliorumque notis. Iacobus Tollius recenſuit, et ſuas animaduerſiones addidit. *Amſtelodami* 1699. 16. ſine notis, accurante Iacobo Tollio.

§. XL.

Seculo poſt Chriſtum natum duodeuiceſimo D. Magni Auſonii Burdegalenſis opera, vt fieri potuit, elegantiſſime prodierunt *Pariſiis* 1730. 4. Interpretatione et notis illuſtrauit Iulianus Floridus, canonicus Carnotenſis, iuſſu Chriſtianiſſimi Regis, in vſum Delphini. Recenſuit, ſuppleuit, emendauit, diſſertationem de vita et ſcriptis Auſonii, ſuasque animaduerſiones adiunxit Iohannes Baptiſta Souchay, Regiae inſcript. et human. liter. Academiae ſocius, et Abbas.

§. XLI.

Cum Auſonio videtur omnino coniungendus eſſe diſcipulus, quo valde familiariter vſus eſt, quique ſub Theodoſio M. maxime floruit poetas inter Chriſtianos, S. PAVLINVS, ſiue, vt integrum viri fuerat nomen, MEROPIVS PONTIVS ANICIVS PAVLINVS, Nolanus Epiſcopus in Campania Italica. Romanorum de gente patricia fuit Aquitanicus, anno poſt Chriſtum natum circiter

k) Integras falſo promittit titulus, quae exhibentur ſelectae. Extant vero Mariangeli Accurſii diatribae in Auſonium, Ouidium, et Solinum *Romae* 1524. fol. de quibus vid. FABRICIVS biblioth. Lat. vol. 1. p. 589.

citer CCCLIII. Burdigalae *l*) seu Ebromagi, *m*) in lucem editus, quod oppidum non procul a Burdigala, ad Garunnae fluminis ripam, hodie *Embrau* vocatur. Cum inter Aquitaniae proceres princeps esset natus, et optimis literis a pueritia enutritus adultior paulo factus, sub Decio Magno Ausonio, illustri poeta, et humanitatis doctore Burdigalensi, summo fautore et magisto suo, *n*) ita profecit: vt ipsam postea praeceptoris sui gloriam arte poetica et oratoria, si non superauit, adaequarit certe, et plurima ediderit haudquaquam vulgaris doctrinae monumenta. Eo discipulo AVSONIVS *o*) postea valde gloriatus est, ad ipsum Paulinum inter alia scribens:

---- Ego sum tuus alter, et ille
Praeceptor primus veterum largitor honorum,
Primus in Aonidum qui te collegia duxi.

Cui PAVLINVS *p*) versibus rescripsit iambicis:

Tibi disciplinas, dignitatem, literas,
Linguae, et togae, et famae decus,
Proue&tus, altus, institutus, debeo,
Patrone, praeceptor, pater.

Elegantioribus disciplinis recte imbutus, facundia excellens atque ingenio, diuitiis etiam apprime et ordinis senatorii dignitate ornatus, ad amplissima prouehitur imperii munera,

l) VT VRANIVS Presbyter memoriae prodidit, qui vitae summam, vel mortem potius descripsit Paulini, apud SVRIVM de probatis sanctorum historiis tom. 3. Iun. pag. 846.

m) Quam ipse PAVLINVS patriam vocat suam. Confer. BERELIVS antiq. eccles. sec. 4. tom. prior. p. 302.

n) CRINITVS de poetis Latinis l. 5. c. 90. *Quidam putarunt fuisse nepotem Ausonii, quod eum grata ac beneuola quadam appellatione filium nominet. Sed hoc non satis constat, in tam varia et ancipiti rerum obscuritate.*

o) Epist. 23. extr. *p*) Ad Ausonium epist. 1. v. 75. seqq.

Digitized by Google

munera, et ſummis praeceptori honoribus ſuauis obtingit collega: quod ipſum ita illi proponere legimus: *q*)

Paulinum Auſoniumque viros, quos ſacra Quirini
Purpura, et auratus trabeae velauit amictus,
Non decet inſidiis peregrinae cedere diuae.

Conſulatum innuit ſecum geſſiſſe: cum vero nomen eius in faſtis conſularibus non reperiatur: ſurrogatus vicem videtur conſulari dignitate alius accepiſſe, quem eo munere, nondum anno expleto, defunctum mors intercepiſſet, anno circiter poſt Chriſtum natum CCCLXXIX. poſt Valentis obitum, Decio Auſonio Magno et Hermogeniano Olybrio coss. Vxorem Paulinus etiam ditiſſimam duxit Therafiam, religioſam et prudentem matronam, quae dotem coniugi ampliſſimam adduxit. Cum adeo ex voto illi ſuccederent omnia: ac nihil prorſus ad ſummam felicitatem deeſſet: ſanioris philoſophiae coepit indulgere ſtudio, et rerum humanarum viciſſitudines obſeruare. Semet variorum vidit negotiorum mole obrutum, ac multis ſine vlla animi voluptate confectum curis: vt ſua magis diſceret experientia, quam vana et improbi laboris plena ſint omnia, et quam raro vera felicitas cum amplioribus fortunae bonis ſoleat eſſe coniuncta. Cum aliquando in Hiſpania Paulus cum Therafia ſua ageret: eaque poſt longa vota illi filium enixa eſſet, qui ſub octauum ab ortu diem Compluti obiit, viamque parentibus expediit, vt minime caducam meritorum poſteritatem quaererent. Enixius quod immortale ſibi comparare ſtudebant, et quod vitae reliquum erat, ſeruatori ſuo deuotum eſſe volebant. Ab eo receſſu Paulinum Auſonius quouis modo reuocare ſtudebat, ratus, ſolitudinem iſtam atrae bilis eſſe fructum, aut

q) AVSONII ad Paulinum epiſt. 24. v. 64. ſeqq.

aut coniugis perſuaſionem, cui nimium obſecundare conſueuerit, vt Priſcus olim Tarquinius Tanaquili ſuae. Hinc ad eum inter alia ſcribit: r)

Si prodi, Pauline, times, noſtraeque vereris
Crimen amicitiae, Tanaquil tua neſciat iſtud.
Tu contemne alios, nec dedignare parentem
Adfari verbis. — —

Reſpondet illi vero PAVLINVS: s)

— Vtinam iuſtus me carpere liuor
Incipiat: Chriſti ſub nomine probra placebunt
Non patitur tenerum mens numine firma pudorem:
Et laus hic contemta redit mihi, iudice Chriſto.
Ne me igitur, venerande parens, his vt male verſum
Increpites ſtudiis, neque me, vel coniuge carpas,
Vel mentis vitio. Non anxia Bellerophontis
Mens eſt, nec Tanaquil mihi, ſed Lucretia coniux,
Nec mihi nunc patrii eſt, vt vis, obliuio coeli.

Chriſti amor, vitae melior ineunda ratio, et meditatio mortis, ſolitudinem illi perſuaſit, vt procul ab omnibus negotiis libertate et iucunda eaque minime interrupta cum Chriſto conſuetudine perfrueretur: rebus caducis haudquaquam ratus patere dicata Chriſto pectora. Burdigalae anno CCCLXXXIX. ſacro tinctus lauacro a S. Delphino, Burdigalenſi epiſcopo, quod vbique locorum in Aquitania nimis notus eſſet omnibus, neque ex animi voto Chriſtianae pietati vacare poſſet; vna cum coniuge religioſiſſima in Hiſpaniam ſeceſſit, ac ibi quatriennium ſolo Numinis cultu tranſegit, voluntariam profeſſus paupertatem, ita vt diuendita paulatim ſua bona pauperibus diſtribueret. Tantam opinionem de eo Barcinonenſis populus concepit: vt feſto natiuitatis Chriſti, improuidum voluerit pres-

r) AVSONIVS ad Paulinum epiſt. 23. v. 29. s) Ad Auſon. ep. 3.

Digitized by Google

presbyterum ſacrari. Paulinus cum ab incoepto videret populum abduci non poſſe, multum reluctatus a Lampio epiſcopo tandem ſe paſſus eſt ſacerdotem anno cccxciii. ordinari: ea tamen lege, vt Barcinone non cogeretur reſidere, ſed liberrima illi proficiſcendi et ſacris in ſeceſſu vacandi concederetur facultas. Anno cccxciv. Hiſpania relicta, in Italiam profectus eſt. In itinere Ambroſium Florentiae conuenit, qui eum liberali humanitate et amicitia excepit, et omnibus beneficiis ornatum dimiſit. Romam vero petebat: vbi perquam honorifice quidem ab omnium ordinum hominibus fuit ſalutatus: ſed ipſa illi grauis fama ſanctitatis et literarum gloria, vt Siricii pontificis clerique Romani vix ferendam experiretur inuidiam. Properabat ergo ad Campaniae a faſtu et inſidiis remotiora loca, et Nolae, vbi paternos poſſidebat fundos in tuguriolo commorabatur ruſtico. Transactis ibi xv. prope annis cum Therasia ſua, quae de coniuge illi facta eſt ſoror, *t*) in literarum ſtudio vitaeque monaſticae exercitiis, anno cccxix. electus tandem eſt Nolae epiſcopus. Inepte quidam dubitant de Paulino, Auſonii amico, an fuerit ille Epiſcopus Nolae. AMBROSIVS *v*) enim, ſcriptor coaeuus, diſerte ait, hunc poſtea diuenditis omnibus, quae habebat in Aquitania, cum eadem vxore in Nolanum agrum ſeceſſiſſe. *x*) *Paulinum*, inquit, *ſplendore generis in partibus Aquitaniae nulli ſecundum, venditis facultatibus, tam ſuis, quam etiam coniugalibus, in hos ſe induiſſe cultus ad fidem comperi, vt ea in pauperes conferat, quae redegit in pecuniam, et ipſe pauper ex diuite factus, tanquam deoneratus graui ſarcina, domui, patriae, cognationi quoque*

t) Vt in chronico IDACIVS loquitur. *v*) Epiſt. 36. ſiue lib. 6. epiſt. 1. ad Sabinum. *x*) Vid. IOS. SCALIGER Auſon. lect. l. 2. c. 16. init.

valedicat, quo impensius Deo seruiat. Elegisse autem secretum affirmatur Nolanae vrbis, vbi tumultum fugitans aeuum exigat. Matrona quoque virtuti et studio eius proxime accedit, neque a proposito viri discrepat. Denique transscriptis in aliorum iura suis praediis, virum sequitur, et exiguo illic coniugis contenta cespite, solatur se religionis et charitatis diuitiis. Soboles eis nulla, et ideo meritorum posteritas desiderata. Haec vbi audierint proceres viri, quae loquentur? Ex illa familia, illa prosapia, illa indole, tanta praeditum eloquentia, migrasse a senatu. Episcopatus initia illi quidem satis turbulenta fuerunt, irrumpentibus Gothis, qui Nolam expugnarunt. Illo autem sedato tumulto, tranquilliora vixit tempora, vt sine luxu fastuque munere suo perfungi potuerit. Pietatis exercitio perpetuo, scripta legit amicorum, et vitae integritate illustrium, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Prosperi, Eucherii, aliorum. Conuersionis initia post Deum S. Felici confessori et martyri accepta referebat: ad cuius reliquias magna illo tempore dicebantur fieri prodigia: vt vndique populus ad eius sepulchrum confluueret Nolam. Et ipse Paulinus in eo secessu quotannis diem S. Felicis natalem, qui XIX. kalendas Februarii celebratur, nouo natalitio carmine, annuum quasi pendens tributum, honorare consueuit. Commendatur inprimis Paulini in miseros liberalitas pietasque incomparabilis, qua non suas tantum, sed et episcopales cunctas opes captiuis atque pauperibus distribuerit. Incredibile dictu, quod S. GREGORIVS *y*) narrat, cum rerum illi prorsus nihil supereſſet indigentibus erogandum, cum muliere vidua et eius opem implorante in Africam esse profectum, vt filium viduae vnicum, qui a Van-

y) Dialogor. l. 3. c. 1. Et apud SVRIVM de probatis sanctorum historiis tom. 3. Iunio pag. 849.

Digitized by Google

a Vandalis erat captus, ipſe ſpontanea ſeruitute ſua redimeret. Agnita vero tandem viri dignitate, cum inſigni captiuorum multitudine, vt priſtina gauderent libertate, a Vandalis dimiſſum fuiſſe, poſtquam illorum plurimos ab Arianorum haereſi in captiuitate ſua reuocarit. Sed repugnant fabuloſae narrationi cum tempora, quibus hic Nolae epiſcopus vixit, tum aliae rerum omnes circumſtantiae: vt viri doctiſſimi haud immerito ſibi perſuadeant eſſe commentum, iſtis ſimile, quae magno numero in S. Gregorii dialogis reperiuntur. Anno ccccxxxi. Paulinus pleuritide affectus diem obiit ſupremum, et in templo ſuo Nolano ſepultus eſt. Apud SVRIVM *z*) d. XXII. Iunii legitur vita S. Paulini, Nolani epiſcopi, auctore VRANIO presbytero. Item ex tertio dialogorum D. GREGORII papae narratio, et GREGORII Turonenſis de gloria confeſſorum. Eius vita a FRANCISCO SACCHINO S. I. deſcripta in editionibus operum Paulini extat. Quae praeteriit, PETRVS FRANCISCVS CHIFLETIVS S. I. in Paulino illuſtrato, *a*) IOH. BAPTISTA LE BRVN in vita Paulini, *b*) FRANCISCVS GIRY, et HADRIANVS BAILLET in vitis ſanctorum, Gallice editis, TILLEMONTIVS memoriarum tomo decimo quarto, et MVRATORIVS tomo primo anecdoton Latinorum, *c*) ſuppleuerunt. Conſulendi porro VOSSIVS, *d*) MIRAEVS, *e*) BEBELIVS, *f*) DV PIN, *g*) plures alii, quos enumerare longum eſt. Paulinos literis illuſtres alios FABRICIVS *h*) accurate diſtinguit.

z) De probatis ſanctorum hiſtoriis tom. 3. Iunio pag. 846 ſeqq.
a) Diuione 1662. 4. *b*) Separatim Gallice edita Pariſiis 1686. 8.
c) Pag. 157 - 169. *d*) De hiſtoricis Latinis l. 2. c. 12.
e) Annot. ad Gennadii de viris illuſtr. c. 48. apud FABRICIVM biblioth. eccleſ. p. 23. *f*) Antiq. eccleſ. 4. tom. prior. p. 302. ſeq. *g*) Bibliotheca noua eccleſ. auct. tom. 3. p. 267. ſeqq.
h) Biblioth. Latin. vol. 3. p. 505. ſeqq. Bibliothecae mediae et infimae Latinitatis l. 15. p. 604. ſeqq.

Digitized by Google

§. XLII.

Scripsit noster inter alia, maximam partem epistolas, poetica multa, sermonis elegantia et venustate non contemnenda: maiori quidem castitate, quam in solutis ingenii monumentis, quibus studio nonnunquam a vero stili nitore ad ecclesiasticam consuetudinem declinauit. Carminibus epistolae ad Ausonium tres, ad Gestidium duae, et oratio ad Deum, cuius initium, *omnipotens genitor rerum* etc. in Ausonii operibus leguntur. Et SCALIGER *i*) Paulino epistolam vindicat, quae vulgo ad Paulinum ab Ausonio scripta dicitur, *k*) et incipit: *quarta redit duris haec iam messoribus aestas.* Composuit, vt GENNADIVS *l*) habet, versu breuia, sed multa. Eruditionis monumenta, pro viri magnitudine, modica habemus, eo quod melior pars temporum iniuria periit. Epistolae et poemata, temporis habita ratione extant hoc ordine 1) epistola ad Sulpicium Seuerum paulo post scripta quam presbyter ordinatus est, quod illi narrat, eumque ad se Barcinonem inuitat. 2) epistola ad Amandum, eodem tempore scripta de ordinatione sua. 3) epistola ad Alipium Afrum CCCXCIV. autumno, cum se Nolam primum recepisset: sibi missos Augustini libros laudat, et quod mutuum acceperat, Eusebii chronicon remittit. 4) epistola ad Augustinum, scripta CCCXCIV. autumno, eius in Manichaeos laudat libros, et vitae praecepta petit. 5) epistola ad Seuerum Sulpicium, eodem tempore, vitae rationem commendat, cleri Romani inuidiam, et ipsius pontificis superbiam notat: vnde sedem sibi procul ab vrbe Roma quaesiuerit. 6) epistola ad Augustinum, anno CCCXCV. literarum flagrans desiderium testatur. 7) epistola ad Roma-

i) Ausonianarum lectionum l. 2. c. 25. *k*) Inter AVSONII epistolas tricesima prima. *l*) De viris illustribus c. 48.

Digitized by Google

manianum, anno cccxcvi. Auguſtini epiſcopatu laetatur. 8) epiſtola ad Licentium, cccxcvi. carmine et ſoluta oratione eum hortatur, vt Deo ſe totum daret. 9) epiſtola ad Amandum, et 10) ad Delphinum, Burdigalenſem epiſcopum, anno cccxcvi. ſilentium excuſat ſuum. 11) epiſtola ad Seuerum Sulpicium, anno cccxcvii. eum ad ſe inuitat. 12) epiſtola ad Amandum, eodem tempore, per gradus eleganter hominis lapſum, eiusque per Chriſtum redemtionem diſtinguit. 13) epiſtola ad Pammachium, anno cccxcvii. eum conſolatur, vxoris Paulinae obitu. 14) ad Amandum et 15) ad Delphinum, huius recuperatam ſibi gratulatur valetudinem: et liberalitatem vtriusque laudat. 16) epiſtola ad Iouium, cccxcix. de prouidentia agit. 17) epiſtola ad Seuerum Sulpicium, anno ſcripta cccxcix. exeunte, queritur, quod ad ſe nondum venerit: eumque hortatur, vt in patriam ad ſe properet, B. Felici martyri debitum exhibiturus cultum. 18) epiſtola ad Victricium, Rothomagenſem epiſcopum, eodem tempore, eius merita ſummis euehit laudibus. 19) epiſtola ad Delphinum, Burdigalenſem epiſcopum, anno cccc. eius erga ſe beneuolentiam grato animo agnoſcit. 20) eidem ſignificat, quae ab Anaſtaſio Romano, et Venerio, Mediolanenſi, epiſcopis, acceperit ſummi fauoris teſtimonia. 21) eidem, poſt Cardamae laudes, initium euangelii Iohannis exponit. 22) epiſtola ad Seuerum, mundanorum deſcribit luxum effeminatamque mollitiem: monachorum contra frugalitatem commendat. 23) Seuero agit gratias, quod coquum ſibi commodum miſerit. 24) epiſtola ad Seuerum, ſub finem anni cccc. ſcripta, euangelicae paupertatis rationem, et quae in vita ſpirituali tentationes et pericula ſint ſubeunda, exponit. 25) ad virum nobilem, abnegandas mundi voluptates, eamque conuerſionem

fine

ſine maximo periculo procraſtinandam non eſſe. 26) monachum Sebaſtianum, et Diaconum benedictum laudat, quod ſuo munere fuerint recte perfuncti. 27) epiſtola ad Seuerum Sulpicium, anno cccci. familiariter ſcripta 28) eidem nonnulla ſacrae ſcripturae loca exponit: Victorem commendat: et panegyricum Theodoſio imperatori, carminaque Felici B. martyri ſcripta mittit. 29) epiſtola ad Seuerum, ccccii. ſcripta, illi gratias agit pro veſte, pilis facta camelinis, quam dono acceperat: et remunerationis loco mittit aliam, e vellere agni, quam honeſtiſſimae viduae Melaniae beneficio habuerit. 30) epiſtola ad Sulpicium Seuerum, ccccii. ſcripta, de homine interno et externo, ſtultitiae arguit eum, qui Paulini imaginem petierat. 31) epiſtola ad Seuerum, eodem tempore de vera Chriſti inuenta cruce. 32) epiſtola ad Seuerum, cccciii. ſcripta, carmina reperiuntur in tabulam quandam pictam S. Martini, Sanctique Paulini, quam Seuerus in templo, ab ſe dedicato, collocauit. Ea quidem modeſtia vſus eſt, vt Martinum ſanctos, ſe vero peccatores referre ſignificet. Templum quoque verſibus effingit, quod ipſe Nolae curauit aedificari. Extremo templi vtriusque inſcriptionem facit. 33) epiſtolae ad Alethium, ccccii. ſcriptae, 34) adiectus eſt de eleemoſyna tractatus, quem inſcripſit *theſaurum eccleſiaſticum*. 35) Delphino, et 36) Amando, ad ſupplicationes, fratris ſui animam commendat. 37) epiſtola ad Victricium, Rothomagenſem epiſcopum, ccccv. ſcripta, eius fidem et vigilantiam laudibus euehit. 38) epiſtola ad Aſperum, eodem anno ſcripta, conuerſionem eius laudat. 39) epiſtola ad Aſperum eiuſque vxorem Amandam, agriculturam cum vita ſpirituali componit. 40) Sancti Amandique epiſtolis reſpondet de peccatis deplorandis. 41) epiſtola ad Sanctum,

ccccv.

Digitized by Google

ccccv. ſcripta, virginum parabolam de vigilantia Chriſtiana exponit. 42) epiſtola ad Florentium, Cadurci epiſcopum, anno eodem ſcripta, virtutibus laudatis, eius ſe precibus commendat. 43) epiſtola ad Deſiderium, ccccvi. ſcripta, ficus arefactae parabolam exponit. 44) Aſpero coniunctam cum pietate eloquentiam, vxorem, omnibus decoratam virtutibus, atque liberos optimae ſpei gratulatur. 45) Auguſtino circa annum ccccviii. pro libro gratias agit, quem eius nomine a Quinto Romae acceperat. Deinde Melaniam commendat, quae filium morte ſibi ereptum vnicum deplorabat. Eaque occaſione de beatorum poſt reſurrectionem felicitate differit. 48) epiſtolae fragmentum eſt, a Gregorio Turonenſi laudatum: quo ſeculi ſui effrenatos mores et impietatem epiſcoporum aliquot ſanctitati opponit. 49) epiſtola ad Macarium, quam poſt annum ccccx. ſcripſit, cum epiſcopus iam eſſet, Nauarchi, cuiuſdam catechumeni, hiſtoriam enarrat. 50) Auguſtino multas in ſacra ſcriptura interpretanda difficultates proponit. 51) epiſtola ad Eucherium nihil niſi Chriſtianas ſalutationes continet. Epiſtolas xxxii. carmina excipiunt, quorum xv. in laudem Felicis S. Martyris ſcripta ſunt: reliqua ſunt plane diuerſi argumenti. Ex carminibus oratione proſa vitam S. Felicis venerabilis BEDA contexuit, vt ipſe in operis praefatione his verbis teſtatur: *felicissimum B. Felicis triumphum, quem in Nola, Campaniae ciuitate, Domino adiuuante, promeruit, Paulinus, eiusdem ciuitatis epiſcopus, verſibus hexametris pulcherrime ac pleniſſime deſcripſit, qui quia metricis potius, quam ſimplicibus habiles ſunt lectoribus, placuit nobis ob plurimorum vtilitatem, eandem ſancti confeſſoris hiſtoriam planioribus dilucidare ſermonibus.* Libellum vero ſuum ita claudit: *explicit liber de vita et confeſſione ſancti Felicis:*

quem ego famulus Christi Beda de metrico opere beati episcopi Paulini simplici sermone transtuli.

§. XLIII.

Inter opera Paulini, quae temporum iniuria periere, sunt 1) Liber de regibus, elegantissime versibus paucis ex Suetonio redditus: quem AVSONIVS *m*) commendat literis ad eum scriptis: *longe iucundissimum poema subdideras, quod de tribus Suetonii libris, quos ille de regibus dedit, in epitomen coegisti, tanta elegantia, solus vt mihi videare assecutus, quod contra rerum naturam est, breuitas vt obscura non esset.* Specimen deinde subiungit, quod illius quidem elegantissimi libelli fragmentum supereſt vnicum:

Europamque, Asiamque, duo vel maxima terrae
Membra, quibus Libyam dubie Sallustius addit,
Europae adiunctam: possit quum tertia dici.
Regnatas multis: quos fama oblitterat: et quos
Barbara Romanae non tradunt nomina linguae,
Illibanum, Numidamque Auelim, Parthumque Vononem,
Vt Caranum: Pellaea dedit qui nomina regum.
Quique magos docuit mysteria vana Nechepsi:
Et qui regnauit sine nomine mox Sesoostris.

Hoc, vtut iuuenile carmen, Ausonius, sed quantus eo tempore poetarum et artium pene omnium censor, omnino iudicat perite et concinne, modulate et dulciter, ita secundum naturam Romanorum accentuum fuisse pronuntiatum, vt veris tamen ac primigeniis vocibus sua fastigia non perirent. 2) Panegyricus in obitum Theodosii senioris Augusti, *n*) qui anno Christi CCCXCV. a. d. XVI. kalend.

m) Epist. 19. ad Paulinum. *n*) Perperam HONORIVS Augustodunensis de scriptoribus ecclesiasticis l. 2. c. 47. vocat *ad The-*

Digitized by Google

lend. Februarii deceſſit. Cum ethnici ſcriptores eum variis modis criminarentur: Paulinus, monente Endelechio, viri ſibi amicitia coniunctiſſimo, pro meritis defendendum ornandumque ſuſcepit: eo maxime conſilio, vt in Theodoſio non tam imperatorem, quam Chriſti ſeruum, non dominandi ſuperbia, ſed humilitate famulandi potentem, nec regno, ſed fide principem *o*) praedicaret. Laudationem hanc per Vigilantium, qui tum monachus ſpecie laudandus, poſtea haereticus teterrimus fuit, ad S. Hieronymum in Palaeſtinam miſit. HIERONYMVS vero *p*) illi inter alia reſpondit: *librum tuum, quem pro Theodoſio principe prudenter ornateque compoſitum transmiſiſti, libenter legi: et praecipue mihi in eo ſubdiuiſio placuit: cumque in primis partibus vincas alios, in penultimis te ipſum ſuperas.* Eiuſdem panegyrici etiam CASSIODORVS *q*) meminit, GENNADIVS, *r*) atque TRITHEMIVS: *s*) ad noſtram vero aetatem, quod dolemus, non venit. 3) Perierunt multae ad familiares epiſtolae, quarum ipſe meminit in iis, quae extant. 4) Epiſtolae de contemtu mundi ad ſororem, quas Paulini operibus GENNADIVS *t*) et TRITHEMIVS *v*) accenſent: iisdemque commemoratus *s*) de poenitentia tractatus, et 6) de martyrum laudibus, 7) denique ſacramentarium, et multa alia, quorum, quod interciderunt, inutilis memoria. Illa potius notanda, quae perperam Paulino noſtro ſuppoſita fuerunt.

odoſium imperatorem panegyricum ſuper victoria tyrannorum. Ita quoque RVFFINVS hiſt. l. 1. c. 27.

o) Vt ipſe PAVLINVS epiſt. 9. loquitur. confer. epiſt. 28.

p) Epiſt. 13. *q*) Sacrar. lect. c. 21. *r*) De viris illuſtribus c. 48. *s*) De ſcriptoribus eccleſiaſticis c. 117. *t*) L. c.

v) L. c.

§. XLIV.

SIGEBERTVS GEMBLACENSIS *x*) noſtrum cum alio Paulino presbytero illo confundit, qui S. Ambroſii vitam ad Auguſtinum ſcripſit. *Paulinus*, inquit, *Nolanus epiſcopus ſcripſit ad Auguſtinum epiſcopum vitam Ambroſii, Mediolanenſis epiſcopi. Scripſit etiam verſifice vitam Felicis Nolani.* Sigebertum IACOBVS DV BREVL, monachus S. Germani, vir cetero doctiſſimus, *y*) defendit ita: *fruſtra multi noſtra aetate, Honorium Auguſtodunenſem ſecuti, Paulinos duos faciunt, vnum Nolanum epiſcopum, alterum presbyterum Mediolanenſem, auctorem vitae S. Ambroſii: cum ipſe Paulinus in epiſtola ad Alypium ſcribat, ſe licet in Hiſpania ordinatus fuerit presbyter a Lamprio, epiſcopo Barcinonenſi; tamen beneficio S. Ambroſii aſſecutum eſſe, vt vbicunque terrarum degeret, Ambroſii presbyter diceretur.* Quoquo ſe res habeat modo, presbyter Paulinus fuit alius, qui eam Ambroſii vitam poſteritati reliquit, vel immerito tribuitur noſtro. Nam, vt recte etiam VOSSIVS *z*) ſentit, dictio neutiquam in vita Ambroſiana ſpirat elegantiam et venuſtatem, quam oſtendunt Paulini reliqua omnia. Deinde non conueniunt tempora. Ambroſio enim ſuperſtite iam, vt ex illius epiſtola, paulo ſuperius citata, patet, Paulinus noſter in agrum Nolanum receſſit. Alius vero Paulinus, iſtius vitae auctor, morienti Ambroſio fuit a manu, ac minoris ordinis clericus ſub cura Caſti diaconi Mediolani egit: quod de ſemetipſo in Ambroſii vita teſtatur. 2) Et fruſtra Paulino, epiſcopo huic Nolano, tribuuntur libri ſex de vita B. Martini, Turonenſis epiſcopi. Eumque

VOSSIVS

x) De ſcriptoribus eccleſiaſticis cap. 14. Ita quoque IOH. TRITHEMIVS de ſcript. eccleſ. c. 117. *y*) In notis ad Iſidorum.
z) De hiſtoricis Latinis l. 2. c. 13.

Digitized by Google

VOSSIVS ipſe *a*) auctorem agnoſcit, fretus GREGORII TVRONENSIS *b*) auctoritate, qui haec memoriae prodidit: *Paulinus quoque beatus, Nolanae vrbis epiſcopus, poſt ſcriptos verſu de virtutibus eius, quas Seuerus complexus eſt, quinque libros, illa comprehendit miracula, quae poſt eius geſta ſunt tranſitum, id eſt in ſexto operis ſui libro.* VENANTII item FORTVNATI, *c*) qui

Stemmate, inquit, *corde, fide, pollens Paulinus, et arte,*
Verſibus explicuit Martini dogma magiſtri.

Opus vero iſtud, quod alius Paulini Petrocorii eſt, vt inferius paulo videbimus, noſtro perperam adſcribi, facile patet. Nam libro ſecundo Paulinus ipſe, velut tertia perſona, citatur. Etiam Perpetui, ſexti poſt B. Martinum Turonenſis epiſcopi, fit mentio, qui longe poſt Paulini epiſcopi Nolani obitum, quinto demum ſeculo exeunte, ordinatus eſt. 3) Dubia quoque S. Geneſii, Arelatenſis epiſcopi, deſcripta paſſio: quamuis DVPINIVS *d*) hanc ſolam agnoſcat ſtilum referre Paulini, eoque viro eſſe dignam ex omnibus, quae nomen illius oſtendant. 4) Epiſtola ad Marcellam, vtut ſtilum ſapiat Paulini, minime tamen conuenit cum illuſtriſſimae huius viduae hiſtoria. Nam ſcribitur ad eam, quaſi recens eſſet conuerſa. Conſtat vero Marcellam hanc diu ante Paulinum conuerſam fuiſſe. 5) Epiſtolae ad Celantiam non vno modo probant, Paulini non eſſe. 6) Poema, quo auctor vxorem ſuam hortatur, vt Deo ſe conſecret, ſcriptum eſt circa annum CCCCVII. quo in occidente omnia variis tumultibus turbisque miſcebantur, Paulino ſuppoſitum fruſtra, cuius vxor dudum ſemet Chriſto deuouerat totam, vt ea hortatione non opus habuerit.

a) De hiſtor. Lat. l. 2. c. 12. p. 211. ſeq. *b*) Miraculorum Martini l. 1. c. 1. *c*) Initio libri 1. de S. Martini miraculis.
d) Bibliotheca noua eccleſ. auctorum tom. 3. pag. 278.

buerit. Et codicibus MStis melioribus B. Proſpero adſcribitur. 7) Carmen proxime ſequens paraphraſis eſt eorum, quae B. Bernardus in honorem nominis Ieſu edidit: oportet ergo longe poſt tempora Paulini ſcriptum fuiſſe. 8) Neque dignum eſt epiſcopo Nolano inter abbatis Anianae regulas reſponſum ad quaeſtionem, quae debeat eſſe monachorum poenitentia. Scripta Paulini a ſpuriis genuina diſcernunt DV PIN, *e*) BEBELIVS, *f*) RIVETVS, *g*) BELLARMINVS, *h*) GERHARDVS, *i*) Alii.

§. XLV.

Sed PETRI CRINETI *k*) oſcitantiam, vel ignorantiam potius, ſatis admirari non poſſumus, qui diuerſum putat eſſe Nolanum epiſcopum a Pontio Paulino Burdegalenſi. *Leguntur*, inquit, *adhuc quaedam ipſius Paulini carmina, in quibus mirifica eruditio, et incredibilis elegantia appareret. Idem Paulinus praeclaris atque honeſtiſſimis dignitatibus perfunctus eſt, et inter principes viros atque nobiliſſimos habitus. Fuit iisdem ferme temporibus alter Paulinus, pontifex Nolanus, moribusque et ſingulari continentia clariſſimus: cuius epiſtolae atque epigrammata vulgo leguntur. Quidam exiſtimant, eundem eſſe habendum, parum diligenter conſiderantes, quantum inter ſe differant, et profeſſione vitae, et carminum elegantia.*

§. XLVI.

Vir fuit ſuo tempore apud omnes eruditionis et pietatis fama illuſtris, et abſens vbique locorum longe maximam auctoritatem ſibi conciliauit. Vnde GENNADIVS *l*) eum

e) Noua biblioth. eccleſ. auctor. tom. 3. p. 268. ſeqq. *f*) Antiq. eccleſ. ſec. 4. tomo priori p. 302. ſeq. *g*) Critici ſacri l. 4. c. 9. extr. Operum tom. 2. p. 1135. *h*) De ſcript. eccleſ. a 420. p. m. 138. ſeq. *i*) Patrologia pag. 405. ſeqq.
k) De poetis Latinis l. 5. c. 90. *l*) De viris illuſtribus c. 48.

Digitized by Google

eum claruiſſe ait temporibus Honorii et Valentiniani non ſolum eruditione et ſanctitate vitae, ſed et potentia aduerſum daemones. VENANTIVS autem FORTVNATVS *m*) eum incomparabili hoc ornauit elogio:

Stemmate, corde, fide pollens Paulinus et arte.

Sancti Hieronymus et Auguſtinus eo inprimis valde familiariter vſi ſunt, et iucundo literarum commercio ſeſe ad pietatis exercitia excitarunt inuicem. IOH. TRITHEMIVS *n*) virum vocat in ſcripturis ſanctis eruditiſſimum, et in ſeculariboſ literis nulli ſuo tempore ſecundum; non minus ſanctitate, quam eruditione clarum: *de quo B. Gregorius papa in tertio libro dialogorum ſcribit, quod tantae pietatis et miſerationis fuerit, vt poſteaquam omnia ſua in pauperum vſus, et captiuorum liberationem expenderat, etiam ſe ipſum pro filio cuiusdam viduae tradiderit.* Quae ſequuntur, non cohaerent. Doctiſſimorum quorumque aetatis ſuae virorum, quascunque tandem partes ſequerentur, gratiam ſingularem amicitiamque coluit ita, vt omnibus plane charus, in nullius offenſionem odiumue incurrere vnquam potuerit. Amor fuit, ac deliciae ſui ſeculi. *o*)

§. XLVII.

Paulinus etiam, vt omnes conſueuerunt poetae, ligata, quam ſoluta, oratione vegetior erat. Nam tanta cura, tantoque ſtudio purioris Latinitatis ſcriptores, maxime poetas, perlegit, vt ad eorum elegantiam proxime acceſſiſſe videatur. Ab ineunte aetate, vt ſeculi fuerat genius, eloquentiam naturali promtitudine, ad omnium prope

m) Iuſtio libri 1. de S. Martini hiſtoria. *n*) De ſcriptoribus eccleſiaſticis cap. 117. *o*) Elogium Paulini praeſertim videatur apud AVGVSTINVM de ciuitate Dei l. 1. c. 10. Confer. ad eum locum comment. LVD. VIVIS et LEONH. COQVEI.

prope admirationum, voce literisque oſtendit. Nec ipſe AVSONIVS *p*) liquido iurare dubitauit, nullum illi ad poeticam facundiam Romanae iuuentutis aequari. Agnoſcit eius vegetam et ſublimem alacritatem: qua ſumma ſic appetat, vt non decidat; cum aliis, et ſibimet ipſi, vel propter ſenectutis imbecillitatem, conſiſtere ſufficiat. Nihil ergo magis, quam tanti iuuenis carminibus et oblectari, et honorari expetit. HIERONYMVS *q*) magnum illi tribuit ingenium, et infinitam ſermonis ſupellectilem. ERASMO *r*) etiam eſt Chriſtianus Cicero; et NICOL. HEINSIO *s*) ſcriptor terſus et Latinus. DV PINIO *t*) iudice, in Paulini ſcriptis multum elucet artis et elegantiae. Eius oratio preſſa eſt et nitida. Verba et pura ſunt, et ſelecta. Sententiis grauis eius ſtilus nuſquam languet. Lectores vbique pungit et excitat. Tranſitionum ea vis eſt, vt inſcium etiam lectorem ab vna ad aliam materiam transferat. Omnia cohaerent: tantusque vbique elucet ordo, vt ſingula ex ſingulis ſponte fluant, facilemque lectori ad ſequentia viam ſternant. Multus in epiſtolis lepos, multae facetiae. Difficile dictu, quid in illis potiſſimum eluceat, ſuauitas, an ingenii quaedam vehementia et feruor; orationis vbertas, an nitor. Sic ſane ſcripta Paulini eodem tempore demulcent ac mouent; et dum flectunt, animos addunt. Viri ſingularem eloquentiam in epiſtola quadam admiratur HIERONYMVS, *v*) et *Paulinus*, inquit, *in epiſtolari ſtudio prope Tullium repraeſentans, voce me prouocat ad ſcribendum, terret eloquentia.*

§. XLVIII.

p) Epiſt. 19. ad Pontium Paulinum. *q*) Epiſt. 13. *r*) Argument. epiſt. Hieron. ad Celant. fol. 18. tom. 1. *s*) Ad Valer. Flaccum pag. 187. *t*) Noua bibliotheca eccleſiaſt. auctor. tom. 3. pag. 279. *v*) Apud SIXTVM SENENSEM bibliothecae ſanctae l. 4. p. 360.

Digitized by Google

§. XLVIII.

Posteaquam rebus plane valedixit caducis, et sacras literas omnes sibi persuasit eruditionis superare thesauros: diuinorum quotquot sunt oraculorum capita penitus, vt loquuntur, in succum et sanguinem conuertit, Hoc vero illi vitio vertunt, quod passim orationem suam infinitis scripturae locis distinguere quidem conetur: ea vero etiam haud raro ab sensu genuino ad causas longe diuersas detorquere audeat. Cum possint velut gemmae pretiosissimae non parum orationem ornare: abusu et copia immoderata deteriorem reddunt: vtut nouum illis splendorem atque pretium dispositio ac ordo addidisse videatur. Modum certe Paulinus excedit: allusionibusque vtitur nonnunquam frigidis, et remotioribus allegoriis, quas nemo facile aequo animo ferre potest. In cogitationibus eius desideratur nonnunquam vis atque concinnitas. Fictis saepe studet micare luminibus: et ea elegantiae affectatione, quod seculi commune vitium, in vocibus non raro pueriliter ludit. In moribus effingendis ille quidem multis aliis palmam praeripit: sed dogmaticas non penitius rimatur materias, et cum de officiis differit, ea leuiter tantum perstringit. Cultus sanctorum et reliquiarum erat obseruantissimus. Historias, quibus aliquid inerat miraculi auide, vel superstitiose nimis excipiebat: eaque credulitate sibi facile imponi patiebatur.

§. XLIX.

Poetica, vtut Ausonius laudare satis nequeat, tanti certe facienda non sunt; illa praesertim, quae post conuersionem scripsit. IVL. CAESAR SCALIGER *x*) Ausonio ingenium magnum et acutum, sed Paulino probitatem et aequa-

x) Poetices l. 6. seu hypercritico c. 5. p. 825.

aequabilitatem tribuit. *Paulini*, inquit, *probitatem legis in ipſius epiſtolis; neque ſolum hoc, ſed etiam animi aequabilitatem, quam cum ſuo ſtilo communicauit. Fere enim quibus quisque moribus praeditus eſt, eos etiam transfundit in ſuam dictionem. Id quod et in Meſſala notauit, et in Caeſare Quintilianus.* CRINITVS *y*) in quibusdam Paulini carminibus mirificam eruditionem et incredibilem elegantiam deprehendit, quam in aliis valde deſiderat. Vnde Pontium Paulinum Burdegalenſem alium opinatur eſſe, atque pontificem Nolanum. Vitio illius ſeculi potius communi, quam proprio, ſaepius ſyllabarum quantitates modulumque negligit. H. vtplurimum ei eſt conſona. Et producenda corripit. Exempla quaedam VOSSIVS *z*) profert, ex quibus de reliquis facile quisque iudicare poteſt.

§. L.

Paulini opera primum edita ſunt *Pariſiis* 1516. 8. Iodoci Badii Aſcenſii typis, in multis lacera, in nonnullis mutila, vel ab ipſo cenſore Badio deprauata. *Coloniae* 1560. 8. ſub praelo Choliniano, Henricus Grauius Dominicanus, ex veteribus MStis codicibus, multis mendis repurgata dedit. *Baſileae* 1569. fol. inter orthodoxographos, accurante Iohanne Iacobo Grynaeo. REIMMANNVS, *a*) Hildeſienſis Superintendens de re literaria optime meritus, notat, Pontii Paulini poemata, Proſperi Aquitanici carmina, S. Hilarii et Venantii Fortunati quaedam prodiiſſe *Antuerpiae* 1560. 12. ex officina Plantiniana, eamque primam opinatur eſſe Paulini editionem, et perraram.

§. LI.

Seculo poſt Chriſtum natum decimo ſeptimo Paulini

y) De poetis Latinis l. 5. c. 90. *z*) De poetis Latinis c. 4. p. 58.
a) Biblioth. Reimmann. tomo 1. p. 381.

Digitized by Google

lini opera prodierunt *Coloniae Agrippinae* 1618. fol. magna bibliotheca veterum patrum et antiquorum ſcriptorum eccleſiaſticorum tomi quinti parte prima num. 3. *Antuerpiae* 1622. 8. ex officina Plantiniana, cum notis Frontonis Ducaei, et editoris Heriberti Rosvveidi, S. I. theologorum. *Pariſiis* 1685. 4. duobus voluminibus, ad plurimos codices MStos collata, notisque et variantibus lectionibus illuſtrata ſtudio Iohannis Baptiſtae le Brun, presbyteri doctiſſimi. *b*) *Mediolani* 1697. 4. Muratorius tomo primo anecdoton Latinorum inedita quaedam Paulini primum in lucem protraxit. *c*)

§. LII.

Sub Theodoſio M. imperatore magnum S. AMBROSII, Mediolanenſis Epiſcopi, ingenium ſe cum aliis diſciplinis, tum poeſi diuina oſtendit. Inprimis de eccleſia meruit, et plurimos Numini aeterno ſuoque Seruatori, lingua Latina, cecinit hymnos. Habentur in operibus *d*) hymni diuerſis temporibus concinendi XXXIV. Accedunt, de quibus non idem omnes ſentiunt, precatio pro pluuia impetranda, pro ſerenitate, et canticum ſanctorum Ambroſii et Auguſtini, *Te Deum laudamus* etc. Porro de epiphania Domini, in quadrageſima ad tertiam, in paſcha ad tertiam, de eccleſiae dedicatione, de S. Benedicto, de Apoſtolis Petro et Paulo, de martyribus, de vno martyre, de pluribus virginibus, precatio pro pluuia impetranda, pro ſerenitate, epitaphium Satyri fratris, et diſticha de diuerſis rebus, quae in baſilica S. Ambroſii ſcripta ſunt. Hexaemeri, ſiue ſex hymnorum *e*) de opere creationis,

b) Vid. acta erudit. Lipſ. 1685. p. 482. *c*) Vid. acta erudit. Lipſ. 1698. p. 57. *d*) Edit. Colonienſ. 1616. tomo 5. p. 169. *e*) Supra memoratorum XVII. -- XXII. vossivs de poetis Latinis pag. 57. ſeptem numerat, quos reperire non poſſum.

tionis, AVGVSTINVS *f*) et BEDA *g*) meminerunt. Alibi AVGVSTINVS *h*) etiam laudat hymnum veſperarum, *veni creator omnium* etc. *i*). Subleſtae fidei eſſe carmina quaedam falſo adſcripta propter ingenium admirando Ambroſio, nemo facile ierit inficias. Atqui etiam non damnanda ſunt omnia, quae Auguſtinus non recenſet. *k*) Ambroſium conſtat hymnos venuſtiſſime non paucos ſcripſiſſe: quorum haec fere eſt ratio, vt quarto quoque verſu ſententiam abſoluant, tantoque facilius decantari poſſint alternis vicibus. Qui canendi mos huius aeui eccleſiis mire placuit. Hinc factum eſt, vt omnes hymni ad hunc modum compoſiti, quorum in eccleſiis vſus eſt, Ambroſiani dicantur, quemcunque tandem auctorem habeant.

§. LIII.

Gratiani et Theodoſii Auguſtorum temporibus fuit RVFVS FESTVS AVIENVS: quem patria exiſtimant fuiſſe Hiſpanum. Aſſertum vero iſtud ſolum coniectura ex Hiſpaniae et Hiſpanorum laudibus, et Punicis Himilconis annalibus, ab Auieno citatis petita nititur. *l*) Eorum magis probatur opinio, qui eum affirmant in Italia natum. *m*) Et fruſtra eum, leuibus certe argumentis, beato Chriſtianorum adſcribunt numero. *n*) Sed paganae ſuperſtitioni deditum vbique Aratea phoenomena oſtendunt, quorum paraphraſin ſcripſit, carmenque ſuum auſpicatus eſt ita:

Carminis

f) Confeſſionum lib. 9. *g*) Libro de re metrica. *h*) Confeſſion. l. 12. et de muſica l. 6. c. 9. *i*) In vulgatis, *Deus creator omnium* etc. hymn. 14. *k*) Vid. DV PIN noua bibliotheca eccleſiaſticorum auctorum tom. 2. p. 506.
l) Vid. NIC. ANTONIVS bibliothecae veteris Hiſpanae l. 2. c. 9.
m) Vid. FABRICIVS biblioth. Lat. vol. 1. p. 591.
n) NIC. ANTONIVS l. c.

Digitized by Google

Carminis inceptor mihi Iuppiter: auſpice terras
Linquo Ioue: excelſam reſerat dux Iuppiter aethram:
Imus in aſtra, Iouis monitu: Iouis omine coelum,
Et Iouis imperio mortalibus aethera pando.

At, inquies, paraphraſtis fuiſſe veſtigiis inſiſtere auctoris ſui: vt Arati exprimeret ſolemne exordium: ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα. *a Ioue principium.* Apertius monumentum teſtatur, quod Romae inuentum, et extat apud GVIL. FLEETWOOD: *o*)

R. Feſtius V. C. de ſe ad Deam Nortiam
Feſtus Muſoni ſuboles prolesque Auieni
Vnde tui latices traxerunt Caeſia nomen
Nortia te veneror lare cretus Vulſinienſi
Romam habitans gemino Proconſulis auctus honore
Carmina multa ferens vitam inſons integer aeuum
Coniugio laetus Placidae numeroque frequenti
Natorum exſultans viuax et Spiritus ollis
Caetera compoſita fatorum lege trahuntur.
Sancto Patri Filius Placidus.
Ibis in optatas ſedes nam Iuppiter aethram
Paudit Feſte tibi candidus vt venias
Iamque venis tendit dextras chorus inde Deorum
Et toto tibi iam plauditur ecce Polo.

Ad Rufum Feſtum Auienum poetam noſtrum pertinere, nullum eſt dubium. Neque enim ſolum eius exprimitur nomen; verum et carminum, quae ſcripſerit, multorum mentionem ipſe facit; et filius Placidus ſatis aperte ad initium Arateorum phaenomenum alludit. Diſcimus inde noſtrum, non Hiſpanum, ſed Volſcum in Hetruria eſſe natum, atque gentili Deae Nortiae deuotum. Nam et Noricae Deae Hetruſcae apud Volſcinienſes templum e LI-

o) Inſcriptionum antiquarum ſylloge, pag. 153.

vio notum est. Et Vulscinienſibus Nurſiam, Sutrinis Nortiam, vtrisque in Tuſcia, TERTVLLIANVS tribuit. Legimus porro, eum veniſſe Romam, et literarum ſtudio, ſuisque meritis altiſſimum honoris gradum obtinuiſſe proconſulis gemino honore auctum. Conſulem fuiſſe ordinarium, in faſtis non reperio. Inſcriptionem vero Graecam in Rufum Feſtum, Graeciae Pro-conſulem, apud GRVTERVM *p*) et FABRETTVM *q*) habemus. Intelligimus denique coniugem habuiſſe Placidam, quae proconſularem poetam et virum probum numeroſae prolis fecerit parentem. Fallitur PETRVS CRINITVS, *r*) qui Auienum poetam noſtrum ad Diocletiani Auguſti tempora referre non dubitat. Toto poſt eum floruit ſeculo, vt dixi imperatorum Gratiani et Theodoſii aetate, cum Macrobio, qui in ſaturnalibus eum inducit iuuenem. Et S. Hieronymus in commentario epiſtolae ad Titum, vbi de Arati phaenomenis loquitur, Auienum ait paulo ante ſua tempora in Latinam linguam conuertiſſe poſt M. Tullium atque Germanicum Caeſarem.

§. LIV.

Multa et varia ſcripſit oratione ligata, quibus non vulgarem ingenii et doctrinae laudem conſecutus eſt. 1) *Aratea phaenomena*, ſiue Arati, ſcriptoris Graeci, paraphraſin, verſibus hexametris: quam auctor poſtremo fortaſſis elaborauit loco, ſcriptorum eius minime poſtremam. *Venetiis* primum prodiit 1488. 4. apud Antonium de Strata Cremonenſem, per Thomam de Blauis de Alexandria, vna cum orbis terrae deſcriptione, Germanici et Ciceronis Arateis, et Sereni libro de medicina. 1499. fol. apud Aldum,

p) Inſcript. fol. 464. n. 7. *q*) Inſcript. p. 742. *r*) De poetis Latinis l. 5. c. 79. Confer. VOSSIVS de poetis Latinis pag. 56. de hiſtoricis Latinis l. 2. c. 9. pag. 202.

Digitized by Google

dum, cum Arato, eiusque metaphraſtibus variis. *Pariſiis* 1559. 4. apud Guil. Morellum, cum eius caſtigationibus. Ex officina Sanctandreana 1589. 8. in aſtronomicis veterum ſcriptis iſagogicis Graecis et Latinis. Graeca ſunt Procli ſphaera, Arati phaenomena et prognoſtica, et Leontii conſtructio Arateae ſphaerae. Latina Aratea Ciceronis, Auieni, et Germanici, veterum poetarum fragmenta aſtronomica, et Hygini poeticon aſtronomicon. *Lugduni Batauorum* 1600. 4. ſyntagmate Arateorum, cum notis Hugonis Grotii.

§. LV.

Scripſit 2) *de orbe terrarum*, ſiue metaphraſin periegeſeos Dionyſii Alexandrini, verſibus hexametris: et 3) *deſcriptionem oras maritimae* a Gadibus ad Maſſiliam vſque iambis elegantibus, ad Probum, cognatum ſuum, quem filii loco habere et diligere teſtatur. Et hunc virum conſularem fuiſſe, verſu primo, et ſaepius ſequentibus indicat. Opus vero aggreſſus eſt, Latinis ingeniis intactum, tantaeque difficultatis, vt in eo abſoluendo diu multumque ipſi laborandum fuerit. Multa inſeruit ex variis atque reconditis auctoribus. Praecipue ſecutus eſt, vt ipſe teſtatur, Hecateium Mileſium, Hellanicum Lesbium, Philonem Athenienſem, Pauſimachum, Euctenum, Cleonem Siculum, aliosque non paucos. Etiam multa ex Punicis annalibus accepit. Sed hodie tantum eius fragmentum extat. Carmen vtrumque prodiit *Venetiis* 1488. 4. per Victorem Piſanum. Sed multa ex veteribus libris in vtroque opere emendatius edidit Petrus Pithoeus *Pariſiis* 1590. 8. et 1596. 12. in veteribus poematibus. *Madriti* 1634. 4. recuſa ſunt opuſcula Auieni, quae exſtant, omnia, edente ex Ramireſii bibiotheca Petro Melian.

§. LVI.

§. LVI.

Extant 4) Auieni Aesopicae fabulae XLII. carmine elegiaco scriptae, et Theodosio dicatae, non imperatori, s) sed Macrobio illi, qui Auienum ipsum in saturnalibus loquentem inducit. Nec obstat poetam nostrum fabularum esse auctorem, quod in aliis codicibus *Auianus*, *Anianus*, *Anienus*, vel etiam *Abienus*, nominetur: facile enim cuique patet, librariorum hallucinationes esse. Et BARTHIVS t) annotat, in schedis antiquis *Flauium Auianum* vocari: quem VOSSIVS v) etiam ita vocat, Barthium procul dubio secutus: nostram vero ipse alibi x) tuetur sententiam, atque Rufum Festum Auienum affirmat fabulas Aesopicas carmine elegiaco tradidisse. Istis quidem fabellis primum aliquam nominis famam quaesiuisse testatur: y) *dubitanti mihi, - quonam literarum titulo nostri nominis memoriam mandaremus, fabularum textus occurrit.* Neque plures quam XLII. exposuisse ibidem docet: *Phaedrus etiam partem aliquam quinque in libellos resoluit.* z) *De his ergo ad quadraginta et duas in vnum redactas fabulas edidi, quas rudi Latinitate compositas elegis sum explicare conatus.* Prodierunt primum Auieni fabulae cum commento post Christum natum 1494. 4. sine loci notatione. Eodemque

s) Pro Theodosio imperatore GIRALDVS habet. PAVLVS VERO COLOMESIVS in cimeliis c. 38. pag. 50. Macrobium esse ostendit, qui a veteribus ἁπλῶς Theodosius vocabatur.

t) Aduers. l. 39. c. 7. et 13. l. 50. c. 7. v) Instit. orator. l. 3. c. 15. §. 5. x) De poetis Latinis pag. 56. de historicis Latinis l. 2. c. 9. pag. 202. seq. y) Praefatione, ad Theodosium scripta, init. z) Hinc error KORNIGII, qui bibliotheca vetere et noua p. 73. v. *Auianus*, nostrum affirmat suas fabulas ex quinque Phaedri libellis, iambico carmine scriptis, contexuisse. Haud difficulter autem quisque, amborum qui legit libellos, fabulas toto coelo diuersas esse, videbit.

Digitized by Google

Eodemque anno et forma eadem *Dauentriae* ſub titulo, Aeſopus moraliſatus cum bono commento. *Baſileae* 1501. fol. opera et impenſa magiſtri Iacobi de Phortzheim, mythologi Aeſopi, clariſſimi fabulatoris, vna cum Auiani et Remicii quibusdam fabulis, per Sebaſtianum Brant reuiſi, additisque per eum ex variis auctoribus centum circiter et quadraginta elegantiſſimis fabellis, facetis dictis et verſibus, ac mundi monſtroſis compluribus creaturis, quae ligneis inciſae tabellis, non ſine inſigni illius temporis ſacrificulorum opprobrio. Deficiunt autem in Auieni fabulis, quas fol. o 11. exhibet, 4. 10. 12. 16. 21. 23. 24. 30. 32. 34. 36. 37. 38. 39. 40. Pluribus annexa epimythia, quae in aliis recentioribus exemplis deſiderantur. Et RICHARDVS BENTLVS *a*) diſticha haec epimythia notat omnia ſuppoſititia eſſe, τοῦ κακοῦ κόμματος: eaque in Galei codice comparere negat. Porro Auieni fabulae prodierunt *Lipſiae* 1514. 4. Hadriani Barlandi opera. *Antuerpiae* 1585. 12. a Theodoro Pulmanno e tribus codicibus MSt. caſtigatae, qui et varias lectiones addidit. *Pariſiis* 1590. 8. et 1596. 12. in Petri Pithoei poematiis antiquis. *Heidelbergae* 1610. 8. inter fabulas variorum autorum recenſitas et illuſtratas ab Iſaaco Nicolao Neueleto. *Lugduni* poſt alias ſaepius repetitas editiones 1630. 12. apud Iohannem Tornaeſium, typographum regium, cum Aeſopi vita et fabulis Gr. et Lat. Gabriae fabellis Gr. et Lat. Homeri ranarum et murium pugna Gr. et Lat. incerti auctoris felium muriumque pugna Gr. et Lat. Illud vero ſatis mirari nequeo, huic editioni, neſcio cuius manu, *b*) poſt tot tamque varia Auienarum

a) Ad Horatium pag. 433. *b*) Niſi me fallunt omnia THEODORI PVLMANN, qui Antuerpiae 1585. 12. Auieni fabulas ex tribus codicibus MStis caſtigatiores edidit. Sed qui ſcribere po-

rum fabularum exempla, annotatum legi: *has* Aesopi fabulas *quidem nunc primi edimus, cupimusque, ut operam nostram in his fabulis restituendis lectores aequi bonique consulant. Quos et hoc admonitos velim, has olim quidem a Gregorio Gyraldo esse lectas (is enim in suis libris quandam particulam praefationis affert) ab eo autem, aut alio quouis, non esse editas: hac de causa, vt credimus, quod nacti non essent satis emendatum exemplar: nos feliciores, qui nacti fuimus tria exemplaria, quae simul Auienum nobis integrum et quam emendatum exhibuerunt.* Deinde cum Homeri *βατραχομυομαχια* siue ranarum et murium pugna selectisque Aesopi fabulis Graeco-Latinis prodierunt Auieni fabulae *Lugduni Batauorum* 1632. 8. *Madriti* 1634. 4. cum reliquis Auieni poematibus et opusculis omnibus accurante Petro Melian. *Arnhemii* 1649. 8. Rursum inter fabulas variorum ab auctorum Isaaco Nicolao Neueleto recensitas et illustratas *Francofurti* 1660. 8.

§. LVII.

Feruntur praeterea sub Auieni nomine 5) breue carmen ad Flauium Murmecium v. c. *c*) Insignis vero PETRI CRINITI *d*) oscitantia est, qui carmen hoc cum maritimis Auieni confundit, quae Murmecio ab auctore nostro nuncupari putat. 6) Sirenum allegoria: quod non indignum Auieno poemation ab aliis Iuliano cuidam adscribitur, vt puto, ex librariorum errore, qui ex *Auiano*, litera-

---

rueris, ante eas non editas fuisse, equidem omnium minime videre possum. *c*) Aliis exemplis *ad Flauianum Myrmecium V. C.* Ita enim vossivs de poetis Latinis p. 56.

d) De poetis Latinis l. 5. c. 79. *Inter amicos praecipue coluit Myrmecium Flauianum, virum clarissimum et probum, cuius virtutem atque probitatem magnopere commendat, dicato illi volumine de maritimis.*

Digitized by Google

literarum facili permutatione *Iulianum* fecerunt. 7) Carmen ad amicos de agro ſuo, quod inter Martialis epigrammata olim fuerat editum libro quarto, ſed a P. Scriuerio aliisque auctori ſuo vindicatum. Leguntur haec carmina in Auieni antiquiſſima editione *Veneta* 1488. 4. Petri Pithoei epigrammatis et poematiis veteribus *Lutetiae* 1590. 8. et 1596. 12. *Madriti* 1634. 4. cum reliquis Auieni opuſculis omnibus.

§. LVIII.

Inter alia, quae temporum periere iniuria, ſunt 1) fabulae ex Virgilio collectae et iambis expoſitae: quarum SERVIVS *e*) meminit: 2) fabulae omnes ex Liuio verſibus iambicis exornatae. Has idem SERVIVS *f*) laudat ita: *haec fabula nusquam inuenitur in auctoribus. Abienus autem, qui totum Virgilium et Liuium iambicis ſcripſit, hanc commemorat, dicens, Graecam eſſe.* Non puto, Liuium Patauinum, hiſtoriae Romanae principem, ſed Liuium Andronicum *g*) poetam exſcripſiſſe comicum illum, qui omnium primus fabulam dedit ſuaque carmina in ſcenam produxit. Vti enim ipſe Aeſopicarum fabularum prooemio ad Theodoſium ſcribit, nominis memoriam fabularum textu quaeſiuit. Et ſic operam videtur ſuam poſuiſſe in omnis generis fabulis explanandis: quarum aliae, vt Arati, ad corpora coeleſtia pertinent; aliae, vt Virgilii et Liuii Andronici, ad heroes; aliae, vt Aeſopi;

e) Ad Aeneid. l. 10. v. 273. —— *nocte cometae Sanguinei lugubre rumpent* —— *Quarum nomina et effectus Abienus, qui iambes ſcripſit Virgilii fabulas, memorat.*

f) Ad Aeneid. l. 10. v. 388.

—— Rhoeti de gente vetuſta
Anchemolum - -

g) De quo comment. de adoleſcentia Lat. linguae c. 2. §. 6.

ad animalia bruta referuntur. Atque, vt GERH. IOH. VOSSIVS *b*) bene monuit, omnia eius ſcripta ſapiunt vnius hominis genium, qui gauderet aliorum inuenta Latinis numeris reddere.

§. LIX.

CRINITO *i*) Auienus poeta eſt eruditus et elegans, qui magna doctrina et multiplici rerum ſcientia praeſtiterit, et opere inprimis Arateo maximam laudem adeptus ſit. Optimum non modo paraphraſten, verum et interpretem Arati agit: multaque huic intacta profert. Aliquando etiam Germanicum Caeſarem aliosque conſulit, qui eandem materiam pertractarunt. Nec facile quis ierit inficias, quod ex Hugone Grotio FABRICIVS *k*) quoque obſeruat, Auieni lacinias quasdam Germanico infertas eſſe. BARTHIVS *l*) ita iudicat: *Rufus Auienus ſcriptor luculentiſſimus, poeta vero adeo excellens, vt nonnunquam ſeſe ipſum vix videatur capere.* Alibi *m*) *magni* eum vocat *oris poetam, ſed durum omnino, et ſe ipſum vix vſpiam capientem.*

§. LX.

Valentiniani et ſequentium imperatorum temporibus floruit DAMASVS, vrbis Romanae epiſcopus. Natione Hiſpanus fuit, natus ineunte Conſtantini M. principatu, *n*) circa annum Domini CCCVI. patre Antonio, et bonarum artium ſtudio, cum inſigni pietate coniuncto, ad honoris ſummum faſtigium peruenit. Defuncto Liberio pontifice, CCCLXVI. factus eſt Romanus epiſcopus, et Vrſicinum

b) De hiſtor. Lat. l. 2. c. 9. pag. 202. *i*) De poetis Latinis l. 5. c. 79. *k*) Biblioth. Latin. vol. 1. p. 592. *l*) Aduerſar. l. 46. cap. 16. *m*) Aduerſ. l. 44. *n*) Nam HIERONYMO teſte, de viris illuſtribus cap. 103. mortuus eſt prope octogenarius ſub Theodoſio, poſt Chriſtum natum anno CCCLXXXIV. Confer. SVIDAS v. Damaſus.

Digitized

Vrſicinum diaconum competitorem habuit in baſilica, quae Sicinini appellatur: vbi multi vtrinque in ipſo templo cecidere: quia res non tam ſuffragiis, quam vi et armis tractabatur. Verum non ita multo poſt Damaſus ſacerdotum et populi conſenſu epiſcopus confirmatur, et Vrſicinus ad Neapolitanam eccleſiam mittitur. Damaſus adulterii etiam accuſatus publico concilio cauſſam dixit: eiusque cognita et probata innocentia eſt abſolutus: Concordius vero et Caliſtus diaconi, eius calumniatores falſique delatores, damnati, et ab eccleſia reiecti ſunt. Et cautum eſt lege, vt qui falſo quem accuſauerit poſtea, talionis poenam ſubeat. Sic tandem pacata eccleſia, liberali et ſacro delectatus eſt otio, inprimis carminibus ſcribendis atque hymnis, qui in eccleſia canerentur. Hieronymo valde familiariter vſus eſt. Neque deſtitit templa et cultum diuinum augere. Duas baſilicas aedificauit; vnam iuxta theatrum, alteram via Ardeatina ad catechumbas: et loca ſacra quouis modo ornauit. Primus Hieronymi, qui in viuis adhuc erat, ſcriptis auctoritatem longe maximam conciliauit. Cum enim antea LXX. interpretum ſacri codicis tantum legeretur verſio: pontificis commendatione verſio Latina Hieronymi obtinuit, et quammaxime pſalmi in pretio eſſe coeperunt, fideliter ab illo ex Hebraica lingua traducti, qui apud Gallos potiſſimum incompoſite legebantur. Sacro muneri poſtquam XIIX. annos praefuit, *o*) mortuus eſt anno Chriſti CCCLXXXIV. Martyrologio ADONIS, archiepiſcopi Treuirenſis, *p*) III. Idus Decembris haec leguntur: *Romae S. Damaſi papae, qui rexit eccleſiam annos octodecim, menſes tres, dies vndecim. Hic*

o) PLATINA de vitis pontificum p. m. 118. numerat annos XIX. menſes III. dies XI. *p*) Apud SVRIVM de probatis ſanctorum hiſtoriis tomo 7. pag. 428.

conſtituit, vt pſalmi die noctuque canerentur per omnes eccleſias: et in fine, gloria patri, et filio, et ſpiritui ſancto. Hic multa corpora ſanctorum requiſiuit et inuenit, quorum memoriam etiam verſibus declarauit. Qui ſepultus eſt via Ardeatina in baſilica ſua, iuxta matrem et germanam ſuam. HIERONYMVS *q*) ſolum notat, prope octogenarium ſub Theodoſio principe mortuum eſſe. Vnde facile cuique patet, viuo Hieronymo, Damaſum obiiſſe. Quod ignorauit, aut certe non meminit impoſtor ille, qui falſis titulis multa miſcuit operibus Hieronymi, atque, de morte Hieronymi ad Damaſum ſcribit, ratus, vt verbis ERASMI *r*) vtar, librum in coelum perferendum. Pluribus conferendi ſunt annalium ſcriptores, et qui vitas pontificum tradiderunt. Inprimis de eo diligenter egerunt MARTIVS MILESIVS SARAZANIVS, qui opuſcula edidit, et auctoris vitam deſcripſit; TILLEMONTIVS, *s*) NIC. ANTONIVS, *t*) et LVCAS HOLSTENIVS. *v*) Vix memoratu digna, quae PETRVS CRINITVS *x*) de eo memoriae prodidit. Notatu vero digniſſima reperies apud DVPINIVM, noua bibliotheca eccleſiaſticorum auctorum, *y*) et ceteros, qui ex profeſſo de ſcriptoribus ſacris commentati ſunt.

§. LXI.

Scripſit, praeter epiſtolas atque decreta, quorum hodie fragmenta quaedam extant, multa ſed breuia metro. Leguntur eius carmina XL. Sarazanii notis illuſtrata, ſacri argumenti: ex quibus epitaphia quaedam apud GRVTERVM etiam

q) De viris illuſtribus cap. 103. *r*) Ad Hieron. l. c. apud FABRICIVM biblioth. eccleſ. p. 192. *s*) Memoriarum hiſt. eccleſ. tomo 8. *t*) Bibliothecae veteris Hiſpanae l. 2. v. 6. *v*) In diagrammate chronotactico pontificatus Damaſi, in collectione Romana tom. 2. pag. 298. --- 303. *x*) De poetis Latinis l. 5. c. 87. *y*) Tomo 2. pag. 261. ſeqq.

Digitized by Google

etiam obuia ſunt. z) Deſiderantur vero eius libelli de virginitate proſa et ligata oratione conſcripti. *a*) Summa item quorundam voluminum vtriusque teſtamenti, hexametris verſibus breuiter comprehenſa: quam NIC. ANTONIVS, *b*) in archiuo baſilicae principis Apoſtolorum Romae aſſeruari audiuit: et acta martyrum Romanorum Petri Exorciſtae et Marcellini: de quibus EGINHARTVS: *c*)

Haec vt geſta referuntur, retuliſſe aſſerunt
Illum ipſum, qui eoſdem interemit martyres,
Et ab illo didiciſſe Damaſum pontificem,
Cum aetate puerili, per eadem tempora
Sub magiſtro miniſtraret, et ad magnum creſceret
Rerum culmen, tunc Romana lector in Eccleſia.
Sed haec cuncta memoraſſe, ac mandaſſe literis,
Cum illius almae ſedis obtineret apicem,
Et in tota principatu polleret eccleſia.

Falſo referunt centuriatores Magdeburgenſes, *d*) Hieronymum meminiſſe enarrationum Damaſi in XVI. prophetas. Nec dici poteſt, vbi exſtet Damaſi libellus de munificentia Conſtantini M. quem BARONIVS *e*) laudat: vel carmina in pſalterium, quorum SIMLERVS meminit. *f*)

§. LXII.

z) Inſcriptionibus Chriſtianis MCIXII. ſeqq. ad MCLXXIV.

a) Quorum HIERONYMVS meminit epiſtola ad Euſtochium de cuſtodia virginitatis. *b*) Bibliothecae veteris Hiſpanae tom. 1. p. 145. *c*) Carmine adiuncto libris de ſanctis martyribus Marcellino et Petro, apud SVRIVM de probatis ſanctorum hiſtoriis tom. 3. p. 561. *d*) Hiſt. eccleſ. cent. IV. 10. pag. 748. *e*) Ad martyrol. Roman. 18. Nouembr. *f*) Confer. FABRICIVS biblioth. mediae et infimae Latinit. l. 4. p. 14. ſeq. Sed perperam de omnibus ſimul BORCLERVS bibliographia critica pag. 741. iudicat, quae Damaſi, epiſcopi Romani ferantur, ſuſpecta, aut aliorum auctorum eſſe.

§. LXII.

Damasi etiam nomine commendatur pontificalis siue liber de vitis pontificum Romanorum, *g*) a B. Petro apostolo, ad sua vsque tempora. Sed illius non esse, argumenta conuincunt plurima. Hieronymus libri istius non meminit, vbi de viris illustribus agit. *h*) Et ipse reclamat stilus totaque orationis series. In epistolis enim Damasi, aliisque eius monumentis, pro genio huius temporis, est phrasis culta satis atque nitida: in isto vero de pontificibus opusculo dictio est rudis ac impolita. Multa narrantur in ea historia a veritate aliena, quae viri nullius grauis auctoritate et testimonio confirmari possunt: sunt chronographici lapsus plurimi, pugnantia et quae minime conueniunt. Pluribus argumentis facile demonstrari potest, librum istum Damasi non esse. PAPYRIVS MASSONVS arbitratur ab alio Damaso Portuensi episcopo istud pontificale opus editum esse; illo videlicet, ad quem ab Eusebio Cremonensi, Hieronymi olim discipulo, vita eius scripta dicitur. Sed dictioni ea quoque non conueniunt tempora. PANVINIVS, BARONIVS et alii suspicantur, a pluribus, minimum duobus scriptoribus consarcinatum fuisse. Quoniam vero stilus, tota scribendi ratio, methodus et ordo illarum quoque vitarum, quae post Damasi vitam in codice isto leguntur, omnino videntur consentire cum stilo vitarum priorum: criticis hodie persuasum est plurimis, vitarum omnium (licet nonnullis in locis adulterina aliorum adiectione, vel detractione, sint deprauatae) verum et genuinum auctorem esse Anastasium S. R. E. bibliothecarium.

g) Gesta summorum pontificum sunt apud IOH. TRITHEMIVM de script. eccles. c. 74. Confer. PETRVS CRINITVS de poetis Latinis l. 5. c. 87. PLATINA Damasi vita p. m. 117. — *h*) Cap. 103.

rium. *i*) Eius etiam nomine typis excuſae ſunt *Moguntiae* 1602. 4. Marco Velſero, Auguſtanae reip. duumuiro, procurante. *k*) Editionem nitidiſſimam debemus Schelſtrateno, quam exhibet in tomo primo antiquitatis illuſtratae, *l*) *Romae* 1692. fol. Extat quoque Caroli Annibalis Fabrotti opera, cum hiſtoria Anaſtaſii eccleſiaſtica, *Pariſiis* 1649. fol. inter ſcriptores hiſtoriae Byzantinae: qui nouiſſime recuſi etiam proſtant *Venetiis*. Et magnificam huius libri pontificalis editionem, auſpiciis Clementis XI. Romani pontificis curare coeperunt Franciſcus Blanchinus et Iohannes Vignolius, notis et obſeruationibus illuſtratam *Romae* 1718. 1724. 1728. fol. Opus etiam extat totum ex recenſione eiusdem Vignolii *Romae* 1724. 4. *m*) Sub idem fere tempus Muratorii ſtudio prodiit *Mediolani* 1723. fol. rerum Italicarum tomo tertio. *n*)

§. LXIII.

Magna inter eum atque S. Hieronymum amicitia interceſſit atque frequens literarum commertium. Saepius in cauſſis fidei Hieronymum a Damaſo conſultum, vel ex illius epiſtolis atque praefationibus ſatis patet. Et Hieronymus illi, quem totum proſequebatur amore, libellum de filio prodigo dedicauit: *o*) dedicaturus illi quoque Didymi librum de ſpiritu ſancto, a ſe translatum: ſed Pauli-

i) Vid. G. I. VOSSIVS de hiſtor. Latinis l. 2. c. 8. extr. p. 200. Et AVR. MIRAEVS ad Hieron. de viris illuſtr. c. 103. apud FABRICIVM biblioth. eccleſ. p. 153. *k*) Siue potius ex Velſeri bibliotheca accurante Iohanne Buſaeo. *l*) Pag. 401 — 496.

m) Confer. Acta Eruditorum Lipſienſ. ann. 1719. pag. 425. anno 1725. pag. 153. ann. 1727. pag. 52. ann. 1731. pag. 149.

n) Act. Erudit. Lipſ. ann. 1724. pag. 377.

o) Quod ipſe docet l. 2. contra Iouinianum c. 17.

Pauliniano eum poſtea conſecrauit, quod Damaſus diem ante obiit ſupremum, quam liber in vulgus prodire potuit. Inprimis elegans eius in verſibus componendis ingenium praedicat, multaque teſtatur, *p*) et breuia metro edidiſſe. Et apud SVIDAM *q*) verſificator eſt ingenioſus, qui multa breuiter heroico carmine comprehenſa edidit. IOH. TRITHEMIVS *r*) eum vocat virum in diuinis eruditiſſimum, et in ſecularibus literis egregie doctum, rhetorem et poetam celeberrimum, et in componendis verſibus peritiſſimum, ingenio ſubtilem, vita deuotum atque ſanctiſſimum, diui Hieronymi presbyteri amantiſſimum.

§. LXIV.

Vir fuit eleganti ingenio, praeſertim in verſibus condendis. Phraſis, vt ſenectutis haec ferebant tempora, culta ſatis eſt atque nitida. Sufficiens elucet ſermonis cultus, et minime vulgaris doctrina. CRINITVS *s*) cum ingenium, tum eruditionem laudat, et in carmine ſcribendo promtitudinem; modeſtiam item ceterasque virtutes, quibus ornatus pontificatum obtinuerit. Poemata edidiſſe non vulgari elegantia.

§. LXV.

Ex carminibus Damaſi pauciora prodierunt *Venetiis* 1501. apud Aldum Manutium. Et aliquot ſanctorum elogia *Coloniae Agrippinae* 1618. fol. magna bibliotheca patrum, tomo quarto num. 19. Deinde quotquot haberi poterant, Damaſi ſcripta omnia prodierunt *Romae* 1638. 4. iunctim edita, et Vrbano VIII. pontifici dicata a Federico Vbaldino, qui ea cum notis Martii Mileſii Sarazanii,

p) De viris illuſtribus c. 103. *q*) Lexico v. *Damaſus*, p. m. 212. Confer. HONORIVS Auguſtodunenſis de ſcript. eccleſiaſt. l. 1. c. 104. *r*) De ſcript. eccleſ. c. 73.
s) De poetis Latinis l. 5. c. 87.

Digitized by Google

razanii, ex bibliotheca Barbarina, quam nitidiſſime in lucem protulit. Praemiſſa ſunt veterum ac recentiorum de Damaſo teſtimonia, ordine chronologico diſpoſita, vita quoque a Sarazanio, et quatuor antiquis auctoribus ſcripta. Recuſa ſunt *Pariſiis* 1672. 8. et *Lugduni* 1677. fol. bibliotheca maxima patrum tomo viceſimo ſeptimo. *t*) Sarazanii editionem non vidit Andreas Riuinus, qui pauciora quaedam Damaſi ab ſe recenſita et notis illuſtrata edidit *Lipſiae* 1652. 8.

§. LXVI.

Theodoſii imperatoris et Maximi tyranni temporibus floruit LATRONIANVS, quem SOPHRONIVS, Hieronymi Graecus interpres, *v*) Ματρωνιανὸν vocat. Sed *Latronianum* habent Hieronymi codices plerique, vt Gemblacenſis, Sigebergenſis, et Martinienſis: *x*) ſic quoque apud Hieronymum legit HONORIVS: *y*) et hoc nomine celebratur in codicibus SVLPICII SEVERI, *z*) et in PROSPERI chronico. *a*) Fuit natione Hiſpanus, et Priſcilliani Hiſpani aſſecla, qui, cum aliis Priſcillianiſtis, Gnoſticorum, Manichaeorum, Valentinianorum, et Sabellii haereſes revocare conabatur. Laudat HIERONYMVS *b*) inprimis viri ſummam eruditionem, et orationis ligatae elegantiam; adeo quidem, ut in metrico opere veteribus ſit comparandus. Ad ſuam vero calamitatem augendam cum Priſcilliano ad Maximum confugit, qui, Gratiano interemto, tyrannus imperium inuaſit. Priſcillianus enim in ſynodo Burdegalenſi ſe damnandum intelligens, ad Maximum imperatorem prouocat.

t) Pag. 55. *v*) De viris illuſtrib. c. 122. apud FABRICIVM biblioth. eccleſ. p. 212. Eumque maluit ſequi ERASMVS ibid.
x) Teſte SVLPICIO PETRI, et FABRICIO l. c. *y*) De ſcriptoribus eccleſiaſticis l. 1. c. 123. *z*) L. 2. c. 64. *a*) Ann. 388.
b) De viris illuſtr. c. 122.

Treuiris ergo auditur ab Euodio, praefecto praetorio, et a Maximo damnatur capite, vna cum Latroniano noſtro et aliis trucidandus Treuiris anno Chriſti CCCLXXXV. *c*) Hinc MARIANA *d*) eum arbitratur exitu, quam carminibus pagendis nobiliorem fuiſſe: quamuis in aliquo poetarum numero ſua aetate fuerit. Hieronymi temporibus extiterunt eius opera diuerſis metris edita. Scriptum vero eius nullum, ne titulus quidem vnus, aetatem tulit.

§. LXVII.

Theodoſii et filiorum, Honorii et Arcadii temporibus, illuſtres poetas inter maxime floruit CLAVDIVS CLAVDIANVS, Alexandriae in Aegypto natus: *e*) vtut alii eum *f*) Hiſpa-

c) Vid. PROSPER Aquitanicus chron. anno Chriſti 388. HIERONYMVS de viris illuſtr. c. 122. SVLPICIVS SEVERVS l. c. *d*) Lib. 4. c. 20.

e) SVIDAS: Κλαυδιανὸς Αλεξανδρεὺς ἱστορικὸς τεώτερος γέγονεν ἐπὶ τῶν χρόνων Αρκαδίου καὶ Ονωρίου τῶν βασιλέων. SIDONIVS APOLLINARIS, qui Claudiano valde familiariter vtebatur, ad Valerianum, *Peluſiaco* eum vocat *ſatum Canopo*. Ipſe CLAVDIANVS eidyllio 4. de Nilo:

Qui rapido, inquit, *tractu mediis elatus ab antris,*
Flammigerae patiens zonae cancrique calentis,
Fluctibus ignotis noſtrum procurrit in orbem.

Idem epiſtola vltima ad Gennadium:

Graiorum populis et noſtro cognite Nilo,
Vtraque gens faſces horret amatque tuos.

Agnoſcunt haec veterum teſtimonia LILIVS GREGOR. GYRALDVS de Latinis poetis dialogo 4. PETRVS CRINITVS de poetis Latinis l. 5. c. 85. G. I. VOSSIVS de poet. Lat. p. 57. In primis vero NIC. ANTONIVS biblioth. veteris Hiſpanae l. 3. c. 5. PARRHASIVS in Claudiani vita. Omnes, qui a FABRICIO laudantur biblioth. Lat. vol. 3. p. 148.

f) FLAVIVS BLONDVS Romae triumphantis l. 7. Conf. FABRIC. bibl. Lat. vol. 1. p. 624. et vol. 3. p. 149.

Digitized by Google

Hiſpanum, alii *g*) Gallum, alii *h*) Florentinum, nulla prorſus ratione commoti faciant. Quam quidem gloriolam ne Florentini ſuae vrbi arrogare videantur contra ipſius auctoris confeſſionem: in Aegypto eum fatentur eſſe natum: ſed Florentiae habitaſſe. Et nullo vetuſtatis innixi documento, patre aiunt natum mercatore, *i*) qui, bellis in Italia vbique formidandis, in Aegytum ſeceſſerit, ductaque vxore, Claudianum ex ea ſuſceperit, pace mox reconciliata ſecum Florentiam perductum. Ita RAPHAEL VOLATERRANVS: *k*) *Claudianum poetam Petrarcha dicit fuiſſe Florentinum. Sed Poſidonius* (poeta Sidonius) *qui fuit Claudiani familiaris, dicit Peluſiacum genitum Canopi. Habeo tamen autores, qui originem dicant e Florentia traduxiſſe. Nam et pater eius mercaturae gratia Canopum profectus, vxorem ibi duxit, ex qua genuit Claudianum, quod Colutius Pierius memoria patrum noſtrorum ſcriba Florentinorum epigrammate teſtatur:*

Aegypto genitum noua me Florentia ciuem
Legibus agnouit, magnis iam digna poetis:
Infernos raptus Cereris, pugnasque Deorum,
Caeſareas laudes, nec non Stiliconis honores.

Pari modo ANGELVS POLITIANVS *l*) Claudianum deſcribit:

Aut Peluſiaci miſſum de plebe Canopi,
Pulchra ſuum quem nunc Florentia iactat alumnum,
Gaudentem Stygio dominam iunxiſſe marito,
Magnanimique vagos ducis oſtentare labores.

g) LVD. MORERIVS in lexico. *h*) LANDINVS, PETRARCHA, et alii apud FABRICIVM l. c. *i*) Claudianum, poetam noſtrum, Claudiani philoſophi, cuius EVNAPIVS meminit, filium eſſe, BARTHIVS ſuſpicatur in notis p. 105. *k*) Comment. vrbanorum l. 14. p. 520. Confer. LIL. GREG. GYRALDVS de Latinis poetis dial. 4. Claudiani vita. *l*) Nutricia, operum p. 542.

Non adeo quidem videtur esse absurda, quam historica fide destituta vulgi traditio de ciuitate Claudiani Florentina: quandoquidem vero valde est simile, eum non modo Romae, in aulis Caesarum, diu commoratum fuisse, verum et passim in Italia, vt ratio ferebat temporum habitasse et variarum illustrium ciuitatum, vel suo merito gratiaque factum consortem. Latina lingua, quae in Aegypto non minus, quam in Gallia et Hispania adhuc florebat, illi prope vernacula, et ipse, vulgo quod dici solet, poeta natus erat. Ad summa quaeque adspirans et incomparabile ingenium ab ineunte aetate optimis literis incubuit, et omni scientiarum genere immane quantum profecit. Satis etiam mature carminibus excellere coepit, et pluribus aliis eripere palmam. Vt iam tum recitationes obtinebant, ad pompam magis vanamque iactationem, quam ad emendationem, et flagrans proficiendi studium institutae: *m*) noster veritatis studiosus, et elegantiori doctrina imbutus, ipsius quaestoris et magistratus sui, carmina quaedam recitantis, pro ingenii candore et suauitate, vitia indicare non veritus est. Sed et odium, et persecutiones, ex veritate eum sentire et culpam deprecari oportuit: *n*)

Nulla meos traxit petulans audacia sensus,
Liberoor solito, nec mihi lingua fuit.
Versiculos, fateor, non cauta voce notaui,
Heu miser ignorans! quam graue crimen erat!
Orpheos alii libros impune lacessunt.
Nec tua securum te, Maro, fama vehit.
Ipse parens vatum, princeps Heliconis, Homerus
Iudicis excepit tela seuera notae,

Sed

m) Vid. comment. de imminente L. L. senectute c. 1. §. 13.
n) Vid. epigr. 23. deprecatio ad Alethium quaestorem.

Digitized by Google

Sed non Virgilius, ſed non accuſat Homerus:
Neuter enim quaeſtor, pauper vterque fuit:
En moueo plauſus, en pallidus omnia laudo:
Et clarum repeto terque quaterque ſophos.
Ignoſcat placidus tandem, flatusque remittat,
Et tuto recitet, quod libet, ore: placet.

Caſtra mature ſecutus eſt, et ſtipendium meruit: neque tamen vnquam voluit manſuetiores deſerere Muſas: quae iners aut turpe ipſi non patiebantur ſupereſſe, militibus alias commune, otium. Ingenii excolendi, venae exercendae, et liberalioribus diſciplinis proficiendi, etiam inter arma ſaepius illi fuerat ſuppeditata facultas. Verſibus vtplurimum, quae iuuenis maxima voluptas, ludere, et hominum vitia notare ſolebat. Iuuenis diſerti et aliquando petulantis ſatyra tandem ipſe praefectus praetorio, Hadrianus, offenditur adeo, vt militem miſellum in vincula coniiceret, ac impotentis irae infelicem ſeruaret victimam. Nifi me fallunt omnia, eum ſub Phario, rapacitatis arguerat, epigrammate, quod de Theodoro et Hadriano inſcriptum: *o*)

Mallius indulget ſomno noctesque diesque.
Inſomnis Pharius ſacra, profana, rapit.
Omnibus hoc, Italae gentes, expoſcite votis,
Mallius vt vigilet, dormiat vt Pharius.

Claudianus hinc male habitus, cum praefecti praetorii ſummum adhuc ſenſerit fauorem, calamitate ſua feſſus atque lacrumis, ex carcere ſupplex eleganti carmine *p*) ab irato praefecto ac domino ſuo delicti veniam et libertatem petiuit. Inter alia:

Me,

o) Epigr. 29. *p*) Quod epiſtolarum eſt prima. *Vſque adeone tuae producitur impetus irae?*

Digitized by Google

Me, precor, heu! me redde mihi: grauibusque medere
Vulneribus, vitamque iube famamque reuerti.
Quae per te cecidit, per te fortuna resurgat.
--- --- ---
Quod si nec precibus, fletu nec frangeris vllo,
Eripe calcatis non prospera cingula Musis.
Eripe militiam: comitem me pelle sodalis.

Neque solum praetorio praefectus cum poeta videtur in gratiam rediisse, verum etiam quouis modo eum ornasse postea: vt alias, per gradus, attigerit post alias militiae dignitates: quoad tribunus fieret militum, *q*) suaque morum et doctrinae elegantia summis principibus magis innotescere potuerit. Anno post Christum natum CCCXCIV. proelio interfuit memorando, quo Theodosius imperator Eugenium tyrannum, quem Arbogastes ex grammatico imperatorem fecerat, ipsa tempestate adiutus, vicit tandem prope Aquileiam, et in conspectu suo trucidari curauit. Hinc noster ad Honorium Imperatorem scripsit: *r*)

--- --- *Victoria velox*
Auspiciis effecta tuis. Pugnastis vterque:
Tu fatis, genitorque manu. Te propter et Alpes
Inuadi faciles. Cauto nec profuit hosti,
Munitis haesisse locis. Spes irrita valli
Concidit, et scopulis patuerunt claustra reuulsis.

Te

q) Diserte monumento *tribunus et notarius* vocatur. Falluntur hinc auctores des compendioesen gelehrten lexici, quod Menckenii et Ioecheri nomine commendari meretur, vt Claudianum *tribunum notariorum* vocare non vereantur. Et hos incautus erroris sequitur Celeb. WIEM historia Lat. linguae p. 278. *r*) De III. consulatu Honorii.

Digitized by Google

Te propter gelidis Aquilo de monte procellis
Obruit aduerſas acies, reuolutaque tela
Vertit in auctores, et turbine reppulit haſtas.
O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Aeolus armatas hiemes; cui militat aether,
Et coniurati veniunt ad claſſica venti.

Anno cccxcv. extincto Theodoſio M. Honorii ſucceſſoris ſummam gratiam meruit, qui in dies magis cum fortitudine coniunctam eruditionem tribuni ſui admirari coepit. In oriente imperator Arcadius quod minor eſſet aetate, ſumma poteſtas erat penes Ruffinum, praefectum eius, qui cum faſtu et ambitione ſtatim inhiaret imperio et ipſe Gothorum auxiliis niteretur, eodem anno dedit poenas, ab exercitu ſuo trucidatus. In dignitatibus ſucceſſit illi cccxcv. Eutropius ſpado: qui quod in aula Arcadii omnia poſſet, ac multorum excitaret inuidiam, a Fl. Gainate, exercitus duce, bello ciuili commoto, interemtus eſt. Duo Claudianus in vtrumque ſcripſit libros elegantia praeſtantes. Gildonis quoque notandum in Africa bellum, quod item noſter verſibus heroicis deſcripſit: multaque alia dedit minime vulgaris ingenii documenta. Anno CCCXCVII. Olybrio et Probino coss. ab Honorio Imperatore eiusque praefecto Stilicone Romam accitus et propter elegantiam ſtili notarius in Caeſaris aula conſtitutus, principum in rep. res geſtas atque virtutes carminibus heroicis ornare, non ſine maximo ciuium politiorum applauſu, allaborauit. Teſtis ſufficiens ipſe, vt ſcribat, ad conſulem Probinum ſcribit: s)

Romanos bibimus primum te conſule fontes,
Et Latiae ceſſit Graia Thalia togae:
Incipiensque tuis a faſcibus omnia coepi,
Fataque debebo poſteriora tibi.

Vt

s) Epiſtol. 4.

Vt dixi, anno cccxcvii. Olybrii et Probini consulatum, cccxcviii. consulatum Honorii tertium, eiusdemque anno cccc. consulatum quartum, ccccı. Mallii Theodori consulatum, ccccii. Stiliconis consulatum, et ccccvi. Honorii consulatum sextum, more solito, i. e. elegantissimo carmine panegyrico, celebrauit. His non modo principum, verum et senatus, imo totius populi fauorem meruit: vt summae auctoritatis virum suspicerent omnes, et imperatores ipsi, rogante senatu, poetae, cum in viuis esset, aeneam curarent in foro poni statuam, ac titulum addi tabulae inscriptum marmoreae: *t*) CL. CLAVDIANO. V. C. TRIBVNO. ET. NOTARIO. INTER. CETERAS. VIGENTES. ARTES. PRAEGLORIOSISSIMO. POETARVM. LICET. AD. MEMORIAM. SEMPITERNAM. CARMINA. AB. EODEM. SCRIPTA. SVFFICIANT. ADTAMEN. TESTIMONII. GRATIA. OB. IVDICII. SVI. FIDEM. D. D. N. N. ARCADIVS, ET. HONORIVS. FELICISSIMI. AC. DOCTISSIMI. IMPERATORES. SENATV. PETENTE. STATVAM. IN. FORO. DIVI. TRAIANI. ERIGI. COLLOCARIQVE. IVSSERVNT. EN. ENI. BIPTIAIOIO. NOON. KAI. MOTΣAN. OMHPOT. KAATΔIANON. PΩMH. KAI. BAΣIAHΣ. EΘΕΣΑΝ. Siue vera, siue ficta haec fuerit inscriptio, de statua cum adiuncto titulo ab Imperatoribus Augustis poetae posita certe nemo

t) Anno 1493. Romae vetustum hoc marmor in ruinis iuxta domum Pomponii Laeti in Quirinali repertum est, quod statuae Claudiani suppositum fuisse, ex ipsa inscriptione facile patet. Sunt vero etiam, et hos inter auctores diarii Veneti, Giornale de letterati d'Italia tom. 22. p. 400. qui hanc scriptionem pari modo, vt L. Cuspidii testamentum, a Pomponio Laeto confictam esse putant. Legitur vero in MAZOCHII inscriptionibus p. 8. GRVTERI pag. 341. n. 5. FLEETWOOD p. 163. n. 1. VOLATERRANI comment. vrb. l. 14. p. 520. GYRALDI de Lat. poetis dial. 4. FABRICII biblioth. Lat. vol. 3. p. 151.

Digitized by Google

mo dubitare poteſt. Fallitur autem VOLATERANVS, *v*) qui ſibi perſuadet, adeo dilectum fuiſſe principibus et populo Romano, vt eius ſepulchro inſcriberent huiusmodi elogium. Eius enim poeta ipſe meminit: *x*)

Sed prior effigiem tribuit ſucceſſus ahenam,
Oraque patricius noſtra dicauit honos.
Annuit hunc princeps titulum poſcente ſenatu,
Reſpice, iudicium quam graue, Muſa, ſubis.

De obitu poetae nihil apud veteres auctores legimus. PROSPER *y*) Olybrio et Probino coss. ſcribit Claudianum, poetam inſignem eſſe mortuum. Qui error non ferendus. Nam eo tempore inprimis, vt ſupra vidimus, florere coepit. IOH. SELDENVS *z*) poetam hunc noſtrum putat Claudianum fuiſſe comitem orientis ad quem anno CCCXCVIII. Auguſti reſcripſerint, *ſi quis audeat illuſtrium patriarcharum contumelioſam per publicum facere mentionem, vltionis ſententia ſubiugetur.* *a*) Atqui in editis non Claudianus, ſed tantum Claudius vocatur, vt Gudius ad Gruterum annotauit. *b*)

§. LXVIII.

Scripta eius, pleraque heroico, et nonnulla elegiaco carmine exarata, quae extant, hoc ordine *c*) a Nicolao Heinſio ſunt edita. 1. In Probini et Olybrii fratrum conſulatum panegyris. 2. In Rufinum libri duo. 3. De tertio conſulatu Honorii Auguſti panegyris. 4. De quarto conſulatu Honorii Auguſti panegyris. 5. In nuptias

v) Loc. cit. *x*) De bello Getico praefat. *y*) In chronico conſulari. *z*) De iure naturali et gentium iuxta diſciplinam Ebraeorum l. 2. c. 9. pag. 242. *a*) Lege 2. Cod. Theodoſiani de iudaeis, coelicolis et Samaritanis. *b*) Confer, FABRICIVS biblioth. Lat. vol. 3. p. 151.

c) Ordo in aliis alius ſeruatur.

Honorii et Mariae. 6. In nuptias Honorii et Mariae feſcenina, Alcaico et Anacreontico verſuum genere. 7. De bello Gildonico liber, Carmine heroico. 8. De conſulatu Mallii Theodori panegyris. 9. In Eutropium libri duo. 10. De laudibus Stiliconis libri tres. 11. De bello Getico liber vnus. *d*) 12. De ſexto conſulatu Honorii Auguſti panegyris. 13. Laus Serenae Reginae vxoris Stiliconis. 14. Epithalamium Palladii et Celerinae. 15. De raptu Proſerpinae libri tres ad Florentinum. 16. Gigantomachia. 17. Fragmentum Graecum ἐκ τῆς γιγαντομαχίας. 18. Epiſtolae quinque. 19. Eidyllia ſeptem. 20. Epigrammata quadraginta ſeptem. Accedunt tandem anonymi poetae laudes Herculis.

§. LXIX.

Quanta fuerit apud ſuos auctoritate, vel inde patet, quod ipſi, vt ſupra vidimus, ab Imperatoribus Auguſtis in foro Traiano poſita columna fuerit: qua velut publico et vno omnium ſuffragio doctiſſimi Caeſares fatentur, in vno Claudiano et Virgilii mentem, et Homeri Muſam fuiſſe. Memoriam hinc illi ominantur ſempiternam, vtpote inter ceteras ingentes artes praegloriosiſſimo poetae. Viris conſularibus valde familiariter vtebatur, et eruditionis monumenta cum illis communicabat ſua: eorundemque ſcripta liberius vrgebat viciſſim. *e*) Nec immerito etiam aetate noſtra in praetio habetur. CASP. BARLAEVS in primis hoc poeta delectatus eſt, quod de ſemetipſo fatetur: *f*)

Te ſequimur, Pharjo vates celebrate Canopo,
Solaque laus noſtri carminis vmbra tui eſt.

§. LXX.

d) Qui in aliquibus inſcribitur, de victoria Stiliconis contra Alaricum. *e*) Vid. epiſt. 3. ad Olybrium, et 4. ad Probinum, vt ſcribant. *f*) Poematum tom. 1. pag. 417.

Digitized by Google

§. LXX.

Non minor de Claudiani, quam de Auſonii, Chriſtianiſmo lis orta inter criticos. Sunt inter eius epigrammata, quae Chriſtum diſerte celebrant, varia, carmen paſchale, εἰς τὸν Σωτῆρα, εἰς τὸν Δεσπότην Χριστόν, laus Chriſti, miracula Chriſti. *g*) Nec immerito inde ſibi quisquam perſuaſerit, ſaniora eum ſalutis conſilia ſecutum. Memorat GREGORIVS LETI, *h*) Mazzam aliquem Claudiani vitam, et quod Chriſtianus fuerit, apologiam conſcripſiſſe. CHRISTOPHORVS LANDINVS *i*) eum Chriſtianae pietati addictum fuiſſe affirmat; primo quidem tempore Diis gentium initiatum, verum mox mutata in melius ſententia, Chriſtianum factum. Nec abnuit ipſe BARTHIVS: *k*) qui ferre non poteſt, quod Victor Giſelinus, dum Prudentii quaedam loca enarrat, Claudianum et Auſonium Chriſtianos fuiſſe, ſed a Symmacho paganiſmo redditos, tam confidenter affirmet, absque vllo tantae aſſertionis teſtimonio. Audiendos contra plerique aiunt venerandos patres coaeuos, S. AVGVSTINVM, *l*) qui, *et poeta Claudianus*, inquit, *quamuis a Chriſti nomine alienus, in eius tamen* (Theodoſii) *laudibus dixit:*

O nimium dilecte Deo, cui militat aether,
Et coniurati veniunt ad claſſica venti.

Et PAVLVM OROSIVM, *m*) qui, *fortaſſe*, inquit, *concedam*,

g) Epigr. 42. ſeqq. *b*) Italia regnante part. 4. l. 3. p. 335. vid. etiam MORHOFIVS polyhiſt. liter. l. 4. c. 14. §. 6. *i*) Apud GYRALDVM de Latinis poetis dialogo 4. Claudiani vita.

k) Claudiani vita et in notis 1070. confer. aduerſar. l. 1. c. 7.

l) De ciuitate Dei l. 5. c. 26. *m*) Aduerſus paganos hiſtoriarum lib. 7. c. 35. Accedit PAVLLVS DIACONVS de geſtis Romanorum ad Eutropii hiſtoriam addito libro 12. *ad cuius* Theodoſii *laudem ob inſignem victoriam poeta quidam eximius*,

vt non haec fidei Chriſtiani ducis conceſſa videantur, quamuis ego hoc teſtimonio non laborem, quando vnus ex ipſis poeta quidem eximius, ſed paganus peruicaciſſimus, huiusmodi verſibus et Deo, et homini teſtimonium tulit, quibus ait: o nimium dilecte Deo etc. Procul dubio teſtis vterque eſt fide digniſſimus, qui vltimis poetae vixit temporibus. Alioqui ante paganus fuiſſe, tandem vero ſeruatori nomen dediſſe facilius poſſet videri. Sunt ergo, *n*) qui mallent ea carmina in Chriſti honorem ſcripta tribuere alio Claudiano Mamerco Viennenſi ex Gallia, vel etiam Damaſo pontifici Romano: vt COLOMESIVS *o*) teſtatur in quibusdam codicibus Damaſi nomen praeferre. Huic etiam Damaſo carmina iſta ANTONIVS DELRIVS in calce coniecturarum ad Claudianum adſcribit. GYRALDVS *p*) vero potius ſibi perſuadet, ab ipſo poeta noſtro in Chriſtianiſſimi imperatoris gratiam fuiſſe compoſita. Nam et Tribonianum, ſi fides habenda Suidae, a Chriſti religione alienum, ex Iuſtiniani imperatoris ſententia, in pandectis, de Chriſto et trinitate admiranda ſcripſiſſe. Res quoquo ſe habeat modo, inſignis videtur fuiſſe religionis diſſimulator, qui, vt principibus placeret, ac neminem offenderet, perpetuo dedit operam, ſolam rationem ſecutus,

ſed infidelis inter cetera hos verſiculos cecinit: o nimium dilecte Deo etc.

n) VOSSIVS de poetis Latinis p. 57. *Gentilis fuit, ac quidem peruicax — Nec obſtat carmen de Chriſto, quod in editione Veneta Andreae Aſulani, Claudiani nomen praefert. In aliis enim libris aſſignatur Damaſo papae. Nec ignoro etiam in nonnullis MS. Claudiani nomen inueniri. Sed vt Claudiani eſſet, non huius fuerit, ſed Claudiani Mamerti, qui ſub Zenone vixit.* *o*) Ad Gyraldum de poetis p. 259.

p) Claudiani vita. Confer. NICOL. ANTONIVS biblioth. vet. Hiſpanae l. 3. c. 5. et FABRIC. biblioth. Lat. vol. 3. p. 150.

Digitized by Google

cutus, atque morum elegantiam, quae ipſi non minus a paganiſmo, quam a Chriſtianiſmo abhorrere videbatur. *q*) Nec, ſi vel maxime Oroſius eum habeat paganum peruicaciſſimum, quisquam facile cum GVILIELMO CAVEO *r*) iudicarit, ſcriptis editis fidem Chriſtianam oppugnaſſe: vtut in iis, quae ſuperſunt, nulla veſtigia deprehendantur. Aſſaphum ſcriptorem ſacrum *s*) mihi prope imitari viſus eſt, ubi in Rufinum inuehitur: *t*)

Saepe mihi dubiam traxit ſententia mentem,
Curarent Superi terras, an nullus ineſſet
Rector, et incerto fluerent mortalia caſu.
Nam cum diſpoſiti quaeſiſſem foedera mundi,
Praeſcriptosque mari fines, annisque meatus,
Et lucis noctisque vices: tunc omnia rebar
Conſilio firmata Dei, qui lege moueri
Sidera, qui fruges diuerſo tempore naſci,
Qui variam Phoeben alieno iuſſerit igni
Compleri, ſolemque ſuo: porrexerit vndis
Litora: tellurem medio librauerit axe.
Sed cum res hominum tanta caligine volui
Adſpicerem, laetosque diu florere nocentes,
Vexarique pios: rurſus labefacta cadebat
Religio etc.
Abſtulit hunc tandem Rufini poena tumultum,
Abſoluitque Deos. Iam non ad culmina rerum
Iniuſtos creuiſſe queror. Tolluntur in altum,
Vt lapſu grauiore ruant. --- ---

§. LXXI.

q) BARTHIVS contra aduerſar. l. 1. c. 7. ſimulatorem credit fuiſſe, animiue dubium, qui nec a Chriſtianiſmo, nec a paganiſmo abhorruerit. Confer. MORHOFIVS polyhiſt. liter. l. 4. c. 14. §. 6.
r) Hiſt. liter. ſcriptorum eccleſiaſticorum part. 2. *s*) Pſalmo 73.
t) In Rufinum lib. 1. init.

Digitized by Google

§. LXXI.

Statium ex veteribus in primis imitatus eſt: quod CASP. BARTHIVS *v*) infinitis locis demonſtrat. Triſte Stoicorum videtur ſectari decretum, atque mortem probare voluntariam. *Nonne*, enim inquit, *x*) *mori ſatius, quam vitae ferre pudorem?* Bene et eleganter Caeſari vehementiores diſſuadet affectuum motus: *y*)

Tu licet extremos late dominere per Indos,
Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent:
Si metuis, ſi praua cupis, ſi duceris ira:
Seruitii patiere iugum: tolerabis iniquas
Interius leges. Tunc omnia iure tenebis,
Cum poteris rex eſſe tui. Procliuior vſus
In peiora datur, ſuadetque licentia luxum,
Illecebrisque effrena fauet. Tum viuere caſte,
Aſperius, cum promta Venus, tum durius irae
Conſulitur, cum poena patet. Sed comprime motus:
Nec tibi, quid liceat, ſed quid feciſſe decebit,
Occurrat, mentemque domet reſpectus honeſti.

Poſt alia multa in Honorio Auguſto admiratur: *z*)

Quae pietas, quantusque rigor, tranquillaque magni
Vis animi, nulloque leuis terrore moueri;
Nec noua mirari facilis: quam docta facultas
Ingenii, linguaeque modus — — — —
— — — grauibusque latet ſub moribus aetas.

§. LXXII.

Cel. VVALCHIVS *a*) dictionem Claudiano tribuit, pro ratione aeui illius, bonam: ſed vim carminis, non putat, eum ſemper aſſequi, quoniam fingat ſaepius, quae abſurda

v) Comment. in Statium tom. 1. p. 352. *x*) De bello Gildonico. *y*) De quarto conſulatu Honorii. *z*) Loc. cit.
a) Hiſt. critica Lat. ling. c. 1. pag. 82.

Digitized by Google

abſurda dici merentur. Ecquid vero, in omni antiquitate, omnibus numeris perfectum atque adeo plane abſolutum excogitari poteſt, vt ne macula quidem vſquam aut leuis error appareat, cui, quicquid humanum, vbique obnoxium eſſe fatemur? Vel quotus quisque poeta non fingit, quae non aeque omnibus probantur? Nec raro in optimis obueniunt, quae, ſi rationis rigidum ſequamur iudicium, abſurda videantur. Sequitur Vir ſumme Reuerendus haud amicam poetae cenſuram, vt paſſim a viris doctiſſimis ob intemperantem affectationem, et ſublimitatis minime ſufficiens ſtudium, vulgo notari ſolet. Secundum VAVASSOREM *c*) is eſt, *qui ad auream antiquitatem non adſpiret, neque dignus, qui conferatur cum Martiale, aut qui peraeque ac Catullus diſcentium manibus teratur. Sed eſt*, ſubindignabundus adiungit, *hoc praeclarum iudicium ſeculi noſtri quorundam, qui quanti pretii quisque apud nos ſcriptor eſſe debeat, maxime ignari, ſummis poetis medios anteponunt, infimos et recentiores vtrisque.* In primis SAMVEL WERENFELSIVS *c*) eum κακοζηλίας arguit, atque miratur, a multis, tanquam grandiores ſequioris aeui poetas illis anteponi, qui Auguſti tempore et ante eum floruerunt. Aliquibus Claudianum videri libros de raptu Proſerpinae auſpicari longe ſublimiori ſtilo, quam Virgilius Aeneida, aut Ouidius metamorphoſes orditur:

Inferni raptoris equos, afflataque curru
Sidera Taenario, caligantesque profundae
Iunonis thalamos audaci promere cantu
Mens congeſta iubet. Greſſus remouete profani.

Quod quidem exemplo probat, verborum granditatem facere

b) De epigrammate c. 15. *c*) Diſſert. de meteoris orationis, opuſcul. pag. 612.

facere lectori fucum: vt maius, quam quod legit, ſibi legere videatur. Ambitioſa epitheta, *raptor infernus*, *currus Taenarius*, *thalami caligantes*, *Iuno profunda*, *cantus audax*, *et mens congeſta*, plus ſonare, quam ſignificent. Neſcit interpretari, *mens congeſta iubet promere, cantu equos, et ſidera curru afflata.* Poetam mauult ceciniſſe, infandum Plutonis facinus, crudeles horrendi raptoris manus, duriſſima brachia, quae Iouis filiam, vnicum Cereris delicium, Deam perpetua luce dignam, nequicquam patrem matremque implorantem, corripuerunt, comprehenſamque per immanes ſpecus ad aeternas ſecum tenebras traxerunt. Miratur, nihil horum in iſto Claudiani exordio legi: equos raptoris comparere, poſt currum ſequi: Proſerpinam non conſpici, niſi in thalamis, cum Iuno iam ſit profunda, fortaſſis ne quem rapta Proſerpina commiſeratione tangat. Huius nuptias *thalamos* appellari *caligantes*. Neque Iunonem profundam illis videri infelicem, qui in his thalamis lucem non requirant. *d*) Magnam igitur illi poeta neque videtur concepiſſe, neque verbis expreſſiſſe imaginem argumenti ſui, in quo equi Plutonis, currus eius, et nuptiae Proſerpinae minimum atrocitatis habent. Maximum in hoc raptu eſſe ipſum raptum. Similemque adeo pictori eſſe poetam, qui quadrigam nobis depingeret trahentem currum, quo homines velati veherentur: poſt in alia tabulae parte, tanquam in loco remotiore, lectum in tenebris, cum hac inſcriptione: *raptus Proſerpinae*. Multo rectius Ouidium ordiri metamorphoſes: *in noua fert animus mutatas dicere formas Corpora*: vt paucis verbis, iisque perſpicuis, omnem argumenti ſui magnitudinem complectatur. Vt ſilentio

d) Plura minus commode poſita collegit SCALIGER hypercritico ſ. poetices l. 6. pag. 895. ſeqq.

Digitized by Google

ſilentio praeteriret Aeneidos initium, ſecundique libri Lucretii, quo vix quicquam ſublimius eſſe poſſit. Alia in Claudiano deſiderat MORHOFIVS. *e*) *Eſt*, inquit, *in carminis eius menſura quid puerile et ſubſultans, quod imperitorum quidem aures titillat, ſed orationis decoro, quod in conuenientia rerum et verborum conſiſtit, parum conuenit. Non poteſt enim perpetuus in carmine tenor vſurpari: ſed debet is varia poeticarum periodorum menſura diſtingui, quod pulcherrime obſeruat Virgilius: cuius alia periodus, alia pedum compoſitio eſt in narrationibus, deſcriptionibus, orationibus, cuius alia eſt pedum menſura, ratione ſcilicet miſtionis ſpondaeorum et dactylorum, caeſurarum, quae diligentiſſime notarunt veteres nonnulli Grammatici. Verum Claudianus vnum ſemper obſeruat orationis curſum.* Ad Virgilianam, fateor, non attingit carminis elegantiam. Eſt tamen etiam Claudiano laus ſua, et ipſe, contra quod eum accuſant, orationis varietate mirum quantum delectat. Et ille poeta profecto moralis et politicus, grauitate facilis et eruditus, qui ſeculum ſuum eloquentia plane vicit, et in genere panegyrico, ex mente BOILEAVI *f*) eſt incomparabilis. Quamuis epica illius non aequent laudem veterum: iuris eum tamen commendat ſtudioſis, qui Virgilium et difficiliores per otium legere non poſſunt. *Hic enim*, inquit, *eſt explanatior.* Quaerunt etiam critici, rectene factum ſit a Claudiano, quod praefationes maximae librorum ſuorum parti affixerit. Nam quod apud alios non inueniatur, apud illum vitium putant. Primus id ac ſolus veterum fecit Perſius. Nec ab re noſter, cum poemata ſua recitaturus eſſet, verſiculos illos, citharoedorum more praeluſit. Reſpondemus autem cum SCALIGERO:

e) De legendis, imitandis, et excerpendis auctoribus pag. 49.
f) Sec. IV. p. 386. et bibliographia critica p. 130.

Digitized by Google

GERO: *g*) *licuit, quia libuit: quae si quem offendant, iis omissis illico iustum opus aggredi ius esto.*

§. LXXIII.

Ingenio excellenti fuit, maximeque apto ad diuinam poesin: vt, quod Naso quondam de semetipso professus fuerat, quicquid auderet dicere, versus esset: quibus assurgit feliciter, variisque figuris ac sententiis mirifice delectat. Neque adeo immerito ad carmina componenda factus, et ab ipsa natura instructus fuisse videtur. Et ipse WERENFELSIVS, *h*) qui satis alioqui Claudiano infensus est, eiusque affectatam sublimitatem atro carbone notat, negare nequit, ingentis spiritus poetam fuisse. Et eius poemata ostendunt, in quibus prae ceteris panegyrici eminent, ab ipsa natura eum ad poesin fuisse factum. *i*) A vossio *k*) poeta magni spiritus vocatur. BOECLERO *l*) iudice, nobilem inter epicos locum tuetur poeta vere politicus, facilis, et fluente eloquentia instructus: in quo et vigorem, et spiritum magnum, et grauissimas sententias admiratur. Insigni prudentia ciuili et morum incomparabili doctrina in Eutropio et Rufino vitia notat aulicorum, et epica sua carmina maxime in panegyricis accommodare videtur eloquentiae studiosis. Instar omnium vero mihi est IVL. CAESARIS SCALIGERI *m*) iudicium: *maximus poeta Claudianus, solo argumento ignobiliore oppressus, addit de ingenio, quantum deest materiae. Felix in eo calor, cultus non inuisus, temperatum iudicium, dictio candida, numeri non affectati, acute dicta multa sine ambitione.* Sed nimium illi concedit,

g) Hypercritico s. poetices l. 6. pag. 835. *h*) De meteoris orationis, opusc. pag. 613. *i*) Confer. STOLLIVS introd. in hist. liter. part. 1. c. 5. §. 53. n. 2. *k*) De poetis Latinis p. 57. *l*) Bibliographia critica pag. 129. seq.
m) Hypercritico s. poetices l. 6. pag. 834.

Digitized by Google

concedit, cetero elegans, IOH. FRID. BERTRAMVS, *n*) qui, *vates hic*, inquit, *vt vocatur, praeglorioſiſſimus, ad floridam et puram ſuperiorum temporum venuſtatem ita prope acceſſit, vt Virgilii, Horatii, et Ouidii latus ex merito tegat, ſtatuaque, qua ab Honorio Arcadioque imperatoribus honoratus fuit, dignus vtique cenſeri debeat. Cum imo diſceptari haud incongrue poſſet, num in poetarum antecedentium vllo tam natiua pariter ac grata Venerum poeticarum flos et vbertas deprehendatur ac in Claudiano. Mirum itaque non eſt, quod praeſtantiſſimi noſtri aeui poetae et Germani, et alii, illum prae reliquis in exemplum ſibi haud infeliciter elegerint.* Sua Claudianus non poteſt defraudari laude. Eam vero oportet eſſe ipſo poeta dignam, eiusque virtutibus adaequatam: ne nimis fucata commendatio ipſius meritis tantundem detraxiſſe videatur. Fuit certe, pro temporis illius ratione, praeſtantiſſimus vates, vel etiam aliquando, ad inuidiam vſque aliorum, aeui ſui ſuperauit indolem, atque veteres accuratius paulo imitari ſtuduit. Sed tamen cum Virgilio, Horatio, Ouidio, optimis ſeculi longe omnium feliciſſimi ſcriptoribus componi nulla ratione poteſt.

§. LXXIV.

Stilus Claudiani vltra genium ſeculi eſt elegans, facilis, floridus et ſucciplenus; et ſi panegyrica poemata conſideramus, vere magnificus, et ſententiarum maieſtate ſublimis: vt parum abſit, quin ad veterum poetarum laudem peruenerit. Sed accuſant eius in phraſeologia intemperantiam, et, dum ſublime ſectaretur, *κακοζηλίαν* luxurie nimia. *o*) Eam ego, ſi quid ſapio, vel nuſquam, vel admodum raro reperire potui. Numeroſus eſt, verborum

n) Meletematum liter. diſſert. 5. §. 11. p. 165.

o) Vid. MORHOFIVS polyhiſt. liter. l. 4. c. 14. §. 16.

Digitized by Google

borum adiunctis, et dictionum ornamentis, ad facilem ipsius rei expositionem, satis accommodatus, et excitato lectori sua copiosius loquente sapientia haudquaquam molestus. Exemplis videamus, et liberum cuique suum volumus esse iudicium. Nimias vbi docet diuitias esse molestas, eumque felicem, qui sua sorte contentus, *p*) nisi me fallunt omnia, eleganti exaggeratione in Rufinum inuehitur ita:

Quo vesane ruis? teneas vtrumque licebit
Oceanum, laxet rutilos tibi Lydia fontes,
Iungantur solium Croesi, Cyrique tiara.
Nunquam diues eris, nunquam satiabere quaestu.
Semper inops, quicunque cupit. Contentus honesto
Fabricius paruo spernebat munera regum,
Sudabatque graui consul Serranus aratro,
Et casa pugnaces Curios angusta tegebat.
Haec mihi paupertas opulentior: haec mihi tecta
Culminibus maiora tuis. Tibi quaerit inanes
Luxuries nocitura cibos. Mihi donat inemtas
Terra dapes. Rapiunt Tyrios ibi vellera fucos,
Et picturatae saturantur murice vestes.
Hic radiant flores, et prati viua voluptas
Ingenio variata suo. Fulgentibus illic
Surgunt strata toris. Hic mollis panditur herba,
Sollicitum curis non abruptura soporem.
Turba salutantum latas ibi perstrepit aedes:
Hic auium cantus, labentis munera riui.
Viuitur exiguo melius. Natura beatis
Omnibus esse dedit, si quis cognouerit vti.

Ecquid concinnius, quid elegantius ea copia dici potuit? Redundat nihil. Et numerose omnia complet. Quam aptis

p) In Rufinum l. 1.

Digitized by Google

aptis coloribus deuicti curas depingit tyranni: *q*)

--- Stetit ore gelato,
Incertus, peteretne fugam, veniamne ſubactus
Poſceret: an fidos ſeſe transferret in hoſtes.
Quid nunc diuitiae, quid fului vaſta metalli
Congeries, quid purpureis effulta columnis
Atria, prolataeue iuuant ad ſidera moles?
Audit iter, numeratque dies, ſpatioque viarum
Metitur vitam. Torquetur pace futura:
Nec recipit ſomnos: et ſaepe cubilibus amens
Excutitur, poenamque luit formidine poenae.

Et alibi eius ita proponit timorem: *r*)

Qui terret, plus ipſe timet. Sors iſta tyrannis
Conuenit. Inuideant claris, fortesque trucident,
Muniti gladiis viuant ſeptique venenis,
Ancipites habeant arces, trepidique minentur.

Quam viuide virtutis praeſtantiam deſcribit: *s*)

Ipſa quidem virtus pretium ſibi, ſolaque late
Fortunae ſecura nitet, nec faſcibus vllis
Erigitur, plauſuue petit clareſcere vulgi.
Nil opis externae cupiens, nil indiga laudis,
Diuitiis animoſa ſuis, immotaque cunctis
Caſibus, ex alta mortalia deſpicit arce.

Contra iram poſt multa alia: *t*)

Seruat inoffenſam diuina modeſtia vocem.
Temperiem ſeruant oculi: nec lumina feruor
Aſperat, aut rabidas ſuffundit ſanguine venas.
Nullaque mutati tempeſtas proditur oris.
Quin etiam ſontes expulſa corrigis ira,
Et placidus delicta domas. Nec dentibus vnquam

In-

q) In Rufinum l. 2. *r*) De IV. conſulatu Honorii.
s) De conſulatu Mallii Theodori init. *t*) Ibid.

Inſtrepis horrendum, fremitu nec verbera poſcis.
Qui fruitur poena, ferus eſt, legumque videtur
Vindictam praeſtare ſibi: cum viſcera felle
Canduerint; ardet ſtimulis, ferturque nocendi
Prodigus, ignarus cauſſae. Diis proximus ille,
Quem ratio, non ira, mouet: qui facta rependens,
Conſilio punire poteſt. --- ---

Quam egregie Stiliconis recenſet virtutes? Quam concinne paucis quicquid cuique proprium ſine fuco inuoluit: *v*)

Iuſtitia vtilibus rectum praeponere ſuadet,
Communesque ſequi leges, iniuſtaque nunquam
Largiri ſociis. Durum patientia corpus
Inſtruit, vt nulli cupiat ceſſiſſe labori:
Temperies, vt caſta petas: Prudentia, ne quid
Inconſultus agas: Conſtantia, futile ne quid
Infirmumque geras. --- --- ---

Cetera, quae vitiorum dedecora, non ſine admiratione et inſigni voluptate legenda. Vix vnquam reperies poetae κακοζηλίαν, quam mille gratiis non compenſet. Agnoſcit ipſe VAVASSOR, *x*) quod dulcior ſit, ſtructura verſuum, quam Auſonius; et ſyllabarum menſura emendatior, quam Prudentius cum Auſonio. Agnoſcit dulciorem eſſe conſtructione verſuum facili et expedita, et ſine vllis ſalebris, aut eliſionum quaſi ſcabritie ac nodis. Sed tamen eum accuſare non veretur, quod ea dulcedine parum ſit ſuauis et iucundus; quod idem omnium verſuum curſus, idem tenor, nihil, mutatis, quas vocant, caeſuris,

v) De laudibus Stiliconis l. 2. *x*) De epigrammate c. 15. vbi miratur et aegre fert, Claudianum vulgo, vt puriſſimae Latinitatis ſcriptorem, et poetam exquiſitiſsimum, ad imitationem ab aliis proponi, cum non maior eius ſit auctoritas, quam Auſonii et Prudentii.

Digitized by Google

caeſuris, varietur, vt qui tres numero verſus legerit, omnes legerit. Periculum faciat, cui lubet, ſi modo ipſi non omnes contrarientur Veneres, et ſtatim ſentiet, quam ſuauis et iucundus poeta etiam verſuum varietate placeat. Equidem Claudianum meum ſine maxima voluptate nunquam legi: et ingenue fateor, non me ſatietate, aut nauſea defeſſum, ſed magis magisque incomparabili eloquentia commotum, ſaepius eadem carminum capita perlegiſſe. Quantus vero etiam ille ſit, quantumue praeſtiterit, vt mihi minime gentium diſpliceat, eum cum antiquioribus et optimis tamen componere, vel propter genium ſeculi, et ſpecioſas, vtut fallaces adultae ſenectutis vires, nunquam auſus fuerit. Concedunt carmina panegyrica Virgilianae eloquentiae, elegiaca facilitati Ouidianae, epigrammata Martialis acumini: vti quisque ingenio praeſtat, et arte. Falluntur, mea quidem ſententia, egregie, qui Claudiani imitationem Virgilianae anteponunt. Quanquam enim illius dictio ſit ſatis elegans, quanquam numeroſiſſima ſint illius poemata, ac ſemet facili ſuauitate commendent: quam longiſſime tamen a Virgilianae poeſeos virtutibus abeſſe videntur.

§. LXXV.

Prodiit primum Claudianus *Venetiis* 1470. fol. *Vicentiae* 1482. et 1498. fol. per Iacobum Ducenſem. *Parmae* 1493. 4. opera Angeli Vgoleti.

§. LXXVI.

Seculo poſt Chriſtum natum decimo ſexto Claudianus prodiit *Viennae* 1510. 4. cum commentario Ioh. Camertis. *Venetiis* 1523. 8. apud Aldum. *Pariſiis* 1530. 8. Panegyricos Claudiani etiam Plinii epiſtolis et XII. panegyricis ſubiecit H. Stephanus 1591. 12. *Baſileae* 1534. 8. apud Mich. Iſingrinum, inſigni ſtudio Mich. Bentini et

Ioh. Honteri Coronenſis caſtigatus. *Florentiae* 1540. et 1549. 8. *Lugduni* 1548. 12. et 1551. 8. *Antuerpiae* 1572. 1585. 1596. 12. apud Plantinum, ex Theodori Pulmanni recenſione, cum M. Antonii Delrionis notis. Separatim libri de raptu Proſerpinae prodierunt *Mediolani* 1505. fol. cum commentario Iani Parrhaſii.

§. LXXVII.

Decimo ſeptimo poſt Chriſtum natum ſeculo veſte elegantiori Claudianus prodiit *Antuerpiae* 1602. et 1608. 12. cum notis M. Antonii Delrii. *Baſileae* 1606. 12. *Pariſiis* 1602. 4. cum Stephani Clauerii, Parrhaſii, et Delrionis notis, et Ioh. Tornorupaei commentario ad carmen de tertio et quarto conſulatu Honorii. 1677. 4. cum interpretatione et notis Guilelmi Pyrrhonis, in Cadomenſi academia doctoris eloquentiae, in vſum Delphini. *Flexiae* 1607. 12. cum Thomae Dempſteri annotatis. *Hanouiae* 1612. 8. cum prioribus Caſp. Barthii obſeruationibus, quas ſcripſit, cum viginti vix natus eſſet annos. *Hamburgi et Francofurti* 1650. et 1654. 4. cum poſterioribus curis et doctiſſimo commentario Caſp. Barthii. y) *Lugduni Batau.* 1616. 12. apud Plantinum. 1641. 12. cum notis Nicolai Heinſii. z) 1656. 12. *Amſtelodami* 1650. 12. apud Elzeu. ex emendatione Nicol. Heinſii. 1659. et 1665. 8. ex officina Elzeuiriana, cum ſelectis variorum et integris Heinſii notis, accurante Cornelio Schreuelio. 1688. 12. ex emendatione Nicol. Heinſii. §. LXXVIII.

y) Barthii commentarium vaſtum MORHOFIVS polyhiſt. liter. l. 4. c. 14. §. 16. notat mendoſiſſime editum eſſe.

z) BOECLERVS bibliographia critica p. 130. In editione Nicol. Heinſii, Danielis filii, illud ſingulare admiratur, quod poetam cum pluribus MS. contulerit, cum in itinere ſuo Angliae, Galliae, Italiae, Germaniae bibliothecas luſtraret: vt quaedam etiam in phraſi, quae ſunt huius ſeculi, eximie explicarit.

Digitized by Google

§. LXXVIII.

Seculo poſt Chriſtum natum duodeuiceſſimo Claudiani opera prodierunt *Lubecae* 1707. 12. cum notis Hartnaccii. *Lipſiae* 1715. 12. cum notis ad modum Minellii. *Venetiis* 1716. 8. duobus voluminibus, Italica metaphraſi donata a Nicolao Beregani.

§ LXXIX.

Honorio imperante, poſt Stiliconis caedem Romamque ab Alarico captam, quod triſte fatum expertam fuiſſe nouimus anno poſt Chriſtum natum cccc. floruit RVTILIVS CLAVDIVS NVMATIANVS, Gallus, vir conſularis, praefectus vrbi, tribunus militum, et praefectus praetorio, excellens inter omnes poeta, profanae religioni addictus. Natione Gallum fuiſſe, ipſe his verſibus indicat: *a*)

At mea dilectis fortuna reuellitur oris,
Indigenamque ſuum Gallica rura vocant.

Attamen ciuitate gaudebat Romana, cuius priuilegia ſe pridem per omnes imperii Romani prouincias extendiſſe, vulgo conſtat. *b*) Patrem habuit, qui proconſulari poteſtate praefuit Tuſciae: cuius itidem, vbi de Piſarum vrbe loquitur, mentionem facit: *c*)

Elide deductas ſuſcepit Etruria Piſas,
Nominis indicio teſtificata genus.
Hic oblata mihi ſancti genitoris imago,
Piſani proprio quam poſuere foro.
Laudibus amiſſi cogor lacrumare parentis,
Fluxerunt madidis gaudia moeſta genis.
Namque pater quondam Tyrrhenis praefuit aruis,
Faſcibus et ſenis credita iura dedit,

a) Itinerarii l. 1. v. 19. *b*) Vid. itiner. l. 1. v. 13.
c) Lib. 1. v. 573.

Ipſe omnibus fere dignitatibus Romanis ab Honorio imperatore exornatus fuit. Nam et tribunus militum, vt ſupra monuimus, et conſul (ſuffectum intelligas) et praefectus praetorio ipſique vrbi, altiſſimum obtinuit honoris gradum. Nec ipſe diſſimulauit, vbi, *d*)

Si non diſplicui, inquit, *regerem cum iura Quirini,*
Si colui ſanctos, conſuluique patres.
Nam quod nulla meum ſtrinxerunt crimina ferrum,
Non ſit praefecti gloria, ſed populi.

Rurſum: *e*)

Officiis regerem cum regia tecta magiſter,
Armigerasque pii principis excubias.

Et annum denotat, quo praefuit vrbi MCLXIX. Honorio Auguſto XI. et Fl. Conſtantio II. coss. et ſeculi eſt poſt Chriſtum natum quinti XVII. his verbis: *f*)

Quamuis ſedecies denis et mille peractis
Annus praeterea iam tibi nonus eat.

Triſtem imperii Romani faciem deplorat, *g*) quod Stiliconis perfidia eo vſque afflixit: vt Gallia a Francis et Burgundionibus, Italia et ipſa imperii ſedes a Gothis, prouinciae aliae ab aliis gentibus miſere vexarentur. Quos euocarat Stilico ipſe: cum Honorio imperatori ſtrueret inſidias, filioque ſuo Eucherio imperium parare ſtuderet. Poſt expletum praefecturae tempus, cum ex vrbe in Galliam ad agros auitos proficiſceretur, ac inde Romam rediret, carmine elegiaco, ſatis quidem elegante, ad Venerium Rufum, in vrbana praefectura ſucceſſorem ſuum, *h*) *duo* ſcripſit *itinerarii libros*, primum de profectione ex vrbe in Galliam, alterum de reditu ex Gallia Romam. Sed poſterioris libri pars maxima periit. Sunt etiam quaedam traiecta paſſim et confuſa: vt PI-

THOEVS

d) Lib. 1. v. 157. *e*) Lib. 1. v. 563. *f*) Itiner. l. 1. v. 135. *g*) Itiner. l. 2. v. 39. ſeqq. *h*) Itiner. l. 1. v. 415. ſeqq.

Digitized by Google

THOMVS atque VOSSIVS *i*) ex ordine nauigationis et itinere obſeruarunt. ONVPHRIVS PANVINIVS, qui haec Rutilii itineraria vrbis Romae deſcriptioni, ſiue reip. Romanae commentariorum libro primo annectere voluit, praefatione *k*) poetam vocat non inelegantem, imo pro temporum conditione eruditum. Deinde: *l*) *praeter multa loca ſcitu digna, quae in vtrisque itineribus accurate et egregie deſcripſit, vrbem quoque Romam - - itinere primo, ita ſcite, ornate, elaborate, vere, et prudenter, elegantiſſimo, eruditiſſimoque encomio celebrauit: vt mihi ab horum temporum ſcriptore elaboratius et ornatius fieri poſſe exiſtimem. - - Liber admodum elegans, quamquam paruus, certe ob variarum rerum cognitionem, quibus refertus eſt, dignus admodum mihi videtur eſſe, vt in hominum manibus aſſidue et lectione verſetur.* Etiam VOSSIVS *m*) carmen agnouit eſſe elegans, ſupra aetatem, qua poeta vixit. Sed iniquum ac plane virulentum animum oſtendit, cum in Chriſtianos, monachos *n*) praeſertim Caprariae et Gorgoniae inſulae; tum in Iudaeos, *o*) quorum ſabbatha homini, in pietatis ac religionis negotio plane caeco, videntur eſſe *laſſati mollis imago Dei. p*) VOLATERRANO teſte, *q*) Rutilii Numatiani itineraria cum aliis libris antiquitate et elegantia commendatiſſimis anno M. CCCC. XCIV. in Bobiano coenobio reperta ſunt. Eſt vero oppidum Bobium ad Apenninii iuga ſitum, vbi nobile coenobium a Theodolinda Langobardorum regina exſtructum. Edidit primus Petrus

i) De poetis Latinis p. 58. de hiſtoricis Latinis l. 2. c. 15. pag. 222.
k) Pag. 126. edit. Francofurt. 1597. *l*) Pag. 127.
m) De hiſtoricis Latinis l. 2. c. 15. p. 221. Ita quoque BOECLERVS bibliographia critica p. 164. *n*) Itiner. l. 1. v. 439. ſeqq.
o) Itiner. l. 1. v. 381. ſeqq. *p*) Itiner. l. 1. v. 392.
q) Comment. vrbanorum l. 4. p. 140. et l. 19. p. 693.

Digitized by Google

Summontius *Neapoli.* Post eum Ioh. Baptista Pius *Bononiae* 1520. 4. in aedibus Hieronymi de Benedictis. Libellum, inscriptum poema de laudibus vrbis, et Etruriae, et Italiae, pontifici Leoni X. dicauit, et carmen elegiacum non inelegans praemisit. Deinde Onuphrius Panuinius Veronensis Rutilium, multis librariorum vitio obortis erroribus sublatis, emendatum, et aliquot versibus, qui in vulgato deerant, locupletatum, Gabrielis Faerni opera, denuo edidit ad calcem libri primi commentariorum reipublicae Romanae, siue ad vrbis Romae descriptionem *Venetiis* 1558. 8. *Parisiis* 1588. 8. et *Francofurti* 1597. fol. apud Andreae Wecheli heredes, Claudium Marnium et Ioh. Aubrium. *r*) Rutilium porro additis lectionibus variis Iosias Simlerus edidit *Basileae* 1575. 12. vna cum Aethici cosmographia et aliis. Iosephus Castalio cum annotationibus suis *Romae* 1582. 8. Petrus Pithoeus *Parisiis* 1590. 12. inter poemata vetera. Iustus Zinzerling *Lugduni* 1616. 8. cum animaduersionibus Theodori Sitzmani Thuringi. Caspar Barthius *Francofurti* 1623. 8. cum commentario suo. Denique Theodorus Ianssonius ab Almeloueen *Amstelodami* 1687. 12. cum suis et variorum animaduersionibus. Et nuperrime *Altorfii* 1741 8. quatuor foliis vnaque geographica mappa, Rutilii Claudii Numatiani Galli, viri consularis, praefecti vrbis, tribuni militum,

r) Memoriae lapsu BOSCHERVS bibliogr. critica p. 164. Panuinii loco Sigonium nominat. Quod cum IOH. GOTTLIEB KRAVSE v. c. animaduersionibus p. 856. emendare studet: fallitur ipse quoque, dum negat Panuinii commentarios, quibus insertum esset Rutilii itinerarium, in folio prodiisse. Neque adiunctum est descriptioni ciuitatis, sed vrbis Romanae, commentariorum libro primo, et illius quidem editionis memoratae fol. 126. seqq.

Digitized by Google

militum, praefecti praetorio, itinerarium cum integris Ioh. Georg. Graeuii et Theod. Ianſ. ab Almeloueen animaduerſionibus, Andreas Goetzius recenſuit.

§. LXXX.

Honorii imperatoris temporibus, excellentiſſimos inter poetas maxime floruit AVRELIVS PRVDENTIVS CLEMENS, genere Hiſpanus eſt, ſed qua vrbe natus, adhuc ſub iudice lis eſt. Sunt qui eum Caeſarauguſtae, quae Saragoſſa hodie vocatur, natum putant: *s*) ac ſententiae ſuae fundamentum in ipſis PRVDENTII *t*) verbis quaerunt:

Bis nouem noſter populus ſub vno
Martyrum ſeruat cineres ſepulchro.
Caeſarauguſtam vocitamus vrbem,
Res cui tanta eſt.

Sic et inferius ille: *v*)

Noſter eſt, quamuis procul hinc in vrbe
Paſſus ignota, dederit ſepulchri
Gloriam victor, prope litus altae
Forte Sagunti.
Noſter et noſtra puer in palaeſtra,
Arte virtutis, fideique oliuo
Vnctus, horrendum didicit domare
Viribus hoſtem.

Loquitur autem de S. Vincentio, qui Caeſarauguſtae natus, et ſaniori doctrina imbutus, extra patriam martyrii coronam inuenit. Alii Calagurritanum poetam vocant, *x*) ex Calagurri Caſtellae oppido, propterea quod ipſe

PRV-

s) Vt ALDVS ROMANVS Prudentii vita. DV PIN noua bibliotheca eccleſiaſt. auctor, tom. 3. p. 7. *t*) Periſtephanon hymno 7. init. vbi duodeuiginti Caeſarauguſtanos martyres commendat. *v*) L. c. v. 57. *x*) Vt MARIANA de rebus Hiſpa-

PRVDENTIVS *y*) in honorem ſanctorum martyrum Hemiterii et Chelidonii Calagurritanorum ſcripſerit:

Hoc bonum ſaluator ipſe, quo fruamur, praeſtitit:
Martyrum cum membra noſtro conſecrauit oppido.

Et in laudem duodeuiginti martyrum Caeſarauguſtanorum: *z*)

Noſtra geſtabit Calagurris ambos,
Quos veneramur.

Sed pari eum ratione Tarraconenſem facere poſſent, quod in honorem beatiſſimorum martyrum, Fructuoſi, epiſcopi eccleſiae Tarraconenſis, et Augurii, et Eulogii, diaconorum, conſuetudinem ſeruat ſuam, et vrbis praedicat felicitatem: *a*)

O triplex honor, o triforme culmen!
Quo noſtrae caput excitatur vrbis,
Cunctis vrbibus eminens Hiberis.

Facile hinc patet omnibus, vrbem, cuius gloriam ſibi ſumſerit exponendam, ſuam vocare quamcunque: vt noſtra hodienum vocamus omnia, de quibus loqui inſtituimus. Tantumque abeſt, vt patriam in illis Prudentius deſignauerit ſuam. Natus eſt anno poſt Chriſtum natum CCCXLVIII. ab V. C. MC. Philippo et Salia coss. Id enim ipſe indicat his verbis: *b*)

Haec dum vita volans agit,
Inrepſit ſubito canicies ſeni,
Oblitum veteris me Saliae conſulis arguens,
Sub quo prima dies mihi. Haec

niae l. 4. c. 17. exit. FABRICIVS biblioth. Latin. tom. 1. p. 696. De Calagurri, Prudentii patria, diatribam auctore G. L. exhibet diarium literarium, quod lingua vernacula vocant die neue bibliothec XXVI. p. 475.

y) Periſtephanon hymno 1. verſ. 115. *z*) Periſtephanon hymno 7. verſ. 31. *a*) Periſteph. hymno 10. cuius init. *Felix Tarraco*, verſ. 142. *b*) Cathemerinon prooem. verſ. 22.

Digitized by Google

Haec vera illius loci nobis arridet ſententia, quam et BAYLIVS, *c*) et DVPINIVS, *d*) ſequuntur. Plures alii, corrupta lectione impediti, minus recte hunc locum intelligere potuerunt. Cum enim vocabula *me* et *Saliae* coniungerent ipſe ALDVS, SIXTVS SIENNENSIS, POSSEVINVS, P. LABBE, et alii, ſibi perſuaſerunt, Prudentium conſulem fuiſſe vrbis cuiusdam, nomine *Meſaliae*, quam P. LABBE putat eſſe Maſſiliam. Sed valde errant viri, cetero docti, qui conſulis Flauii Saliae nomen putant eſſe vrbis, et perperam tribuunt Prudentio, quod ad Saliam pertinet, quo conſule, vt dixi, noſter poeta natus fuit. Elegantioribus literis ab ineunte aetate imbutus, cauſſas mature coepit in foro et iudiciis agere, et plurimum valere eloquentia: vt cauſſarum inter patronos excelleret, ſuoque genio indulgeret liberalius ac iis vitiis, quae vulgo ſolent eſſe Iuuenibus communia. Quod ipſe his verbis fatetur ac dolet: *e*)

Aetas prima crepantibus
Fleuit ſub ferulis. Mox docuit toga
Infectum vitiis falſa loqui, non ſine crimine.
Tum laſciua proteruitas,
Ac luxus petulans (heu pudet, ac piget!)
Foedauit iuuenem nequitiae ſordibus, ac luto.
Exin iurgia turbidos
Armarunt animos, et male pertinax
Vincendi ſtudium ſubiacuit caſibus aſperis.

Iurisprudentia clarus eligitur iudex, vt in claris duabus vrbibus iusdiceret. Id quod ſequentibus ipſius PRVDENTII *f*) docemur verbis:

Bis

c) Dictionaire hiſtorique et critique art. *Prudence*. *d*) Nouu bibliotheca auctorum eccleſiaſticorum tom. 3. pag. 9.

e) Καθημερινῶν prooemio verſ. 7. ſeqq. *f*) L. c. verſ. 16. ſeqq.

Bis legum moderamine
Frenos nobilium reximus vrbium,
Ius ciuile bonis reddidimus: terruimus reos.

Militiae tandem extra patriam expertus fortunam ac rerum viciſſitudines, ab Honorio imperatore, vt propius ſecum eſſet, in aula rebus grauiſſimis praeficitur: vt altiſſimum honoris gradum attigerit. *g*) De his quoque verſus audiamus poetae: *h*)

Tandem militiae gradu
Euectum pietas Principis extulit,
Aſſumtum propius ſtare iubens ordine proximo.

Quibus quidem verbis innuere quibusdam videtur, ex milite Palatino factum vrbis praefectum, imo, vt ALDVS, LILIVS GR. GYRALDVS et alii autumant, etiam conſulem. Falluntur autem, quod paulo inferius videbimus, falſa Prudentii lectione decepti. Sufficit Honorii imperatoris beneficio, ad non poenitendum honoris gradum, quod praedicat, euectum fuiſſe. Attamen rerum humanarum pertaeſus, cum LVII. aetatis annum attigerit, flagranti deſiderio ſemet rebus ſacris conſecrauit: vt longi temporis iacturam ſibi iucundiſſimis ac ſaluberrimis futurae felicitatis meditationibus farciret. Quod ergo reliquum erat vitae hymnis in laudes numinis aeterni, in honorem ſanctorum, carminibus item de ſuperſtitionis erroribus, et Chriſto ſeruatori deuotorum officiis, ſtilo ſanctiori conſignandis, impendere ſecum ſtatuit. *i*) Eum ergo conſtat, circa annum Domini CCCCV. iam feneſcentem ſacris literis vacare, ſuisque carminibus, quae ſatis luculenta proſtant eruditionis et pietatis monumenta, inclareſcere coepiſſe.

g) Palatinum militem GENNADIVS vocat libro de viris illuſtribus c. 13. apud Fabricium bibliotheca eccleſiaſtica p. 11. *h*) L. c. verſ. 19. ſeqq. *i*) Vid. Cathemerinon prooem. verſ. 26. ſeqq.

Digitized by Google

coepisse. *k*) At quando in viuis esse desierit, memoriae proditum nusquam legi. Sed de Prudentii vita praeter editores, et eos, qui de scriptoribus ecclesiasticis scripserunt, consulendi sunt BAELIVS, *l*) CLERICVS, *m*) ANTONIVS, *n*) LEYSERVS, *o*) TILLEMONTIVS, *p*) et LVDEWIG. *q*) Affectibus autem totus quantus abreptus suis, LVCAS OSIANDER, *r*) mentitur omnia: *eodem fere tempore* (anno Christi 332.) *clarus fuit --- Prudentius, et ipse Hispanus, ex vrbe Caesaraugusta oriundus. Homo fuit ingeniosus, literarum in adolescentia studiosus: eam aetatem incontinenter et immodeste se transegisse ipse fatetur: postea vero euasit in virum grauem, et bonis moribus conspicuum. Aliquandiu in foro causas egit. Marsiliae consul fuit: quin etiam, vt quidam putant, sub Honorio, Constantini Magni filio, militauit.* etc.

§. LXXXI.

Prudentii scripta hodie leguntur sequentia, vtplurimum Graecis insignita nominibus. 1) liber καθημερινῶν, siue hymni duodecim omnibus diurnis actionibus conuenientes: vt quae Christianis ante gallicinium, tempore matutino, ante cibum, post cibum, ad incensum lucernae, *s*) ante somnum, intra ieiunii tempus, horis quibus-

k) Fallitur ergo BELLARMINVS de scriptoribus eccles. anno 390. qui eum notat sub Theodosio seniore floruisse: et qui eum pene exscripsit GERHARDVS patrologia p. 337. et ipse c. 1. VOSSIVS de historicis Latinis l. 2. c. 10. p. 203. de poetis Latinis p. 57.

l) Lex. v. Prudent. *m*) Biblioth. vniuers. tom. 12. p. 136. seq.

n) Biblioth. veter. Hispan. l. 2. c. 10. *o*) Histor. poetarum medii aeui. *p*) Memorab. eccles. tom. 10. p. 560. seqq.

q) In vita Prudentii, inter opuscula iunctim edita Halae Saxonum 1710. fol. pag. 494. *r*) Hist. eccles. cent. 4 l. 2. c. 26. p. 193. *s*) Confer. ANDREAS RIVETVS critici sacri l. 3. c. 26. oper. tom. 2. p. 1123.

Digitized by Google

que, ſeruatoris natali et epiphania cogitandum. 2) liber περὶ στεφάνων, ſiue de coronis martyrum hymni quatuordecim, quibus ſanctorum martyrum laudes celebrat. 3) ἀποθέωσις, de diuinitate Chriſti, qua continet multa religionis capita, ad confutandos ethnicorum, Iudaeorum, et haereticorum errores: ſuamque tractationem reſurrectione carnis humanae demonſtrata finit. 4) ἁμαρτιγένεια, de origine peccatorum, aduerſus Marcionitas. Subiicitur oratio poetae, tanto viro indigna, *t*) qua ſufficere ſibi ait, ſi modo in tartara non detrudatur, vtut poenae in purgatorio luendae ſint. 5) Ψυχομαχία, ſiue pugna animae, qua, verſibus hexametris, virtutum cum vitiis pugnam, in anima Chriſtiani deſcribit, e. gr. fidei cum idololatria, pudicitiae cum libidine, patientiae cum ira, ſuperbiae cum humilitate, ſobrietatis cum luxuria. 6) Libri duo contra Symmachi, vrbis praefecti orationem, cuius fragmenta quaedam inſeruntur. Libro priori falſorum numinum originem et dedecus oſtendit: et, qua ratione vrbs Roma penitus fuerit conuerſa, demonſtrat. Poſteriori ipſam Symmachi orationem confutare ſtudet: qua iſte imperatores rogauerat, vt Victoriae altare, Deorum cultum, et ſuperſtitionis paganae ceremonias reſtituerent. 7) Δίπτυχον, ſiue tituli hiſtoriarum veteris et noui teſtamenti. Quod quidem opuſculum rude ad aliorum Prudentii carminum elegantiam non accedit. GENNADIVS *x*) Prudentium ait compoſuiſſe διπτυχαῖον *y*) *de toto veteri et nouo teſta-*

t) Vid. RIVETVS l. c. *u*) Nam ψυχὴ Latine *animus* et μάχομαι *pugno*. CASP. BARTHIVS ad Claudian. p. 175. diuinum et ingeniosum iſtud poema vocat. *x*) De viris illuſtribus cap. 13. apud Fabricium bibliotheca eccleſiaſtica pag. 10.

y) i. e. nutrimentum duplex, quod veteris et noui teſtamenti hiſtoriam, ſecundum nomina perſonarum, ſcripſerit.

Digitized by Google

teſtamento, perſonis exceptis. Commentatus eſt autem in morem Graecorum hexaemeron de mundi fabrica vſque ad conditionem primi hominis et praeuaricationem eius. Neque videri poteſt idem eſſe opuſculum, quod perpauca ſcripturae loca diſtichis exponit: cum illud non contemnendum opus in vniuerſam ſcripturam ſacram extiterit. Illius vero integri operis epitomen exhibet vel enchiridion: quod ipſum Amoeno cuidam adſcribitur in codicibus aliquot MStis. Nec ab re DV PINIVS *z*) iudicat, mirandum non eſſe, quod operis Prudentii epitome, ab Amoeno facta, pro ipſo Prudentii opere habita fuerit: quin et illud ipſum forſan cauſſa fuerit, cur perierit. BARTHIVS vero *a*) et FABRICIVS *b*) arbitrantur Amoeni epitheton Prudentio ab librariis, ob ſingularem carminum ſuauitatem et amoenitatem, tributum fuiſſe. *c*)

§. LXXXII.

Res eccleſiaſticas genere metrorum vario, ingenioſe quidem, et pro ratione ſeculi, quo ſenectutis vitia ſe prodiderunt plurima, ſatis eleganter componere inſtituit: ſed tamen ea qua decet, cura et ſolicitudine muſarum ſacra cuſtodire noluit: et ipſas non raro ſpreuit ſyllabarum quantitates in dictionibus peregrinis, maxime Graecis. Neque adeo ſemper optima fuit et arte, et carmina pangendi facultate inſtructus. *d*) Et vere celeberri-

z) Bibliotheca noua auctorum eccleſiaſticorum tom. 3. p. 19.

a) Aduerſar. l. 8. c. 11. *b*) Biblioth. Lat. tom. 1. pag. 697.

c) Pl. confer. ANDREAS RIVETVS critici ſacri l. 3. c. 26. operum tomo 2. pag. 1123. *d*) Hinc GREGOR. GYRALDVS de poetis dialog. 25. *melior omnino Chriſtianus, quam poeta, meo iudicio. Nam, vt ex lectione ipſius auſpicari potuimus, iunior quidem antiquorum ſcriptorum ſtudioſiſſimus fuit. Verum, vtpote Chriſtianae religioni poſtea addictiſſimus, in his ſtudiis, quae gentilium dicuntur, ob incuriam et de-*

mus STOLLIVS *e*) iudicat, eum contra proſodiae interdum monita hymnis peccare ſuis: vt plus in eo Chriſtiani moris, quam verae poeſeos obſeruare liceat: cum et aliis Chriſtianis poetis adeo inſolens non ſit, metri rationem poſthabere. Sic v. gr. mediam corripit *elutam* ſiue, vt Weitzius legit, *erutam*. *f*) Corripit primam in *eneruans*: *g*) mediam in *eremus*. *h*) Penultimam producit in *nouerimus*. *i*) *Cuique* illi dactylus eſt. *k*) Multa alia proſodiae vitia CHRISTOPH. CELLARIVS collegit, et Prudentio, ſuis obſeruationibus illuſtrato, extremo addidit. Vnde et Celeb. WALCHIVS *l*) quaedam annotauit.

§. LXXXIII.

Scriptorem ſuo ſeculo inprimis fuiſſe honoratum, et auctoritatis haudquaquam vulgaris, vel inde patet, quod SIDONIVS APOLLINARIS *m*) illi prope coaeuus, eum cum ipſo Horatio componere non dubitauit. GENNADIVS *n*) virum vocat ſecularis literaturae eruditum: IACOB. PHILIPPVS BERGOMENSIS *o*) poetam Chriſtianum et virum ſecularium literarum ſcientiſſimum: IOH. TRITHEMIVS *p*) virum ſe-

ſuetudinem, ſyllabarum et grammatices exactiorem lineam interdum ipſum ſpreuiſſe crediderim.

e) Introduct. in hiſtor. liter. part. 1. c. 5. §. 51. Confer. BAYLE dictionaire hiſt. et crit. dans l'article Prudence, et IOH. PETRI LVDOVICI elegans diſſertatio de vita Aurel. Prudentii, principis inter Chriſtianos poetae. *f*) Periſtephan. hymno 2. verſ. 362. *g*) Cathemerin. hymno 8. verſ. 64. *h*) Pſichomachiae verſ. 370. *i*) Pſichom. praef. verſ. 58. *k*) Hamartig. verſ. 105. Contra Symmachum l. 1. v. 236. l. 2. v. 89.

l) Hiſtoria critica Latinae linguae c. 1. pag. 81.

m) Lib. 2. epiſt. 9. *nam ſimilis ſcientiae viri, hinc Auguſtinus, hinc Varro; hinc Horatius, hinc Prudentius lectitabantur.*

n) De viris illuſtribus c. 14. apud Fabricium bibliotheca eccleſ. p. 10. *o*) Chron. lib. 9. ad ann. Chriſti 400.

p) Catalogo ſcript. eccleſ.

Digitized by Google

ſecularibus literis eruditiſſimum, et in diuinis ſcripturis ſatis peritum, metro excellentem et proſa, qui per LVII. annos mundi amoribus retentus, multa poetarum opuſcula legerit et expoſuerit, ac de ſua vena multa profunda poemata ſcripſerit: tandem vero in ſenectute, repulſa mundi vanitate, ad ſacras ſcripturas ſe contulerit, et carmine ac proſa multa vtriusque teſtamenti abſtruſa expoſuerit. PETRVS MOSELLANVS, *q) quando parum eſt aequum*, inquit, *Chriſtianos in gentilium libris eſſe totos: his diebus, quibus ferias agimus, elegantiſſimos ſimul et grauiſſimos hymnos Aur. Prudentii, grauis et ſancti viri, audiemus.* Idem: *r) Prudentius vnus omnium inter poetas Chriſtianos lectores ſuos paſcere ſufficit lautiſſime, ſiue precioſiſſimas panis coeleſtis, hoc eſt, verbi diuini epulas eſurias, ſiue efficacis eloquentiae condimenta requiras.* ERASMVS ROTERODAMVS: *s) iam ſi quis Prudentium, vnum inter Chriſtianos vere facundum poetam, volet enarrare, literas etiam arcanas calleat oportet.*

§. LXXXIV.

PETRVS CRINITVS *t)* eum probat, pro conditione temporum, maxime praeſtitiſſe inter Chriſtianos poetas, non modo eruditis verborum figuris, ſed etiam grauitate ſententiarum. FRID. TAVBMANNVS *v)* eum fatetur ſupra omnem Chriſtianorum poetarum prudentiam; et indolem ſermonis ipſius non niſi in intimo ſapientiae penetrali quaerendam et inueſtigandam eſſe. CHRISTIANVS BECMANVS *x)* chriſtianiſſimum iuxta vocat et optimum poetam. In commendando Prudentio nimius eſt GEORGIVS FABRICIVS

q) Dialogo quodam. *r)* Epiſtola ad Matthiam Meinerum.
s) De pueris liberaliter inſtituendis. *t)* De poetis Latinis l. §. c. 89. pag. 511. *v)* Literis ad Ioh. Weitzium, eius editioni praemiſſis. *x)* Literis ad eundem ibid.

CIVS *y*) vbi aliorum iudicia recenſet, et inter alia, *eidem*, inquit, *grauitatem et elegantiam alicubi tribuit Caeſarius; pietatem et animum vere Chriſtianum Riuius. Hunc vnum legendum, cenſet Viues. Tribuunt eidem nonnulli Romanam eloquentiam, aut certe illi propinquam. Leonardi Quercetani, hominis obſcuri, nomen non nouiſſemus, niſi male ſenſiſſet de Prudentio. Lilius ei multam eruditionem ac variam adſcribit: ſed eloquentia ac linguae caſtitate vel parum valuiſſe, vel potius ea neglexiſſe ait. Neutrum homini nec diſerto, nec eleganti, vt et de eloquentia, et de orationis puritate iudicet, concedimus.* FRIDERICO TAVBMANNO *z*) eſt omnium poetarum Chriſtianorum prudentiſſimus et eruditiſſimus. CASP. BARTHIO *a*) Prudentius poeta eſt praeſtantiſſimi ingenii, et pietatis incomparabilis. Prudentium magni ſemper fecerunt viri doctrina meritisque in re literaria illuſtres. I. H. BOECLERVS *b*) poetam vocat ſupra ſeculum ſuum facundum: cuius carmina longe eruditiſſima multa doctrina et cultu, et ſpiritu ad aemulationem antiquorum. Celeberr. D. IOH. PETRVS LVDOVICVS *c*) eum principem vocat inter Chriſtianos poetam. MORHOFIO *d*) ſatis cultus et elegans eſt, qui, vel ob argumentum ſacrum, legi meretur, ſed tamen poſt antiquiores illos, qui ab elegantia et linguae vero nitore commendantur. Hunc poetam LVCAS HOLSTENIVS adeo ſemper miratus eſt, atque in oculis habuit: vt, cum mortis in periculo iam ſe verſari perſentiret, prope et animum ageret, a Ferdinando Furſtenbergio, Paderbornenſi et Monaſterienſi poſtea epiſcopo

y) Comment. in poetas Chriſtianos p. 17. *z*) In calic. Virg. p. 223. *a*) Ad Claudian. p. 225. *b*) Bibliographia critica p. 135. ſeq. *c*) Differt. de vita Prudentii. *d*) De legendis auctoribus pag. 51.

Digitized by Google

po, hymnum voluerit ex cathemerinis Prudentianis, qui exſequiis defunctorum datur, recitari. Quo facto, mente alacriori, in ſolatium vitae melioris erectus, exſpirauit. *e*) Neque enim, vt BARTHIVS quoque iudicat, eo diuinius quisquam de Chriſtianis rebus vnquam ſcripſit.

§. LXXXV.

A BENTLEIO *f*) Chriſtianorum Maro et Flaccus dicitur. Enim vero non ignorat is ſeculi tantus criticus, quam diſtent aera lupinis. Fuit quidem certe poeta Chriſtianus, et morum magiſter haud quaquam contemnendus, qui diuerſo metri genere varia, eaque vtiliſſima, carmina reliquit. Notatu maxime digna, quae de martyrum paſſionibus, et Chriſtianae religionis veritate cecinit: quibus profecto egregie, et inter primos eccleſiaſticam hiſtoriam iuuare videtur. *g*) Satis apte et accurate cogitat, et ita ſcribit, vt hominem Chriſtianum decet. Et ſunt non pauca, quae ſuauiter lectores elegantia ſua trahunt, eosque ad legendum inuitant. Stilus etiam, pro ratione temporis, quo pene deſitum eſt Latine loqui, tolerabilis. Attamen inficias nemo facile ierit, ſaepius eum barbaris vocibus vti, et a pura Latinitate ſeculi Auguſtei quam longiſſime recedere. Varia facile deprehendes aetatis vitia, quibus cum ceteris huius aeui ſcriptoribus, minime laudanda conſuetudine, abripitur. Rurſum aliquando, neſcio qua eruditionis affectatione, vel nimia Lucretii imitatione, verba reuocat obſoleta, et priſcis loquendi rationibus, ad

e) Vid. NIC. HEINSII ad Ferdinandum epiſtola nuncupatoria MORHOFIVS polyhiſt. liter. l. 4. c. 14. n. 17. STOLLIVS introd. in hiſt. liter. part. 1. c. 5. §. 51. n. 5. *f*) Ad Horat. pag. 66.

g) Vid. G. I. VOSSIVS de hiſt. Lat. l. 2. c. 10. p. 203.

ad obfuſcandam orationem indulget. *b*) Tantumque abeſt, vt cum veteribus optimae notae ſcriptoribus componi poſſit. Sidonio facile concedimus ſeculo ſuo conueniens iudicium, quod Horatio ſimilis Prudentius, Varroni Auguſtinus: Sed BENTLEIO, elegantioris literaturae inſtauratori, et criticorum ornamento, aliud cogitanti, verbum iſtud excidiſſe putamus. Chriſtianis Prudentium lectu iucundum eſſe, nemo negabit: Horatii aut Virgilii loco eſſe, illis tantum perſuadere poterit, quibus elegantiora tractare, aut Muſis vacare liberalioribus religio. Intempeſtiua certe pietas illorum eſt, qui, reiectis antiquioribus et optimis poetis, hunc in ſcholas introducere malunt. Salua lectione veterum ac politiori Latinitate, quod et Celeberrimo WALCHIO *i*) placet, ſcholarum ſuperiori ordine, vt Chriſtianae antiquitates non ignorentur, Prudentium nolumus omnino excludi, eius praecipue libros καθημερινῶν et περὶ στεφάνων, quibus et piae ad Deum preces funduntur, et veteris eccleſiae fata explicantur.

§. LXXXVI.

Prudentii opera primum prodiere *Dauentriae* 1472. 4. Et aliam editionem ſine loci anniue nota, in 4. literis Langobardicis impreſſam FABRICIVS habuit, *k*) ad cuius calcem haec verba legebantur: *Aurelii Clementis Prudentii opera prudens lector hoc ordine impreſſa inuenies. Primum in vtrumque teſtamentum tetraſticha. Deinde eum quem de diuinitate librum ſcripſit, apotheoſinque titulauit. Pſychomachia ſequitur. Hamartigenia his recto ordine additur. Periſtephanon ſubditur, ſic enim Gracce liber ad martyrium inuitatorius inſcribitur. Diurnorum*

b) Quod SCIOPPIVS etiam obſeruat conſult. p. 53. *i*) Hiſtoria critica Latinae linguae c. 9. pag. 419.
k) Vid. eius biblioth. Lat. volum. 3. p. 295.

Digitized by Google

norum vero hymnorum libro (qui et cathemerinon dicitur) et eo quem contra Symmachum, idololatriam defendentem, ſcripſit, pulchro et recto ordine totum opus conſummatur. Et alibi *l*) carmen Rudolphi Langii praemiſſum fuiſſe teſtatur.

§. LXXXVII.

Seculo poſt Chriſtum natum decimo ſexto Prudentii opera prodierunt *Romae* 1501. 4. accurante Aldo Manutio. Neque editio videtur eſſe alia, quae prodiit *Venetiis* 1502. 4. apud Aldum. *Baſileae* 1527. 8. apud Cratandrum, cum Sichardi ſcholiis. 1562. 8. apud Henricum Petri. Acceſſerunt Ioh. Sichardi in totum opus ſcholia, et Eraſmi Roterodami et Iacobi Spiegelii in aliquot hymnos commentaria. 1564 4. curante Georgi Fabricio, in ſyſtemate poetarum Chriſtianorum. *Antuerpiae* 1540. et 1546. 8. cum Antonii Nebriſſenſis commentario et ſcholiis Ioh. Sichardi, qui ad emendationem auctoris ſex codicibus MStis vſus eſt. 1564. 8. ex officina Chriſtoph. Plantini, cum Theodori Pulmanni et Victorii Giſelini emendationibus et commentariis, ſubiecto ad calcem voluminis Eraſmi in duos hymnos commentario. *Lugduni* 1553. 8. cum Ioh. Sichardi et Deſ. Eraſmi Roterod. notis. *Pariſiis* 1566. ex Giſelini recenſione. *Lugduni Batau.* 1554. forma min. apud Raphelengium, ex recenſione Victorii Giſelini. 1596. forma minore. *Coloniae* 1585. 8.

§. LXXXVIII.

Seculo decimo ſeptimo Prudentii opera prodierunt *Hanouiae* 1613. 8. typis Wechelianis, apud heredes Ioh. Aubrii, nouiter ad Manuſcriptorum fidem recenſita, ab innumeris mendis purgata notisque et indice illuſtrata a Iohanne Weitzio, Gymnaſii Gothani Pro-Rectore. Ac-

l) Biblioth. Lat. vol. 1. p. 697.

ceſſerunt omnium doctorum virorum, quotquot in Prudentium ſcripſerunt, notae, ſcholia et obſeruationes, cum gloſſis veteribus. Simul ergo ſeparatim exhibet 1. Aelii Antonii Nebriſſenſis annotationes in hymnos et pſychomachiam. 2. Ioh. Sichardi ſcholia. 3. Eraſmi Roterodami commentariolum in duos hymnos. 4. Iacobi Spiegelii interpretationem hymni omnium horarum. 5. Georgii Fabricii hymnorum aliquot expoſitionem. 6. Adami Siberi ſcholas. 7. Victoris Giſelini commentarium. 8. Georgii Remi notas. 9. Adami Theodori Siberi commentariolum in tres hymnos. 10. Andreae Wilkii expoſitionem quorundam ex apotheoſi verſuum. 11. Iohannis Weitzii notas et obſeruationes. 12. Iſonis Magiſtri, vt creditur, gloſſas, ex codicibus Widmanni et Bongarſii a Ioh. Weitzio excerptas. *Coloniae Agrippinae* 1618. fol. magna bibliotheca veterum patrum et antiquorum ſcriptorum eccleſiaſticorum, tomo 4. num. 32. Item corpore omnium veterum poetarum Latinorum *Genevae* 1611. 4. et *Lugduni* 1616. 4. *Lugduni Batau.* 1625. forma minori. *Luneburgi* 1648. 12. in vſum ſcholarum ex poſtrema doctorum virorum recenſione. *Amſtelodami* 1625. forma minori. 1667. 12. apud Danielem Elzeuirium, ex emendatione et cum notis Nicolai Heinſii. *Pariſiis* 1687. 4. in vſum Delphini accurante Stephano Chamillardo. *m*)

§. LXXXIX.

m) De omnium optima Chamillardiana Prudentii editione vid. Actor. Erudit. Lipſ. tom. 1. ſuppl. 3. pag. 126. Chamillardus de ceteris ante ſe Prudentii interpretibus ita iudicauit: Giſelinus *ſectatus eſt tantum ea, quae omnium erant facillima, et minime ſcitu neceſſaria, lapſus in multis etiam et hallucinatus eſt.* Nebriſſenſis *haeret in Prudentio magis, ſed eſt breuior, et ſingula delibare ſatis habet: quae ad fabulam, hiſtoriam et penitiorem ſcriptoris cognitionem requiruntur, omittit. Quid quod apotheoſin, hamartigeniam, duos con-*

Digitized by Google

§. LXXXIX.

Seculo poſt Chriſtum natum duodeuiceſimo Prudentii opera prodierunt *Coloniae* 1701. 8. cum notis Nicolai Heinſii et variorum doctorum virorum maxime neceſſariis, *n*) cum praefatione M. D. Mulleri. *Halae Saxonum* 1703. 8. cum notis Chriſtophori Cellarii. *o*)

tra Symmachum libros, qui ſunt prae ceteris tamen digniſſimi, qui legantur, non attigit. Reſtat Heinſius, *cuius variae lectiones in Prudentium, adſperſis interdum lectiſſimis notulis, perquam eruditae ſunt, et accuratae: vt, ab Heinſio profectas, facile noris.* Weitzius *cum editas hactenus in Prudentium notas collegiſſet, addidit etiam ſuas, easque minime contemnendas: hoc vno ceteris ſuperior, quod veterum auctorum locos indicet, ac eos praecipue ſacrae ſcripturae, quos Prudentius operi ſuo intexuit. Mitto* Iacobum Spigelium, *cuius notae in oden omnis horae non ſolum ſunt propter nimiam prolixitatem moleſtae, verum etiam minutis quibusdam ac pene puerilibus nugis, ab ipſa grammatica repetitis, refertae. Mitto etiam* Adamum Siberum, Georgium Remum, Adamum Theodorum Siberum, Andream Wilkium: *quorum alii verba ſex interdum, aut ſeptem, protulerunt in hymnos tres, aut quatuor totos; alii in vnum duntaxat: vt merito ab interpretum Prudentii numero ſint expungendi. Aliter ſentiendum de ſcholiis* Iſonis, *quae quamuis admodum breuia ſint, quicquid eſt tamen grauioris nodi ſoluunt. Habendus idem bonos* Georgii Fabricii *notis in poetas eccleſiaſticos, et hymnos quinque Prudentii, quos illuſtrauit. Claudet agmen interpretum* Eraſmus, *qui quamuis in duobus tantum poſtremis catbemerini hymnis elaborauerit, quia tamen vir fuit, ſi quis alius ſua tempeſtate, acuti et limati iudicii, operae pretium fecit, ac documento eſſe poteſt, quam non Prudentius ab eruditis negligendus ſit.*

n) Iſonis videlicet Magiſtri et Antonii Nebriſſenſis.

o) Vid. Acta erudit. Lipſ. 1703. pag. 154. ſeq.

§. XC.

Honorio et Theodosio II. Augustis Christianos inter poetas floruit COELIVS SEDVLIVS presbyter: de quo, praeter excellentioris ingenii monumenta, nihil prorsus memoriae proditum legitur. Attamen IOH. TRITHEMIVS *p*) notauit, natione Scotum fuisse, ac Hildeberti, Scotorum archiepiscopi ab ineunte aetate discipulum. Sed amore discendi Scotiam relinquentem venisse in Franciam, deinde Italiam perlustrasse, et Asiam, postremo Achaiae finibus excedentem in vrbe Roma mirabili doctrina clarum effulsisse. Episcopum denique ordinatum fuisse; cuius ecclesiae vel vrbis ignorari. Claruisse sub Theodosio anno CCCCXXX. IOH. ALB. FABRICIVS *q*) autem recte monet, quod Trithemius in vnum confundat tres Sedulios, poetam seculo quinto clarum, et episcopum, qui anno post Christum natum DCCXXI. et auctorem Hibernum collectaneorum in epistolas Pauli, qui centum post annis vixit. *r*) Duo etiam Sedulios confundit MIRAEVS, *s*) qui C. Caelium Sedulium Schotum Hibernensem presbyterum vocat. Quod ad poetae nomen attinet, *Coelium Sedulium* plerique libri prae se ferunt. In aliquibus melioris notae membranis *Sedulius* tantum, Coelii praenomine omisso, reperitur. *Sedulius* etiam sine praenomine est apud SIGEBERTVM, *t*) ISIDORVM, *v*) Anonymum Mellicensem, *x*) HONORIVM, *y*) TRITHEMIVM, *z*) et alios. Natione Scotum esse, nemo quidem

p) De scriptoribus ecclesiasticis c. 142. *q*) Bibliotheca eccles. ad Trith. l. c. p. 44. extr. *r*) Confer. LABBEVS de script. eccles. tom. 2. p. 330. *s*) Ad Isidori Hispal. de script. eccles. c. 7. confer. FABRICII biblioth. eccles. p. 51. extr. *t*) De script. eccles. c. 6. *v*) De script. eccles. c. 7. *x*) De script. eccles. c. 35. *y*) De script. eccles. l. 3. c. 7. *z*) De script. eccles. c. 142.

Digitized by Google

quidem facile negabit: quandoquidem ſemet quoque ipſum, TRITHEMIO teſte, *a*) epiſtolarum initio *Sedulium* appellat *Scotigenam*. At quomodo *Scotus* vocatur *Hibernienſis*, VT IACOBO VSSERIO, *b*) et CHRISTOPHORO CELLARIO, *c*) teſtibus, Sedulii in epiſtolas Paulinas annotationes, ex Fuldenſi vetuſtatis adorandae exemplari editae, hanc inſcriptionem praeferunt: *Sedulii Scoti Hibernienſis in omnes epiſtolas Pauli collectaneum*. Atque ita etiam Baſileenſi editione vtraque, et in bibliotheca patrum, tam Coloniae olim, quam poſtremo Lugduni, expreſſum eſt. Patriam inde eius, ſine auctore, CELLARIVS *d*) arbitratur fuiſſe Britanniam: et Hiberniam ſtatim aſſerit. Nec enim illi ea Scotia eſſe videtur, quae nunc ita appellatur, Britannicae maioris inſulae pars ſeptentrionibus obuerſa: quod illa aetate Hibernia fuerit Scotia, et ex illa minori inſula nomen fuerit translatum in maiorem. Simus ergo liberales. Et Scotus, non Hibernienſis eſſet nominandus: ſine tunc quidem iſtud vocabulum fuiſſet auditum. Vel laudatus ille codex manu exaratus nomina dicendus confundere diuerſi temporis, vel patriae diuerſae auctorum. Illorum vero ſententia mihi valde arridet, vel ex diuerſitate ſtili, Sedulium eſſe alium poetam noſtrum, atque in epiſtolas Paulinas annotationum auctorem. Quamuis probe ſciam, accuratiorem illum in ligata, quam in proſa oratione fuiſſe. Neque ſcriptores de honoribus conueniunt. Presbyterum plerique vocant, etiam manu exarati libri. Ita quoque ISIDORVS Hiſpalenſis, *e*) HONORIVS Auguſtodunenſis, *f*) et alii ſcriptores, poetam deſignarunt

a) Loc. cit. *b*) De Britannicarum eccleſiarum primordiis cap. 16. *c*) Praefat. Sedulii, quem ipſe edidit, pag. 13.
d) Loc. cit. pag. 12. *e*) De ſcript eccleſ. c. 7.
f) De S. E. l. 3. c. 7.

Digitized by Google

runt noſtrum. At SIGEBERTVS, Gemblacenſis monachus, *g*) Sedulium Epiſcopum appellat, non addito loco, cuius eccleſiae praefectus fuiſſet. Eumque TRITHEMIVS *h*) ſequitur. Et Mellicenſis anonymus, libro de ſcriptoribus eccleſiaſticis, *i*) antiſtitem nominat. In Sedulium gemina exſtat ἀκροστίχις, vna LIBERII, altera BELISARII. Vtrobique et primae, et vltimae verſuum literae conficiunt *Sedulius antiſtes*. *k*) Ita etiam ALCVINVS *l*) hymnum alterum, cuius initium, *a ſolis ortus cardine*, de miraculis Chriſti, *m*) inſcripſit, *hymnus beati epiſcopi Sedulii*: quemadmodum in Pithoeano codice proſae Sedulianae praeſcriptum eſt, *incipit praefatio Sedulii Antiſtitis in ſoluta oratione paſchalis carminis*. Et commemorato iamiam de miraculis hymno ſubſcriptum, *finit ymnus Sedulii venerabilis antiſtitis*. *n*) Antiſtes autem eſt epiſcopus. De loco et ſede epiſcopali altum apud omnes ſilentium: et in medio res ipſa merito relinquitur. Sic quoque in aetate, qua ſcripſerit Sedulius, parum conueniunt docti. SIGEBERTVS Gemblacenſis monachus *o*) eum claruiſſe ſcribit tempore Conſtantis et Conſtantii, filiorum primi Conſtantini imperatoris: TRITHEMIVS vero *p*) ad Theodoſium refert, non maiorem, vt CELLARIVS *q*) opinatur, ſed minorem. Annum enim addit, quo Theodoſius II. cum Valentiniano

g) De ſcript. eccleſ. c. 6. *h*) De S. E. cap. 142. *i*) Cap. 35. apud FABRICIVM bibliotheca eccleſiaſtica pag. 149. *k*) Ex bibliotheca patrum Cellarius Sedulii carminibus adiecit, editionis recentiſſimae. pag. 111. ſeq. *l*) Teſte CELLARIO Sedulii praefat. pag. 13. *m*) Quem et Sedulio tribuit BEDA Presbyter, de metris in iambico tetrametro; et TRITHEMIVS de ſcript. eccleſ. c. 142. *n*) Sedulii edit. Cellar. recent. pag. 110. *o*) De ſcript. eccleſ. c. 6. *p*) De S. E. cap. 142. *q*) Sedulii ſui praefat. pag. 14.

Digitized by

niano III. ad clauum dicitur ſediſſe imperii. *Claruit ſub Theodoſio anno ccccxxx.* Poſt Hieronymum floruiſſe, vel ex epiſtola ad Macedonium, operi paſchali praefixa, conſtat, vbi, *nec*, inquit, *Hieronymi diuinae legis interpretis, et coeleſtis bibliothecae cultoris, exemplate pudeat imitari* etc. Neque minus certum, ante Caſſiodorum et Fortunatum fuiſſe, qui operibus ſuis Sedulium noſtrum laudarunt. *r*) Poſt obitum Sedulii Turcius Rufius Aſterius carmina ex eius ſchedis collegit et edidit, qui et epigramma ad Macedonium, cui Sedulius ſuum dedicauerat opus, ſcripſit, ipſius ſubiectum epiſtolae *s*) Mihi autem valde eſt veriſimile, Aſterium ante initum magiſtratum longe, cum literis adhuc vacaret, poetae ſcriptis operam dediſſe: quod grauiora viro negotia in conſulatu non permiſiſſent. Sed conſul fuit, vt in faſtis eſt, cum Protogene, anno poſt Chriſtum natum CCCCXLIX. Leuem mihi perſuaſiſſem FABRICII *t*) errorem eſſe in bibliotheca Latina ex tranſpoſitione, vbi Aſterium ſcribit A. C. 494. conſulem fuiſſe: niſi in eius ſupplementis *v*) errorem diſerte legiſſem defendiſſe ita: *Coelio Sedulio Scoto praemiſſa epiſtola eſt Aſterii qui anno Chriſti 494. conſul fuit. Ita legendum pro 449.* Perperam vtrumque. Neque enim Aſterius, epigrammatis auctor et carminum editor, eam ad Macedonium ſcripſit epiſtolam, quae Sedulium vbique ipſa oſtendit. Neque Aſterius ille CCCCLXXXXIV. ſed, vt dixi, CCCCXLIX. dignitate conſulari ornatus fuit. Confundit autem noſtrum cum alio Aſterio, qui tunc temporis cum

r) CASSIODORVS de inſtitutione diuinarum literarum cap. 27. FORTVNATVS l. 8. carm. 1. et vita S. Martini l. 1. v. 15. *s*) Edit. Cellar. recent. pag. 10. *t*) Biblioth. Lat. vol. 1. p. 704. *v*) Biblioth. Lat. vol. 3. p. 306.

Digitized by Google

cum Praesidio consulatum gessit. Eum vero etiam legisse oportet, quod IACOBVS SIRMONDVS *x*) notauit: *non minore, mea quidem sententia, in errore versantur, qui Turcium Rufium Asterium V. C. et ipsum consulem ordinarium atque patricium, qui Sedulii poetae versus post eius mortem, ex eius scriniis collectos recensuisse dicitur, cum Asturio Praesidii collega confundunt: quum ad illum Asterium haec pertinere videantur, qui consul fuit cum Protogene anno CCCCXLIX. tum quia haec illi nomina potius congruunt, tum quia id tempus cum Sedulii obitu cohaeret.* etc.

§. XCI.

Scripsit 1) Carmen paschale, siue mirabilium diuinorum libros quinque. Quibus oratione prosa ad Macedonium abbatem *y*) praefigitur epistola: cuius rogatu, idem paschale opus Latine etiam lingua soluta reddidit. Ita enim ipse scribit: *z*) *praecepisti, reuerende mi domine, paschalis carminis textum, quod officio purae deuotionis simpliciter exsecutus vobis obtuli perlegendum, in rhetoricum me transferre sermonem. Quod vtrum placuerit, ideo geminari volueris; an quod offenderit, vt potius arbitror, stilo censueris liberiore describi: sub dubio videor fluctuare iudicio.* De numero librorum non conuenit inter

x) Ad Ennodii lib. 1, epist. 24. Confer. BAYLE dictionaire tome 3. p. 2562. *y*) In aliis codicibus *presbyter* vocatur.

z) Epistola ad Macedonium soluto sermoni praemissa. Inde SIGEBERTVS de script. eccles. c. 6. emendandus, qui ordine inuerso ita: *ad Macedonium presbyterum scripsit libros de miraculis veteris et noui testamenti: quos postea sub metrica lege redactos praetitulauit paschale carmen.* Fallitur IOH. ALB. FABRICIVS quoque bibl. Lat. vol. 1. p. 704. et vol. 3. p. 306. qui praemissam epistolam ad Macedonium Abbatem putat a Turcio Rufio Asterio post Sedulii mortem fuisse additam.

Digitized by Google

ter ſcriptores. ISIDORVS *a*) et HONORIVS, *b*) totidem verbis vterque, *edidit*, inquiunt, *tres libros, dactylico heroico metro compoſitos: quorum primus ſigna et virtutes veteris teſtamenti potentiſſime reſonat, reliqui vero geſtorum Chriſti ſacramenta et miracula intonant.* Librorum SIGEBERTVS, Gemblacenſis monachus, *c*) non indicat numerum. Anonymus Mellicenſis *d*) memoriae prodidit, ad Macedonium presbyterum, magiſtrum ſuum, libros duos de veteri ſcilicet, et nouo teſtamento metro conſcripſiſſe heroico: quibus et prolixum proſaice ſcriptum praepoſuerit prologum. TRITHEMIVS *e*) carminis paſchalis quatuor libros notat. Etiam SEDVLIVS ipſe: *f*) *quatuor*, inquit, *mirabilium diuinorum libellos, quos ex pluribus pauca complexus vſque ad paſſionem et reſurrectionem aſcenſionemque domini noſtri Ieſu Chriſti, quatuor euangeliſtarum dicta congregans, ordinaui, contra omnes aemulos tuae defenſioni commendo. Huic autem operi, fauente Deo, paſchalis carminis nomen impoſui: quia paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.* *g*) Vndenam libri hodie carminis paſchalis numerantur quinque. Nihil nos iuuat, annotante CELLARIO, *h*) variare codices ſcriptos et typis expreſſos: et quosdam quatuor, alios quinque numerare. *i*) Hinc in epiſtola ad Macedonium putat lapſum in *quatuor*

a) De ſcript. eccleſ. c. 7. *b*) De S. E. l. 3. c. 7. *c*) Loc. cit.
d) De ſcript. eccleſ. c. 35. apud FABRICIVM biblioth. eccleſ. p. 149.
e) De ſcript. eccleſ. c. 142. *f*) Epiſtola ad Macedonium, carmini praefixa, extr. *g*) Quatuor carminis paſchalis libros eriam FABRICIVS numerat biblioth. Lat. vol. 1. pag. 704. Et VOSSIVS de poetis Latinis pag. 60. *h*) Ad Sedulii cit. loc. p. 8. ſeq. *i*) Inde BARTHIVS aduerſ. l. 10. c. 9, *non videntur bene agere, qui quatuor libellos* Sedulii *faciunt; tertium adeo extendentes, vt duorum ex reliquis fratribus portionem velit ſolus aequare.*

Digitized by Google

ex notis esse, quibus veteres vsi fuerint: nisi de solis, vt subiicit, *quatuor euangelistarum* excerptis loquatur. Mendum in Isidoro et ceteris est satis manifestum. Quinque libros esse in Tornaesiana editione: totidem agnoscere Heinsium: prosamque versionem Sedulii in bibliotheca patrum in quinque libros esse distributam: nihil ad rhombum. Vndenam vero hoc, inquam, quod in libris etiam melioribus carminis partes habeantur quinque: cum auctor ipse fateatur fuisse quatuor. Sine auctoris statuendo errore, aut corrupta librarii scriptura, quatuor omnino, cum ista scriberet, carminis fuerunt libri, quos ad Macedonium misit, *vsque ad passionem et resurrectionem ascensionemque domini*: quas libro postmodum quinto addidit: vel in schedis post obitum tandem libris, iam tum vulgatis, ab Asterio superioribus de veteris et noui testamenti miraculis annectendas reliquit. Ita certe, nisi me fallunt omnia, neque aliter, Turcius Rufius Asterius, Sedulii carmina, quae, vt vidimus, iam tum ligata et prosa oratione vulgauerat ipse, post fata eius, collegisse et edidisse, dicendus. Legitur epigramma eius ad eundem Macedonium, cui Sedulius opus suum dedicauerat, carmini paschali praefixum hoc modo:

Sume, pater meritis, veracia dicta poetae,
Quae sine figmenti condita sunt vitio.
Quo caret alma fides, quo sancti gratia Christi,
Per quam iustus ait talia Sedulius.
Asteriique tui semper meminisse iubeto,
Cuius ope et cura edita sunt populis.
Quem quamuis summi celebrent per saecula fasti:
Plus tamen ad meritum est, si viget ore tuo.

Epigramma hoc in Remensi codice post epistolam Sedulii reperitur, eique adscriptum est: *hoc opus Sedulius inter chartulas*

Digitized by Google

chartulas diſperſum reliquit: quod recollectum adornatumque ad omnem elegantiam diuulgatum eſt a Turcio Rufio Aſterio V. C. conſule ordinario atque patricio. Dedicatio ſiue prologus, cuius initium,

Romulidum ductor clari lux altera ſolis,

ad Theodoſium imperatorem, ſiue ad Honorium potius, illi a TRITHEMIO *k*) multisque codicibus tribuitur. Falſo. Nam Virgilio centonis, a Proba Falconia conſcripti, initium eſt, cui pridem a viris eruditiſſimis vindicatum: quod ab imperitis propter argumenti ſimilitudinem paſchali carmini in libris quibusdam praepoſitum fuit. Neque in antiquiſſimis codicibus, neque in proſa Seduliana reperitur. Et verſus, creationis hiſtoriam exprimentes,

--- *Hic tibi mundi*
Principium formamque poli hominemque creatum
Expediet limo,

operi Seduliano conueniunt, in quo nihil eſt de principio, aut ordine creationis. 2) Scripſit etiam hymnum ſiue collationem veteris et noui teſtamenti, per ſchema ἐπαναλήψεως alternis verſibus repetitae, hoc modo

Primus ad ima ruit magna de luce ſuperbus:
Sic homo cum tumuit, *primus ad ima ruit.*

Sic ſingulis diſtichis initium prioris verſus eſt finis poſterioris. 3) Hymnus etiam extat Sedulii iambicus dimeter de Chriſto, ſuccincte ſecundum alphabeti ordinem A. B. C. etc. ab incarnatione vſque ad aſcenſionem ſeruatoris opera complectens. 4) Paſchale opus, quod Macedonii monitu, ex carmine proſa oratione expreſſit. Tribuitur etiam illi commentarius in epiſtolas S. Pauli: qui rectius Sedulio cuidam iuniori vindicandus. *l*) Quod carmina potius, quam ſoluta oratione, ſcribere voluerit,

k) De S. E. c. 142. *l*) Vid. BAYLE dictionaire tom. 3. p. 2562. ſeq.

rit hanc rationem ipſe dedit: *m*) *raro, pater optime, — — diuinae munera poteſtatis ſtilo quisquam huius modulationis aptauit: et multi ſunt, quos ſtudiorum ſecularium diſciplina per poeticas magis delicias et carminum voluptates oblectat. Hi quidquid rhetoricae facundiae perlegunt, negligentius aſſequuntur, quoniam illud haud diligunt: quod autem verſuum viderint blandimento mellitum, tanta cordis auiditate ſuſcipiunt, vt in alta memoria ſaepius hoc iterando conſtituant et reponant.*

§. XCII.

Vir a TRITHEMIO *n*) vocatur, in ſcripturis diuinis exercitatus, et in ſecularibus literis eruditiſſimus, carmine excellens et proſa. VENANTIO HONORIO FORTVNATO *o*) *Sedulius dulcis* eſt: et alibi *p*) *conſpicui radiauit lingua Seduli.* CASPAR BARTHIVS: *q*) *inter Chriſtianos*, inquit, *poetas Virgilianam phraſin nemo magis comiter ſeruauit, quoad eius per rerum alienitatem ſeculique alterationem fieri potuit, quam Sedulius, optimi ingenii inter eorum plerosque: licet naeuos etiam habeat, non tam quidem ſuos, quam ſeculi.* FABRICIO *r*) Sedulium *rutili* elogio THEODVLFVS Aurelianenſis *s*) mactare videtur, vbi:

Sedulius rutilus, Paulinus, Arator, Auitus,
Et Fortunatus, tuque Iuuence tonans:
Diuerſoque potens prudenter ponere plura
Metro, o Prudenti, noſter vt ipſe parens.

Vnde non mirum Rutili nomen, quod pro alicuius poetae proprio viri docti perperam habeant, inter poetas Chriſtianos, vbi ceteri a Theodulpho celebrati memorantur, non

m) Epiſt. ad Macedonium carmini paſchali praefixa. *n*) De ſcript. eccleſ. c. 142. *o*) Lib. 8. carm. 1. *p*) Vita S. Martini l. 1. verſ. 17. *q*) Aduerſar. l. 10. c. 9. *r*) Biblioth. Lat. vol. 1. p. 705. *s*) Carm. l. 4. p. 402.

Digitized by Google

non occurrere apud VENANTIVM FORTVNATVM libro de vita Martini ſecundo.

§. XCIII.

CELLARIVS *t*) aegre fert, et rem plane iudicat tam erudito ſeculo indignam eſſe, Chriſtianos poetas adeo negligi, vt ne nomen quidem iuuentuti ſcholaſticae ſit cognitum; quum ex illorum multis nitor poeticus aeque, vt ex Romanorum praeſtantiſſimis; eccleſiae autem res, et verus de Deo & Chriſto ſenſus, pietasque vera, vberrime, ac multis in partibus vnice, perdiſcatur. Vnum vero ex omnibus Sedulium, egregium antiquorum imitatorem, mire vel ideo lectorem ſuum afficere: quia et verba Publii Maronis, et contexendi ſuauitatem, ſi quis alius, a ſeculi rebus ad ſacrum argumentum tam ſcite, quam pie accommodauit. Agnoſcit in eo dictionem puram, et veterum imitatricem: quam ſe fatetur non mediocriter delectaſſe. Quam maxime vero argumenti maieſtatem admiratur, in myſteriis aptiſſime expreſſam. Et ipſe nihil intermiſit, quod ad eum, tam ſanctum, tam eruditum auctorem ornandum illuſtrandumque conferre poſſet. BORRICHIVS *v*) dictionem praedicat Sedulii facilem, ingenioſam, numeroſam, perſpicuam; ſic ſatis mundam, ſi excipias proſodica quaedam delicta. BAELIVS: *x*) *on trouue qu'il a du genie, et que le tour de ſon poeme eſt noble et grand, queles penſees ſont poetiques, et que ſes vers ſont aſſez paſſables.* Illud vero in Sedulio obſeruandum, quod plerisque huius aeui ſcriptoribus ſolemne fuit, ſuauiorem in ligata, quam in proſa oratione fuiſſe. Sic durior et affectatae ſublimitatis plena eſt epiſtola eius ad Macedonium, carminibus praefixa. Quod etiam in reliquis ope-

t) Praefat. Sedulii, cum editionem nouam adornaret.
v) Diſſert. de poetis p. 76. *x*) Lex. tomo 3. p. 2563. v. Sedulius.

operibus manifeſtum. Et ratio in promptu eſt. Oratione ſoluta, quicquid obuenire poterat, ex ingenio ſcribebant: carmina vero non niſi ex lectione et imitatione veterum et optimorum poetarum, compoſuiſſe apparet. Hinc adeo mirandum non eſt, horridulam eſſe commemoratam epiſtolam, ac minus caſtum paſchale opus: paſchale autem carmen, ſupra ſeculi indolem, ita planum, molle, ac ſuaue, vt ab antiquorum poetarum laude et elegantia propius abeſſe videatur. Adeo quidem eſt antiquiorum imitator, vt, iudicante etiam Celeberr. WALCHIO, y) et verba Publii Maronis, et contexendi ſuauitatem, a ſeculi ad ſacrum argumentum tam ſcite, quam pie accommodauerit.

§. XCIV.

Aliquando neglecti accentus eſſe reum, nemo facile negabit: vbi, poſthabitis proſodiae legibus, ſibimet ipſi nimium indulget. Obſeruabis inſolentem longarum ſyllabarum correptionem: vt ſunt *iis* contractum, declinationis quartae. Ita: z)

— Veteris miracula legis
Rettulimus, ſancti coniuncto ſpiritus actu.

Et alibi: a)

Germanum tractare odium, ſed ſpiritus igne.

Perſonas corripit ſingulares ſecundas coniugationis quartae, in *is* deſinentes, vt vltima in *peruenis*. Carmine paſchali: b)

Peruenis ad Chriſtum, ſed Chriſtus peruenit ad te.

Media corripitur in *ablutus*: c)

Terra ſalutaris, quae fontibus abluta ſacris.

Contra

y) Hiſt. crit. Lat. linguae p. 419. z) Carm. paſch. l. 1. v. 276. vid. etiam l. 2. v. 120. a) Lib. 2. v. 239. b) Lib. 5. v. 280. c) Carm. paſch. l. 4. v. 269.

Digitized by Google

Contra meliorum conſuetudinem, ſyllaba illi breuis eſt ſecunda in *denarios*, *d*) ſecunda in *eccleſia*, *e*) prima in *enorme*, *f*) media in *idola*, *g*) prima in *iugis*, *k*) ſecunda in *tibicines*, *i*) ſecunda in *veſtigiis*. *k*) etc. E contrario haud raro producit corripienda: ex. gr. vltimam in *tacet*: *l*)

Hic loquitur nimis, ille tacet: hic ambulat, hic ſtat.

Saepius etiam obſeruanda productio correptarum in caeſura, hiatus, et neglecta cum ecthlipſis, tum ſynalaephа. Et paſſim alia ſunt obuia in verſibus Latinis vix ferenda, in quibus non noſter Sedulius ſolum, verum et ceteri linguae ſeneſcentis poetae ſacri plus iuſto ſibi tribuerunt. Sic aetatis toleranda ſunt vitia: et dandum aliquid eſſe videtur Seruatori deuoto pectori: dum veteris Latii Muſas ad ſalutis myſteria traducere ſtudet. BEDA ſacerdos *m*) auctoritate, inquit, contemnitur regula grammaticorum. Vt Sedulius in clauſula carminis *n*) quum dixiſſet,

Gloria magna patri, ſemper tibi gloria, nate;

ſubdidit,

Cum ſancto ſpiritu, gloria magna patri.

Spiritus enim primam ſyllabam habet longam. Sed poeta, vt gloriam ſanctae et indiuiduae trinitatis clara voce decantaret, neglexit regulam grammaticae diſpoſitionis. In carmine paſchali: *o*)

Sic ait ipſe docens, ego in patre, et pater in me eſt.

Non ferendo hiatu poetico. Idem: *p*)

Clarifica

d) L. 2. v. 275. *e*) L. 5. v. 358. *f*) L. 3. v. 265.
g) L. 5. v. 145. *h*) L. 1. v. 18. L. 2. v. 255. L. 3. v. 202. et 239.
i) L. 3. v. 134. *k*) L. 5. v. 431. *l*) Lib. 1. v. 315.
m) Libro de metrica ratione. *n*) Hymni primi.
o) Lib. 1. v. 305. *p*) Carm. paſchal. l. 5. v. 8.

Clarifica, dixit, nomen tuum: magnaque coelo. Contrahit *tuum* quasi *tum*.

§. XCV.

Et silentio praetermittere non possum, quam male ex heroicis Sedulii versibus, et librariorum errore, boni poetae omnes apud deuotos ecclesiae ministros et monachos audire coeperunt. Non sine commendatione scripserat GELASIVS papa: *q) venerabilis viri Sedulii paschale opus, quod heroicis descripsit versibus, insigni laude proferimus.* Indocti librarii legerunt, *hereticis descripsit versibus.* Hinc omnes poetae, et qui versibus vtebantur, de haeresi erant suspecti. Mendum istud, quod in canonibus, a Gratiano digestis, erroris plane incauti, retinuerunt, Paulum II. pontificem maximum, ad poetarum capitale odium perduxit, et plurimis aliis, legum professoribus, imposuit, vt omnia poemata, quamuis sacra, haeretica esse duxerint; piisque poetas, vtut res minime contemnendas tractarent, neutiquam annumerari. Sanctos canonistas, et doctos religionis custodes! Et Hadriano VI. pontifici, Batauo illi, qui Caroli V. imperatoris praeceptor fuit, illa canonis vitiosa lectio persuasit, vt nullum hominum genus maiori prosequeretur odio, quam poetas. Fuerunt et plures alii ecclesiae benedocti praesules, qui deprauata illius loci lectione inducti, neminem sacerdotio dignum arbitrati sunt, qui vnquam in Parnasso somniarit. *r)*

§. XCVI.

Prodiit Sedulius *Parisiis* 4. sine anni nota, ex officina Ascensiana, et Nicolai Chappusoti recensione. *Venetiis* 1502. apud Aldum cum Iuuenco, Aratore, et aliis. *Colo-*

q) Distinctione 15. cap. 3. sect. 25. *r)* Vid. BAELIVS lex. tomo 3. p. 2563. vol. Sedulius.

Digitized by

Coloniae 1537. 8. apud Eucharium Ceruicornum, cum Iuuenco, ex Reinhardi Lorichii Hadamarii recenſione. *Baſileae* 1528. 1534. et 1537. 8. ex Theod. Pulmanni recognitione. 1541. 8. cum Aelii Antonii Nebriſſenſis enarrationibus, et Iuuenco per Badium illuſtrato. *s*) 1548. 8. cum Iuuenco et Aratore. *Lugduni* 1553. 1566. et 1588. 12. apud Ioh. Tornaeſium, cum Iuuenco et Aratore. Rurſum *Pariſiis* 1634. fol. inter poetas Chriſtianos in appendice bibliothecae patrum per Margarinum de la Bigne. Et praeſenti, quo viuimus, ſeculo cum notis elegantiſſime a Chriſtophoro Cellario editus eſt *Halae Magdeburgicae* 1704. 8. *t*) Eaque emendatior Cellariana editio repetita eſt 1739. 8. ſumtibus orphanotrophei.

§. XCVII.

Extremis Honorii, et Theodoſii iunioris, vel ſecundi, temporibus inter poetas clarus fuit DRACONTIVS, presbyter Hiſpanus. Male eum G. I. VOSSIVS *v*) poetis annumerat Latinis incertae aetatis, qui poſt tempora Caroli M. fuerunt. Sic bonus interdum dormitat

s) Hanc editionem Celeberr. REIMMANNVS biblioth. Reimmann. part. I. pag. 372. notat eſſe infrequentem et habendam in pretio, tum ob auctorum et commentatorum famam, tum ob editoris B. Weſthemeri in conferendis exemplaribus ſtudium.

t) Vid. Acta Erudit. Lipſ. 1704. p. 108. ſeqq. REIMANNVS loc. cit. p. 372. ſeq. de Cellarii Prudentio et Sedulio ſimul iudicat, editiones tertiores, ſed tamen non meliores eſſe praecedentibus: quod in Prudentio, Chriſtianorum Horatio, deſtitutus fuerit MStis Cellarius; et in Sedullo, Marone noſtro, antiquis editionibus et commentatoribus.

v) De poetis Latinis cap. 9. Confer. NICOL. ANTONIVS bibliothecae veteris Hiſpanae tom. I. Fallitur quoque GEORGIVS MATTHIAS KOENIG bibliotheca vetere et noua pag. 260. qui Dracontium ait ſub Iuſtiniano anno DXL. floruiſſe.

Homerus. At facile ex ipsis poetae scriptis cuique patet, eum seculo post Christum natum quinto floruisse ineunte, temporibus maxime Theodosii iunioris Augusti, ad quem elegiam scripsit. Atque etiam constat, eum anno Domini et Seruatoris nostri cccct. rebus humanis valedixisse. Extant versibus heroicis Dracontii *Hexaemeron*, *x*) siue de fabrica mundi opusculum, et illi subiunctum *carmen elegiacum* versuum cxcviii. ad Theodosium iuniorem Augustum. In eo veniam ab omnipotente maximo Deo petit, si quid incautus praecedenti opere errasset: preces deinde ad Theodosium conuertit, ac se purgat, quod in eodem carmine de illius triumphis tacuisset. Prodiit Hexaemeron primum e bibliotheca S. Victoris *Parisiis* 1560. 8. cum genesi Claudii Marii Victoris. Postea, mendis aliquot sublatis, Georgius Fabricius in corpore Christianorum poetarum edidit *Basileae* 1564. 4. *Francofurti* 1610. 8. cum Iohannis Weitzii notis et glossario, praemissa Goldasti de Dracontio epistola. *Coloniae Agrippinae* 1618. fol. magna bibliotheca veterum patrum et antiquorum scriptorum ecclesiasticorum, tomi sexti parte priori num. 14. *Parisiis* 1624. fol. bibliotheca patrum tomo 8. Editiones aliae sunt ab Eugenio, Toletano episcopo, interpolatae: qui, iussu Chindasuindi Regis, Dracontianum hexaemeron emendare simul atque supplere instituit: vt longe alia veste, eaque ornatiori, quod sibi persuadebant, in vulgus prodierit. Totum negotium ILDEFONSVS Toletanus *y*) ita describit: Eugenius secundus Toletanus episcopus

x) Meminerunt illius quoque ISIDORVS Hispalensis de scriptoribus ecclesiasticis c. 14. apud Fabricium biblioth. eccles. p. 56. Et HONORIVS Augustodunensis de scriptoribus ecclesiasticis l. 3. c. 28. apud Fabricium l. c. p. 89. *y*) De scriptoribus ecclesiasticis c. 14. apud Fabricium bibliotheca ecclesiastica p. 65.

Digitized by Google

epiſcopus in lucem protraxit *libellos quoque Dracontii de creatione mundi conſcriptos, quos antiquitas protulerat vitiatos, ea, quae inconuenientia repperit, ſubtrahendo, immutando, vel meliorando, ita in pulchritudinis formam coegit, vt pulchriores de artificio corrigentis, quam de manu proceſſiſſe videantur auctoris. Et quia de die ſeptimo idem Dracontius omnimodo reticendo, ſemiplenum opus viſus eſt reliquiſſe: iſte et ſex dierum recapitulationem ſingulis verſibus renotauit, et de die ſeptimo, quae illi viſa ſunt eleganter dicta, ſubiunxit.* z) Iſtud opus in Gallia primum Sirmondus edidit *Pariſiis* 1619. 8. cum Eugenii opuſculis. Extat etiam tomo altero operum Sirmondi pag. 890. praemiſſa Eugenii epiſtola ad Chindaſuintum Regem, qua illius iuſſu teſtatur hanc operam in ſe ſuſcepiſſe. Et pag. 903. ſubiecta legitur Dracontii elegia ad Theodoſium. In Sirmondi editione hexaemeron DCXXXIV. verſibus abſoluitur: cum in priori tantum fuerint DLXXV. Sirmondianam editionem ſecuti ſunt Andreas Riuinus, qui notas etiam addidit *Lipſiae* 1651. 8. et bibliothecae patrum editores Lugdunenſes tomo XII. pag. 724. Sed recte BARTIVS, a) id opus non Dracontio, ſed Eugenio tribuendum eſſe iudicat.

§. XCVIII.

Sunt et alii Dracontii, quibuscum poeta noſter non confundendus eſt. Ad Dracontium quemdam S. ATHANASII extat epiſtola, b) cum turbulentis eccleſiae temporibus ſe vellet ſubtrahere epiſcopatui. Dracontius ab illis longe diuerſus fuit ille, qui a PALLADIO c) vir ἔνδοξος et θαυμαστὸς vocatur. Alius quoque Dracontius, Pergami

z) Confer. FABRICII bibliotheca mediae et infimae Latinitatis l. 4. p. 189. a) Ad Claudian. p. 507.
b) Operum tomo 1. num. 36. c) In Lauſiaca p. 24.

Digitized by Google

Homerus. At facile ex ipsis poetae scriptis cuique patet, eum seculo post Christum natum quinto floruisse ineunte, temporibus maxime Theodosii iunioris Augusti, ad quem elegiam scripsit. Atque etiam constat, eum anno Domini et Seruatoris nostri CCCCL. rebus humanis valedixisse. Extant versibus heroicis Dracontii *Hexaemeron*, *x*) siue de fabrica mundi opusculum, et illi subiunctum *carmen elegiacum* versuum CXCVIII. ad Theodosium iuniorem Augustum. In eo veniam ab omnipotente maximo Deo petit, si quid incautus praecedenti opere errasset: preces deinde ad Theodosium conuertit, ac se purgat, quod in eodem carmine de illius triumphis tacuisset. Prodiit Hexaemeron primum e bibliotheca S. Victoris *Parisiis* 1560. 8. cum genesi Claudii Marii Victoris. Postea, mendis aliquot sublatis, Georgius Fabricius in corpore Christianorum poetarum edidit *Basileae* 1564. 4. *Francofurti* 1610. 8. cum Iohannis Weitzii notis et glossario, praemissa Goldasti de Dracontio epistola. *Coloniae Agrippinae* 1618. fol. magna bibliotheca veterum patrum et antiquorum scriptorum ecclesiasticorum, tomi sexti parte priori num. 14. *Parisiis* 1624. fol. bibliotheca patrum tomo 8. Editiones aliae sunt ab Eugenio, Toletano episcopo, interpolatae: qui, iussu Chindasuindi Regis, Dracontianum hexaemeron emendare simul atque supplere instituit: vt longe alia veste, eaque ornatiori, quod sibi persuadebant, in vulgus prodierit. Totum negotium ILDEFONSVS Toletanus *y*) ita describit: Eugenius secundus Toletanus episcopus

x) Meminerunt illius quoque ISIDORVS Hispalensis de scriptoribus ecclesiasticis c. 24. apud Fabricium biblioth. eccles. p. 56. Et HONORIVS Augustodunensis de scriptoribus ecclesiasticis l. 3. c. 28. apud Fabricium l. c. p. 89. *y*) De scriptoribus ecclesiasticis c. 14. apud Fabricium bibliotheca ecclesiastica p. 65.

Digitized by Google

epiſcopus in lucem protraxit *libellos quoque Dracontii de creatione mundi conſcriptos, quos antiquitas protulerat vitiatos, ea, quae inconuenientia repperit, ſubtrahendo, immutando, vel meliorando, ita in pulchritudinis formam coegit, vt pulchriores de artificio corrigentis, quam de manu proceſſiſſe videantur auctoris. Et quia de die ſeptimo idem Dracontius omnimodo reticendo, ſemiplenum opus viſus eſt reliquiſſe: iſte et ſex dierum recapitulationem ſingulis verſibus renotauit, et de die ſeptimo, quae illi viſa ſunt eleganter dicta, ſubiunxit.* z) Iſtud opus in Gallia primum Sirmondus edidit *Pariſiis* 1619. 8. cum Eugenii opuſculis. Extat etiam tomo altero operum Sirmondi pag. 890. praemiſſa Eugenii epiſtola ad Chindaſuintum Regem, qua illius iuſſu teſtatur hanc operam in ſe ſuſcepiſſe. Et pag. 903. ſubiecta legitur Dracontii elegia ad Theodoſium. In Sirmondi editione hexaemeron DCXXXIV. verſibus abſoluitur: cum in priori tantum fuerint DLXXV. Sirmondianam editionem ſecuti ſunt Andreas Riuinus, qui notas etiam addidit *Lipſiae* 1651. 8. et bibliothecae patrum editores Lugdunenſes tomo XII. pag. 724. Sed recte BARTIVS, *a*) id opus non Dracontio, ſed Eugenio tribuendum eſſe iudicat.

§. XCVIII.

Sunt et alii Dracontii, quibuscum poeta noſter non confundendus eſt. Ad Dracontium quemdam s. ATHANASII extat epiſtola, *b*) cum turbulentis eccleſiae temporibus ſe vellet ſubtrahere epiſcopatui. Dracontius ab illis longe diuerſus fuit ille, qui a PALLADIO *c*) vir ἔνδοξος et θαυμαστὸς vocatur. Alius quoque Dracontius, Pergami

z) Confer. FABRICII bibliotheca mediae et infimae Latinitatis l. 4. p. 189. *a*) Ad Claudian. p. 507.
b) Operum tomo 1. num. 36. *c*) In Lauſiaca p. 24.

epiſcopus depoſitus, cuius SOCRATES *d*) et SOZOMENVS *e*) mentionem faciunt.

§. XCIX.

Ad hanc quoque Latinitatis aetatem, alter ille poetas inter celeberrimus Paulinus referendus eſt, qui, accuratiſſimis docentibus criticis, integro nomine, BENEDICTVS PAVLINVS PETROCORIVS, ſiue *Petricoria f*) dictus. Natione Aquitanus fuit, et Petricorienſis epiſcopus. Scripſit autem carmine heroico ſex libros de vita S. Martini, quos Perpetuo, Turonenſi epiſcopo, *g*) dedicauit. Hanc Martini vitam, erroris incauti, adhuc ſcriptores plurimi Paulino Nolano epiſcopo tribuerunt. Et quod magis mirandum, ſeculo altero eiusdem ſedis epiſcopus, GREGORIVS Turonenſis, *h*) ipſe teſtatur, res geſtas S. Martini ſcriptas eſſe carmine a S. Paulino, Nolano epiſcopo, quinque libris, eundemque ſextum adieciſſe de miraculis poſt obitum editis. Quod ipſum etiam VENANTIVS FORTVNATVS *i*) affirmare videtur. At ſi verum eſt, quod codices prae ſe ferunt omnes, poema iſtud Perpetuo, Turonenſi epiſcopo, dedicatum fuiſſe; imo, quod GREGORIVS *k*) ait, Paulinum a Perpetuo mutuatum eſſe, quae libro ſexto de miraculis S. Martini conſcripſerit: omnino aſſerendum eſt, alium eſſe Paulinum ab illo Nolano epiſcopo: cum ab obitu S. Martini vſque ad ſedem Perpetui, ex ſupputatione ipſius Gregorii, anni numerentur ſexaginta quatuor:

d) Hiſt. eccleſ. l. 2. c. 42. *e*) Lib. 4. c. 24. *f*) Teſte LABBEO biblioth. noua MS. p. 63. et FABRICIO biblioth. Lat. vol. 1. p. 714. in MS. S. Germani de Pratis *Paulinus Petricoria* dicitur. Petricorium hodie *Perigueux* vrbs Aquitaniae in Gallia non ignobilis. *g*) Quem patronum ſuum vocat. *h*) De miraculis S. Martini c. 2. *i*) Vita ſancti Martini l. 1. et 2. extr. *k*) Loc. cit. cap. 3.

tuor: ad quod tempus ille Paulinus peruenire non potuit: *l*) qui diem obiit ſupremum anno poſt Chriſtum natum ccccxxxi. S. Perpetuus vero epiſcopus etiam anno cccc-lxxxii. ſynodo Turonenſi praefuit. *m*) Vel ſi quis viri extremam velit ſtatuere ſenectutem: ſufficit ingenua et euidens auctoris confeſſio, *n*) ſe exemplo illius Paulini, Nolani epiſcopi, oculorum lumine curatum eſſe a S. Martino. Auctorem ergo diuerſum eſſe oportet ab illo. De ſeniore autem Paulino Nolano, cum oculis laboraret, S. Martini opera, priſtinae valetudini reſtituto, etiam SVLPICIVS SEVERVS *o*) teſtatur. Paulinus iunior quoque, pari vt ſenior modo, S. Martini beneficio, cum prope caecutiret, oculorum vitiis liberatus, animo grato rependit carmen iſtud heroicum de Martini vita et miraculis, ſex libris diſtinctum. *p*) Franciſcus Iuretus ex codice MSto Petri Pithoei anno 1585. primum edidit. Poſtea ſanctorum patrum bibliothecis inſertum. Tandem omnium accuratiſſime Chriſtianus Daumius *Lipſiae* 1681. 8. recenſuit, ſuisque et Franciſci Iureti, et Caſp. Barthii, et Ioh. Frid. Gronouii notis illuſtratum edidit. Acceſſit Paulini Pellaei, Auſonii nepotis, eucharifticon, et Tertulliani carmen de Iona

l) Confer. quae ſupra de Paulino Nolano diximus. BARONIVS atque SPONDANVS ann. 402. cap. 15. *m*) Vid. BARON. atque SPONDANVS ann. 482. c. 6. Emendandus inde FABRICIVS biblioth. mediae et infimae Latin. l. 15. p. 608. qui concilio Turonenſi ſcribit praeſediſſe anno 401. *n*) PAVLINI in vita S. Martini l. 2. *o*) S. Martini rebus geſtis. *p*) Et Venantius Fortunatus, oculis penitus iam caligine obductis, et lumine mox reſtituto, poſtquam eos oleo vnxerat, quod ritu antiquo in lychno ad imaginem illius ſancti ardebat; vt gratiam referret, carminis de vita illius conſcribendi conſilium inijt. Quod ipſe in operis fine teſtatur. Confer. SPONDANVS annal. eccleſ. ex Baron. anno 402. c. 15. extr.

na et Niniue. Libris de vita Martini, perperam adhuc ſub nomine Paulini Nolani editis, ſubiicitur etiam carmen ad Nepotulum, et epigramma, baſilicae Martini apud Turones inſcriptum.

§. C.

Antequam deſinamus differere de illuſtribus huius aeui poetis, duae non praetermittendae ſunt feminae eruditiſſimae, quae cum multis aliis poſteritati poſſunt eſſe documento, quam egregie viros aliquando etiam ſuperauerit ſexus, vt aiunt, ſequioris virtus. Proba Falconia atque Eudoxia, incomparabiles adhuc conſiderandae veniunt poetriae. Honorio imperante Romanas inter illuſtriores matronas non minus arte poetica, quam pietate, ſui ſexus ornamentum fuit longe maximum PROBA FALCONIA. Quae fuerit illa clariſſima femina, inter doctos non ſatis conuenit. ISIDORVS Hiſpalenſis *q*) Probam vocat vxorem Adolphi Proconſulis. Eumque HONORIVS Auguſtodunenſis, *r*) SIGEBERTVS Gemblacenſis, *s*) et IOH. TRITHEMIVS, *t*) ſequuntur. Editiones antiquiſſimae leguntur inſcribi *Probae Falc. Centronis opuſculum.* Hinc IVL. CAES. SCALIGER *v*) opinatur Probae poetriae Chriſtianae ab opere Centone cognomen eſſe factum. *Falconiam* alii *Flatoniam Vecciam*, alii *Faltoniam Aniciam*, alii *Valeriam Faltoniam Probam*, alii *Probam Valeriam*, vocant. Vt de nomine, ſic de patria variorum ſententiae ſunt variae. LIL. GYRALDVS *Romanam*, *x*) BOCCATIVS ex oppido *Orthi* oriundam

q) De ſcriptoribus eccleſ. c. 5. *r*) De ſcript. eccleſ. l. 3. c. 5.
s) De ſcript. eccleſ. c. 52. *t*) De ſcript. eccleſ. cap. 152.
v) Poetices l. 1. c. 43. pag. 116. Confer. STEPHANVS centonum et parodiarum exemplis pag. 71. *x*) De poetis hiſt. dial. 5. Sic quoque BAPTISTA CAMPOFVLGOSVS exempl. l. 7. c. 3. et IOH. RAVISIVS TEXTOR in officina. LEHMS Teutſchlands galante poetinnen append. p. 202. ſeqq.

oriundam facit. IVLIVS autem ROSCIVS, innixus Philippi Bergomatis teſtimonio, aliisque indiciis, communi videlicet gentis conſenſu, et inueterata ciuium opinione, *Hortinae* vrbi plane eam reſtituit, et hoc ornauit elogio:

Inſignis cithara celebretur Lesbia Sappho,
Claruit et docta quaeque puella lyra:
Tu tamen emineas cunctis, Falconia, per quam
Hortanum priſca relligione viget.
Cypridis inſanos aliae cecinere furores,
Et damnata orco numina falſa Deûm:
Tu rerum artificem canis, auctoremque ſalutis,
Quaeque vetus ſcribit pagina, quaeque noua.

Scripſit etiam IVSTVS FONTANINVS diſſertationem de Proba Falconia, *y*) qua demonſtrare conatur, teſtibus illam in rem citatis Ioh. Boccatio, Aldo Manutio Iun. Iulio Roſcio, et codice Falconiae manu exarato. *Horta* oriundam fuiſſe Probam, grauiterque erraſſe omnes, qui Romanam exiſtimarint, ac deceptos eſſe Aniciae Faltoniae Probae nomine, a Falconia plane diuerſae. Mihi autem vero valde videtur ſimile, vt BARONIO quoque, *z*) anonymo veteri, *a*) VOSSIO, *b*) MIRAEO, *c*) FABRICIO, *d*) MEIBOMIO, *e*) multis aliis viſum, illuſtriſſimae feminae verum nomen eſſe ANICIAE FALTONIAE PROBAE: quae conſulis filia, conſulum mater, conſulis item dilectiſſima coniux. Memoria matronae

y) Quam prodire voluit lib. 2. operis eruditiſſimi de antiquitatibus Hortae Coloniae Etruſcorum *Romae* 1708. 4.

z) Annal. an. 395. c. 1. et 2. *a*) Magna biblioth. patrum Colon. tom. 4. p. 1061. *b*) De poetis Latinis p. 60. *c*) Ad Iſidori de ſcript. eccleſ. c. 5. *d*) Bibliotheca Lat. vol. 1. p. 230. *e*) Schol. ad Probae Falconiae Hortinae Virgilio centones.

matronae longe omnium feliciſſimae ſeruatur tribus antiquitatis non contemnendae monumentis. Prima Romae in aedibus Caeſiorum his fuerat concepta verbis: *f*)

ANICIAE. FALTONIAE
PROBAE. AMNIOS. PINCIOS
ANICIOSQVE. DECORANTI
CONSVLIS. VXORI
CONSVLIS. FILIAE
CONSVLVM. MATRI
ANICIVS. PROBINVS. VC.
CONSVL. ORDINARIVS
ET. ANICIVS. PROBVS. VC.
QVAESTOR. CANDIDATVS
FILII. DEVINCTI
MATERNIS. MERITIS
DEDICAVERVNT.

In eadem Caeſia domo. ANICIAE. FALTONIAE. PROBAE. FIDEI. NOBILITATIS. ANTIQVAE. ORNAMENTO. ANICIANAE. FAMILIAE. SERVANDAE. ET. DOCENDAE. CASTITATIS. EXEMPLO. CONSVLVM. PROLI. CONSVLVM. MATRI. ANICIVS. HERMOGENIANVS. OLYBRIVS. V. C. CONSVL. ORDINARIVS. ET. ANICIA. IVLIANA. C. F. EIVS. DEVOTISSIMI. FILII. DEDICARVNT. Tertia itidem Romae extitit in aede Vallen.

ANICIAE. FALTONIAE
INLVSTRISSIMAE. ET
SANCTISSIMAE.
CASTISSIMAE. FEMINAE
HERMOGENIANVS. OLYBRIVS
V. C. CONSVL. ORDINARIVS.
ET. ANICIA. IVLIANA. CF.
D. D.

Haec

f) Vid. GVIL. FLEETWOOD inſcriptionum antiquarum ſylloge p. 152.

Digitized by Google

Haec ergo Anicia Faltonia Proba, incomparabilis matrona, coniux fuit Olybrii illius Probi, qui praefectus vrbis ſub Valentiniano Caeſare floruit, ea quidem animi integritate, vt AMMIANVS MARCELLINVS *g*) eum appellauerit virum grauiſſimum et calumniarum inſectatorem. Probus ille fuit, qui, cum eſſet praefectus praetorio Aemiliam atque Liguriam prouincias D. Ambroſio delegauit. Conſulatum geſſit cum D. Magno Auſonio, ſub Gratiano Auguſto, anno ab v. c. MCXXXII. poſt Chriſtum natum CCCLXXIX. In faſtis Hermogenianus Olybrius vocatur: cuius procul dubio etiam fuit cognomen Probi. Eum vero cum patre Sexto Petronio Probo confundunt BARONIVS *h*) et anonymus, qui Falconiae vitam ſcripſit. *i*) Fuerat is quoque proconſul Africae, praefectus praetorio, et conſul factus eſt ordinarius cum Gratiano Auguſto, anno ab v. c. MCXXIV. poſt Chriſtum natum CCCLXXI. Et laudatur ab AVSONIO *k*)

Stirpis nouator Amniae
Paribusque comit infulis
Aniciorum ſtemmata.
Probum loquor, ſcis optime:
Quem nemo fando dixerit,
Qui non prius laudauerit.

Nec facile quisquam negauerit, ex Anicio Probos atque Olybrios accepiſſe genus: quod tantae auctoritatis fuit Romae, vt teſte etiam HIERONYMO, *l*) ex ea Aniciorum familia

g) Hiſt. l. 28. *h*) An. 395. c. 1. ſeq. *i*) Biblioth. patrum tom. 4. p. 1061. *k*) Epiſt. 16. carmine ad libium, vt eat ad Probum. *l*) Epiſt. ad Demetriada puellam, Olybrii ex Tyrannia Iuliana coniuge filiam part. 3. tr. 5. epiſt. 17. edit. Baſil. 1497. *Si licet nunc mihi, Proborum et Olybriorum clara repetenda ſunt nomina, et illuſtris Anicii ſanguinis*

familia aut nullus, aut rarus fuerit, qui non meruerit conſulatum. Ita CLAVDIANVS: *m*)

His neque per dubium pendet Fortuna fauorem,
Nec nouit mutare vices; ſed fixus in omnes
Cognatos procedit honos. Quemcunque requires
Hac de ſtirpe virum, certum eſt de conſule naſci.
Per faſces numerantur aui, ſemperque renata
Nobilitate virent, et prolem fata ſequuntur.

Addit CASSIODORVS, eam familiam vere nobilem fuiſſe dictam, quando ab ea actionis probitas non receſſit. Datum quoque, CLAVDIANO *n*) teſte, huic familiae a ſenatu priuilegium dicendae primo loco ſententiae. Cum primis Anicius, forſan ipſius Conſtantini M. imperatoris temporibus, relicta ſuperſtitione pagana, Chriſti Seruatoris amplexus eſt ſacra, et ſui ordinis multos pietate et iuſtitia ſuperauit. Inde PRVDENTIVS: *o*)

Exultare patres videas, pulcherrima mundi
Lumina; conciliumque ſenum geſtire Catonum
Candidiore toga, niueum pietatis amictum
Sumere, et exuuias deponere pontificales.
Iamque ruit, paucis Tarpeia in rupe relictis,
Ad ſincera virum penetralia Nazareorum,
Atque ad Apoſtolicos Euandria curia fontes,
Anniadum ſoboles, et pignora clara Proborum.
Fertur enim ante alios generoſus Anicius vrbis
Illuſtraſſe caput. — —

Ex Hermogeniano Olybrio Probo Conſulāri viro Anicia Faltonia

genus: in quo aut nullus, aut rarus erit, qui non meruerit conſulatum. Aut proferendus Olybrius virginis noſtrae pater, quem immatura morte ſubtractum Roma congemuit.

m) In Probini et Olybrii fratrum conſulatum init. *n*) Loc. cit. *o*) Contra Symmachum libro prioti v. 546. ſeqq.

Digitized by Google

Faltonia Proba noſtra tres ſuſcepit filios Sextum Anicium Petronium Hermogenianum Olybrium, Sextum Anicium Probinum, et Sextum Anicium Probum: qui ſinguli ad conſularem dignitatem prouecti ſunt; ita tamen, vt Olybrius et Probinus, inuſitato plane exemplo, magiſtratum gererent ſimul, et puerili quidem aetate, anno ab V. C. MCXLVIII. poſt Chriſtum natum CCCXCV. Extat in fratrum iſtorum Probini et Olybrii conſulatum elegans CLAVDIANI poetae panegyris. *p*) Tertius filius Probus cum Arcadio Auguſto conſul fuit ordinarius anno ab V. C. MCLIX. poſt Chriſtum natum CCCCVI. Olybrio conſuli Faltoniae Probae noſtrae et Olybrii Probi conſulis filio nupſit Iuliana, pia et nobilis femina: ex quo matrimonio nata eſt Demetrias, Chriſto deuota puella: ad quam D. HIERONYMVS ſcripſit: *q*) *Proba illa, omnium dignitatum et cunctae nobilitatis in orbe Rom. nomen illuſtrius: cuius ſanctitas, et in vniuerſos effuſa bonitas, etiam apud barbaros venerabilis fuit: quam trium liberorum, Probini, Olybrii, et Probi non defatigarunt ordinarii conſulatus.* Extat etiam D. AVGVSTINI *r*) ad eam exarata epiſtola. Neque CLAVDIANVS *s*) virtutem feminae ſatis praedicare potuit.

— — *Credas*, inquit, *ex aethere lapſum*
Stare pudicitiam, vel ſacro ture vocatam
Iunonem Inachiis oculos aduertere templis.
Talem nulla refert antiquis pagina libris,
Nec Latiae cecinere tubae, nec Graeca vetuſtas:
Coniuge digna Probo: nam tantum coetibus exſtat
Femineis, quantum ſupereminet ille maritos:
Ceu ſibi certantes, ſexus quid poſſit vterque,
Hunc legere torum. — — — — Sunt,

p) Confer. SYMMACHI lib. 5. epiſt. 64. 66. 67. 68. 69.
q) Part. 3. tract. 5. epiſt. 17. edit. Baſil. 1497.
r) Epiſt. 179. *s*) De Probini et Olybrii conſulatu.

Sunt, qui ex PROCOPIO nobis perſuadere conantur, *t*) huius Probae opera Romam in Gothorum poteſtatem veniſſe anno ab eius fundatione MCLXIV. poſt Chriſtum natum CCCCX. Quum enim Alaricus, Gothorum Rex, biennio ciuitatem graui obſidione cingeret, ac boni ciues intra muros cum fame ac morbis colluctarentur: lugubre ſpectaculum miſerata Proba Gothis portam aperuiſſe dicitur, ſalubrius rata ciuibus eſſe, vrbem eneruatam penitus atque exhauſtam victricibus tradi hoſtium armis, quam obſtinata rebellione, ſumma rerum penuria et peſte omnes incolas interire. Vndenam vero mulieri vetulae tanta poteſtas? Vel ſi cum aliis conſpiraſſe dicatur: omnibus probata illius obſtat virtus: quae interire profecto maluiſſet cum ceteris, quam inſigni perfidia, ad maiorem calamitatem certamque necem, barbaris ſaeuientibus tradere ſatis adhuc miſere afflictam patriam. Sibi ſaltem perfida ſuisque opibus proſpexiſſet, ac opimum proditionis accepiſſet praemium. Conſtat vero Probam Faltoniam noſtram cum ſuis paſſam eſſe longe maximam bonorum iacturam, et vix truculentis hoſtium temulentorum manibus euaſiſſe. Patuit autem ad fugam Africa: quo ſemet Proba eiusque nurus Iuliana, viduae ambae, et Demetrias, Iulianae filia, virgo ſe receperunt: poſtquam a Gothis primum tentae, et quod Chriſto ſe profiterentur eſſe deuotas, dimiſſae fuerunt. Sua vero etiam miſeras in Africam fuit comitata calamitas. Heraclianus comes, qui, ſub ſpecie tutandi aduerſus barbaros imperii, Africae arripuit tyrannidem: et cum in alios omnes ſaeuiſſimas exercuit rapinas et crudelitates, tum Roma cum ſuis venientem Probam

t) IOH. BAPT. EGNAT. pr. Rom. l. 1. THOM. DE SIMEONIBVS differt. de duabus Probis, in cuius calce cento ipſe exhibetur, *Bononiae* 1692. 4.

Digitized by Google

bam non, niſi magno perſoluto pretio, Carthagine habitare permiſit. *v*) Sufficit D. HIERONYMI teſtimonium, qui epiſtola ad Demetriadem priori, *x*) ſuadens virginitatem puellae, *Proba*, inquit, *illa* (Demetriadis auia) *omnium dignitatum et cunctae nobilitatis in orbe Romano nomen illuſtrius --- quam trium liberorum, Probini, Olybrii, et Probi non fatigarunt ordinarii conſulatus, et incenſis direptisque domibus in vrbe captiuitas: nunc habitas venundare dicitur poſſeſſiones, et facere ſibi amicos de iniquo mammona, qui ſe recipiant in aeterna tabernacula. Vt erubeſcat omnis eccleſiaſtici miniſterii gradus, et caſſa nomina monachorum emere praedia, tanta nobilitate vendente. Vix barbarorum effugerat manus, et auulſas de complexu ſuo virgines fleuerat; cum ſubito intolerabili, et quod nunquam timuerat, amantiſſimi filii y) orbitate percutitur: et quaſi futura virginis Chriſti auia, ſpe futurorum, mortiferum vulnus excepit.* Quam dura barbaros inter, Romam occupantes, illuſtris familiae fuerit captiuitas, et quam inter manus truculentas hoſtium ſancta periclitauerit feminarum caſtitas: paulo ſuperius Demetriadis ſermocinatione expoſuerat: *neſcis, mitera, neſcis, cui virginitatem tuam debeas: dum inter barbaras manus tremuiſti: auiae matrisque ſinu et palliis tegebaris. Vidiſti te captiuam, et pudicitiam tuam non tuae poteſtatis. Horruiſti truces hoſtium vultus: raptas virgines Dei gemitu tacito conſpexiſti. Vrbs tua, quondam orbis caput, Romani populi ſepulchrum eſt: et tu in Lybico litore exulem virum exul ipſa accipies.* etc. Quam liberaliter autem profugae in Africa

v) Confer. BARONIVS atque SPONDANVS annal. 410. cap. 4. et 7.

x) Part. 3. tract. 5. epiſt. 17. edit. Baſil. 1497.

y) Olybrii, qui Demetriadis fuit pater: cuius etiam ſupra non ſine laude maxima mentionem fecerat.

Africa ab Romano praefide fuerint exceptae, indicat sequentibus: *Quae* Proba *de medio mari funantem viderat patriam: et fragili cymbae salutem suam suorumque commiserat; crudeliora inuenit Africae litora. Excipitur enim ab eo, quem nescias vtrum auarior an crudelior fuerit: cui nihil dulce praeter vinum et pretium: et qui sub occasione partium clementissimi principis saeuissimus omnium extitit tyrannorum.* In Africa videtur matrona post graue rei domesticae naufragium, quod vitae fuit reliquum, ad extremam vsque senectutem, cum nuru Iuliana, et Demetriade, Iulianae filia, et nepte sua, Christo deuota virgine, pietatis exercitio perpetuo, ac distributione facultatum suarum transegisse. Quamobrem D. HIERONYMVS literis suis, quibus Demetriadi virginitatem commendat, z) et quarum hactenus fide stetimus, auiae passim non sine honoris significatione mentionem facit. Initio literarum statim, *quod implere non possum*, inquit, *negare non audeo: tanta est auiae eius et matris, insignium feminarum, in iubendo auctoritas, in petendo fides, in extorquendo perseuerantia.* Paulo post de virginitatis voto innuit, quod Demetrias nihil ita fuerit metuens, quam auiam matremque offendere: quarum cum incitaretur exemplo, voluntate et studiis deterritam fuisse. Deinde: *Pretiosa monilia, et graues censibus vniones, ardentesque gemmae redduntur scrineis: vili tunica induitur: viliori tegitur pallio: et inspecta auiae genubus repente prouoluitur fletu: tanto moerore planctibusque quae esset ostendit. Obstupuit sancta et grauis femina, alienum habitum inepte conspiciens. Mater gaudio stabat attonita* etc. Alterius epistolae initio: a) *scribendum est ad Demetriadem, virginem Christi, virginem nobilem, virginem diuitem, et, quod his maius est, ardo-*

re

z) Part. 3. tract. 5. epist. 17. a) Part. 3. tr. 5. ep. 18.

re fidei nobilitatem diuitiasque calcantem. Quando Proba noſtra Faltonia viuendi fecerit finem, nuſquam memini memoriae proditum legiſſe. Hoc vero epitaphium GEORGIVS FABRICIVS *b*) deſcriptum poſteritati reliquit:

CONSIMILES. FRATRVM. TRABEIS. GESTAMINA. HONORVM.
TERTIA. QVAE. DEERANT. ADDIDIMVS TITVLIS.
DILECTAE. PROBVS. HAEC. PERSOLVO. MVNERA. MATRI.
RESTITVENS. STATVIS. PRAEMIA. QVAE. DEDERAT.

Noui quae in partem contrariam adducant. Sed omnia illorum argumenta mihi ne tanti quidem eſſe videntur. Pro auctoritate dicta reperies multa; pro ſufficiente ratione pauca, vel nihil. IVSTVS FONTANINVS, Foroiulienſis, *c*) id ſolum agit, vt verbis magnificis, et illuſtri antiquitatum apparatu, Hortinam faceret. Illud vero valde deſideramus, vt ad oculum omnia demonſtraret, ac vinceret ante, quam magnos viros, Baronium, Aldum Manutium Iuniorem, Simeonium, Voſſium, Barthium, Reineſium, Dupinium, aliosque in triumpho duceret captiuos. Haud difficulter ISIDORI *d*) in voce *Adelphii* proconſulis, pro *Olybrii*, deprehenditur error: quem poſtea reliqui omnes fuerunt ſecuti. Nec ſibi certe conſtant ſemper adeo, quin veritatis ſubobſcura nonnunquam veſtigia prodant. Ad calcem codicis MSti centonum, ſeculo X. exarati, qui extat in bibliotheca monaſterii S. Benedicti

b) Antiquitatis monumentis lib. 2. n. 26. *c*) De antiquitatibus Hortae, Coloniae Etruſcorum, libro 2. Confer. Acta Erudit. Lipſ. 1709. pag. 6. ſeq. Ille ſcilicet contendit, poetriam Falconiam Probam, ciuem Hortanam, diuerſam eſſe a Valeria Proba, vxore Adelphii proconſulis, nec minus ab Anicia Faltonia Proba. Eumque ſuo facile patimur abundare ingenio.
d) De ſcriptoribus eccleſiaſt. c. 5. Orig. l. 1. c. 38.

Digitized by Google

nedicti Padolironenſis, non procul a Mutina, teſte BERNHARDO DE MONTFAVCON, *e*) haec leguntur: *Proba, vxor Adelphi, mater* NB. *Olibrii et Aliepii, cum Conſtantii bellum aduerſus Magnentium conſcripſiſſet, conſcripſit et hunc librum.* Multa quidem REINESIVS de proconſule Adelphio in medium proferre ſtuduit. Sed incerta ſunt pleraque, et ſi temporum velis inire rationem, prorſus falſa.

§. CI.

Quoquo ſe res habeat modo, Proba clariſſima femina *centonem* edidit *Virgilianum* et eo res notatu maxime dignas codicis vtriusque ſacri, i. e. veteris et noui teſtamenti expreſſit. Centones, parodiis haud abſimiles, ſenſum alium deducunt a priſtino verſuum ſenſu: quorum verſuum membra, hinc inde collecta, quum aſſuantur, rapſodiae nomen repraeſentant: atque idcirco centones appellati ſunt a centonibus, quibus ſtragula fiunt. *f*) Tale Auſonii quoque poema valde ingenioſum et lepidum habemus, ex fruſtis Virgilianis coagmentatum. Noſtra vero, quae in numerato habuit omnes Virgilii verſus, argumento longe omnium difficillimo, iſtos ad obſequium fidei perpulchre et eleganter retorquere potuit. Inſcripſit opuſculum Honorio imperatori. Ab aliis vero etiam haec ſiue praefatio, ſiue dedicatio, tribuitur Caelio Sedulio, cuius operibus vt plurimum praemitti ſolet. Occurrunt vero in ea, quae cum Sedulii carmine haud quaquam conueniunt. Eamque Iulius Roſcius tandem optimo iure huic Probae centoni vindicauit. Et hoc ſuum carmen, viuente marito, ſcripſiſſe, ex illius fine intelligimus, vbi,

cele-

e) Diario Italico p. 36. Confer. FABRICIVS biblioth. mediae et infimae Latin. l. 6. p. 439. *f*) Vid. SCALIGER poetices l. 1. c. 43. p. 116. Pluribus conſulatur HENR. STEPHANVS centonum et parodiarum exemplis p. 2. ſeqq.

Digitized by Google

--- *celebrate*, ſcribit, *fauentes*
Hunc ſocii morem ſacrorum: hunc ipſe teneto,
O dulcis coniunx, et, ſi pietate meremur,
Hac caſti maneant in relligione nepotes.

Scripſiſſe et alia, ex prooemio patet: et ſigillatim bellorum ciuilium a ſe deſcriptorum meminit. Eorum vero hodie nihil extat. Sunt, qui Homerocentonem etiam illi tribuere velint: id quod nullo modo probari poteſt. Eudoxia vero ſcripſiſſe videtur. Cento Virgilianus Probae Falconiae eſt.

§. CII.

Nec ſua laude caret. Feminam ISIDORVS *g*) inter viros eccleſiaſticos poſuit ſolam, quod in laude Chriſti verſata centonem iſtum compoſuerit: nec tam eius ſtudium miratur, quam ingenium laudat. Alibi *h*) centonem affirmat illum ex Virgilio de fabrica mundi et euangeliis pleniſſime expreſſiſſe: materia ſecundum verſus compoſita, et verſibus ſecundum materiam concinnatis. *i*) IOH. TRITHEMIVS *k*) mulierem vocat elegantiſſimam, feminam in ſecularibus literis eruditiſſimam, et diuinarum ſcripturarum non ignaram, mirabili ſtudio feruentem, ſexum viciſſe eruditione, Graecis ac Latinis literis ad perfectum inſtructam, metroque excellentem et proſa: quum Virgilium mente teneret ad verbum, cogitaſſe ex illius verſibus vetus et nouum teſtamentum deſcribere, et, quaſi ſic ille ſenſiſſet, ſuis carminibus demonſtrare. Aggreſſam fortiter opus mente repoſitum, omnes Virgilii libros ſolicite percurrentem, nunc iſtum, nunc illum verſum, aliquando dimidium, non nunquam particulas minores verſuum aſſumentem,

g) De ſcript. eccleſ. c. 5. *h*) Orig. l. 1, c. 38. *i*) Ita quoque SIGEBERTVS Gemblacenſis de ſcriptor. eccleſ. c. 52.
k) De ſcript. eccleſ. cap. 152.

tem, mirabili induſtria, ſeruata vbique menſura pedum, catholica volumina poetae carminibus deſcripſiſſe. Neſcio quo auctore BAPTISTA CAMPOFVLGOSVS *l*) Probam dixerit iuuenem Romanam, et IOH. RAVISIVS *m*) Romanam puellam. Illud fatis ſuperque patet, Graecis atque Latinis literis eruditiſſimam fuiſſe, et memorandum nobis reliquiſſe ex verſibus Virgilianis opus nobiliſſimum: quod certe miro artificio eſt concinnatum. Duumuirum Stephani et Sixti elogia merentur integra legi. HENRICVS STEPHANVS: *n*) *quaecunque*, ait, *fuerit denique haec Proba (de qua, quod ad ſacrum Muſis certamen attinet, dici potuit, audetque viris concurrere virgo) magna laude dignam eſſe dico, ſuoque nomine non indignam feminam fuiſſe arbitror. Atque adeo, ſi poſtea, tot annorum ſpatio, nullus vir huius feminae in hoc genere laboris ſimul et argumenti aemulus inuentus eſt, id certe gloriam eius apud nos augere multum debet. Niſi forte nulli in hanc arenam deſcendere voluerunt, ne hanc ex illo ipſo Virgilio ſumtam parodiam (aut ei ſimilem) audirent:*

Egregiam vero laudem, et ſpolia ampla refertis,
Vna viri ingenio ſi tandem femina victa eſt.

SIXTVS SENENSIS: *o*) *Proba Falconia, illuſtris femina, Adelphi Romani proconſulis vxor, rari et elegantis ingenii matrona, Graece et Latine ad ſummum erudita, diuinarum literarum amantiſſima, et quaſi altera Chriſtianorum Latina Sapho, prima omnium excogitauit ex verſibus Virgilii, quem totum memoria tenebat, varios vtriusque teſtamenti locos metrice deſcribere.* etc.

§. CIII.

Quamuis pium fuerit feminae inſtitutum: hoc opus tamen

l) Exemplor. l. 7. c. 3. *m*) In officina. *n*) Centonum et parodiarum exemplis pag. 95. *o*) Bibliothecae ſanctae l. 4. pag. 368.

Digitized by Goos

tamen inter apocrypha eccleſiae numeratur: *p*) quoniam Virgilius nunquam ad Chriſti honorem, vel ad religionem et diuina oracula verſiculos ſuos exiſtimauit referendos eſſe: et huius negotii non propria, ſed ficta Probae ſtudio, atque adeo aſſumta interpretatio fuit. *q*) Illius vero ne habita quidem ratione, vt STEPHANVS *r*) recte iudicat, Probae Faltoniae centones, vel propter argumentum, ſacros appellare licebit. Illuſtris profecto feminae labor, eo nomine centoni Auſoniano longe praeferendus eſt: imo ne quidem cum eo componendus eſſe videtur. In Auſonii opere dignitas carminis Virgiliani valde imminuitur, et verſus plerique ludibrio exponuntur. In ſacro autem Probae inſtituto tantum abeſt, vt dignitatis aut maieſtatis aliquid verſibus decedat: vt maior illis gratia et ſuauitas concilietur, et ſacri quodammodo ex auguſtis reddantur. In concinnando opuſculo tam lepido et laborioſo, pio certe, Proba ſibi paulo magis indulſit, quam Auſonius, qui argumento profano idem ſcribendi genus ſectatur. Sed illa tanto maiorem meretur veniam: quod materiae difficultati et varietati hiſtoriarum aliquid tribuendum fuit.

§. CIV.

Probae cento Virgilianus primum prodiit *Venetiis* 1472. fol. hoc titulo: Auſonii Peonii poetae diſertiſſimi epigrammaton libri. Probae Centonae, clariſſimae feminae, excerptum e Maronis carminibus, ad teſtimonium veteris nouique teſtamenti. Ouidii conſolatio ad Liuiam. Calphurnii bucolicum carmen. Publ. Greg. Tiferni hymni

p) GELASII decreto diſt. 15. *ſancta Romana*. c. 3. *Centimetrum de Chriſto, Virgilianis compaginatum verſibus, apocryphum.*

q) TRITHEMIVS de ſcript. eccleſ. c. 152. *r*) Centonum et parodiarum exemplis p. 60. et 69.

et alia poemata. *Romae* 1481. 4. *Antuerpiae* 1489. per Gerhardum Leonis. *Brixiae* 1496. 8. *Venetiis* 1501. 4. apud Aldum vna cum Sulpicio Seuero, Homerocentonibus, Iuuenco etc. *Dauentriae* 1505. 4. *Parisiis* 1509. 4. apud Iohannem Petitum. 1543. 8. apud Franciscum Stephanum. 1578. 12. apud Henricum Stephanum, cum Homericis centonibus, et Nonni paraphrasi euangelii Iohannis. Idem Stephanus multa sigillatim egregie illustrat centonum et parodiarum exemplis, quae edidit. *s*) *Lugduni* 1516. 8. cum Mantuano et aliis, per Stephanum de Basignana Gorgonum. *t*) *Oppenheimii* 1517. *Francofurti* 1541. 8. curante Petro Brubachio, vna cum Homero centonibus et Nonno. *Romae* 1588. 12. curante Iulio Roscio, qui ex codicibus Vaticanis et Hortano castigauit, praefationem Probae restituit, quam Sedulio alii perperam tribuerant. *Helmstadii* 4. *v*) non constat quo anno, quod libri titulus nullum praescriptum habet. Titulus vero hic est: *Probae Falconiae Foeminae CL. cento Virgilianus, post editiones clarissimorum virorum, Aldi Manutii Itali, Pet. Brubachii Germani, Henr. Stephani Galli, Iulii Roscii Itali, et Ioh. Plateani Haedui, relectus et emendatus ab Henrico Meibomio Lemgouiensi.* Addidit Meibomius scholia ad Falconiam, et subiecit illi Ausonii centonem nuptialem, Laelii Capilupi centouirgilianos, et a se compositos e Virgilio centones plurimos. *Coloniae* 1601. 8. 1618. fol. magnabibliotheca patrum tomo 4. pag. 1061. seqq. *Bononiae* 1692. 4. in calce dissertationis, quam de duabus Probis

s) Parisiis 1575. 8. *t*) Titulus sic se habet: *Probae Centonae vatis clarissimae a D. Hieronymo comprobatae de fidei nostrae mysteriis e Maronis carminibus excerptum opusculum.*

v) FABRICIVS bibliorh. mediae et infimae Lat. lib. 6. p. 442. editionis annum notat 1597.

Digitized by Google

bis Thomas de Simeonibus edidit. *Halae Magdeburgicae* 1719. 8. recenſuit notulisque ac indice inſtruxit Ioh. Henricus Kromayerus. Hoc vero in primis praeſtitit, vt ſignaret accurate ad ſingulos verſus Virgilii et libros et verſus, quibus centones illi conſtant.

§. CV.

EVDOXIAE hic mentionem ideo facere debemus, quod Latinis pariter atque Graecis carminibus ſuo tempore dicitur inclaruiſſe: adeo quidem, vt, fruſtra licet, ab aliquibus illi etiam cento Virgilianus tribuatur, quem a Proba Falconia ſcriptum eſſe, modo vidimus. Felix poetria, Theodoſii II. imperatoris coniux, Athenais ante fuit dicta: formae et ingenii incomparabilis filia Leontii, ſophiſtae, aut philoſophi Athenienſis. Doctus pater filiam, quae ab incunabulis raram parentibus excitauerat cum beneuolentiam, tum exſpectationem, omnibus diſciplinis, non ſine ſucceſſu, erudiuit. Cum forma praeſtaret, ac omnes philoſophiae partes in numerato haberet: ab Leontio patre exheredata eſt qui paulo antequam e vita diſcederet, heredibus inſtitutis vtroque filio Aetio et Valerio, ſcripſit in teſtamenti tabulis: deſideratiſſimae filiae meae dari volo centum nummos tantum: ſufficit enim illi forma et eruditio, quibus vniuerſum ſexum ſuum antecellit: ratus opimi inſtar illi futuram eſſe patrimonii fortunam et gratiam, quam ex doctrina haberet. Quod et contigit. Puella ſubtriſtis et abiecta, cum ex teſtamento praeter aeris tantillum a fratribus nihil obtinere poſſet: Conſtantinopolin proficiſcitur: atque de iniuria inſigni fratrum conqueſtura venit ad Pulceriam, Theodoſii II. imperatoris ſororem. Haec miſerae puellae admiratur cum animi dotes, tum corporis praeſtantiam, ſibi adoptat filiam, dexteritatem atque ingenium probat in dies magis, tandemque

rogat

Digitized by Google

rogat fratrem, Theodosium imperatorem, vt tam excellentis formae et eruditionis virginem in matrimonium duceret. Hic Athenaidis captus amore, totam amplectitur, et illi persuasit, vt ab Attico episcopo Constantinopolitano probe instituta fonte Christiano tingeretur, atque nuberet sibi. Tunc Εὐδοκία nominata fuit, quia licet humili esset loco nata, ob eximias tamen corporis et animi dotes ita placuisset imperatori, vt eam sibi connubio iungere dignaretur. Hoc factum est cum et ipsa mulier, et imperator vicennes essent. Anno sequenti peperit Eudoxiam, quae postea imperatori Valentiniano III. nupsit. Vigesimo quarto aetatis anno renunciatur Augusta. Postquam felix per viginti annos atque laetum fuit matrimonium: bona Eudoxia XLIV. aetatis anno in Theodosii coniugis Augusti indignationem incidit, deprehensa in mendacio ob μῆλον Ἔριδος, vt NICEPHORVS loquitur, i. e. malum Eridis, quod perperam vulgo *contentionis ouem* vertunt. Cum Eudoxia ob singularem pudicitiam formamque egregiam marito charissima esset: hic pomum sibi rarae magnitudinis oblatum, quod valde admirabatur, vxori mittit dono. Imperatrix pomum quoque admirata, istud aegrotanti mittit Paulino, status ministro et eruditissimo viro, eamque ob rem sibi charissimo et familiari. Paulinus, rerum plane ignarus, pomum, velut rem nouam, imperatori offert. Attonitus ille pomum tanto magis admiratur, agnoscit, occultat, vxorem, data occasione, rogat, vbinam, quod miserit, esset malum. Eudoxia tandem verita, ne suspicaretur maritus, quod iam suspicabatur, se comedisse respondet. Illo acrius vrgente, iureiurando affirmat, se comedisse. Imperator vero, ira percitus, pomum profert, ac suspicionem, coniuge in manifesto mendacio perfidiaque deprehensa, confirmari putat. Paulinus insons occiditur.

Eudoxia

Digitized by Google

Eudoxia longe acerbiſſimum ſentit odium: quae cum ſe inuiſam eſſe cerneret: Hieroſolymam abeundi facultatem petit. Quo cum magnis opibus onuſta veniſſet: templa aedificauit, eiusque loci monaſteriis pauperibus multa dedit. Imperator anno CCCCL. obit, zelotypia et aegritudine conſumtus. Eudoxia vero in Palaeſtina vitae finem fecit CCCCLIX. aetatis anno LIX. cum ante iuraſſet, ſe puram eſſe criminis a Paulino, et non ſine magna opinione ſanctitatis deceſſit, *x*) Hieroſolymis in S. Stephani templo ſepelienda. Quantum carmine valuerit, SOCRATES *y*) quoque docet, vbi diſertam ἰλλόγιμον vocat eam, atque teſtatur, a patre Leontio inſtitutam fuiſſe in omni literarum genere, et, cum maritus victoriam a rege Perſarum reportaſſet, poema feciſſe de ea heroico carmine. EX PHOTIO *z*) diſcimus, octoteuchum carmine heroico reliquiſſe: et ſimili artificio metricam condidiſſe μετάφρασιν Zachariae et Danielis prophetarum; tres item carmine libros in laudem B. Cypriani martyris. IOH. TRITHEMIVS *a*) auctor eſt, mulierem hanc in Chriſtiana religione deuotiſſimam, et tam in diuinis ſcripturis, quam in ſecularibus literis eruditiſſimam, et carmine ſimul atque proſa excellentem, ad imitationem Probae, quae, vt vidimus, centones Virgilianos edidit, Homeri carmina ad fidem Chriſtianam reflexiſſe, eaque Home-

x) Vid. SOCRATES hiſtoriae eccleſiaſt. tripartitae l. 11. c. 17. p. 575. hiſt. eccleſ. l. 7. c. 21. Auctor chronici paſchalis ad olymp. CCC. EVAGRIVS l. 1. c. 10. NICEPHORVS l. 14. ZONARAS l. 13. PHOTIVS in bibliotheca. MENAGIVS hiſt. mulier. philoſ. LEHMS Teutſchlands galante poetinnen. append. p. 16. ſeqq. SIXTVS SENENSIS biblioth. ſanctae l. 4. p. 282. ſeq. VOSSIVS de poetis Graecis p. 78. HENR. STEPHANVS centon. et parod. exemplis ſelectis et illuſtratis paſſim. *y*) Hiſt. eccleſ. l. 7. c. 22.

z) Cod. 183. ſeq. *a*) De ſcript. eccleſ. c. 153.

Homerocentonas inſcripſiſſe. Sic ſane non centones Virgilianos ipſos, ſed ad imitationem illorum ὁμηροκέντρα coniux imperatoris auguſta, eruditionis gloria inter omnes ſui ſeculi poetas excellens, conſcripſit, et verſuum ex Homero particulis, ingenio haud quaquam vulgari, et induſtria admirabili, plurimas veteris et noui foederis hiſtorias compilauit, ſeruata pedum menſura, et Homerici carminis maieſtate. *b*) Atqui etiam IOH. ZONARAS, Graecus auctor, memoriae prodidit Patricium presbyterum quendam, doctumque virum, opus iſtud primum collegiſſe, ſed imperfectum ac indigeſtum reliquiſſe: Eudociam vero tandem abſoluiſſe, et in ordinem redegiſſe. Procul dubio ante Probam Eudociamque fuerunt, qui ex vtroque poetarum principe centones colligere inſtituerunt. *c*) Neque mihi perſuadere poſſum, vel Probae Virgilii, vel Eudoxiae Homeri centones ab HIERONYMO *d*) notari, vbi, *quidam*, inquit, *non dignantur ſcire, quid prophetae, quid apoſtoli ſenſerint: ſed ad ſenſum ſuum incongrua aptant teſtimonia: quaſi grande ſit, et non vitioſiſſimum docendi genus, deprauare ſententias, et ad voluptatem ſuam ſcripturam trahere repugnantem: quaſi non legerimus Homerocentones et Virgiliocentones, ac non ſic etiam Maronem ſine Chriſto poſſimus dicere Chriſtianum, quia ſcripſerit: iam redit et virgo, redeunt Saturnia regna.* Homerici et Virgiliani

b) HENR. STEPHANVS ad Cratonem praefat. editionis Pariſ. 1578. 12. *nihil*, inquit, *iucundius eſſe poteſt, quam illius poetae verſus tam ingenioſe ex ſua ſede in aliam multo honorificentiorem translatos videre, plerumque abſque vlla, interdum eum leui mutatione.* *c*) Nam et Pomponius quidam poeta ex Virgilio Tityrum in honorem Chriſti compoſuit, librosque Aeneidos. vid. SIGEBERTVS Gemblacenſis de ſcript. eccleſ. c. 58.
d) Ad Paulinum epiſt. 1. tom. 3.

Digitized by Google

giliani centones vtplurimum ſimul edi conſueuerunt: et aliquando Probae, vel Eudociae, tribuuntur omnes. Haec de Poetis annotaſſe ſufficiat. Latinos iam lubet perluſtrare grammaticos.

CAPVT IV.

De Grammaticis vegeta Latinae linguae ſenectute illuſtrioribus.

§. 1.

Barbariem imminentem pro viribus impediuerunt Grammatici. 2. Eorum dignitas. 3. Ab imperatoribus immunitate aliisque beneficiis ornata. 4. M. Antonini Philoſophi ab ineunte aetate magiſtri laudantur. 5. Auli Gellii vita. 6. Scripta. 7. Laudes. 8. Vitia. 9. Eruditio. 10. Stilus. 11. Verba inſolentia. 12. Editiones ſeculi poſt Chriſtum natum decimi quinti. 13. Decimi ſexti. 14. Decimi ſeptimi. 15. Duodeuiceſimi recenſentur. 16. Alexandri Seueri literatores. 17. Cenſorinus. 18. Rhemnius Fannius. 19. Marius Victorinus. 20. Aelii Donati vita. 21. Grammatica varia. 22. Terentii interpretatio. 23. In Virgilium annotationes. 24. Scripta ſuppoſita. 25. Merita recenſentur. 26. Aurelius Auguſtinus. 27. Macrobii vita. 28. Scripta. 29. Laudes. 30. Plagium. 31. Stilus. 32. Editiones ſeculi poſt Chriſtum natum decimi quinti. 33. Decimi ſexti. 34. Decimi ſeptimi. 35. Duodeuiceſimi recenſentur.

§. I.

Crux et labor fuit bonis grammaticis ſui ſeculi ingraueſcens barbaries, qui nec ſibimet ipſis a tot tantisque ſermonis Latini vitiis recte ſatis ſemper cauere potuerunt. In dies magis obſeruabant, quae iam veteribus adeo commendatis,

mendatis, adeo ſua ſe elegantia et virtute probantibus ſuccederet aetas incomta dictione horreſcens, faſtidioque et incuria hominum infeliciter mutata. Deplorabant, ab Hadriani temporibus ad Honorium vſque et captam a barbaris vrbem Romam, ad euertendam Latinam linguam alias ſuper aliis calamitates cumulari, quoad concideret tandem decus atque integritas ſermonis Romani cum ipſius imperii maieſtate. Inclinantibus ſcilicet iam tum adeo venerandae vrbis rebus, inclinauit ſimul Latina lingua in barbaram peregrinitatem. Sedebant raro ad imperii clauum principes docti et boni, atque adeo priſci ſplendoris ſeduli cuſtodes: ſub quorum felici moderamine olim caſtitas et gloria linguae ad tantum faſtigium prouehi facillime potuit. Verus interiit dudum nitor: ac nullum plane ſuperfuit ornatus affectati et neglectae dignitatis decus. Principibus bonas artes aſpernantibus, eorundemque exempla imitante populo, veternus ciuitatem Latinam occupauit, vſque adeo, vt innumeris propemodum ſcoriis priſtinae linguae aurum foedari, et miſerandum in modum violari coeperit. Ad rationes enim temporum atque hominum ingenia vulgo ſermones infecti ſolent. Cum Afri, Pannonii, Thraces, Arabes, Dalmatae, et alii, rerum potirentur: ſuaeque gentis quisque homines rebus gerendis praeficeret: in aulam et forum, imo in omnes prouincias intruſa eſt hiſpida ſermonis peregrinitas, quae anguis inſtar vbique totam Latinam linguam peruaſit. Huic pro viribus, nec ſine ſucceſſu aliquando, grammatici obicem ponere ſtuduerunt: hoc ſibi negotium rati eſſe datum, vt ſartam tectam, quoad liceret, ſeruarent linguam ſuam, et priſtinam reuocarent ad vſum veteris Latii dignitatem. Sua etiam opera dici non poteſt quantum profecerint: dum ſtudioſam formarent iuuentutem:

bene

Digitized by Google

bene loquendi rationes traderent ac veterum conſuetudinem: linguam denique pro viribus emendarent ipſam: vt ſupra aeui indolem, et multorum inuidiam, hominum eruditiſſimorum accederet induſtria, quae ſenectutis ſuſtinuit vigorem, atque Muſas fugam meditantes Latinas tantiſper retardauit. Ad vanitatem vſque aliquando de rebus minimis fuerunt ſoliciti, et aliis docendo ſaepius tempore non ſatis oportuno moleſti. Cuiusmodi doctorem A. GELLIVS †) deſcribit, qui in aedium Palatinarum veſtibulo et confluxu hominum Fauorinum philoſophum, ſibi minime familiarem, vultus vocisque grauitate compoſita, tanquam interpres et arbiter Sibyllae oraculorum, allocutus eſt multisque demonſtrare inſtituit, penus variis generibus dictum. At cum nimis odioſe ſibi placeret: placide Fauorinus interceſſit: et *iam bone*, inquit, *magiſter, quicquid eſt nomen tibi, abunde multa docuiſti, quae quidem ignorabamus, et ſcire haud ſane poſtulabamus. Quid enim refert mea, eiusque quocum loquor, quo genere penum dicam: aut in quas extremas literas declinem, ſi nemo id non nimis barbare fecerit? ſed hoc plane indigeo addiſcere, quid ſit penus, et quo ſenſu id vocabulum dicatur*, etc.

§. II.

Iam ſeculis ſuperioribus aliquoties monuimus, non exiguam eſſe Grammaticorum gloriam, a quibus ſolidiora eruditionis fundamenta capimus. Hinc DIOMEDES: *a*) *artium genera ſunt plura, quarum grammatice ſola literalis eſt, ex qua rhetorice et poetice conſiſtunt. Idcirco literalis dicta,*

†) Noct. Attic. l. 4. c. 1.

a) De oratione, et partibus orationis et vario genere metrorum l. 2. apud PVTSCHIVM Grammaticae Latinae auctoribus antiquis p. 414. extr. Confer. FABIVS Inſtit. orat. l. 2, c. 14.

dicta, quod a literis incipiat. Nam et grammaticus Latine literatus eſt appellatus, et grammatica literatura, quae formam loquendi ad certam rationem dirigit. Diſciplina haec, quae et critica vocatur, per omnes artes, quaſi clauum tenet, et omnia ad rectam dicendi conſuetudinem dirigit. *b*) Et his temporibus illam veterem ſeruarunt literatos inter atque literatores differentiam. Γραμματικοὶ, ſiue *literati* poetarum aliorumue auctorum habebantur interpretes; γραμματιϛαὶ vero et *literatores*, qui primas pueros docebant literas. *c*) SVETONIVS: *d*) *appellatio grammaticorum Graeca conſuetudine inualuit: ſed initio literati vocabantur. Cornelius quoque Nepos in libello, quo diſtinguit literatum ab erudito, literatos quidem vulgo appellari ait eos, qui aliquid diligenter et acute ſcienterque poſſint aut dicere, aut ſcribere: ceterum proprie ſic appellandos poetarum interpretes, qui a Graecis γραμματικοὶ nominentur: eosdem literatores vocitatos, Meſſalla Coruinus etc. Sunt qui literatum a literatore diſtinguant, vt Graeci grammaticum a grammatiſta: et illum quidem abſolute, hunc mediocriter doctum exiſtiment.* Ita quoque APVLEIVS: *e*) *prima cratera literatoris, ruditatem eximit, ſecunda grammatici, doctrina inſtruit.* Literatores hac aetate *litteriones*, *f*) *magiſtri literarii*,

b) QVINTILIANVS l. 2. c. 1. *grammatice, quam in Latinum transferentes literaturam vocarunt, tenuis a fonte, aſſumtis poetarum hiſtoricorumque viribus, pleno iam ſatis alueo fluit: cum praeter rationem recte loquendi, non parum alioqui copioſam, prope omnium maximarum artium ſcientiam amplexa ſit.* *c*) SVIDAS in γραμματικὴ.

d) De illuſtribus grammaticis c. 4. Confer. IVL. CAPITOLINVS in M. Antonino Philoſopho c. 2. et LAMPRIDIVS in Alexandro Seuero c. 3. *e*) Floridis. Conferatur IOANN. A WOWER de polymathia c. 4. p. 27. ſeq. WALCHIVS hiſt. crit. Lat. linguae c. 4. §. 3. *f*) AMMIAN. MARCELLINVS l. 17. c. 22.

Digitized by

terarii, *g*) *primi magiſtri*, *h*) et *magiſtri ad prima elementa* *i*) vocabantur. Grammatica ergo in duas quaſi ſcholas diuiſa fuit, quarum altera rudior ac pene popularis, quae a poſteris dicta fuit grammatiſtica, et a Romanis literatio; *k*) altera perfectior, quae pertineret ad politiores, cuius nomen fuit grammatica, quam Romani etiam *literaturam* dixerunt. Hinc *ſtudium literarum*, quod profitentur ii, qui grammatici vocantur. Hos et *magiſtros* et *profeſſores* appellari ſolitos, veteres docent inſcriptiones, et illa apud SVETONIVM, *l*) qui Palaemonem, oſculum ſibi ingerentem in via, refugiens alloquitur: *vis tu, magiſter, quoties feſtinantem aliquem vides, alligurire.* Idem SVETONIVS *m*) de M. Valerio Probo, *nunquam*, inquit, *ita docuit, vt magiſtri perſonam ſuſtineret.* De Orbilio: *n*) *reliquit filium Orbilium, et ipſum grammaticum profeſſorem.* Et profeſſores appellati ſunt omnes, qui ſe magiſtros artium liberalium publice profitebantur, grammatici et rhetores: quod ſatis conſtat ex SVETONIO, qui memoriam illuſtrium grammaticorum proſecuturus, *o*) *clari*, inquit, *profeſſores, et de quibus prodi poſſit aliquid duntaxat a nobis, fere hi fuerunt* etc. Idem de claris rhetoribus *p*) acturus: *illuſtres profeſſores, et quorum memoria aliqua extet, non temere alii reperientur, quam de quibus tradam.* Ita AVSONII profeſſores Burdigalenſes, quos deſcripſit, omnes in ſingulis carminum argumentis, rhetores, oratores, aut grammatici vocantur. Sed differunt ab illis literatores, ſiue ludi magiſtri, de quibus VLPIANVS: *q*) *ludi literarii magiſtris,*

g) VOPISCVS in Tacito c. 6. *h*) AVGVSTINVS confeſſ. l. 3.
i) IVL. CAPITOLINVS in M. Antonino ph loſ. c. 2. *k*) VARRO apud ISIDORVM orig. l. 1. c. 3. *l*) De illuſtr. grammaticis c. 23. extr. *m*) Loc. cit. c. 24. *n*) Ibid. c. 9. *o*) Cap. 4. extr. *p*) Cap. 1. extr. *q*) §. 6. L. 1. D. de extraordinariis cognitionibus. l. 50. tit. 13.

magiſtris, licet non ſint profeſſores, tamen vſurpatum eſt, vt his quoque ius dicatur: iam et librariis, et notariis, et calculatoribus, ſiue tabulariis. Neque vacationem munerum habent, qua grammatici ſiue literarum profeſſores gaudebant. Nam et MODESTINO *r*) annotante, eos, qui primis literis pueros imbuunt, non habere vacationem, D. Magnus Antoninus Commodus reſcripſit.

§. III.

Grammaticos, ſeu oratores, decreto ordinis probatos, ſi non ſe vtiles ſtudentibus praebeant, denuo ab eodem ordine reprobari poſſe, imperator Gordianus reſcripſit. *s*) Vti vero longe maxima in omnibus, literarum praecipue ſtudioſis, eſt libertatis cupido, vt ſine ea etiam ipſis nulla videatur eſſe viuendi conditio: Conſtantinus Magnus imperator cum alios literarum profeſſores, tum grammaticos et legum doctores, vna cum vxoribus et filiis, rebusque ſuis, quas in ciuitatibus poſſident, ab omni functione, et ab omnibus muneribus, vel ciuilibus, vel publicis, immunes eſſe praecepit; neque in prouinciis hoſpites recipere; neque vllo fungi munere, neque ad iudicium deduci, vel iniuriam pati: vt, ſi quis eos vexarit, poena iudicis arbitraria plectatur. Illis etiam mercedes et ſalaria reddi iubet, quo facilius liberalibus ſtudiis et artibus multos inſtituant. *t*) Iam tum aliquot ante ſeculis D. Veſpaſianus et D. Hadrianus reſcripſerunt, *v*) magiſtris, qui ciuilium munerum vacationem habent, item grammaticis et oratoribus, et medicis, et philoſophis, ne hoſpitem reciperent, a principibus fuiſſe immunitatem indultam. Cum

r) §. vlt. L. 11. D. de muneribus et honoribus. l. 50. tit. 4.
s) L. 2. C. de profeſſoribus et medicis l. 10. tit. 52. *t*) L. 6. C. de profeſſoribus et medicis. *v*) §. 30. L. 18. D. de muneribus et honoribus. l. 50. tit. 4.

Digitized by Google

Cum recipiendi hoſpitis neceſſitate, liberalium artium profeſſoribus etiam angariorum *x*) praeſtatio remiſſa fuit. *y*)

§. IV.

M. Antoninus Philoſophus imperator, ab ineunte aetate, magnis praeceptoribus traditus magiſtris ad prima elementa vſus eſt EVPHORIONE literatore, et GEMINO comoedo: quibus, vt diſciplinarum auctoribus, plurimum detulit. Vſus praeterea eſt grammaticis quotidianis Latinis TROSIO APRO, et POLLIONE, et EVTYCHIO PROCVLO Siccenſi. *z*) Proculum vſque ad proconſulatum prouexit; oneribus in ſe receptis.

§. V.

Quae ad philologiam Romanam ſpectant, noctibus Atticis multa differit AVLVS GELLIVS, quem alii perperam *Agellium* vocant. *a*) Grammaticos inter quam maxime claruit Antonini Pii temporibus. Ad imperatoris Hadriani aetatem refertur a G. I. VOSSIO, *b*) vbi Feneſtellam notat de magiſtratibus Romanis libello mentionem facere non tantum Plinii, ſed Gellii quoque noſtri, qui Hadriani aeuo fuerit. Poſt Hadrianum vero ſcripſiſſe, vel inde patet,

x) *Angaria* ſunt equorum praeſtationes ad curſum publicum. Poſt-Pferde oder Vorſpanne. *y*) §. 2. Lib. 10. de vacatione et excuſatione munerum. l. 50. tit. 5. *z*) Vid. IVL. CAPITOLINVS in M. Antonino Philoſopho c. 2.

a) *Agellium* eſſe dicendum, IVSTVS LIPSIVS demonſtrat epiſtol. quaeſt. l. 5. epiſt. 8. SALMASIVS quoque in commentario inchoato MS. ad Arnobium. Pro *Gellio* militant LVPVS FERRARIENSIS ep. 1. et 4. BOECLERVS bibliogr. critica p. 458. LAMBECIVS in prodromo lucubrationum ad A. Gellium. Et FABRICIVS bibl. Lat. vol. 3. p. 1. ſeqq.

b) De hiſt. Lat. l. 1. c. 19. p. 101.

tet, quod imperatorem illum vocat diuum. *c*) Alia quoque passim habet, ad imperium Antoninorum referenda. Natione quidem videtur Romanus fuisse, ex illustri Gelliorum gente: quae iam tum libera inclaruerunt rep. Nam L. Gellius, vir censorius in senatu Ciceronem consulem corona ciuica donari e rep. censuit: quod eius opera Catilinae atrocissima coniuratio detecta et vindicata esset. *d*) Romae adolescentulus priusquam Athenas concederet, quoties ipsi erat a magistris scholisque obeundis otium Cornelii Frontonis institutione rhetorica vsus est, eiusque sermonibus purissimis ac eruditissimis ita captus: vt, quod ipse fatetur, *e*) eum non audiuerit loquentem, quin cultior atque doctior redierit. Etiam Romae tenerrima aetate, cum scholas frequentaret Grammaticorum audiuit Apollinarem Sulpicium, quem in primis sectabatur. *f*) Tum quoque, vt ipse testatur, *g*) magistro vsus est T. Castricio rhetore, qui vir summa auctoritate et grauitate, a diuo Hadriano in mores atque literas spectatus, Romae declamandi ac docendi principem locum habuit. Athenis Taurum philosophum, Stoicis inimicissimum, audiuit, atque cum aliis eius discipulis non modo habuit post quotidianas lectiones, quod vellet, quaerendi potestatem; verum etiam in itinere philosopho illi se comitem praebuit: *h*) et coena saepius ab illo praeceptore suo liberaliter acceptus est. *i*) Tunc temporis philosophum quoque Peregrinum, qui Proteus postea cognominatus est, virum grauem atque constantem, extra Athenas in tugurio quodam

c) Noct. Attic. l. 3. c. 16 l. 11. c 15. l. 13. c. 20. Confer. NORISIVS in cenotaphiis Pisanis pag. 464. *d*) A. GELLIVS noct. Attic l. 5. c. 6. *e*) Lib. 19. c. 8. init. *f*) A. GELLIVS l. 6. c. 6. l. 13. c. 16 l. 20. c. 6. init. *g*) Lib. 13. c. 20. init. *h*) Lib. 1. c. 26. et lib. 12. c. 5. *i*) Lib. 17. c. 8. init.

Digitized by Google

quodam diuerſantem, multa dicere vtiliter et honeſte audiuit. *k*) Romam redux adoleſcens a praetoribus in iudices lectus eſt: vt, a poetarum fabulis, et a rhetorum epilogis ad lites vocatus, iudicia ſuſciperet, quae priuata appellantur. Enimuero etiam tum percupidus diſcendi quam lubentiſſime ſuos audiuit magiſtros, atque inde a ſubſelliis properauit ad homines doctiſſimos, in primis ad Fauorinum philoſophum ſuum, quem Romae tunc temporis plurimum ſectabatur: *l*) adeo quidem vt cum illo totos plerumque eſſet dies, et quoquo iret, ambulantem proſequeretur. *m*) Cum Romae a conſulibus iudex extra ordinem datus pronunciare intra kalendas iuſſus eſſet, Apollinarem Sulpicium, doctorem ſuum, adiit percunctatum: ratus, iſtis, qui populo conſulerent, quam maxime opus eſſe conſilio. *n*) Primis M. Antonini Philoſophi annis mortuus eſſe creditur.

§. VI.

Extant eius *noctes Atticae*, ſeu vigiliae Atticae, xx. libris diſtinctae. Ita ſuas de rebus variis multa eruditione refertas lucubrationes inſcripſit: quod longinquis, vt ipſe loquitur, *o*) per hyemem noctibus, in agro terrae Atticae commentationes haſce ludere ac facere exorſus fuit. Capita rerum, quae cuique libro ſeu commentario inſunt, ipſe expoſuit, et noctibus Atticis addidit vniuerſa: vt ſtatim declaretur, quid quoque in libro quaeri ac inueniri

k) Lib. 12. c. 11. *l*) Lib. 14. c. 2. *m*) Lib. 16. c. 3.
n) Lib. 12. c. 13. *o*) Lib. 20. c. 11. Aut operis praefatione potius, quae ſuo loco mota, et poſtliminio reſtituta, in Olſchiana et Gronouianis Gellii editionibus, non in fine, ſed initio commentariorum apparet: vbi multis conſilium, qua occaſione et quo ordine commentationes hae fuerint ſcriptae exponit.

possit. Attamen argumenta, quae hodie habemus, ambigunt multi, num ipsius sint Gellii, an Auieni potius, qui in codice quodam manuscripto Gellium recensuisse dicitur. Ita HENR. STEPHANVS noctibus Parisinis Atticis Auli Gellii vigiliis inuigilatis, de titulis capitum a quopiam pseudogellio imperite scriptis, ac de illorum reformatione agit. Sed merito IACOBVS GRONOVIVS *p*) a Stephani sententia recedit. Pauca initio libri sexti desiderantur. Totus vero liber octauus, XV. capitibus distinctus, temporum iniuria periit, cuius argumenta ad nos tantum peruenerunt.

§. VII.

Gellium alii iusto nimis euehunt. Et VAVASSOR *q*) aequo non potuit ferre animo, illum a Scioppio ad ferream aetatem ablegari: cum, ipso teste *r*) post Diui Hadriani tempora vixerit. LIPSIVS eum quoque Latinitatis optimae auctorem vocat. *s*) SALMASIVS, *Antoninorum*, inquit, *aeuo Agellius politissime et elegantissime scripsit, et prorsus ἀρχαϊκὸν dicendi modum imitatus est.* *t*) BORCLERVS: *v*) *Auli Gellii liber est aureus, ornatus erudito et ingenioso excogitato titulo noctium Atticarum, quia in eo de varia eruditione tractat. Neque quisquam negauerit, aureum esse scriptum, cuius auctoritate perpetuo nituntur restauratores antiquitatis, Onuphrius Panuinius, Sigonius etc. Stilus eius est optimus, neque ob antiquorum vsum vocabulorum definit esse Latinissimus.*

§. VIII.

p) Ad Gellium pag. 12. et 743. Pl. conferatur FABRICIVS biblioth. Lat. volum. 3. pag. 3. seq. *q*) De ludicra dictione pag. 170.
r) Noct. Attic. l. 11. c. 15. l. 13. c. 20. init. et l. 3. c. 16.
s) Apud MORHOFIVM polyhist. liter. l. 4. c. 14. §. 2.
t) De Hellenistica pag. 37. *v*) Bibliographia critica pag. 458. et IV. seculorum historia p. 159.

Digitized by Google

§. VIII.

Alii immerito Gellium nimis vitiorum arguunt, eiusque operam vſque quaque contemnunt. Ita LVDOVICVS VIVES *x*) eum vocat hominem rhapſodum plane, congeſtorem potius, quam digeſtorem, et oſtentatorem, quam peritum, loquaculum ſine eruditione, in verbis ac ſententiis putidulum: legendum quidem, ſed ita, vt te rem leuem inſpicere ſcias. Quae de ſignificatu vocum diſſeruerit, friuola eſſe, et plerumque imperita ac falſa. Contra quam Viuis iniquam cenſuram HENRICVS STEPHANVS *y*) apologiam ſcripſit, quae vtplurimum Gellii editionibus annectitur. Hinc et IOS. SCALIGER, *z*) Viuem, ait, malo animo de Gellio iudicaſſe: at mirari ſatis non poſſum, quod addat, *ſed tamen bene*. *a*) At IVSTVS LIPSIVS quam maxime oblitus ſui, cum in electis paſſim Agellium ſuum commendarit, emendarit, ac ſaluberrima reſtituerit manu, iudicio ſuper Seneca philoſopho eiusque ſcriptis, quod operibus vulgo praemitti ſolet, magis quam declamatoria voce eundem accuſat, et inter alia, vnicam, ait, Senecae epiſtolam vtiliorem eſſe, quam omnes Gellii fructus; logodaedalum eſſe, et in vna lingua polienda occupatum: cuius ſcripta tenuem et macram laudem habeant: animum vero a Seneca auerſum, a quo et ſtilo nimium diuerterit. Gellium nil niſi veteres comicos et Latii puritatem ſectari et exprimere etc. Sed, vt dixi, Lipſius ipſe de Gellio noſtro bene meritus eſt, eumque non modo legit aſſidue, verum etiam vna cum annotationibus ſuis edere promiſit: *b*) et inter alia anno MDLXXX. ad Theodo-

x) De diſciplinis l. 3. *y*) Noctibus Pariſinis Atticis A. Gellii vigiliis inuigilatis init. *z*) In excerptis Putean. p. 253.
a) Conſer. MORHOFIVS polyhiſt. liter. l. 4. c. 14. §. 2.
b) Electorum l. 2. c. 3.

rum Canterum ſcripſit: *Agellius meus paratus eſt: differo tamen propter commentarium Cornelianum* (in Cornel. Tacitum) *quem priorem extrudere volo.* Parum ergo conſiderate IOH. HENR. BOECLERVS *c*) iniquae huius cenſurae cauſſam eſſe putat, quod ex omnibus antiquis ſcriptoribus Senecam ſibi et Tacitum delegerit, vt reliquos omnes, qui contra hos aliquid dicunt, vehementer caſtigaret. Ex illis, quae ſupra monuimus, etiam facile patet, quam credulus in plerisque RAPHAEL VOLATERRANVS *d*) Aulum Gellium memoriae prodiderit noctium Atticarum ſcriptorem fuiſſe tempore Traiani: Fauorinum philoſophum maxime coluiſſe: quicum Athenis vna vixerit homo Romanus: quamuis grammaticum non exceſſerit: laudem habuiſſe tantum in eo ſcribendi genere, quod eodem fere tempore Aelianus Romae tentarit homo Graecus. LAVRENTIVS VALLA *e*) quoque Antonium Raudenſem accuſat, quod tam ſaepe Aul. Gellium pro teſte afferat, hominem curioſe nimis ac ſuperſtitioſe loquentem.

§. IX.

Haud ab re S. AVGVSTINVS *f*) virum elegantiſſimi eloquii et multae ac facundae ſcientiae vocat. Fuit certe literarum et antiquitatis peritiſſimus, et illuſtris meretur nomen grammatici. Nam cenſor vocum antiquarum incorruptus et accuratiſſimus obſeruationes vndique collegit, quas, orbis literati maximo commodo, noctium Atticarum nomine vulgatas, reliquit. Lucubrationibus iſtis multa venerandae antiquitatis monumenta, multa hiſtorica, multa grammatica, aliis ſcientiis inſeruientia multa,

c) Secul. IV. hiſt. p. 159. et bibliographia critica p. 458.
d) Commentariorum vrbanorum l. 16. pag. 572.
e) Annotationibus in errores Antonii Laudenſis p. m. 44.
f) De ciuitate Dei l. 9. c. 4.

Digitized by Google

multa, quae longa obliuione iam deleta fuiſſent, ex monumentis deperditis conſeruauit. Vocibus infinitis locum dedit in iucundiſſimis noctibus Atticis, quae in ea aetate noctem ſaperent potius quam diem: adeo tenebroſa, aut obſcura erant, et vix illius temporis hominibus intellecta. Nec immerito apud eruditiſſimos homines elegans Latinae linguae auctor hodie habetur, et olim habitus eſt; paſſim a grammaticis tanquam ſcriptor idoneus citatus, a quibusdam multis etiam in locis ad verbum paene tranſcriptus. g) Sic ſane non contemnendus eloquentiae, philologiae et philoſophiae antiquae theſaurus in hoc ſcriptore latet.

§. X.

Quod ad Gellii ſtilum attinet, terſus ille quidem et elegans: ſed tamen non vbique eadem venuſtas apparet, quae in ceteris optimae latinae linguae aetatis ſcriptoribus. Quoddam quaſi florilegium dare ſtuduit, quo veterum prope verba et phraſes retinuit. Cum ergo circa particulas obſeruationum grammaticarum, legum, ac rituum venerandae antiquitatis verſetur: eadem ſemet orationis forma inſinuare nequit, qua nos vtplurimum iucunda retinent ac pleniori informatione, qui vna ſerie, nec adeo interrupta ſcriptione ſtilum exercere didicerunt. Lectoris ille iam tum ſatis exercitatum ingenium iudiciumque maturum requirit: vt vetuſtiores et obſoletas a Latinitate optima dictiones ſeparare, ſeculi obſeruare idiotiſmos, et omnia cum aliquo ſalis grano ad verum vſum ſeruare poſſit. Eoque pertinet IOH. HENR. BOECLERI cenſura: h) *verſatur et is circa particulas antiquitatum et obſeruationum,*

g) Vid. SALMASIVS de Helleniſtica pag. 85.

h) Bibliographia critica pag. 459. et de corrupt. Latinae linguae facultate c. 1. §. 38. Confer. WALCHII v. c. hiſtoria critica Latinae linguae pag. 67.

num, adeoque tam commode iis iungi non poterat, qui ſcriptione magis continua et perpetua ſtilum plenius informant. Eſt autem in medio genere, ſiue potius in primo et ſimpliciſſimo, hoc potiſſimum nomine legendus, vt nos de facie antiquioris ſtili admoneat. Neque ſine cautione interim: non pauca enim ſunt, quae nolim in quouis argumento admittere.

§. XI.

Verba inſolentia apud GELLIVM haec ſunt, ab illo tantum, praeter dicendi conſuetudinem, vſurpata. *Geſtuoſae manus. i) Imperſpecte, imperſpectius. k) Frequentamenta vocum. l) Indeprecabilis poena*, quae nullis precibus auerti poteſt. *m) Diſplicita eſt* eius ſententia, pro diſplicuit. *n) Diatriba* locus vocatur, vbi diſputantes conueniunt. *o) Innominabilis. p) Parere et obſequi aliquid*, pro aliqua re. *q) Septentrionarius* pro ſeptentrionalis. *r) Pulli plumantes*, qui plumas emittere incipiunt. *s) Obſequibilis. t) Vndabundum mare. v) Dubioſus. x) Legumentum. y) Incentio. z) Impolitia* pro incuria. *a) Viuaciſſimus curſus* de equo Bucephalo. *b) Incoibilis*, non coniungendus. *c) Impellia. d) Penetro me in ſpecum* pro confero me. *e) Infortunitas. f) Tempeſtiua virgo*, quae viro matura. *g) Inauditiuncula. h) Ignoſcentiae. i) Inorus* ſine ore. *k) Sacerdotiſſa. l) Vſitati ſunt*, pro vſi ſunt. *m) Indiſſimulabilis veritas. n) Exculcata verba*, quae obſoleta ſunt.

i) L. 1. c. 5. *k*) L. 1. c. 7. *l*) L. 1. c. 11. *m*) L. 1. c. 13. *n*) L. 1. c. 21. *o*) L. 1. c. 26. *p*) L. 2. c. 5. *q*) L. 2. c. 7. *r*) L. 2. c. 22. *s*) L. 2. c. 29. *t*) Ibid. *v*) L. 2. c. 30. *x*) L. 3. c. 3. et L. 4. c. 10. *y*) L. 4. c. 11. *z*) L. 4. c. 13. et L. 16. c. 11. *a*) L. 4. c. 12. *b*) L. 5. c. 2. *c*) L. 5. c. 2. *d*) L. 5. c. 5. *e*) L. 5. c. 14. *f*) L. 6. c. 1. *g*) L. 6. c. 8. *h*) L. 6. c. 21. *i*) L. 7. c. 3. *k*) L. 7. c. 6. *l*) L. 10. c. 15. *m*) L. 10. c. 21. *n*) L. 10. c. 21.

Digitized by Google

ſunt. *o*) *Inuulgatus* pro non vulgatus. *p*) *Quire* pro poſſe. *q*) *Tortuoſae res*, anxiae. *r*) *Inuitabilis* iucundus. *s*) *Egeo multa*. *t*) *Fallacioſus*. *v*) *Inadulabilis*, qui adulationi non obnoxius. *x*) *Parcere ſibi vitam*. *y*) *Prolubii m* voluntas. *z*) *Coibilis*. *a*) *Calorificus*. *b*) *Incongelabilis*. *c*) *Inopinabile*, quod quis ſibi perſuadere nequit. *d*) *Impeccabilis*. *e*) *Aeſtimatio bona*, fama bona. *f*) *Aes manuarium*, quod quis in manibus habet. *g*) *Leuare tempus*, pro tranſigere. *Extrilidus*, ſine tricis aut rugis, exporrecta fronte. *h*) *Molliti venti*, qui tranſiere. *i*) *Iactabundum mare*. *k*) *Egregie improbus*, pro valde. *l*) *Partiendum corpus*, quod in partes ſecandum. *m*) *Cognobilis*, notus. *n*) *Intoleratius* pro intolerabilius. *o*) *Intercutia vitia*, quae quis ſecum fouet. *p*) *Vegetare memoriam*. *q*) *Obſeruitare*, ſaepius obſeruare. *r*) *Adminiculatior*. *s*) Alia.

§. XII.

Gellii noctes Atticae in lucem primum prodierunt *Romae* 1469. fol. in domo Petri de Maximis a Conrado Sweinheim et Arnoldo Pannartz. Rurſum 1473. fol. *Venetiis* 1472. fol. per Nicolaum Ienſon Gallicum, ex aedibus Petri de Maximis. 1477. fol. per Andream Iacobi Catharenſem. 1486. et 1491. fol. 1500. 4. apud Ioh. de Tridino cum praefatione Philippi Beroaldi ad Sigiſmundum Hoenlohum, ſcholaſticum Germanum. *Brixiae* 1485.

o) L. 11. c. 7. *p*) L. 11. c. 7. *q*) L. 9. c. 9. *r*) L. 13. c. 11. *s*) Ibid. *t*) L. 13. c. 23. *v*) L. 14. c. 1. *x*) L. 14. c. 4. *y*) L. 16. c. 19. *z*) Ibid. *a*) Ibid. *b*) L. 16. c. 29. *c*) Ibid. *d*) L. 17. c. 9. et 12. *e*) L. 17. c. 19. *f*) L. 18. c. 1. *g*) L. 18. c. 22. *h*) L. 19. c. 1. *i*) Ibid. *k*) Ibid. *l*) L. 20. c. 1. *m*) Ibid. *n*) L. 20. c. 4. *o*) L. 13. c. 8. *p*) Ibid. *q*) L. 17. c. 2. *r*) L. 10. c. 15. *s*) L. 20. c. 11.

1485. fol. per Boninum de Boninis de Raguſa, correctore Marco Scaramucino de Palatiolo. In ea Brixienſi editione verſus leguntur:

Si quem Cecropia clarum Latiaque Camoena
Eſſe iuuat, Geli ſcripta probanda legat.
Attica nox luci nunquam ceſſura diurnae
Ad varias artes quam bene monſtrat iter.
En tibi, docta cohors, Marcus correxit ad vnguem,
Quem tulit Adriaco Brixia Marte potens.
Si quid erit falſi, veniam dabis, inſcia turba
Forſitan huic nocuit, dum celerabat opus.

§. XIII.

Seculo poſt Chriſtum natum decimo ſexto Gellius prodiit *Venetiis* 1509. fol. ex Philippi Beroaldi recognitione. 1515. 8. apud Aldum. 1537. 1544. et 1573. 8. *Florentiae* 1513. 8. Philippi Iuntae. *Pariſiis* 1511. 4. in aedibus Aſcenſianis, ad exemplar recognitionis Beroaldinae. 1515. 4. ex recenſione Ioh. Connelli, cum praefatione Philippi Beroaldi. 1524. fol. apud Aſcenſium. 1532. 8. cum notis Petri Moſellani. 1536. fol. cum ſcholiis Badii Aſcenſii ex annotatis Aegidii Maſerii Pariſienſis et Petri Moſellani. 1565. 12. 1584. forma minore. 1585. 8. apud Henricum Stephanum, cum eiusdem notis, emendationibus, et noctibus Pariſinis, quibus et apologia pro Gellio aduerſus Ludouicum Viuem comprehenditur. *t*) *Lugduni* 1534. 1539. 8. 1546.

t) Stephanum accuſat MORHOFIVS polyh. liter. l. 4. c. 14. §. 2. quod Carrionis notas, quas perfectas iam, vt typis mandaret, acceperat, imperfectas reliquit. Cuius rei cauſſam hanc aperit THVANVS in libris de vita ſua, quod ob rei familiaris anguſtias, cum iam non amplius ſufficeret Gellio, Stephanus ſuis typis edendo, ad conducendos ab alio typos fuerit coactus. Ortis autem inter vtrumque rixis (vt erat plane moroſus ille

Digitized by Google

1546. 1550. 1555. 1559. 12. 1561. et 1566. 8. apud Gryphium. 1571. et 1585. 12. apud Barthol. Vincentium. 1592. 12. ex officina Tornaesiana. *Basileae* 1506. fol. 1519. fol. apud Andream Cartandrum, cum indicibus variis et interpretatione locorum, quae obueniunt, Graecorum Latina. 1549. et 1561. 8. cum Petri Mosellani notis. *Argentinae* 1517. fol. ex aedibus Iohannis Knoblouchi, ductu Matthiae Shurerii. 1521. 8. *Coloniae* 1526. fol. apud Eucharium Ceruicornum. 1526. 8. apud Soterem. 1533. 1537. 1549. et 1566. 8. cum Petri Mosellani annotationibus.

§. XIV.

Seculo decimo septimo Auli Gellii noctes Atticae prodierunt *Francofurti* 1603. 8. ex officina Zachario-Paltheniana, cum Henrici Stephani apologia et noctibus aliquot Parisinis. *Geneuae* seu Aureliae Allobrogum 1609. ex H. Stephani recensione, cum notis variorum breuibus excerptis. 1621. forma minore. *Parisiis* 1681. 4. in vsum Delphini illustrauit Iacobus Proust. *Amstelodami* 1651. et 1665. 12. ex emendatione Ioh. Frid. Gronouii. *Lugduni Batauorum* 1666. 8. cum selectis variorum notis, accurante Antonio Thysio, et cum ille ante opus perfectum vitam cum morte commutarit, Iacobo Oiselio. 1687. 8. cum notis et emendationibus Ioh. Friderici Gronouii.

§. XV.

Seculo praesenti elegantissimam Gellii editionem *Lugduni Batauorum* 1706. 4. Iacobus Gronouius curauit, cum suis, patris, et variorum notis. *Curiae* 1741. Auli

Stephanus) Carrionis egregias animaduersiones supprimere tandem coactus fuit. BARTHIVS vero aduersar. l. 35. c. 6. Carrionem putat ipsummet suas notas ad finem perducere non potuisse.

Digitized by Google

Gellii noctium Atticarum libri xx. accuratiſſime recenſiti, diſtincto quoque capite, articulis minoribus veterum, quae excitantur locis, ex hodierno more nominatis, Graecis, quam potuit fieri, ad verbum Latine redditis, ad marginem adſcriptis aliis veterum idem tractantium, praemiſſa diſſertatione de auctore et opere, cum regulis potioribus in genere ad auctorem hunc recte euoluendum, et indice locupletiſſimo, quo ſimul notata in opere ſufficienter illuſtrantur a Paullo Daniele Longolio.

§. XVI.

Alexander Seuerus imperator a pueritia literatores habuit VALERIVM CORDVM, et TITVM VETVRIVM, et AVREL. PHILIPPVM, patris libertum, qui vitam eius poſtea memoriae prodidit. Romae inter grammaticos Latinos habuit SCAVRINVM, Scaurini filium, doctorem celeberrimum. *v*)

§. XVII.

CENSORINVS, qui anno Chriſti CCXXXVIII. Gordiani imperatoris primo, libellum de die natali ſcripſit, etiam merito grammaticis annumeratur. Nam et ille de accentibus ſcripſit: *x*) et a PRISCIANO *y*) doctiſſimus artis grammaticae appellatur. Adſcriptum illi fragmentum de metris apud BELIAM PVTSCHIVM inter auctores grammaticae Latinae antiquos extat. *z*) Sed plura de eo dicemus in philoſophorum ordine.

§. XVIII.

Conſtantini M. imperatoris aetate ſcripſit RHEMNIVS FANNIVS quidam, inſignis grammaticus et poeta, de quo et ſuperiori capite facta eſt mentio, artis grammaticae

v) Vid. AELIVS LAMPRIDIVS in Alexandro Seuero c. 3.
x) Teſte CASSIODORO de muſica, et de geometria. *y*) Lib. 14.
z) Pag. 2723. ſeqq.

Digitized by Google

maticae inſtitutionem: quam inter veteres grammaticos legimus a PVTSCHIO editos *Hanouiae* 1605. 4. Et ante excuſa fuerat *Baſileae* 1527. 8. apud Adamum Petrum, vna cum aliis quibusdam antiquis grammaticis. *a*) Sed perperam ille, quisquis fuerit, auctor cum Q. Rhemnio Fannio Palaemone Vicentino grammatico *b*) confunditur. Cui diutius immorari, vix operae puto fore pretium. Hoc annotaſſe ſufficiat, artem, vt volunt, Palaemonis grammaticam, etiam PRISCIANO laudatam, a Iouiano Pontano primum in lucem ex tenebris fuiſſe protractam. Id certe verſus teſtantur, quibus Palaemon ipſe fingitur loqui:

Grammaticae partes, caſus et nomina monſtrat
Ars mea, quoque modo dictio tota fluat,
Quidue ſequens, poſſis verborum noſcere formas,
Aut quonam fuerint verba premenda iugo.
Caetera ſunt paruo carptim memorata libello,
Plenius ante artes quae docuere meae.
At me confectum carie, turpique ſenecta,
Rodebat murum dente timenda cohors.
Senſiſſetque iterum crudelia fata Palaemon,
Iuuiſſet pietas ni, Iouiane, tua.
Cuius nunc meritis optata perfruor aura,
Antoni doctos iuſſus adire lares.

§. XIX.

Conſtantio imperante circa annum Domini CCCLX. Romae illuſtris floruit rhetor MARIVS VICTORINVS, Afer, qui, quod ſenatores multos egregie imbuit arte dicendi, ſtatuam in foro Traiani meruit aeneam. Valde ſenex tandem ſub Iuliano principe nomen Chriſto dedit.

a) Quos enumerat FABRICIVS biblioth. Lat. volum. 3. p. 736.
b) De quo vid. comment. de imminente L. L. ſenectute p. 190. 254. ſeq. et 303. ſeqq.

Scripſit vero inter alia, quae recenſemus vbi de rhetoribus agitur, etiam libros grammaticos quatuor de orthographia et ratione metrorum: quos Adamus Petri *c*) edidit *Baſileae* 1527. 8. Ioachimus Camerarius *Tubingae* 1537. 4. et 1584. 8. Commelinus cum aliis opuſculis grammaticis. Et qui eum ſecutus eſt, Elias Putſchius *Hanouiae* 1605. 4. inter grammaticos veteres, pag. 2450. Exhibet ille etiam Maximi Victorini, dubium eiusdem an diuerſi, tres libros, de re grammatica vnum, alterum de carmine heroico, et tertium de ratione metrorum pag. 1937. 1955. et 1963.

§. XX.

Seculo poſt Chriſtum natum quarto medio, Conſtantii Auguſti temporibus, Romae celebris grammaticus floruit AELIVS DONATVS: cuius vitam ex ſchedis Petri Danielis, qui eam ex veteri codice Regis Galliae deſcripſerat, FABRICIVS bibliothecae Latinae inſeruit. *d*) Eamque, ne verbulo quidem mutato, vtut inſulſam ridiculamque et nulla fide dignam, lectoribus noſtris communicamus. *Incipit vita Donati Grammatici. Flaccus Rebius Minutio Rutilo ſalutem. Rogatus a conſodalibus vitam Donati Grammatici breuiter commentaui, eſſetne cuiquam incognita nobiscum degentium, tibique obtuli legendam. Ita enim ſe habet eius vita et conuerſatio, vt ſubiecta docet narratio*

c) ADAMVS PETRI praefatione queritur: *exemplarium tanta erat diſſenſio, quorum duo e Lauriſſa, tertium e Murbachio nobis Sichardus communicauerat: vt nec eiusdem quidem auctoris omnia crederemus, praeſertim cum Lauriſſanum exemplar ſua Maximo cuidam Victorino, aliud vero contra Mario aſſerat, quem conſtat eruditione celebri Lactantii temporibus Romae, cum Afer eſſet, rhetorica docuiſſe.*

d) Volum. 3. p. 740. ſeqq.

Digitized by Google

ratio. Donatus natione Romanus, grammaticae profeſſionis induſtria claruit, σύγχρονος, vt fertur, rhetoris Victorini. Hic perpauculo conductus peculio cuiusdam viduae capellas pauci numero paſcendas excepit, ſepta ſibi ab vrbe miliario ſecundo vindicans. Hinc operae pretium infatigatum promulgare labor eſt. Hic dum in alendis capellis moraretur, aeſtu, calente tempore, laborabat intolerabili, vtpote capillorum ab aure vſque ad aurem defenſione priuatus. Et quia remotior erat a Tiberi, ſitim ſibi ingruentem lacunis e cloaca fluentibus, capellarum quoque temperabat vrina. Hiemis autem tempore, ſolo canente pruina, carice --- compacto ſolabatur tugurio. Frequentius autem humi accubitabat ſub diuo, permodico obſonatus edulio, quae nimirum frugalitas non innata, ſed egeſtate concreuerat. Quia vero effoetis viſceribus paene cutis deſuper lapſa rigebat, frigoris vt vitaret enormitatem, partim teterrima, partim rufa inducebatur pellicia. Oculum autem et iuramentum Martis ademit, quod perſoluit, vt peculatus aboleret infamiam. Quadam namque die Aeolicum ingreſſus conſiſtorium digna ſibi nacta cauillatione cum magno pudore delituit, quem ita quidam Graeco lepore inſultans ſuapte aggreſſus eſt --- --- --- quod dicitur Latine, cede loco ruſtice modicarum opilio ouium. Qui maturato rediens, diſcendae pueritiae ſtudens Aedili innotuit Ciceroni, a quo toga donatus eſt, quod erat ſignum libertatis. Eadem igitur tempeſtate Aemilius ſenator hominem exiuit, cuius in locum pileatus meruit ſurrogari, et a Cicerone ordinatim ſextum in ſenatu ſubiit locum. Igitur quia habitum corporis eius breuiter perſtrinximus, libet per ſingula eum paene membra deſignare. Erat quippe ſtatura puſillus, capite rotundo in modum veſicae porci, capillis admodum raſis et ſcabioſis, atque melancholico humore madentibus. Facie adeo ruſtica, vno oculo luſcus, altero

altero lippus, collo gracili et groſſo, brachiis breuibus et contractis, genibus latis, tibiis oppido curtis et groſſis, pedibus latis, et ſpiſſis, et quid morandum, omnia habitudine ſeruo conſimilis. Hic calaumaco caput fouens, ſuper quauis ratione conſultus breuiter omnia et furibunde explicabat, ita vt nec quidem a diſcipulis interrogari auderet. Quo circa dum ſaepe furore perſtreperet, quippe cui a naſo obſcoenitas defluebat aſſidua, ſenatu pulſus, cuiusdam macellarii famulitio ſuſceptus eſt. Plura pudet referre. Obiit XIV. kal. Ianuarii, et proiectum eſt cadauer eius in foſſam, quo peregrini aggregabantur. Explicit vita domini Donati Grammatici. Nugas nemo non facile intelligit, et abſonum ingenii minime nobilis abortum. Hoc vero conſtat arte ſua illuſtrem Donatum liberaliori diſciplina Romae multos inſtituiſſe. Eum Hieronymus in Grammaticis praeceptorem habuit: quod ipſe in Euſebiano chronico teſtatur, vbi: e) *Victorinus rhetor et Donatus grammaticus, praeceptor meus, Romae inſignes habentur.* Et in apologia priore aduerſus Ruffinum: *puto quod puer legeris Aſpri in Virgilium et Salluſtium commentarios, Vulcatii in orationes Ciceronis, Victorini in dialogos eius, et in Terentii comoedias praeceptoris mei Donati, aeque in Virgilium, et aliorum in alios.* MARIANVS VICTORIVS Reatinus in vita Hieronymi: f) *didicit Romae non ſolum Latinas, ſed Graecas pariter literas, optime Quintiliani ſententiam recolens, qua iungendas eas inuicem praecipit, vt quod in Graecis duriuſculum, ac veluti barbarum eſt, Latinae linguae amoenitate ac dulcore temperetur. Praeceptorem in grammatica habuit Donatum, eum ipſum, qui in Virgilium et Terentium commentarios edidit.* Hinc et

e) Anno Chriſti 360. f) Cap. 3. apud SURIVM de probatis ſanctorum hiſtoriis tom. 5. Septembr. d. 30. pag. 496.

Digitized by Google

et GOTFRIDVS VITERBIENSIS chronici parte decima ſexta: *g*)

Nunc quoque grammaticae ſummus Donatus in arte
Hieronymo cum diſcipulo docet edere partes.
Nos quoque diſcipulos condecet eſſe ſuos.

§. XXI.

Scripſit Aelius Donatus grammatica varia. Editione prima de voce, litera, ſyllaba, pedibus, tonis, et poſituris: editione ſecunda de partibus orationis, de nomine, comparatiuo et generibus nominum, de pronomine, verbo, aduerbiis, participio, coniunctione, praepoſitione, et interiectione. Item de barbariſmo, ſoloeciſmo, ceteris vitiis: de metaplaſmo, de ſchematibus, atque tropis. Viri tanta fuit ſuo tempore auctoritas: vt quaelibet etiam artis grammaticae praecepta Donati nomine veniant. VOLATERRANVS *h*) hinc eum ſcripſiſſe ait artem, quae in manibus extet puerorum, quanquam in epitomen redacta. Omnium primo prodiit *Harlemi* ſed tabulis ligneis inciſis. Deinde *Moguntiae* 1450. teſte Mariangelo Accurſio, *i*) qui libro Donati ex membranis confecto, et impreſſo, haec ſua manu adſcripſit in priori pagina: *Ioannes Fauſt, ciuis Moguntinus, auus maternus Ioannis Schoeffer, primus excogitauit imprimendi artem typis aereis: quos deinde plumbeos inuenit: multaque ad artem potiendam addidit eius filius, Petrus Schoeffer. Impreſſus autem eſt hic Donatus, et confeſſionalia primum omnium*

g) Apud PISTORIVM Germanicorum ſcriptorum tomo altero p. 390. *h*) Comment. vrbanor. l. 15. p. 547.

i) Apud ANGELVM ROCCHAM appendice bibliothecae Vaticanae de typographiae inuentione p. 411. Confer. STOLLII introd. in hiſt. liter. part. 1. de hiſtoria literaria generatim ſpectata §. 30.

omnium anno 1450. Admonitus certe fuit ex Donato Hollandiae prius impreſſo in tabula inciſa. Atqui vt ANGELVS ROCCHA *k*) teſtatur, non parum haec Donati grammatica, quantum ad ordinem pertinet, ab ea diſtat, qua in Italia tum vtebantur. Imo principium fere eſt ſimile inſtitutioni grammaticae Guarini, qui ab eo multa accepiſſe iudicatur. Codicis illius typi, et imminutus imprimendi modus rudem illam inuentionem prae ſe ferunt. Characteres enim a primis illis inuentoribus non ita eleganter et expedite, vt a noſtris iam fieri ſolet, verum in litterarum foramen immiſſo filo connectebantur. Donatus deinde prodiit cum aliis grammaticis *Venetiis* 1491. 1511. et 1522. fol. *Mediolani* 1513. fol. *Pariſiis* 1516. fol. Separatim cum Seruii et Sergii commentario *Pariſiis* 1543. 8. apud Robertum Stephanum. *Lipſiae* 1511. 4. cum Hermanni Buſchii commentario. *l*) *Cracouiae* 1559. 8. cum Polonica et Germanica interpretatione. *Camerini* 1601. 8. Liber de barbariſmo, ſoloeciſmo, ſchematibus et tropis, emendatior editus eſt ab Adamo Petri *Baſileae* 1527. 8. et a Ioh. Caeſario recenſitus cum Diomede *Coloniae* 1536. et *Lipſiae* 1542. 8. Editio prima et ſecunda, de barbariſmo etc. de ſchematibus et tropis cum ceteris grammaticae Latinae auctoribus antiquis, opera Heliae Putſchii, prodierunt *Hanouiae* 1605. 4.

§. XXII.

Scripſit porro in ſex P. Terentii Afri comoedias examinatam interpretationem: quae cum illo comico prodiit *Argentinae* 1503. fol. cura Sebaſtiani Brant.

§. XXIII.

Habemus etiam Aelii Donati grammatici in Virgilium annotationes, quae cum Seruii, Landini, et Calderini

k) Loco citato. *l*) Vid. IACOB. BVRCKARDVS Buſchii vita p. 218.

Digitized by Google

derini commentariis Virgilio ſunt additae *Norimbergae* 1492. fol. apud Anthonium Koberger. *Venetiis* 1495. fol. per Bartolomeum de Zanis.

§. XXIV.

Perperam illi tribuitur vita Terentii, quae potius Suetonio vindicanda; *m*) et vita Virgilii Maronis, quae alius forſan Donati, minoris et famae, et iudicii. Quando quidem in Fabriciana editione illius vitae auctor etiam vocatur Tiberius Claudius Donatus. *n*) Etiam ad Donatum argumenta metamorphoſeon Ouidianarum referri videas, idoneo nullo auctore.

§. XXV.

Secundum BOECLERI *o*) ſententiam, Aelius Donatus ille grammaticus vir fuit magni ingenii et eruditionis: ſed ab aliena manu plurimae nugae acceſſerunt. Et ſummus SCALIGER, *p*) *grammatici*, inquit, *in cymbis quidem ſunt, marisque transmittunt ſuperficiem Maroniani: nihil tamen expiſcantur. Solus Donatus meritus eſt, qui poetarum anima diceretur.* HIERONYMVS, qui paſſim eum laudat, eiusque diſcipulus fuit, hoc eius dictum affert: *q*) *pereant, qui ante nos noſtra dixerunt.* Iſtud vero nunc fruſtra in eius ad Terentium commentariis quaeres. Quod et multa alia ſatis docent, Donati ſcripta non minus truncata, quam interpolata ad nos peruenisſe.

§. XXVI.

Theodoſii et filiorum Honorii et Arcadii Auguſtorum temporibus inter grammaticos illuſtris fuit AVRE-

m) Vid. VOSSIVS de hiſtor. Latin. l. 1. c. 31. et l. 3. c. 2. p. 743.
n) VOSSIVS de hiſtor. Lat. l. 3. c. 2. p. 743. et inſtit. orator. l. 6. c. 2. p. 432. Confer. FABRICIVS biblioth. Latin. volum. 1. p. 788. *o*) Bibliographia critica p. 24.
p) Poetices l. 3. p. 288. *q*) Comment. in Eccleſiaſtis c. 1.

LIVS AVGVSTINVS, Hipponenſis epiſcopus, maximae inter eccleſiae patres Latinos auctoritatis. Natus eſt Tagaſtae in Numidia CCCLIV. parentibus Patricio et Monica, tenuioris fortunae hominibus, ſed Chriſto deuotis, qui filium, nec ſumtuum habita ratione, liberalioribus diſciplinis enutriri voluerunt. Annum aetatis vigeſimum praeteruectus incidit in Manichaeorum haereſin: quorum erroribus fere per duo luſtra implicitus haeſit, non ſine maximo piae matris dolore, quae lacrumari non deſiit precata Deum, donec filium ad meliorem frugem redire et ſalutaria eccleſiae dogmata amplecti videret. Conuerſioni eius non leue momentum addidit D. Ambroſius, Mediolanenſis epiſcopus, quem non hauriendae veritatis, ſed eloquentiae admirandae cauſſa, cum in ea ciuitate humanitatis ſtudia inprimis foueret, quam lubentiſſime audiuit. Relicta haereſi, vt ſacro tinctus lauacro, ſimul etiam rhetorices profeſſionem reliquit, et Mediolano in patriam reuerſus, tandem Hipponenſis factus eſt epiſcopus, et immortalem acquiſiuit nominis famam, cum vitae innocentia et ſanctitate, tum ingenii acumine et in diſputando ſolertia. Quibus plane diuinis dotibus chriſtianae religionis veritatem propugnauit contra ſui ſeculi haereticos, Manichaeos inprimis et Pelagianos, quibuscum iſti acerrimae contentiones fuerunt. Obiit vero ſex ſupra ſeptuaginta annos natus CCCCXXX. cum Ambroſio, Hieronymo, et Gregorio, quatuor cardinales inter eccleſiae patres Latinos numerandus. Pluribus de eo agemus, cum ſacros huius aeui ſcriptores recenſebimus. Hic ſaltem notandum, quod inter multa alia etiam de grammatica librum ſcripſerit: *r*) qualem vix tum reperiri poſſe mirabatur, cum retractationum libros concinnaret. Legitur etiam

r) Quod ipſe in retractationibus teſtatur.

Digitized by Google

etiam hodie operum tomo primo de grammatica libellus: quem et HELIAS PVTSCHIVS exhibet inter grammaticae Latinae auctores antiquos. *s*) Sed meliori consilio doctissimi S Benedicti ordinis monachi, in recentiori et nitidissima operum editione, libellum istum inter supposititios reiiciunt: quod alio sit scriptus stilo, aliaque methodo, quam Augustini esse dici possit. *t*)

§. XXVII.

Sub finem seculi post Christum natum quarti, et quinti initium, Honorii et Theodosii Iunioris imperatorum temporibus, eruditione illustris fuit MACROBIVS AMBROSIVS AVRELIVS THEODOSIVS: quem Parmenses suum mallent esse ciuem, *v*) Sed extra Italiam esse natum, neque Latinae linguae satis peritum, ipse innuit, *x*) et veniam petit a lectoribus suis, si cubi sub alio ortum coelo Latinae linguae vena non adiuuet: vt aequi bonique consulant, si in sermone suo natiua Romani oris elegantia desideretur. Neque adeo de patria eius certo constat. ERASMVS *y*) eum putat fuisse Graecum. Attamen non immerito grammaticos inter Romanos recensetur, qui Romanis disciplinis innutritus fuit. Et sua virtute constat altissimum honoris gradum obtinuisse: qui vir consularis vbique in veterum monumentis vocatur, et illustris. Theodosii autem Iunioris Augusti sacro praefectum fuisse cubi-

 culo,

s) Hanouiae 1605. 4. *t*) Videatur etiam DV PIN noua bibliotheca ecclesiasticorum auctorum tom. 3. p. 316. seq.

v) Patria Parmensem scribit RICCIOLVS in Almagesto, vbi recte reprehendit Genebrandum, Sansoulnum, et Thevetum, qui eum ad seculum secundum a Christo nato referunt; et consectores indicis bibliothecae Vaticanae, qui scriptorem fuisse credunt seculi decimi. *x*) Saturnal. l. 1. praef.

y) Ciceroniano pag. 84. apud Hallbauerum, collectione praestantissimorum opusculorum de imitatione oratoria.

culo, etiam ex illius, de dignitate sacri cubiculi praefectorum, ad Florentium, vrbis praefectum, rescripto patet. z) Christianae religionis in omnibus Macrobii scriptis ne vestigium quidem apparet, ni forsan illud, quod infanticidii Bethlehemitici meminit, a) *cum* Augustus *audisset, inter pueros, quos in Syria Herodes, Rex Iudaeorum, intra bimatum iussit interfici, filium quoque eius occisum, ait, melius esse, Herodis porcum esse, quam filium.* Sunt tamen, qui eum Christianorum adscribunt ordini: quos inter BARTHIVM b) nominare sufficit. SPANHEMIVS c) contra eum hominem vocat ethnicum. Cui et FABRICIVS d) assentitur. Sed GROTIVS e) et HVETIVS f) haerent ambigui, neque adeo quicquam definire conantur. Diuersus a nostro Macrobius presbyter, de quo CAVEVS ad annum Christi CCCXLIV. in historia literaria scriptorum ecclesiasticorum agit,

§. XXVIII.

Exstant 1. eius *commentariorum in somnium Scipionis, a Cicerone descriptum, libri duo*: quibus profecto magnum eruditionis apparatum ostendit. Et ipse, commentatione extrema, vere pronuntiandum putat, nihil hoc opere perfectius, quo vniuersa philosophiae continetur integritas. Agitur de anima hominum, et illius post separationem a corpore statu, etiam de mundi anima. Tractantur et nonnulla, quae ad physicam et astronomiam peculiari quadam ratione

z) Codicis Theodosiani lib. 6. tit. 8. De dignitatibus, quas Macrobius gessit, consulendi sunt IACOBVS GOTHOFREDVS ad Cod. Theod. et REINESIVS epistolis ad Rupertum pag. 460. seqq. et 492. vbi eum in summa dignitate vel praefecturae praetorianae, vel proconsulatus Africae vixisse existimat. a) Saturnal. l. 2. c. 4. b) Aduersar. p. 2258. c) Dub. euang. tom. 1. p. 533. d) Biblioth. Lat. vol. 1. p. 620. STOLLIVS quoque introd. in hist. liter. part. 2. c. 3. §. 8. e) Comment. in Matth. c. 2. v. 16. f) Demonstratione euangel. propos. 9. c. 15. pag. 789.

Digitized by Google

ratione pertinent. Somnium hoc Scipionis pars eſt libri ſexti Ciceronis de rep. de cuius conſtitutione MACROBIVS ipſe *g*) conſulendus eſt. Illius expoſitione res multae illuſtrantur, quae ad Platonis philoſophiam pertinent, atque adeo a Cicerone olim adoptatae fuerunt. Et ipſam theologiam gentilem inde non parum dilucidari videmus. 2. *Saturnaliorum conuiuiorum libri ſeptem*, ad Euſtathium filium, ſunt variae diſſertationes, aut conuiuarum colloquia ſuper variis iucundae ac reconditae doctrinae argumentis. Libri ſunt totidem dies, quibus ad conuiuia venerunt, de rebus vtilibus amice inter ſe conferentes. Conferunt autem multa de veterum antiquitatibus ritibusque notatu maxime dignis, deorum cultu, et religione gentili; multa, quae ad hiſtorias pertinent, vel ad Latinae linguae rationem et conſuetudinem apprime faciunt. Diſcutiunt philoſophica, et alia lectu ſcituque haudquaquam iniucunda. Sed ea forſan non ſatis elaborata dedit: vel iniuria temporum multa interciderunt. Quod VALLENSIS *h*) iam tum notauit in fine operis: *qui finem primi libri, cum fine ultimi contulerit, facile animaduertet, quaedam adhuc operis huius abſolutioni deeſſe. Verum ea, autorne ipſe ſiue aliis praepeditus, ſiue morte praereptus, haud dum adiecerit, an librariorum incuria interciderint, facile dici non poteſt.* Et BARTHIVS: *i*) *ſomnii commentationem partem eſſe Saturnaliorum ſuſpicari faciunt manu exaratae membranae, in quarum antiquiſſimis reperio: Macrobii Theodoſii, Viri conſularis et illuſtris commentariorum tertiae diei Saturnaliorum liber primus incipit. Vt non in libros opus illud ſuum, ſed in dies diſtribuiſſe videatur Macrobius; ſingulorum autem dierum operas aliquot libris diſtinxiſſe, quorum tertium occuparint hi de ſomnio Scipionis enarrato commentarii.*

g) Lib. 1. c. 1. *h*) Lugdun. 1542. 8. *i*) Ad Claudian. p. 791.

tarii. Quae res et reliquorum tenori congruit, qui non aliter interiores Maronis ſenſus et doctrinam inquirunt, quam iſte M. Tullii. Poteſt autem, vt ante exordium tertii huius Saturnaliorum libri exciderit minutum quoddam epiſtolium, quod hos commentarios ordini operis inſtituti conciliauerit; tertius vero quartusque, vt hodie poſiti ſunt, vix vnum librum faciunt, vbi cum praecedentibus et ſequentibus comparaueris. Nec tertius omnino ſecundum, talis quidem, ſequi debet: cum finis ſecundi dicat alterius diei operas apud Symmachum diſceptandas eſſe, principium autem tertii de Vettii domo vbi conuentum fuerit, ſermonem habeat. Omnino aliis libris inuentis opus erit, vt is auctor concilietur ordini ſuo etc. 3. *Liber de differentiis et ſocietatibus Graeci et Latini verbi.* Sed re vera is Macrobii non eſt, et excerpta tantum continet ex alio huius argumenti libro Macrobiano, auctore quodam Iohanne, forſan, vt P. PITHOEVS et IACOB. VSSERIVS *k*) ſuſpicantur, Erigena Scoto, qui Caroli Calui temporibus vixit. *l*) Hic libellus ſeorſim primum prodiit *Pariſiis* 1588. 8. cum notis Ioh. Obſopoei. Deinde *Hanouiae* 1605. 4. inter Grammaticos veteres, ab Helia Putſchio editos. *m*) Occurrit etiam in Macrobii editionibus, quae poſt vulgatum hunc libellum prodiere.

§. XXIX.

Virum ſuo tempore non vulgaris eruditionis fama illuſtrem, et magna auctoritate fuiſſe, vel inde patet, quod RVFVS FESTVS AVIENVS, cuius poetas inter ſuperius facta eſt mentio, et ipſe vir conſularis, et eruditiſſimorum nulli ſecundus, Aeſopicas illi ſuas inſcripſit fabellas, quarum

k) In epiſtolis Hibernicis. *l*) Vid. VOSSIVS Ariſtarchi l. 1. c. 4. FABRICIVS biblioth. Lat. vol. 1. p. 622. *m*) Pag. 2727 — 2770.

Digitized by Google

rum prooemio, inter alia ad Theodoſium (illum videlicet Macrobium noſtrum) *quis*, ſcribit, *tecum de oratione, quis de poemate loqueretur? quum in vtroque literarum genere, et Atticos Graeca eruditione ſuperes, et Latinitate Romanos.* CAELIVS RHODIGINVS auctorem excellentiſſimum, et virum reconditiſſimae ſcientiae nominat. Sed patrocinium longe maximum ſibi a IOH. HENRICO BOECLERO, incomparabili polyhiſtore, promittere poteſt. Verba viri politiſſimi dabimus integra: *n*) *Macrobius*, inquit, *valde contemnitur a Iouiano Pontano in Antonio ſuo, et Scaligero in poeticis: luculentiſſimi tamen ſunt eius commentarii in ſomnium Scipionis. Nec minus difficillimum opus eſt aggreſſus in Saturnalibus: quae etſi non vbique exacte tractauit, magnis tamen excidit auſis, et viam monſtrauit aliis vlterius de eo meditandi. Lipſius certe fuit inter eos, qui eum valde aeſtimant. Editio Iſaaci Pontani ſine controuerſia eſt optima, qui praeclariſſime de Macrobio eſt meritus.* Et eum porro laudat, decore et perſpicue loquentem.

§. XXX.

Suis cum ſermonibus ſaturnaliorum conuiualibus, tum in Scipionis a Cicerone conſcripto ſomnio, aliorum ſcrinia egregie expilare nouit: eosque non tam imitatus eſt, quam exſcripſit totos. Inprimis Gellii et Plutarchi theſauros, non ſine plagii crimine, fecit ſuos, ne ſermonis quidem habitu mutato: vt iamdudum factus ſit furti reus, *o*) Hinc ERASMVS *p*) bene, cum illi proponeretur Macrobius, *Aeſopicam*, inquit, *corniculam mihi nominas, ex aliorum pannis ſuos contexuit centones: itaque ſua lingua non loquitur, et ſi quando loquitur, Graeculum Latine balbutire credas.*

n) Bibliogr. crit. p. 25. *o*) Dictus inde fur et ſimia Gellii.
p) Ciceroniano p. 84. apud Hallbauerum de imitatione oratoria.

das. Vtut multa ex Gellii libris furripuerit, et librum ſeptimum pene totum ex Plutarchi ſympoſiacis transtulerit: FABRICIVS *q*) eum tamen plagiariis propterea noluit annumerare. Et BARTHIVS *r*) agnoſcit, quod vtilis ſit ſcriptor, quamlibet aliorum excerptor: cum ſic etiam non pauca nos doceat, nullibi antiquitatis iam exſtantia. De eo, quod Macrobius ex Seneca, Valerio Maximo, ſcriptoribus aliis, A. Gellio praecipue, etiam cum auctores ſuos non nominat, multa mutuatus eſt, IACOBVS THOMASIVS *s*) et HIERON. MERCVRIALIS *t*) conſulendi ſunt. Et iam tum ANGELVS POLITIANVS *v*) obſeruauit, quod Macrobius dapibus partim emendicatis, partim ſubfuratis ſuas coenas inſtruxerit. PETRVS CRINITVS *x*) de praetexta in ſaturnalibus ait multa referri, quae Macrobius e Gellianis noctibus maiore ſtudio, quam iudicio transtulerit: cum ſit obnoxiae mentis, et ingenii maxime infelicis nunquam fateri, per quos auctores profeceris. Alibi *y*) de modeſta et ſobria Diogenis eloquentia agens, *hoc etiam*, inquit, *Macrobius, vt alia complura, e penu Gellianae eruditionis in ſuas coenas depromſit, homo ſatis quidem eruditus, ſed ingenio maxime ingrato, ac prope impudenti, vt qui in tanto aeris alieni cumulo nuſquam creditoris nomen profiteatur.* Quamuis ita varie et vehementer paſſim ille doctis vapulet: ſupra tamen laudatis ſcriptoribus, et MORHOFIO, *z*) et STOLLIO, *a*) et iuſtis rerum aeſtumatoribus aliis inter plagiarios collocandus eſſe minime gentium videtur: cum ipſe in praefatione ſuum

q) Biblioth. Latin. vol. 1. pag. 622. *r*) Ad Claudianum p. 791.
s) De plagio literario §. 503. *t*) Variar. lect. l. 3. c. 5.
v) Lib. 12. epiſt. 22. *x*) De honeſta diſciplina l. 20. c. 7. extr.
y) De honeſta diſciplina l. 22. c. 9. extr. *z*) Polyhiſt. liter. l. 4. c. 14. n. 19. *a*) Introd. in hiſt. liter. prooemio de hiſtoria literaria generatim ſpectata §. 64. n. 2.

Digitized by Google

ſuum colligendi inſtitutum haudquaquam diſſimulauerit.

§. XXXI.

Stilum Macrobii IOH. SARISBERIENIS *b*) valde admiratur, et ſatis praedicare nequit. Eſt illi *conſpicuus in ſententiis, in verbis floridus, et tanta rerum veneſtate redundans, vt in inſtitutione conuiuii et diſpenſatione Socraticam videatur dulcedinem propinare.* Scilicet pro ingenio quisque ſuo iudicat. Et qui veram linguae cum elegantiam, tum maieſtatem non capiunt, ſordes et maculas pro virtutibus commendant. Emunctae naris criticus ire maluit in alia omnia: cui Macrobius variorum videtur contexere centones, et ſi quando ipſe loquitur, Graeculus balbutire Latine. *c*) Facile vbique deprehendes ſtilum eius eſſe minime cultum, et varium, vt aliena magis, quam ſua tradit, et cum rebus ipſis veterum quoque dictionem exprimere ſtudet. Neque adeo omnia, pro ratione ſeculi, videntur eſſe inepta. Dicendi normam LAVRENTIO VALLENSI Macrobium obiicit ANTONIVS RAVDENSIS, *d*) Sed ille potius Ciceronis teſtimonia requirit: omnium vero minime Macrobii iudicium agnoſcit, qui ipſi vir quidem doctus, ſed nequaquam ex eloquentibus. Et ipſe MACROBIVS *e*) fatetur, non ſe Latinae linguae vena iuuari, et omnino in ſermone ſuo natiuam Romani oris deſiderari elegantiam. Quod ſupra, vt ipſe diſerte loquitur, de Macrobii peregrinitate expoſuimus: HADRIANVS Cardinalis *f*) vero ſibi perſuadet, tempora ſua hac imperfectione infecta ſignificare. De ea quidem non eſt quod dubite-

b) Policrat. l. 8. c. 10. *c*) ERASMVS Ciceroniano p. 84.
d) Vid. LAVRENTII VALLENSIS in errores Antonii Raudenſis annotationes p. 40. ſeq. *e*) Saturn. l. 1. praef.
f) De ſermone Latino p. 11.

mus, ſed auctoris ſententiam longe aliam fuiſſe, verba demonſtrant, *ſub alio ortum coelo*, neque ab lectoribus ſuis veniam petiiſſet, ſi communia ſeculi voluiſſet accuſare vitia. Attamen grammaticus noſter ſuis libris paſſim profert, quae philologiam Romanam illuſtrant, quamuis vberior ſit rerum philoſophicarum et antiquitatum in illis ſeges, atque adeo eruditionis omnigenae haudquaquam contemnenda meſſis.

§. XXXII.

Macrobii ſomnium Scipionis ex Ciceronis libro de rep. excerptum; eiusdem conuiuia Saturnalia primum edita ſunt *Venetiis* 1472. fol. per Nic. Ienſon. Rurſum 1482. et 1492. fol. 1500. fol. typis Philippi Pincii, Mantuani. *Brixiae* 1483. fol.

§. XXXIII.

Seculo poſt Chriſtum natum decimo ſexto Macrobius prodiit *Bononiae* 1501. fol. *Florentiae* 1515. 8. e Nicol. Angelii caſtigatione. *Baſileae* 1519. fol. ex emendatione Ioh. Riuii, Veneti. 1535. fol. emendatus et ſuppletus e codicibus inſignibus MStis a Ioachimo Camerario, apud Heruagium. *Coloniae* 1521. fol. ex Arnoldi Veſaliensis recenſione, qui lacunas ſuppleuiſſe, Graeca addidiſſe, capita diſtinxiſſe, commata diſcriminaſſe, innumera emendaſſe, ipſumet ſe profitetur, nullo MSto codice adiutum. g) Nae is veterem Ariſtarchum vicit, Oedipo coniectore

g) Nam ita in praefat. ſcribit: *en tibi Macrobium ex foedo nitidum, ex obſcuro apertum, expeditum ex intricato, ex confuſo digeſtum. — — Nulla exemplarium vetuſtas, nullae chartae excuſſae pulueribus, nullae diſpunctae membranae, vt fieri ſolet, noſtram hanc opellam promouerunt: ſed ſi quid praeſtitimus, id ſedulo labore et crebris lucubrationibus elimatum eſt.*

Digitized by Google

lectore excellentior criticus. 1526. fol. 1527. 8. *Venetiis* 1528. 8. apud Aldum. *Lugduni* apud Sebaſt. Gryphium 1532. 1538. 1542. 1548. 1555. 8. 1560. et 1585. 12. *Pariſiis* 1515. fol. apud Aſcenſium, a Ioh. Riuio reſtitutus, cum iudicio et amplo, et veridico. 1585. 8. accurante Henrico Stephano. *Lugduni Batau.* 1595. 8. *Geneuae* 1597. 8.

§. XXXIV.

Decimo ſeptimo poſt Chriſtum natum ſeculo Macrobius prodiit *Lugduni Batauorum* 1628. 8. cum Ioh. Iſaaci Pontani notis, et Ioh. Meurſii caſtigationibus. 1670. 8. cum ſuis et aliorum notis, accurante Iacobo Gronouio. *Londini* 1694. 8. accurante Iacobo Gronouio, cum notis variorum: ſunt autem praeter Gronouii in ea editione integrae Iſaaci Pontani et Ioh. Meurſii obſeruationes.

§. XXXV.

Duodeuiceſimo poſt Chriſtum natum ſeculo Aurelii Macrobii Ambroſii Theodoſii V. C. quae extant omnia emendata et cum optimis editionibus collata prodierunt *Patauii* 1736. 8. accurante Volpio, apud Ioſephum Cominum.

CAPVT V.

De claris vegetae ſenectutis rhetoribus.

§. 1.

Vtiliſſima rhetorum opera. 2. *Sub Hadriano Iulius Seuerianus laudatur.* 3. *Sub Alexandro Seuero Frontinus, Macrinus, et Granianus.* 4. *Sub Decio Cyprianus.* 5. *Arnobius et Lactantius.* 6. *Marii Victorini vita.* 7. *Scripta.* 8. *Laudes.* 9. *Obſcuritas notantur.* 10. *Titianus.*

11. *Hieronymus.* 12. *Et Auguſtinus artem rhetoricam profeſſi ſunt.*

§. I.

Qui bonis artibus proficere ſtudebant, e ſcholis grammaticorum ad rhetores, inde porro ad philoſophos tranſire ſolebant. Hinc lepidam A. GELLIVS *a*) annotauit fabellam, quod arguerit Taurus philoſophus ſeuera et vehementi obiurgatione adoleſcentem a rhetoribus et a facundiae ſtudio ad diſciplinas philoſophicas transgreſſum: quod factum ab eo quidem dixerit eſſe inhoneſte et improbe. Feciſſe non ibat ille inficias: ſed id ſolitum eſſe fieri defendebat; turpitudinemque delicti exemplorum vſu et conſuetudinis venia deprecabatur. At Taurus hoc defenſionis genere multo magis offenſus, homo, inquit, ſtulte ac nihili, ſi te a malis exemplis auctoritates et rationes philoſophiae non abducunt; ne illius quidem Demoſthenis veſtri ſententia tibi in mentem venit, quae quia lepidis et venuſtis vocum modis vincta eſt, quaſi quaedam cantilena rhetorica, memoriae tuae facilius adhaerere potuit? Verba ſunt aduerſus eum, qui, vt tu nunc facis, peccatum ſuum peccatis alienis purgare volebat: ne dicas, ſic eſſe actum ſaepenumero, ſed hoc fieri ita debere. Non enim ſi quid aliquando contra leges actum eſt, et tu id ſequeris, iure propterea euadere potes. etc.

§. II.

Hadriani, imperatoris Auguſti, temporibus rhetores inter clariſſimos fuiſſe videtur IVLIVS SEVERIANVS, cuius ſyntomata, ſiue praecepta artis rhetoricae ſummatim collecta de multis apud FRANCISCVM PITHOEVM inter antiquos rhetores Latinos *b*) leguntur. Neque ſatis certe ſcio,

a) Noct. Attic. l. 10. c. 19.

b) Pag. 302. ſeqq. editionis Pariſinae: de qua BOECLERVS biblio-

ſcio, an OPORINVS ea primum edi curauerit. *c*) Hoc ſcio, eundem eſſe libellum, quem SIXTVS a POPMA, Phryſius, Aurelio Cornelio Celſo, rhetori vetuſtiſſimo et clariſſimo, tribuit, ac primum, vt ipſi videbatur, in lucem edidit Coloniae 1569. 8. Vnde FABRICIVS ſibi imponi paſſus eſt: ratus in Franciſci Pithoei collectione rhetorum Latinorum praetermiſſum eſſe, perinde vt in omnibus Aurel. Cornel. Celſi editionibus, vetuſtiſſimi illius, et Quintiliano ac Curio Fortunatiano laudati ſcriptoris compendium rhetorices: vt totum iſtud, iam diu deſideratum, bibliothecae Latinae volumini tertio inſereret. *d*) Eumque ſecutus Vir ſumme Reuerendus et Celeberrimus, CHRISTOPH. AVGVSTVS HEVMANNVS, Goettingenſis Theologus atque Polyhiſtor, poeciles tomo primo *e*) libellum, aut reliquias potius libelli A. Corn. Celſi de arte dicendi, emendatas ſuisque animaduerſionibus illuſtratas dedit. Nec me piguit tantae auctoritatis Viros audire, et Celſo tribuere, quod illi iamtum ab antiquitate veneranda tributum perſpexi. *f*) Errorem vero notat Vir ſumme Reuerendus et celeberrimus, D. IACOB. FRID. REIMMANNVS, eccleſiarum Hildesheimenſium

graph. p. 46. *minores rhetores --- in vnum corpus collegit Cl. Petrus Pithoeus, cuius Pariſino editio raro reperitur, facilius Geneuenſis, non tamen crebro.* Sed errorem correxit celeber. KRAVSE animaduerſionibus p. 838. *collegit hos rhetores non Petrus Pithoeus, qui iam anno 1596. obierat, ſed frater eius Franciſcus Pithoeus, ediditque Pariſiis 1599. 4. Editionem vero eorundem, Geneuenſem prorſus ignoro, pro qua rectius in locis adiectis nominatur Baſileenſis, quae apud Frobenium 1521. 4. prodiit.*

c) Vid. KOENIGII biblioth. vetus et noua p. 750. v. *Seuerianus.* BARTHIVS in Claudian. p. 348. *d*) Pag. 759. ſeqq.

e) Pag. 378. ſeqq. *f*) De imminente Lat. linguae ſenectute c. 6. §. 10. pag. 337. ſeq. et c. 10. §. 10. pag. 631.

menſium Superintendens, et orbis literati decus, *g*) et recte miratur, Fabricium mirari, libellum hunc in Pithoei rhetoribus deſiderari: qui omnino, ſed non ſub Celſi, verum ſub Iulii Seueriani nomine, in ea Pithoeana collectione extat. Hunc etiam credit verum eſſe huius foetus parentem, non Celſum. Nec meum eſt tantas componere lites: quandoquidem non licuit eius codicem inſpicere MStum. Alii procul dubio, vt in Pithoei collectione, nomen prae ſe ferunt auctoris *Iulii Seueriani:* et rurſum alii, qualem Popma inuenit, auctorem indicant *Celſum.* Si quid coniectura valet: ſalua partis vtriusque auctoritate et inſcriptione, iſtius quidem non inelegantis libelli auctor eſt *Celſus*: ſed non *Aurelius Cornelius*, de quo in commentario de imminente L. L. ſenectute *h*) egimus; verum *Iulius*, qui vel ex adoptione, vel ex alia cauſſa, *Seuerianus* cognominatus fuit: cum familia vtraque tunc temporis conſularis fuerit. Et iuris inter conſultos non infimi nominis Hadrianus imperator Iulium Celſum habuit: *i*) cuius nominis fuerunt et alii, quorum dicto loco *k*) mentionem fecimus. Sed in re minus cognita antiquiori nihil definire audemus.

§. III.

Alexander Seuerus imperator a pueritia rhetores habuit Romae Latinos, IVLIVM FRONTINVM, et BAEBIVM MACRINVM, et IVLIVM GRANIANVM, cuius declamationes Aelii Lampridii aetate legebantur. *l*)

§. IV.

g) Catalogi bibliothecae Reimmannianae tomo 2. p. 495. ſeqq.
h) Cap. 6. §. 10. et cap. 10. §. 6. ſeqq.
i) Vid. AELIVS SPARTIANVS Hadr. c. 18.
k) De imminente L. L. ſenectute c. 10. §. 7. pag. 627.
l) LAMPRIDIVS in Alexandro Seuero c. 5.

Digitized by Google

§. IV.

Seculo poſt Chriſtum natum tertio medio, ſub Decio imperatore, inter rhetores ſui temporis non infimi nominis fuit S. CYPRIANVS Carthaginienſis Afer. Hic enim antequam ſuum Chriſto daret nomen, in Africa maximo cum applauſu bene dicendi artem docuit: et forenſibus cauſſis, quam ſcholaſtica diſciplina detineri maluit. De illo vero inter ſacros ſcriptores ac ſeruatori deuotos patres agemus. *m*)

§. V.

Sub finem tertii, et initium quarti poſt Chriſtum natum ſeculi ARNOBIVS Afer Siccae in Numidia rhetoricam docuit. De illo quoque paulo inferius ſingulari capite pluribus agemus, quo ſanctorum eccleſiae patrum merita nobis recenſenda ſunt. Et hunc eadem diſciplina excipit, diſcipulus Arnobii, LACTANTIVS FIRMIANVS ille, qui Chriſtianorum vulgo nominatur Cicero. Hic enim Diocletiani quoque temporibus primum Nicomediae in Bithynia, deinde Romae rhetoricam docuit: et extrema aetate Criſpum, Conſtantini M. filium, ab ipſo patre ſuo poſtea interemtum, optimis literis inſtituit. Et neſcio, an ſatis ſincerum ANTONII GALATEI *n*) de eo incomparabili eccleſiae doctore iudicium, plus elocutioni, quam eruditioni ſtuduiſſe. Sed de eo etiam ſuo loco.

§. VI.

Sub Conſtantio imperatore MARIVS VICTORINVS, *o*) Afer, rhetoricam Romae docuit. Vitioſe HIERONYMI

m) Confer. CYPRIANI liber ad Donatum init. Et ex hiſt. Magdeb. cent. 3. c. 10. IOH. SCHOEPFFIVS academia l. c. p. 44.

n) Libro de Lapygiae ſitu.

o) Vt plurimum in libris *Marius Victorinus*, vel etiam, prae-

NYMI *p*) editiones quaedam, pro *Conſtantio* principe, *Conſtantinum* habent, ſub quo dicendi arte quammaxime inclaruerit. Vnde illud etiam, apud TRITHEMIVM, *q*) in vrbe Roma ſub Conſtantino imperatore diu rhetoricam docuiſſe. Attamen ille ſub finem recte monet, claruiſſe Romae ſub Conſtantio imperatore ſecundo, anno CCCLX. Nam et HIERONYMVS hoc anno in chronico, qui Conſtantii imperatoris eſt vltimus, annotauit, Victorinum rhetorem, cum Donato grammatico et praeceptore ſuo, Romae inſignem in foro Traiani ſtatuam meruiſſe. In Africa natus eſt, et poſtquam Romae multos annos rhetoricam docuit, ſuaque doctrina immortalem ſibi nominis famam comparauit; imo in rep. ſummi honoris monumentum accepit: ingraueſcente iam ſenectute circa annum Domini CCCLXII. Chriſtianorum ſacris initiatus fuit. Tempus haud obſcure AVGVSTINVS *r*) innuit, quo Iulianus imperator Chriſtianos Romana literatura et arte oratoria inſtitui prohibuit. *Loquacem*, inquit, *ſcholam deſerere maluit, quam verbum tuum, Domine, quo linguas infantium facis diſertas.* Studium ſapientiae et aſſidua Platonis lectio, cuius libros ex Graeca in Latinam linguam transtulit, inſtar manuductionis illi fuit in ſcripturam ſacram. Hanc ipſe legendo admiratur, et Chriſtianae religionis veritatem amplectitur. Simpliciano, amicorum ſuauiſſimo, mentem aperit ſuam, qui hortatur eum, vt Chriſtianorum ingrederetur coetus, atque ſalutaris

nomine omiſſo Victorinus vocatur. Integrum nomen, vulgo vt ſcribitur, FABRICIVS biblioth. Lat. vol. 1. p. 702. et vol. 3. p. 421. notat *Fabius Marius Victorinus Afer.* Sed HIERONYMVS prooem. in epiſt. ad Galatas, oper. tom. 6. p. 267. edit. Pariſ. 1579. nominat *Caium Marium Victorinum.*

p) De viris illuſtribus c. 101. *q*) De ſcript. eccleſ. c. 71.
r) Confeſſion. l. 8. c. 5.

taris doctrinae, doctorum eccleſiaſticorum inſtitutione et opera ſe fieri certiorem curaret, quoad dignum corpori beato adiungeretur membrum, cuius felicitatem agnoſcere iam tum et laudare coeperit. Victorinus, exiſtimans, ſufficere, quod Chriſtianae religionis veritatem intellexerit, Simpliciano, illudens quaſi hominis ſimplicitati, reſpondet, an etiam parietes faciant Chriſtianos. Sed in fide confirmatus, cum in ſacra euangelii hiſtoria legerit, Chriſtum Ieſum extremo poſt fata iudicio, ad ſe pertinere, vt beneficiorum fierent participes, negaturum, qui eum coram hominibus profiteri dubitent; Simpliciano, amico ſuo, tandem dixit: eamus in eccleſiam. Sic aliquandiu in cathecumenorum fuit numero, et publice venerabilis ſenex, Chriſtiano applaudente populo, baptiſmatis, quod vocant, Sacramentum accepit. *s*) Sic ſuae gentis eruditiſſimus homo, *qui*, vt AVGVSTINVS *t*) loquitur, *philoſophorum tam multa legerat, et diiudicauerat, et dilucidauerat, doctor tot nobilium ſenatorum, qui etiam, ob inſigne praeclari magiſterii, ſtatuam in Romano foro meruerat et acceperat; non erubuit eſſe puer Chriſti tui, et infans fontis tui, ſubiecto collo ad humilitatis iugum, et edomita fronte ad crucis opprobrium.* Diſcimus inde, ſenatorum fuiſſe multorum magiſtrum: ordinis ipſum fuiſſe ſenatorii, nuſquam me legiſſe memini, nedum conſularem dignitatem obtinuiſſe. Eumque ſolus forſan TRITHEMIVS *v*). virum conſularem vocat. Auctores lexici vniuerſalis *x*) admodum vero ſimili ratione, ex illo ſupra citato Auguſtini loco ſcribunt: die anſehnlichſte Rathsherren, welche ſeine

s) Hiſtoriam hanc AVGVSTINVS confeſſionum l. 8. c. 2. refert, eamque ſe ab Ambroſio accepiſſe dicit. *t*) L. c.

v) De ſcript. eccleſ. cap. 71. *x*) Quod ISELIVS edidit Baſileae 1727. tom. 4. pag. 755. voc. *Victorinus*.

Digitized by Google

Schüler waren, richteten ihm zu Ehren auf dem offentlichen Marckplatze zu Rom eine Statue auf, um ſich dardurch gegen ihn öffentlich danckbar zu erzeigen. Romae Victorinum aiunt *y*) in rhetoricis, vt Donatus in grammaticis, S. Hieronymi magiſtrum fuiſſe. Alii contra *z*) valde dubitant, Hieronymum Victorino praeceptore vnquam fuiſſe vſum: quod quidem diſerte in eius ſcriptis nullibi legimus. In Euſebiano chronico, *a*) *Victorinus rhetor*, inquit, *et Donatus grammaticus, praeceptor meus, b) Romae inſignes habentur. E quibus Victorinus etiam ſtatuam in foro Traiani meruit.* Sic ſane alterum, Donatum ſcilicet, ait ſibi praeceptorem fuiſſe, non vtrumque, dicturus alioqui fuiſſet, *praeceptores mei.* Ad eandem coniecturam facit, quod idem nec in catalogo ſcriptorum illuſtrium, nec vſquam alibi, Victorini mentionem faciens, praeceptorem appellat. Imo nec ipſe Hieronymus Victorini dictionem approbaſſe videtur; quod ſatis patet ex epiſtola, quam ad Paulinum monachum ſcripſit, vbi inter alia, *incluto Victorinus martyrio coronatus, quod intelligit, eloqui non poteſt.* Et in catalogo ſcriptorum illuſtrium: *c) Victorinus natione Afer, Romae ſub Conſtantio principe rhetoricam docuit; et in extrema ſenectute Chriſti ſe tradens fidei, ſcripſit aduerſus Arium libros more dialectico valde obſcuros, qui, niſi ab eruditis, non intelliguntur, et commentarios*

y) Inter alios CRINITVS de honeſta diſciplina l. 6. c. 6. SIXTVS SENENSIS bibliothecae ſanctae l. 4. pag. 301. *z*) Quos inter ERASMVS Hieronymi vita. MARIANVS VICTORIVS, Reatinus, Hieronymi vita, apud SVRIVM de probatis ſanctorum hiſtoriis tom. 5. Septembr. p. 496. *a*) Anno Domini 360.

b) Exemplo autem corrupto auctor vitae D. Hieronymi, operum tom. 9. p. 721. edit. Pariſ. 1579. legit: *Victorinus rhetor, et Donatus grammaticus, magiſtri et praeceptores mei, Romae inſignes habebantur.* *c*) Capite 101.

Digitized by Google

rios in apostolum. Quicquid praeterea de Victorino est notatu dignum, scituque iucundum, doctissimus LAVNOIVS dissertatione de quinque Victorinis congessit.

§. VII.

Scripsit expositionem in rhetorica Ciceronis, siue duos de inuentione libros. Commentatio haec vtilis et elegans est, neque obscuritatis vitio laborat: cuius alia Victorini scripta vulgo accusari vidimus. Edita est primum expositio haec rhetorica *Venetiis* 1481. fol. per Baptistam de Tortis. Saepius deinde separatim, et cum Ciceronis de inuentione libris prodiit. Extat quoque inter Francisci Pithoei antiquos rhetores Latinos *Parisiis* 1599. 4. pag. 79. — 239. Scripsit etiam Poemata, tres hymnos et carmen hexametrum de septem Maccabaeis cum pia matre ab Antiocho Epiphane interfectis. Grammatica quoque, de quibus suo loco iam monuimus quaedam. Indicanda restant philosophica et sacra, quae senex, cum Christianam esset amplexus fidem, sed obscuriora, edidit. Teste AVGVSTINO, *d*) Platonis aliquot libros in Latinam linguam transtulit, quos ille sua aetate legit, vt ad humilitatem Christi excitaretur. Eiusmodi vero nihil forsan hodie superest. In Porphyrii isagogen de praedicabilibus, a Victorino translatam, extant Boethii commentarii, inter eius opera saepius vulgati. Extant quoque Victorini de S. S. Trinitate libri quatuor aduersus Candidum Arianum, quorum HIERONYMVS, *e*) HONORIVS, *f*) et TRITHEMIVS, *g*) mentionem fecerunt, cum separatim, tum inter alia ecclesiastica monumenta, in orthodoxographis, Heroldi haeresiologia, et in bibliothecis patrum. *h*) DV PINIVS *i*) de istis bene iudi-

d) Confession. l. 8. c. 2. *e*) De viris illustribus c. 101. *f*) De script. eccles. l. 1. c. 102. *g*) D. S. E. cap. 71. *h*) Vid. FABRICIVS biblioth. Lat. vol. 3. p. 422. *i*) Noua biblioth. eccles. auctor. tom. 2. p. 173.

cat ita: *probat diuinitatem verbi, et consubstantialitatem tuetur, sed modo adeo scholastico, insuperque adeo intricato, vt vix ratiocinia ipsius percipi possint. Multae circa trinitatis mysterium locutiones ibi occurrunt, alienae a sana ratione, et a modo loquendi, qui scripturae et ecclesiae familiaris est.* Scripsit etiam commentarios in epistolas Apostoli Pauli: qui sine magno ecclesiae damno interiere. *k*) Nam ita de illis HIERONYMVS: *l*) *non quia ignorem, C. Marium Victorinum, qui Romae me puero rhetoricam docuit, edidisse commentarios in Apostolum: sed quod occupatus ille eruditione secularium literarum, scripturas omnino sanctas ignorauerit, et nemo possit, quamuis eloquens, de eo bene disputare, quod nesciat.* Librum aduersus Iustinum Manichaeum, et de principio diei, edidit Iacobus Sirmondus tomo primo opusc. dogmatic. veterum Parisiis 1630. 8. Extant etiam in operibus Sirmondi Parisiis 1696. fol. tom. 1. p. 409. — 422. et bibliotheca patrum Lugdun. tomo 4. p. 289 — 292. Reliqua edidit Andreas Riuinus Lipsiae 1652. 8.

§. VIII.

Omnium aetatum laudes meruit. Auctoritatem, quam doctrina sibi Romae conciliauerat, aenea in foro Traiani artis rhetoricae doctori posita statua testatur. AVGVSTINVS *m*) illum senem doctissimum vocat, et omnium liberalium doctrinarum peritissimum. TRITHEMIO *n*) est rhetor omnium suo tempore celeberrimus, qui Romae propter excellentiam doctrinae statuam promeruerit.

§. IX.

k) Nisi quod SIRMONDVS oper. tom. 1. ante pag. 345. testatur, commentarios Victorini in epistolas Pauli ad Galatas et Philip. penses delitescere MSt. in bibliotheca monasterii Hereuallensis in Gallia. *l*) Praefat. in epist. ad Galatas. *m*) Confession. l. 8. c. 2. *n*) De script. eccles. c. 71.

Digitized by Google

§. IX.

Deſiderant in eius libris quam maxime perſpicuitatem: quos, vt HIERONYMVS *o*) loquitur, more dialectico ſcripſit valde obſcuros: vt, niſi ab eruditis, non intelligantur. Totidem verbis id quoque affirmat HONORIVS Auguſtodunenſis. *p*) TRITHEMIVS *q*) tractatus vocat eius more dialectico ſatis obſcuros, et viris doctiſſimis vix peruios. BOECLERVS: *r*) *Marius Victorinus Afer, rhetor quam theologus melior; reliquit tamen quaedam theologica, in bibliotheca patrum, caute legenda: ſero enim ad Chriſtianiſmum venit.*

§. X.

Gratiani et Theodoſii Auguſtorum temporibus rhetores inter maxime floruit TITIANVS, qui ſcholis paſſim maxima cum laude praefuit. Inde AVSONIVS, *s*) *Quintilianus*, inquit, *conſularia per Clementem ornamenta fortitus, honeſtamenta nominis potius videtur, quam inſignia poteſtatis habuiſſe. Quomodo Titianus magiſter? Sed glorioſus ille municipalem ſcholam apud Viſontionem Lugdunumque variando, non aetate quidem, ſed vtilitate conſenuit.* Praeter rhetorica, etiam Iambicis ſenariis, ſiue trimetris apologos ſcripſit. Hinc idem AVSONIVS, epiſtola ad Probum, praetorio praefectum: *t*)

Aeſopiam trimetriam,
Quam vertit, exili ſtilo
Pedeſtre concinnans opus,
Fandi Titianus artifex.

Scriptorum vero prorſus nihil hodie ſupereſt. §. XI.

o) De viris illuſtribus cap. 101. Confer. eiusd. praef. in epiſt. ad Galatas oper. tom. 6. p. 267. edit. Pariſ. 1579. *p*) De ſcript. eccleſiaſt. l. 1. c. 102. *q*) De ſcript. eccleſ. cap. 71.
r) Bibliographia critica pag. 736. *s*) Gratiarum actione c. 10.
t) Epiſt. 16. v. 77.

§. XI.

Eiusdem aetatis est S. HIERONYMVS, qui publice quidem ipse, quantum memini, rhetoricam non docuit, sed Romae tamen insigni studio elegantioribus literis, atque inprimis bene dicendi sedulo incubuit arti. Orationes crebro, ingenii excolendi gratia, pro concione habuit, fictisque caussis semet exercendo forum frequentauit, ac saepius aliorum eloquentia proficere studuit. Vt pluribus infra docebimus suo loco, vbi de scriptoribus sacris fuerit dicendi occasio. Sufficit hic monuisse, illum etiam inter ieiunia Tullium legisse, prophetarum contra incultum sermonem horruisse, et miserum aliquando per somnium vapulasse, quod Ciceronianus esse mallet, quam Christianus: vt ipse lepidam hanc fabellam, vt virginitatem seruaret, ad Eustachium scripsit. *v*)

§. XII.

Theodosii M. imperatoris quoque temporibus inter rhetores floruit S. AVRELIVS AVGVSTINVS, postea Hipponensis in Africa episcopus. Pater eius, cui nomen erat Patricio, nullis sumtibus pepercit, vt fori excelleret studio. Iactis Tagastae, quae vrbs illi patria, literarum fundamentis, Madaurae et Carthagine sedulam rhetoricae dedit operam; tanto quidem successu, vt ipse annum agens vicesimum quintum, sub finem CCCLXXIX. docere coeperit Carthagine, et maximo cum applausu omnium tradere artem dicendi. Tandem Carthaginiensium scholasticorum petulantiae pertaesus, Romam profectus est, vbi cum eruditione et doctrina innotesceret, suos facile inuenit discipulos. Mox autem ciuitatis Mediolanensis proceres a Symmacho, Romae praefecto, probe exercitatum postulant rhetoricae professorem. Eamque prouinciam Augusti-

v) Part. 3. tract. 5. epist. 16.

Digitized by Google

Auguſtinus, a Symmacho commendatas, obtinet, ac ornat, donec Ambroſii, Mediolanenſis epiſcopi, manuductione CCCLXXXIX. aetatis anno triceſimo ſecundo ſemet Chriſto deuoueret totum. Circa annum Domini CCCLXXXI. de ſcientiis ſcribere inſtituit, quod ipſe in retractationibus teſtatur. E multis, quos aggreſſus eſt, libris de logica, de rhetorica, de geometria, de arithmetica, et de philoſophia, ſolum de grammatica librum abſoluit. Hos omnes libros vix tum reperiri poſſe, mirabatur Auguſtinus: cum retractationum libros ſcriberet. Eodem tempore ſex de muſica libros auſpicatus eſt, quod perfecit tandem CCCLXXXIX. poſtquam in Africam rediit. Libro primo de muſica agit in genere; ſecundo de ſyllabis et pedibus: tribus libris ſequentibus de metro, de numero, et de verſibus agit. Vltimo oſtendit, quod muſica cor animumque ad harmoniam coeleſtem attollere debeat. Hi de muſica ſex libri extant. Et FRANCISCVS PITHOEVS *x*) antiquos inter rhetores Latinos retulit Auguſtini principia rhetorices, quorum initium eſt: *oratoris officium eſt, propoſita quaeſtione* etc. Leguntur haec quoque rhetorices principia, cum libro de grammatica, dialecticae principiis, et decem categoriis, Auguſtini operum tomo primo ſtatim poſt retractationum et confeſſionum libros. Doctiſſimi vero Benedictini monachi inter opera ſuppoſititia ad voluminis calcem reiecerunt quatuor iſtos libellos, quos Auguſtino adſcripſerunt, quod ipſum intellexerant in retractationibus monuiſſe, ab ſe aliquid de his diſciplinis ſcriptum. Atqui haec Auguſtinus in modum dialogi ſcripſit, vt illum quoque tractatum de muſica, quo docet, illa ſcientia ad animos noſtros coelum verſus deliciasque diuinas attollendos, vtendum. Iſti vero libelli neque dialogis

x) Pariſiis 1599. 4. pag. 290.

dialogis ſcripti ſunt, neque ad animos diuinis meditationibus aſſueſcendos. Stilus longe diuerſus, aliaque methodus. Multa denique in iſtis Auguſtino indigna, imo eius ſententiae aduerſa reperiuntur.

CAPVT VI.

De nobiliſſimis vegetae ſenectutis oratoribus.

§. 1.

Eloquentiam commendat ſapientia. 2. *Quae cauſſarum patronis propria.* 3. *Valde corrupta.* 4. *Affectatio inepta.* 5. *Speciem dignitatis quandam prae ſe ferunt orationes principum.* 6. *Sub Hadriano Calpurnius Flaccus fuit.* 7. *Sub Antoninis Fronto Cornelius.* 8. *Et L. Apuleius.* 9. *Sub Valeriano et Gallieno Poſtumius Iunior.* 10. *Sub Maximiano Claudius Mamertinus.* 11. *Eumenius.* 12. *Auctor panegyrici incertus, qui Conſtantino Auguſto Treuiris dictus.* 13. *Nazarius.* 14. *Mamertinus iunior.* 15. *Auſonius.* 16. *Latinus Pacatus Drepanius.* 17. *Veterum panegyricorum editiones ſeculo decimo ſexto.* 18. *Decimo ſeptimo.* 19. *Duodeuiceſimo.* 20. *Symmachi vita.* 21. *Scripta.* 22. *Symmachi alii.* 23. *Noſtri auctoritas.* 24. *Laudes.* 25. *Eruditio.* 26. *Stilus.* 27. 28. *Editiones recenſentur.* 29. *Plures fuerunt oratores, quorum memoriam alii cuſtodire ſtuduerint.*

§. 1.

Mater vt artium reliquarum, ita eloquentiae inprimis eſt Philoſophia, quae recte homines ſapere, recte ſentire, atque adeo recte dicere, et ſine fuco rerum germana pulchritudine res populo copioſius proponere docet. Ora-

Orationem oportet eſſe caſtam et elegantem, virginis inſtar adultae ac pudicae, quae non turgida et maculoſa, verum naturali quodam ornatu ſemet omnibus commendat. *a*) Ex interiori philoſophia ergo rationes ſuas, ea qua decet concinnitate, protrahere debet: ſine qua dicentis moderatrice, vana quidem poteſt inſurgere loquentia, neutiquam vero maſcula conſiſtit eloquentia. Quid enim, etiam TVLLIO teſte, *b*) eſt tam furioſum, quam verborum, vel optimorum atque ornatiſſimorum, ſonitus inanis, nulla ſubiecta ſententia, nec ſcientia? Sapientiae autem ſtudio, velut communi vinculo, omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, quibusque orator debet eſſe quam maxime inſtructus, *c*) neceſſario continentur. Nec ab re Mneſarchus, apud ſummum eloquentiae magiſtrum, *d*) oratorem opinatur, niſi qui ſapiens eſſet, eſſe neminem: atque ipſam eloquentiam, quod ex bene dicendi ſcientia conſtaret, vnam quandam eſſe virtutem: atque adeo illum, qui eſſet eloquens, virtutes habere omnes, atque ſapientem eſſe. Et ipſe PLATO, ſcientias omnes miro conſenſu concentuque conuenire, et quodam ſocietatis vinculo colligari, *e*) et initiis cauſſisque, philoſophia duce, perſpectis rerum omnium cognitio mire conſequitur. Apparet hinc ſtultitia eorum, qui auditores ad vulgaria artis praecepta

a) Vid. comment. de lectione auctorum claſſicorum p. 7. ſeq.

b) De orat. l. 1. c. 12. *c*) CICERO de oratore l. 1. c. 6. *Mea quidem ſententia nemo poterit eſſe omni laude cumulatus orator, niſi erit omnium rerum magnarum atque artium ſcientiam conſecutus. Etenim ex rerum cognitione efflorescat et redundet oportet oratio: quae, niſi ſubeſt res ab oratore percepta et cognita, inanem quandam habet elocutionem, et pene puerilem.* *d*) De oratore l. 1. c. 18.

e) Confer. CICERO orat. pro Archia c. 1. Et GRAVINA orat. de ſapienda vniuerſa, oper. p. 656.

inania mittentes, ac philoſophiam prorſus ab oratoria diuellentes, illos iuxta ſecum vel ſomniare, vel inſanire compellunt: vt a verbis ſententias, velut a corpore mentem ſeiungant: quaſi vero poſſit aliquis recte dicere, niſi iam tum recte ſapere et cogitare didicerit; aut absque rerum notitia res poſſit aliquis explicare, moribusque humanis et affectionum cauſſis ac motibus ignoratis, hominum animos delinire ac permouere dicendo. Virili et ſummo aetatis robore eloquentia philoſophiae nitebatur et ſurgebat radicibus: neque ad voluptatem aut oſtentationem magis, quam ad negotia ciuilia, et publicos priuatosque vſus, conferebatur. Nullos tum alienos et aduentitios captabat colores, ingenua pulchritudine atque candore contenta natiuo. In meliorum orationibus vbique ſententiarum maieſtas et argumentorum pondera, nuſquam artis fucus, aut ſeſquipedalia verba et ornatus inanis, imo ſtulta affectatio, eluceſcunt. Cum aut res familiaris, et amicorum, aut publica, imo ſalus aliquando patriae, vel cauſſa capitalis in diſcrimen venit: ipſa negotiorum ratio, et rerum ciuilium vſus, hominum ſtudia ab ludicris ad ſeria, ab inani iactantia ineptiisque ad grauitatem et maximam dicendi vim abducebat: Inuerſa eſt tandem ratio tota. Temporis ſucceſſu, et ingraueſcente Latinae linguae ſenectute, maſcula vis artis deſiit atque caſtitas inſignis: illi vero emendicata et perperam affectata elegantiae ſpecies, et ſola fere argutiarum cura ſucceſſit. Imo generoſa dicendi ſuauitas in vanum litigandi pruritum et vix tolerandas ineptias degenerauit.

§. II.

Aduocati, quos cauſſarum vocamus patronos, oratores adhuc fuerunt excellentiſſimi, ac principatum ſemper in arte dicendi optima tenuere. Florebant elegantiae priſcae patrociniis tribunalia; quum oratores facundiſſimi literarum

Digitized by Google

terarum ſtudiis, ingenio, fide, induſtria, omnibus dicendi ornamentis eminebant. Iam vero cum linguae ornatu virtutem ipſam poſuiſſe videntur. AMMIANVS MARCELLINVS *f*) certe hominum ignauiam, inſidias, et auaritiam, non ſatis atro carbone depingere valet, ac temporis ſui deplorandam calamitatem. *Videre eſt*, inquit, *per omnes tractus violenta et rapaciſſima genera hominum, per fora omnia volitantium, et ſubſidentium diuites domos --- In his primus eſt coetus eorum, qui ſeminando diuerſa iurgia, per vadimonia mille iactantur, viduarum poſtes, et orborum limina deterentes, et auidi inter diſcordantes amicos, aut propinquos, vel affines ſimultatum ob leuia ſcrinii receptacula odia ſtruentes infeſta --- Inter rapinas inſatiabiles inopes, ad capiendam verſutis orationibus iudicum fidem, quorum nomen ex iuſtitia natum eſt, ſicam ingenii diſtringentes. Horum obſtinatione libertatem temeritas, conſtantiam audacia praeceps, eloquentiam inanis quaedam imitatur fluentia loquendi.* --- Alius *eorum eſt ordo, qui vt in profeſſione turbulenta clareſcant, ad expugnandam veritatem, ora mercenaria procudentes, per proſtitutas frontes vilesque latratus, quo velint, aditus ſibi patefaciunt crebros: qui inter ſollicitudines iudicum per multa diſtentas, irreſolubili nexu vincientes negotia, laborant, vt omnis quies litibus implicetur, et nodoſis quaeſtionibus de induſtria iudicia circumſcribunt.* etc. Porro genus aduocatorum accuſat impudens, peruicax, et indoctum: *qui quum ſemel vmbraticis lucris et inhiandae vndique pecuniae ſeſe dederint, litigare fruſtra quoslibet innocentes hortantur: et ad defendendam cauſſam admiſſi, --- ſuſcepti nomen, et vim negotii, ſub ore diſceptatoris inter ipſos conflictuum articulos inſtruuntur, circumlocutionibus indigeſtis ita ſcatentes, vt colluuionis teterrimae audire exiſti-*

f) Hiſt. l. 30, c. 4.

mes vlulabili clamore Therſiten. --- Equibus ita ſunt rudes nonnulli, vt nunquam ſe codices habuiſſe meminerint: et ſi in circulo doctorum auctoris veteris inciderit nomen, piſcis aut edulii peregrinum eſſe vocabulum arbitrantur: ſi vero aduena quisquam inuſitatum ſibi antea Marcianum verbotenus quaeſierit oratorem, omnes confeſtim Marcianos appellari ſe fingunt. --- Quumque intra cancellorum venerint ſepta, et agi coeperint alicuius fortunae, vel ſalus, atque laborari debeat, vt ab inſonte gladius, vel calamitoſo detrimenta pellantur: corrugatis hinc inde frontibus, brachiisque hiſtrionico geſtu formatis, vt concionaria Gracchi fiſtula poſt occipitium deſit, conſiſtitur altrinſecus diu. Tandemque ex praemeditato colludio per eum, qui eſt in verba fidentior, ſuaue quoddam principium dicendi exſeritur, pro Cluentio, vel pro Cteſiphonte, orationum aemula ornamenta promittens: et in eam concluſionem cunctis finem cupientibus deſinit: vt nondum ſe patroni poſt ſpeciem litis trienniun editam cauſſentur inſtructos etc.

§. III.

Vera eloquentia, quae nihil aliud quam eleganter et copioſe loquens ſapientia, ſenectutis imbecillitate, pro maſcula virtute, accepta, in dies ita deformari viſa eſt: vt ſibimet ipſa grauis tandem in exitium rueret. Ita S. HIERONYMVS g) cum Romae ad tribunalia iudicum veniſſet, diſertiſſimos oratores tanta inter ſe vidit acerbitate contendere: vt omiſſis ſaepe negotiis in proprias contumelias verterentur, et ioculari ſe inuicem dente morderent. Solas adamare coeperunt aurium blanditias. Orationis ſanitas in adulationes conuerſa eſt. Nitor veterum vix ac ne vix quidem arridere cuiquam potuit amplius: corrupta nimis vbique locorum obtinente di-

g) Comment. in Epiſtolam ad Galatas c. 2. operum tom. 6. edit. Pariſ. 1579. p. 288.

Digitized by Google

dicendi ratione. Hinc artis oratoriae, cuius olim tanta maieſtas, nunc in ſenium vergentis, facies ſatis rugoſa, apparet, ſuamque deformitatem ne fuco quidem, aut genarum delinimentis celare poteſt. In omnibus panegyriſtis, qui vegeta Latinae linguae hac ſenectute vixerunt, et ſatis quidem eruditi, nec indiſerti fuerunt, haud difficulter videre licebit, quantum ſtili facies mutauerit. Quamquam enim valerent ingenio, ſuam tamen non potuerunt vincere aetatem, aut emendare ſenectutis vitia. Conantur ſaepe ad grauitatem optimi ſeculi aſſurgere; ſed conantur tantum: et deprehendimus facile in imitationis pari ſtudio ſucceſſum diſparem. Legimus, quae, pro ingeniorum ac temporum captu, vel in ipſa veterum aemulatione, in obliquum deflexa, aut declamatorie depicta, aut quomodocunque a ciuili rectitudine immutata fuerunt. Sic in ortu ſuo emergens Latine ſcribendi conſuetudo in formam corruptiſſimam tandem ematurescit: dum a fonte ſemper diſceditur longius: nec a riuis hauſta riuos ſtudent bona fide referre.

§. IV.

Iam pridem eloquentiam deterioris ſeculi homines in ſenſus pauciſſimos et anguſtas ſententias detruderant, velut expulſam regno ſuo; vt, quae olim omnium artium pulcherrimo comitatu pectora implere conſueuerat, nunc tandem circumciſa et amputata, ſine apparatu, ſine honore, pene dixerim ſine ingenuitate, velut vna ex ſordidiſſimis artibus diſcatur. Accedit alia deprauatae eloquentiae culpa ex adulationibus aulicis. Cum enim principibus quique ſuis quammaxime placere ſtuderent: iſtorum quoque vitia neſcio quibus coloribus ad coelum euehere non dubitabant: neque ſibi ab immoderata laudatione temperare poterant. Diuinum quid, ac numen ipſum vbique volebant

volebant apparere. Hinc illuſtriores ſolito translationes. Hinc neſcio quae ſublimitatis affectationes: vt, quae olim conſeerationis fuerant, tanquam maieſtatis dignitatem veraque honoris inſignia retinerent, etiam quum Chriſtianis ritibus imperatores iam eſſent publice addicti: cuius vel ille pontificatus maximus Gratiani, de quo in panegyrico eſt, argumentum luculentiſſimum exhibere videtur. Omnia, ex illius ſuſpicioſiſſimi temporis peruerſa ratione, altius erant efferenda: neque oratores verba inuenire poterant, quibus ſatis reuerenter de Caeſaribus loquerentur. Hinc dum nouas inuenire coeperunt voces, veteres perdiderunt cum omnibus gratiis, ac turpiſſime vtplurimum lapſi dedecus ſibimet ipſis et orationi concitarunt. Oppreſſa libertate Romana, imperatore ſuos quidem ornabant oratores: cum vero negotia non ratione publica, neque dicentis ingenio, agerentur, ſed principis vnius auctoritate procederent: eloquentia ipſa, ſuo munere et dignitate deſtituta, e foro in declamatorum ſcholas relegata eſt: atque vt, dominatione vnius, vel paucorum, orta, ad aſſentandum conuenerunt omnia, maieſtas eloquentiae regia in adulationis ingenioſum condimentum a principibus ambitioſis aduocata, vel ſub iugum quaſi redacta fuiſſe videtur. Sic magis magisque oratores, ſub graui ſeruitutis onere, dominos ſuos ad coelum euehere laudibus, cetero garrire potius, vel argutari coeperunt. Nunc principes optimi maximi dicti ſunt: cuius quidem adulationis veſtigia ad nauſeam vſque in omnibus huius aeui monumentis reperiuntur. Senatusconſulto *h*) Hadrianus Augūſtus imperator maximusque princeps vocatur. PAPINIANVS *i*) optimos maximosque principes ait conſtituiſſe, vt iuris periti, qui ipſis a conſiliis, a tutela liberentur. Idem

k) Seuerum

h) L. 20. §. 6. D. de hereditatis petitione.
i) L. 30. D. de excuſationibus.

Digitized by Google

k) Seuerum Auguſtum optimum maximumque principem vocat. Tandem et principes κατ' ἐξοχὴν magni dicebantur. APVLEIVS: *l*) *literas ad magnum ſcriptas principem Romam perlaturum.* Rurſum: *m*) *de literis fauſta vota praefatus principi magno, ſenatuique et equitibus totique populo Romano.*

§. V.

Eloquentiae ſic triſtis quidem habitus: et nulla priſtinae vel dignitatis, vel libertatis ſpecies ſupereſſe videbatur: more antiquo tamen ſaepius adhuc in ſenatu Principum orationes audiebantur, *n*) quae non tam caſtae virginis gratiam, quam rugae ſenilis quandam quaſi venerationem praeſe ferebant. Erant autem in ſenatu recitandae a principibus, eorundemue legatis, diuerſorum generum orationes. Cum principatum ſuſcipiebant, moris erat, vt ſenatum publice compellarent, de collato ſibi honore gratias agerent, atque imperium ſe ad patrum et populi ſententiam adminiſtraturos ſponderent. Et HERODIANVS *o*) de Seuero teſtatur, cum imperium ſuſcepiſſet, curiam intraſſe, ibique orationem habuiſſe plenam optimae ſpei: veniſſe in vrbem, vt occiſum Pertinacem vlciſceretur: daturum operam, vt ſtatus optumatium fundamenta, ſe principe, iacerentur: nullum niſi iudicio damnatum capite bonisque mulctatum iri: non paſſurum delatores: aemu-

k) L. 8. D. de vacatione et excuſatione munerum. Confer. l. 39. extr. D. de poenis, et l. 17. D. de quaeſtionibus.

l) Aſin. aur. l. 10. *m*) Ibid. *n*) De principum orationibus elegantem CHR. OTTONIS A BOECKELEN commentationem lege, in SLEVOGTII opuſculis de ſectis et philoſophia iuriſconſultorum p. 110. ſeqq. Et IOH. HENR. BOECLERI diſſertationem 37. Diſſert. academ. tomo poſteriori pag. 1120. ſeqq. *o*) Lib. 2. c. 14.

Digitized by Google

aemulum ſe Marci futurum gerendo imperio: neque ſolum Pertinacis cognomen, ſed mentem quoque habiturum. Ineptiſſimas de ſe ſuisque laudibus Iuliani et Commodi orationes XIPHILINVS deſcribit. Dicebant aliquando obiurgatorias, quibus ſenatum neglecti officii accuſabant: qualis eſt Seueri apud HERODIANVM. *p*) Aliquando ſemet excuſabant in ſenatu, quod ſuorum exſpectationi ſatisfacere non potuerint: qualis Antonini oratio eſt apud HERODIANVM. *q*) Erant varii generis orationes, quas hoc tempore a principibus habitas, ex omnibus hiſtoriae auguſtae ſcriptoribus facile indicare poſſemus, ſi diſquiſitionis modus pateretur. Sed quae maximi erant momenti, ad ciuitatis ac reip. ſtatum potiſſimum ſpectabant, et nihil aliud in ſe continebant, quam argumenta et rationes, quibus principes aliquid ad ſalutem patriae vel decernendum, vel abrogandum, patribus perſuadere conabantur: vt ſi quid facere inſtituerint, ſenatus conſulto confirmatum, omnibus placere, et communi patriae patrum conſilio agi videretur. Hinc et SCIPIO GENTILIS *r*) recte monet, hoc primum imperatores iuris condendi ſimulacrum vſurpaſſe, quod valde videretur populare, et ex veteris reip. imagine relatum: quaſi enim rogatio quaedam erat hoc orationum inſtitutum. Qui de re quapiam in ſenatu orationem habebant, eius rei auctores fieri dicebantur. Quod non ſolum ex antiquioris hiſtoriae ſcriptoribus patet, verum etiam hoc tempore manſiſſe, et vſu comprobatum legimus. VLPIANVS: *s*) *cum hic ſtatus eſſet donationum inter virum et vxorem, quem antea retulimus: imperator noſter Antoninus Auguſtus, ante exceſſum Diui Seueri, patris ſui, oratione in ſenatu habita, auctor fuit ſenatui cenſendi, Fuluio Aemi-*

p) Lib. 3. c. 8. *q*) Lib. 4. c. 5. *r*) Orat. 3. de L. Reg. pag. 52.
s) L. 32. pr. D. de donationibus inter virum et vxorem.

Aemiliano et Nummio Albino coss. vt aliquid laxaret ex iuris rigore. DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS *t*) mentionem faciunt ſenatusconſulti, quod auctore Diuo Traiano factum. M. ANTONINVS philoſophus *v*) laudat ſenatus conſultum, auctore Diuo Hadriano, auo ſuo, factum. ALEXANDER: *x*) *libertos a tutela, vel cura liberorum patroni, ſeu patronae nullam excuſationem impetrare poſſe, ampliſſimus ordo, auctore Diuo Marco, cenſuit.* Hinc principes Romani, ſi quid literis tribuebant, eloquentiam inprimis ſibi voluerunt eſſe commendatam: vtpote quam in non leue decoris et gloriae augmentum eſſe valituram crediderunt. SYMMACHVS *y*) *nos humi*, ſcribit, *reptamus, ſocco magis idonei, quam cothurno, poſtquam facundia res eſſe coepit imperii, Muſis in palatio loca lautiora data.* Nec immerito eloquentia praeſertim inter principum laudes a ſcriptoribus ponitur. Idem SYMMACHVS *z*) ad Antoninum ſcribit: *non incognito nobis eloquii ſplendore nituiſti; ſed magnis rebus accommodata, et maieſtate ſcripti aptata, gloriam, quam ante quaeſiuiſti, recens auxit oratio. Nam praeter loquendi phaleras, quibus te natura ditauit, ſimile quiddam, planeque conueniens auribus patrum, grauitate ſenſuum, verborum proprietate ſonuiſti.* Ad Gratianum AVSONIVS: *a*) *aliqua decoratoriis virtutibus tuis dicerem, niſi vererer mihi gratificari. Non enim Sulpicius acrior in concionibus, nec maioris Gracchi commendabilior fuit modeſtia, nec patris grauior auctoritas* etc. De Numeriano VOPISCVS: *b*) *moratus egregie et vere dignus imperio, eloquentia etiam praepollens; adeo vt publice declamauerit,*

t) L. 5. C. de magiſtratibus conueniendis. *v*) L. 1. C. de petitione hereditatis. *x*) L. 5. C. de excuſationibus tutorum. *y*) Lib. 10. epiſt. 21. *z*) Lib. 1. epiſt. 89. *a*) Gratiar. actionis pro conſulatu. *b*) Numeriano init.

feranturque eius ſcripta nobilia etc. Poſt pauca: *Huius oratio fertur ad ſenatum miſſa, tantum habuiſſe eloquentiae, vt illi ſtatua, non quaſi Caeſari, ſed quaſi rhetori decerneretur ponenda in bibliotheca Vlpia, cui ſubſcriptum eſt: Numeriano Caeſari, oratori temporibus ſuis potentiſſimo.* Ad Conſtantinum panegyriſta: c) *dicerem plura de diuinis orationibus tuis, de oblata potius, quam impetrata benignitate: niſi mallem dicta reticere, dum propero facta laudare: quamlibet verba tua in ſenatu habita nobis nota ſint.* etc. Neque ſolum ipſi principes coram ſenatu orationes ſuas recitare ſolebant: verum etiam abſentes, aut aliis negotiis impediti, ab legato iſtas patribus praelegi curabant. Quod munus quaeſtoris fuiſſe, non modo ex DIONE, *d*) SVETONIO, *e*) et SVIDA, *f*) intelligimus; verum etiam poſt ea tempora vlterius vſu veniſſe, SIDONIVS APOLLINARIS *g*) teſtatur:

--- Cuius dignatur ab ore
Caeſar in orbe loqui, licet et quaeſtore diſerto
Polleat --

Et CASSIODORVS: *h*) *o quam arduum eſt, ſubiectum verba dominantis aſſumere, loqui poſſe, quod noſtrum credatur? ſi quid dubitamus, a quaeſtore requirimus, qui eſt theſaurus famae publicae, armarium legum, paratus ſemper ad ſubita; et, vt ait Tullius, magiſter eloquentiae. Nam ſi oratoris proprium eſt, grauiter et ornate dicere, vt poſſit animos iudicum commouere, quanto facundior debet eſſe, qui ore principis populos noſcitur admonere? Talem denique oportet eſſe Quaeſtorem, qualem portare principis decet imaginem. Nam ſi nos, vt adſolet, cauſam audire contingat, quae auctoritas erit linguae,*

c) Neſcio quis panegyri Conſtantino dicta de victoria aduerſus Maxentium cap. 20. *d*) Hiſt. l. 54. in Auguſto. *e*) In Tit. cap. 6. *f*) In voc. Κλαύδιος. *g*) In paneg. maior. v. 62. *h*) Lib. 6. epiſt. 5.

Digitized by Google

guae, quae ſub oculis regalem genium implere poſſit? Sed et alios haud raro adhibuerunt, qui plurimum apud ipſos vel amicitia, vel eloquentia valebant. De Hadriano AEL. SPARTIANVS: *i) Traiani ei familiaritas creuit, cauſſa praecipue orationum, quas pro imperatore dictauerat.* De ſemetipſo ad Gratianum SYMMACHVS, *k) ſcio*, ſcribit, *amore factum, quo ſummates viros plerumque dignamini, vt ſacrae orationi veſtrae lector ad hiberer. Sed cum intelligo, ſermonem illum praeminere omnimodo ſcriptis, quaecunque ad hoc locorum ſenatus audiuit, me quoque arbitror pluris habitum, quam ceteros.* Qui Principum orationes, epiſtolas, decreta, conſtitutionesque in ſenatu recitabant, quae dignitas primordium erat honorum et ſententiae in ſenatu dicendae, Principis vocabantur candidati. Ex his enim praetores, prouincias recturi creabantur. *l)* De Alexandro Seuero AELIVS LAMPRIDIVS *m)* memoriae prodidit, quaeſtores candidatos ex ſua pecunia iuſſiſſe munera dare populo, ſed vt poſt quaeſturam praeturas acciperent, et inde prouincias regerent. Candidati vero a candida veſte ſunt appellati, qua induebantur: quemadmodum regum Babyloniae et Aegypti familiares a purpurea veſte, quam gerebant, purpurati ſunt dicti. *n)* Et illi quidem principum candidati nominabantur, quod ex eorum commendatione, absque ambitu, aut repulſa, deſignandi eſſent. Inde iocus apud QVINTILIANVM, *o)* vbi negligenter pilam petenti dixit alter, *ſic petis tanquam Caeſaris candidatus.*

i) Hadrian. c. 3. extr. *k)* Lib. 10. epiſt. 2. *l)* Vid. PANCIROLVS comment. ad notit. vtriusque imperii part. 1. c. 72. p. 109.
m) Alex. Seu. c. 43. *n)* TERTVLLIANVS de idololatria: *qui familiaritate Regum vtebantur, purpurati Regum vocabantur, ſicut apud nos a toga candidati.*
o) Inſtit. orat. l. 6. cap. 3.

§. VI.

Sub Hadriano et Antonino Pio imperatoribus *p*) vixit CALPVRNIVS FLACCVS rhetor, cuius hodie supersunt LI. excerptae decem rhetorum minorum declamationes. Istas inscriptio distinguit ab excerptis Senecae patris, quae sunt decem rhetorum maiorum. Quod ad aetatem referendum existimem. Caussae tractantur vtrinque ad stilum exercendum confictae: cuiusmodi et plures habemus declamationes Quinctiliani, de quibus suo loco egimus. *q*) Edidit primus Petrus Pithoeus Quinctiliani minoribus subiectas declamationibus *Parisiis* 1580. 8. *Heidelbergae* 1594. 8. apud Commelinum. *Genevae* 1636. 8. apud Iacob Stoer. Post Petrum Pithoeum Ioh. Frider. Gronouius et Ioh. Schultingius illustrarunt, quorum obseruationes etiam leguntur in Quintiliani editione Schreueliana, et nouissima Petri Burmanni, qui suas quoque et Almelouenii quasdam asperſit, et minime contemnendas addidit Eliae Obrechti emendationes, qui Calpurnii excerpta denuo recensuit. Sed vt, quid sentiam, ingenue fatear, in illis declamationum excerptis parum eloquentiae, multo vero etiam minus elegantiae elucescit.

§. VII.

M. Antoninus Philosophus imperator ab ineunte aetate Latino oratore vsus est FRONTONE CORNELIO, cui et multum detulit, et statuam in senatu petiit. *r*) HIERO-

p) Quod ex ICtorum libris GRONOVIVS obseruauit. Confer. FABRICIVS biblioth. Lat. vol. 1. p. 431. VOSSIVS autem de rhetorices natura et constitutione pag. 108. prorsus se fatetur habere nihil, quod de aetate Calpurnii Flacci afferret. *q*) De imminente L. L. senectute c. 6. §. 17. Confer. VOSSIVS instit. orator. l. 1. p. 180. *r*) Vid. IVL. CAPITOLINVS in M. Antonino Philos. c. 2.

Digitized by Google

RONYMVS *s*) ſub M. Aurelio: *Fronto orator inſignis habetur, qui M. Antoninum Verum Latinis literis erudiuit.* Cuius modi genus dicendi ſecutus ſit MACROBIVS memoriae prodidit: *t*) *quatuor ſunt genera dicendi: copioſum, in quo Cicero dominatur: breue, in quo Salluſtius regnat: ſiccum, quod Frontoni adſcribitur: pingue et floridum, in quo Plinius Secundus quondam, et nullo veterum minor noſter Symmachus luxuriatur.*

§. VIII.

Sub Antoninis Imperatoribus L. APVLEIVS Madaurenſis Afer, Platonicus philoſophus, oratorem ſe praeſtitit non modo in cauſſa ſua de artibus magicis reus, et *apologia*, quae inter eius opera hodie legitur, quam accuratiſſime dicendi rationem, ſophiſmata et ſtratagemata oratoria expreſſit; verum etiam *Floridis* excerpta exhibet variarum orationum, quas diuerſis temporibus dixit: vt florida auditores eloquentia demulceat. Plura vero inter philoſophos de Apuleio dicenda erunt.

§. IX.

Sub Valeriano et Gallieno, tertio poſt Chriſtum natum ſeculo medio, declamationes perperam Quintiliano tributae videntur vossio *v*) fuiſſe a POSTHVMIO Iuniore conſcriptae. Is vnus ex XXX. tyrannis fuit, teſte TREBELLIO POLLIONE, *x*) *ita in declamationibus diſertus, vt eius controuerſiae Quintiliano dicantur inſertae.* Sunt tamen, qui cenſeant eſſe M. FLORI: cui etiam MSti aliquot codices tribuunt. Quis autem fuerit ille Florus, aut quando vixerit, dicere nemo facile poteſt.

§. X.

s) Chron. Euſeb. ad annum Domini 166. *t*) Saturn. l. 5. c. 1. *v*) De rhetorices natura ac conſtitutione p. 108. Confer. de imminente L. L. ſenectute comment. c. 6. §. 17. *x*) In Poſthumio Iuniore.

§. X.

Sub Maximiano Herculeo eloquentia maxime floruit CLAVDIVS MAMERTINVS ſenior ille, vir magnae auctoritatis, multisque imaginibus iam nobilis, qui maiorum gloriam ſuis meritis augere ſtuduit. Iactabant ſe origine fabuloſa in Sicilia Mamertini. *y*) Quem noſter apud principes habuerit locum, ſuperſtites eius duae teſtantur orationes, quae inter XII. panegyricos veteres agmen ducunt. Cum Diocletianus in oriente eſſet, in Galliis autem Maximianus Herculeus Treuiris ageret, in ipſa Treuirorum vrbe Mamertinus, coram imperatore, oratione prima Romanae vrbis natalem XI. kalend. Martii A. Chriſti CCXCII. celebrauit. Altera, quae genethliaca, Treuiris Maximiani natalem, non imperii, ſed vitae coram ipſo imperatore, poſt eius quinquennalia, eodem poſt Chriſtum natum anno CCXCII. commendauit: et maximas principis vtriusque laudes enarrauit; ſatis quidem pro illius ſeculi genio eleganter; at non ſine adulationis turpi vitio. Nam Maximianum Herculeum, principem male moratum, atque etiam Diocletianum, ſupra modum mortalitatis euehit.

§. XI.

Sub finem tertii et initium quarti poſt Chriſtum natum ſeculi eloquentia inprimis floruit EVMENIVS *z*) Auguſtodunenſis rhetor: quo loco eius natali etiam auus, Athenis ortus, et Romae diu celebris, octogenario maior, nobiliſſimae iuuentutis ingenia bene dicendi arte inſtruxit. *a*) Et flagrans iuueni Eumenio doctrinae et eloquentiae deſiderium videtur innatum fuiſſe, qui ſatis mature in patria aui

y) EVMENIVS gratiarum actione, Conſtantino Auguſto, Flauienſium nomine dicta, c. 3. *z*) Quem MORERII et BVDEI ex. vniuerſ. edit. prior, perperam leges *Eumonium* vocari. *a*) EVMENIVS panegyr. pro reſtaurandis ſcholis c. 17.

Digitized by Google

aui ſui cathedram obtinuit eaque excelluit arte: vt Conſtantii Chlori, qui rerum in Gallia tunc temporis potiebatur, ſummam gratiam mereretur: qui eum in aulam vocauit, vt ipſi a manu eſſet, ac literas ſecretiores ſcriberet. Sacrae memoriae vocabatur magiſter, eoque dignitatis gradu tercenâ ſeſtertia accipiebat. *b*) Miles ipſe nunquam ſtipendia meruit, vt multi ex oratione eius male intellecta ſibi perſuadent, ſed magiſter ſacrae memoriae, vt officii ratio poſtulabat, imperatorem in expeditionibus comitari debebat: vt rebus ab eo in Alamannia fortiter geſtis, fortunae et victoriarum teſtis, intereſſet. *c*) Sic caſtra Conſtantii aliquando ſecutus fuerat. Sed cum illius viri opera Auguſtoduni, vbi ſcholae penitus videbantur eſſe collapſae, inprimis eſſet neceſſaria, neque illas alius poſſent erigere conſilia: Conſtantius imperator, cui vna eius ciuitatis ſalus curae cordique fuit, ſuum ſacrae memoriae magiſtrum ad muſas Auguſtodunenſes, non ita pridem a ſe derelictas redire paſſus eſt, eumque ex viribus reip. ſalarium in ſexcenis millibus nummûm, ſiue ſeſtertiûm, accipere iuſſit: *d*) vt tercena illa ſeſtertia, quae ſacrae memoriae magiſter acceperat, in honore priuati magiſterii, addita pari ſorte, geminarentur. Principis magna certe liberalitas: neque minor fuit Eumenii virtus, qui ſalarium iſtud adoratum i. e. grato animo ac debita cum veneratione accepit, atque adeo in accepti ratione perſcripſit: expenſum vero patriae retulit, ac deſtinauit ad ſcholarum reſtitutionem, quoad vſus popoſcit. *e*) Supra iam CASAVBONI *f*) notauimus errorem,

b) EVMENIVS l. c. cap. 11. *c*) EVMENIVS panegyrico Conſtantio Caeſari, recepta Britannia, dicto c. 2. *d*) Ea de re merentur legi Caeſaris literae ad Eumenium datae, paneg. pro reſtaurandis ſcholis c. 14. *e*) EVMENIVS panegyr. pro reſtaurandis ſcholis c. 11. *f*) In Sueton. Oth. c. 4.

Digitized by Google

rem, cui nimium videtur hoc profeſſoris ſalarium, et *ſexagenis* legendum cenſet. Enim vero ſic dimidium eius minus erit, quam pro dignitate magiſtri ſacrae memoriae. Et Eumenii dignitas ſtudiumque, pro Caeſarum ſumma gratia, ita nequidem ſatis remunerandum fuit. Neque in vrbe conueniunt, cuius reſtaurandis ſcholis imperatores Eumenium praefecerint. Renouatum Cliuenſes in porta vrbis mediaſtina oſtendunt Eumenii ſtatuam, quam ante in frontiſpicio palatii interioris Principum Cliuenſium in muro conſpiciebatur. Statuae effigiem accuratam TESCHENMACHERVS in annalibus Cliuiae g) exhibet: in cuius baſi haec verba leguntur: *Eumenius Rhetor, qui ad praefidem Galliarum oratione panegyrica habita, a Romanis Gallicae iuuentuti, in Auguſto Cliuorum oppido, annuo ſexc. ſext. ſalario praefectus fuit. Hic iſtiusmodi habitu, tunicae talaris, balthei bullati, calceorum feneſtratorum, comae vita conſtrictae, ferulae magiſterii, maſſae aureae, erga diſcipulos liberalitatis indicibus. In arcis aulaei magni, ubi extat, vrbisque Cliuenſis, inque hac portae mediaſtinae renouatae monumentum exhibetur. Sub conſulatu I. a Ringelberg conſſ. 4. procurante G. Rhatio ſucceſſore.* Adiuncta haec ibidem legitur inſcriptio alia:

TEMPORIBVS.
C. IVL. CAES. DICT. ARCIS. CLIVENSIS.
FVNDATORIS. OCTAV. AVGVST.
SVCCES. QVI. PRAESIDIO. MVNIVIT.
VLP. TRAIANI. QVI. IN. COLON. REDEGIT.
HELII. ADRIANI. QVI. IN FORMAM. VRBIS.
AMPLIAVIT.
HIC. EVMENIVS. RHETOR.
QVI. IN. AVGVST. CLIVENSIVM. OPPIDO.
AD.

g) Cum annotationibus DITHMARI pag. 26.

Digitized by Google

AD. PRAESIDEM. GALLIARVM.
POST. EORVM. IN. BATAVIAM. INGRESSVM.
ORATIONE. PANEGYRICA. HABITA.
SCHOLIS. PRAEFECT. ANNO. SEXCENT.
SESTERT. STIPENDIO. GALLICAM.
IVVENTVTEM. INSTITVIT.
HAC. STATVA ICONICA. TRIPEDANEA.
ID. EST.
VESTITV. SVI. TEMPORIS. TVNICA. TALARI.
COMA. DECVRT. VITTA. CONSTRICT. BALTHEO.
BVLLATO. CALCEIS. FENESTRAT.
MASSA. AVREA. AD. LIBERALITATEM. PRAESENTAT.
ET. FERVLA. MAGISTERII. INSIGNI.
AD. ANTIQVITATIS. MONVMENTVM.
VRBIS. ET. HVIVS. PORTAE. RENOVATIO.
POSTERITATI. POSVIT. *b*)

Cliuiam ea priſca aetate ampliſſimam ciuitatem et coloniam Romanorum fuiſſe, PIGNIVS *i*) cum aliis argumentis, tum hoc praeſertim probare conatur, quod panegyrica Eumenii rhetoris oratione, quam in patria ſua Cliuia, Diocletiani et Maximiani imperatorum temporibus, coram praeſide Galliae habuit, Auguſti Cluuenſium oppidi mentio aliquoties fieret. Eumenium vero hunc, vt ſcholis praeeſſet, ex comitatu Conſtantii Chlori, Caeſaris a Maximiano adoptati, miſſum, in ea vrbe Gallicam iuuentutem arte oratoria inſtituiſſe, et annuum ſexcentorum ſeſtertium ſtipendium accepiſſe: quod cum liberaliter patriae remiſiſſet, ad ſcholas inſtaurandas, quas Maenianas vocant: ea ſtatua a Cliuenſibus ornatum fuiſſe, quae ad-

b) Inſcriptionem hanc leges quoque apud BENED. BALDVINVM de calceo antiquo p. 109. edit. Lipſ. 1733. 12.
i) Hercule Prodicio pag. 5.

huc in palatio principum exſtaret, et quam, vt fieri p oteſt accuratiſſime deſcribit. Eoque TESCHENMACHERVS *k*) inclinare videtur. Pighium quoque HERM. STANGEFOL *l*) ſequitur, et *anno Chriſti*, inquit, *CCC. Imperatore Diocletiano VII. et Caeſare Galerio Maximiano VI. Coss. Caeſar Conſtantius ſcholae Cliuenſi --- praepoſuit praeceptorem Eumenium, cui pro annuo ſalario attribuit ſexcenta millia nummum, h. e. ſexcenta ſeſtertia, ſiue* 600000. *ſolidos, ſiue ſex millia coronatorum, quam ſummam Eumenius praedictus liberaliter in extructionem ſiue reparationem ſcholae Cliuenſis ciuibus contribuit: qui pro gratiarum actione in memoriam perpetuam Eumenio ſuam ſtatuam adiuncta forma ſiue idaea Cliuis erexerant.* Notandum vero, imaginem illam ligno inciſam differre ab aenea Teſchenmacheri ita, vt haec dextra, illa ſiniſtra maſſam corbula ſuſtineat auream: haec laeua, illa dextra demittat, non ferulam, ſed cochleare. *m*) Neque STANGEFOL ipſe ſatis ſibi conſtat, qui eandem figuram quoque S. Bonefacio tribuit. *n*) Et habitus viri totaque ſtatua quemuis alium potius, quam Eumenium rhetorem repraeſentare poteſt. Magis ergo placet LIPSII, *o*) CELLARI, *p*) DITHMARI, *q*) FABRICII, *r*) et aliorum ſententia, ſcholis Eumenium praefuiſſe Auguſtoduni in Gallia, quod oppidum hodie vocatur *Autun*, non vero Cliuenſium oppido ad Rhenum. Falluntur ſe. quod

k) Annal. Cliu. p. 27. editionis nouiſſimae cum eruditiſſimis DITHMARI annotationibus. *l*) Annalibus circuli Weſtphalici l. 1. p. 121. ſeq. *m*) Statua Eumenii iconica etiam exhibetur, et varie ex accuratiori eius inſpectione emendatur apud BENEDICTVM BALDVINVM de calceo antiquo p. 109. edit. Lipſ. 1733. 12. *n*) Annal. circuli Weſtphalici l. 2. p. 69. *o*) Comment. ad l. 3. annal. Taciti c. 43. pag. m. 166. ſeqq. *p*) Geogr. antiq. p. 215. *q*) Annot. ad Teſchenmacheri annal. Cliu. p. 27. *r*) Biblioth. Lat. vol. 2. p. 769. extr.

Digitized by Google

quod LIPSIVS *s*) ſatis clare demonſtrat corrupta Eumenii lectione: cum in aliquibus vulgatis pro *Auguſtodunenſium oppido* ſubſtituerint *Auguſtocliuenſium oppido*; et pro *Bacaudicae rebellionis* ſatis quidem oſcitanter *Batauicae rebellionis*. Atqui tunc temporis Bataui rebelles non fuerunt; ſed Bacaudae, quibus et agreſtium, et latronum nomina rectius competunt, quam Batauis. *t*) Oppidum Cliuenſe antiquis plane ignotum; aut ſi forſan extitit, ſcholae fuit ineptum, vtpote quod in barbarorum confinio Martis, quam artis, officinam facilius aperire potuiſſet. Nulla ibi veſtigia Capitolii, aquaeductuum, templi Apollinis, quibus ſcholae ſuae locum Eumenius deſcribit. Illa vero omnia Auguſtoduno in Gallia conueniunt. Nec abſonum, quod Eumenius ſcribit: *v*) *ciuitatem iſtam et olim fraterno populi Romani nomine gloriatam*: conſtat enim, Aeduos, quorum Auguſtodunum metropolis eſt, Romanorum ſocios fuiſſe. Nihil porro de Maenianis apud Cliuenſes habetur: ſed de Auguſtoduno TACITVS *x*) refert, nobiliſſimam Galliarum ſobolem liberalibus ſtudiis ibi operatum. Ex porticu tandem illa Auguſtodienſi, in qua omnium locorum ſitus, ſpatia, interualla deſcripta fuiſſe, EVMENIVS *y*) teſtatur, reliquiae adhuc quaedam extant, ineunte hoc ſeculo inuentae et obſeruatae. *z*) Eumenii panegyricus I. eſt pro reſtaurandis ſcholis Auguſtodunenſibus, quibus ipſe rhetor, ante magiſter ſacrae memoriae in aula Conſtantii Caeſaris, perquam honorifice, duplicato ſalario, praefectus erat. Dixit anno poſt Chriſtum

s) Loc. cit. *t*) Vid. AVR. VICTOR de Caeſaribus c. 39. n. 17. *v*) Panegyrico Conſtantino Aug. dicto c. 22. n. 4. *x*) Annal. l. 3. c. 43. *y*) Panegyrico pro reſtaurandis ſcholis cap. 20. *z*) Vid. memoriae literariae Dombenſes, ſiue Treuoltinae anno 1706. pag. 2097. ſeq. FABRICII biblioth. Latin. vol. 2. p. 770.

natum CCXCVII. Constantio Caesare, nondum Augusto, coram optimo viro, prouinciae Lugdunensis praeside: a quo petit, vt instaurationem Maenianae scholae, Bagaudico tumultu vastatae, principibus commendet. Sumtum ipse, quamquam sobolis numerosae pater, ex abundantia salarii conferre pollicetur. II. Panegyricus Constantio Caesari dictus, recepta Britannia, anno Christi CCXCVI. absentibus duobus Augustis, Diocletiano et Maximiano, ipsoque Galerio Caesare. Primum gratulatur Constantio Caesari de Francis eiectis et imperio Romano vindicata Batauia: maxime vero deinde gaudet Britannia, oppressis Carausio et Allecto tyrannis, in libertatem asserta. Vicit autem Constantius fortunatus per Asclepiodotum praefectum, nebula bis partes suas adiuuante: vt imperator verius ad triumphum, quam ad pugnam in eam insulam traiecerit. *a*) Eiusdem Eumenii, vel incerti potius auctoris, est III. qui inter panegyricos veteres quinto loco legitur, epithalamius, in nuptiis Constantini Augusti cum Fausta, Maximiani Imperatoris filia, anno post Christum natum CCCVIII. dictus, vt videtur, in Treuirorum vrbe, nuptiarum loco, quo Maximianus se ex Lucaniae secessu contulerat. IV. Panegyricus Eumenii Constantino Augusto dictus, in natali vrbis Treuirorum, anno Christi CCCIX. paulo post natale festum Constantini, quod VIII. kalend. Augusti celebrandum. Treuiros Augustodunensium nomine videtur missus fuisse, Constantino imperatori adolescenti gratulatum: quem etiam rogat, Augustodunensium vrbem inuisere velit. Cum ergo priori orationis parte Constantium Chlorum, Constantini patrem, altera ipsum Constantinum imperatorem laudasset: extremo liberos suos Constantino commen-

a) Confer. EVTROPIVS l. 9. c. 13. 14. et AVR. VICTOR de Caesaribus cap. 39.

Digitized by Google

mendat quinque, et in his vnum, iam tum ſumma fiſci patrocinia tractantem, in quem pietate ſemet totum transtulerit. V. Eumenii panegyricus Conſtantino Auguſto dictus eſt Treuiris anno poſt Chriſtum natum cccxi. Flauienſium nomine, ſiue Auguſtodunenſium, haec enim eſt Flauia Aeduorum vrbs primaria, quae nomen iſtud Conſtantini imperatoris gentile, in memoriam acceptorum ab eo principe beneficiorum, accepit. Hinc & ſatis aperte orationem auſpicatur: *Si Flauia Aeduorum, tandem aeterno nomine nuncupata, ſacratiſſime imperator, commouere ſe funditus, atque huc venire potuiſſet: tota profecto coram de tuis in ſe maximis pulcherrimisque beneficiis vna voce loqueretur: tibique reſtitutori ſuo, imo, vt verius fatear, conditori, in ea potiſſimum ciuitate gratias ageret, cuius eam ſimilem facere coepiſti.* Egit autem publico Auguſtodunenſium nomine Conſtantino gratias, exeunte eius imperii anno quinto: quod ipſis quinque annorum reliqua, et plus quam cenſus publici partem quartam remiſit: vt Flauienſium nomine ſemet illi totos debere profiterentur. Moderatior paulo eſt in laudandis principibus, quam Mamertinus, ſuaque non defraudandus eloquentiae commendatione, ſed qui ad veterum virtutem maſculam atque adeo ſummum robur adſpirare non potuit.

§. XII.

Octauo loco, inter panegyricos veteres, incerti auctoris *b*) legitur oratio, Conſtantino Auguſto Treuiris anno Chriſti cccxiii. dicta, quum Conſtantinus, Maxentio victo, in Gallias et ad Rhenum reuertiſſet. Auctor hiſtoriam

b) FABRICIVS biblioth. Lat. vol. 2. p. 771. ſuſpicatur *Nazarii* eſſe. Confer. eiusd. bibliotheca mediae et Infimae Latinitatis l. 13. p. 284. voc. *Nazarius*.

hiſtoriam belli cum Maxentio in Alpibus, in Transpadana, et cis Padum, tandemque ad Tiberim geſti, clariſſime deſcribit: ac huius victoriae clementiam cum aliis bellorum ciuilium quam diligentiſſime componit.

§. XIII.

Conſtantino Magno imperante floruit etiam NAZARIVS, quem HIERONYMVS *c*) rhetorem vocat inſignem: eiusque filiam Eunomiam alibi *d*) teſtatur virginem Chriſtianam fuiſſe in eloquentia patre non inferiorem. Et Nazarii apud AVSONIVM *e*) facta eſt mentio, cui delata fuerit inprimis quondam excellens illa gloria fandi. Extat inter veteres panegyricus Nazarii, dictus Conſtantino M. Auguſto, eiusque filiis Caeſaribus: cum ille abſens eſſet, *f*) hi vero candidiſſimum celebrarent natalem quintum, kalendis Martii, Romae, anno Conſtantini imperantis XV. qui erat poſt Chriſtum natum CCCXXI. Agit praecipue de bello aduerſus Maxentium, et Conſtantini victoris clementia: vt liberationem illi Roma acceptam referat. Ita orator hiſtoriam illius temporis egregie illuſtrat. Principio et fine *g*) Criſpi et Conſtantini Caeſarum laudes annectit. Sed moderatior longe eſt, quam Mamertinus ille ſenior: qui nefariae adulationis pridem factus eſt reus. Valet noſter inprimis acumine ingenii et iucunda cogitandi profunditate: vt ex crebris illius ſententiis facile omnibus patet.

§. XIV.

Sub Iuliano Caeſare eloquentia inprimis floruit MAMERTINVS iunior, qui cum illo ſeniore Claudio Mamertino, Maximiani Herculei comite, vulgo confundi ſolet.

c) Chronico Euſebiano ad annum Chriſti 328. *d*) Chronic. A. C. 339. *e*) Commemoratione profeſſorum Burdigalenſium epigt. 15. v. 9. *f*) Panegyrici c. 3. n. 1. *g*) Cap. 3. 4. 36.

let. *b*) At ſexaginta circiter anni intercedunt: vt quamuis ſenex dixerit, *i*) maioris aetatem vix attingere potuerit. A Iuliano apoſtata noſter praefectus eſt aerario: quod ipſe *k*) arroganter ſatis non ſine virtutum ſuarum commendatione ſignificat: *quum me aerarium publicum curare voluiſti, quum quaereres virum animi magni aduerſus pecuniam, liberi aduerſus offenſas, conſtantis aduerſus inuidiam, me, qui tibi viderer eiusmodi, dilegiſti, idque eo tempore, quo exhauſtae prouinciae* &c. Idemque AMMIANVS MARCELLINVS *l*) innuere videtur, vbi imperatorem notat Mamertino largitiones curandas commiſiſſe. Eius vero characterem minime laudandum exprimit, *m*) quod nec vita, nec ſplendore, nec vſu, nec gloria, horum cuiusquam ſimilis, quibus magiſtratum detulerat ampliſſimum Conſtantinus; contra inconſummatus fuerit, et ſubagreſtis, et, quod minus ferendum, celſa in poteſtate crudelis. Idem Iulianus Mamertinum praetoriis praefecit, eiusque fidei per Illyricum prouincias commiſit. *n*) Mox cum Neuita in annum Vrbis MCXV. poſt Chriſtum natum CCCLXII. deſignatus eſt conſul: *o*) quam dignitatem Iuliano cum inſigni gratiarum actione acceptam refert eo panegyrico, qui vnus ex omnibus eius ſcriptis hodie legitur decimo loco in XII. panegyricis veterum. Cum Neuita collega kalendis Ianuarii magiſtratum ingreditur

b) Errore hoc ipſe haeſit vossivs de rhetorices natura ac conſtitutione p. 108. Quem plures alii incauti ſequuntur.

i) Panegyr. c. 17. *k*) Panegyr. c. 1. n. 4. *l*) Lib. 21. c. 8.

m) Lib. 21. c. 10. extr. *n*) Vid. MAMERTINVS panegyr. c. 1. extr. Confer. AMMIANVS MARCELLINVS lib. 21. c. 12. extr.

o) Conſulendus eſt modo laudatus integer MAMERTINI panegyricus. AMMIANVS l. c. et l. 21. c. 10. extr.

ingreditur insolentius: et ipse princeps humilior est visus in officio, pedibus gradiendo cum honoratis: quod laudabant alii, quidam vt affectatum et vile carpebant. Magnificos Mamertinus edit circenses ludos, multaque agit, quae AMMIANVS *p*) annotare non dubitauit. Valentiniano et Valente imperantibus, praefecti potestate Italiam cum Africa et Illyrico rexit. *q*) Tandem Auitianus Mamertinum praefectum praetorio, cum ab vrbe recesserit, quo correcturus quaedam perrexerat, ex vicario peculatus reum detulit: vt illi Vulcatius Rufinus succederet. *r*) Panegyricus, quem reliquit, sua laude non caret: sed suae aetatis retinet communes fere naeuos, et masculae veteris eloquentiae monumentum repraesentare nequit.

§. XV.

Gratiani et Valentiniani II. Augustorum temporibus maxime floruit DEC. MAGNVS AVSONIVS Burdegalensis, primum in vrbe patria grammaticus et rhetoricus professor. Postquam a Valentiniano I. Imperatore principibus liberaliori disciplina imbuendis praefectus esset, alium post alium dignitatis gradum obtinuit, praefectus praetorio, proconsul, prouinciarum praeses, consul: tandemque grandaeuus, vt otio frueretur honesto, in patriam rediit, et placida morte obiit. Fuit is quidem vir Graece et Latine satis eruditus, et scripsit multa oratione ligata et soluta: sed arte nec poetas antiquiores aequare; nec eloquentia summam, quae seculo Augusteo fuit quasi propria, oratorum gloriam attingere potuit. Scripsit praeter carmina etiam epistolas oratione prosa; et panegyricum siue gratiarum actionem pro consulatu ad Gratianum Augustum. Cum enim illius fuisset ab adolescentia praece-

p) Lib. 22. c. 7. init. *q*) AMMIANVS l. 26. c. 5.
r) Idem l. 27. c. 7. init.

Digitized by Google

praeceptor: magnis a grato diſcipulo fuerat affectus honoribus, poſt quaeſturam, praefecturamque praetorii, etiam conſul et ea quidem dignitate prior in caſtris ad Sirmium deſignatus. Hinc Gratiano gratias agit oratione panegyrica, et virtutes eius, in primis domeſticas, ſibi ſatis perſpectas, praedicat: alias breuiter perſtringit, argumento copioſiore in aliud tempus reiecto. Extat ea non modo in Auſonii operibus, quae ſupra, vbi de poetis, recenſuimus; verum etiam inter XII. panegyricos veteres ex ſeculo a Diocletiano ad Theodoſium ſuperſtites loco vndecimo legitur.

§. XVI.

Theodoſio Magno imperante floruit, eloquentia vt generis ſplendore ac dignitate clariſſimus, LATINVS PACATVS DREPANIVS. Proconſulem AVSONIVS vocat, ac illi ipſe vir conſularis, imo conſul, ludum ſeptem ſapientum, ac duodecimum edyllium inſcripſit, velut Ariſtarcho et eruditiſſimo homini, qui illa aetate inter doctos principatum teneat.

Pone, inquit, *s) obelos igitur, ſpuriorum ſtigmata votum:*
Palmas, non culpas, eſſe putabo meas.
Et correcta magis, quam condemnata vocabo:
Apponet docti quae mihi lima viri.
Interea arbitrii ſubiturus pondera tanti,
Optabo, vt placeam: ſin minus, vt taceam.

Nitiobrigem, ex Aginno Nitiobrigum metropoli, fuiſſe SIDONIVS APOLLINARIS *t)* innuit. E Gallia miſſus Romam, cum Theodoſius Magnus imperator, interfecto Aquileiae Maximo tyranno, triumphans in vrbem reuertiſſet; panegyricum, qui duodecimo inter veteres exhibetur loco, Romae Theodoſio victori publico nomine gratulaturus,

s) Ludo ſeptem ſapientum dedicat. v. 13. *t)* Lib. 8. epiſt. 11.

ſpectante ſenatu, dixit kalend. ſeptembris CCCLXI. et primum priuatas imperatoris, deinde publicas virtutes, vt fieri potuit ea aetate, quam elegantiſſime commendauit. Seorſim panegyricus ille Iohannis Schefferi commentario illuſtratus prodiit Holmiae 1651. 8. Miris laudibus effertur a CASPARO BARTHIO, *v*) qui ſcriptorem Plinio non inferiorem, et orationem eius omnium huius aeui ſcriptorum numeroſiſſimam, cultiſſimam, eloquentiſſimam, ingenioſiſſimam vocat. Vt ſtili concinnitate propius ad antiquos accedit: ita etiam inter omnes huius aeui oratores maxime ſibi a nimia laudatione, vel adulatione potius, temperare videtur, et explicatiorem eloquentiam oſtendit.

XVII.

Veteres panegyricos, a nobis hactenus recenſitos, ſimul omnes primus edidit B. Rhenanus *Baſileae* 1520. 8. et poſt eum Paulus Nauius *Venetiis* 1576. 8. Porro Henricus Stephanus *Pariſiis* 1581. 12. et 1591. 12. cum Plinii epiſtolis 1599. 12. et 1600. 4. per Paulum Stephanum. *Duaci* 1595. 8. ex officina Balthaſaris Belleri, Latino-Attici oratores. *Antuerpiae* 1599. 8. per Ioh. Laeuineium, Laeuini Torrentii ſororis filium.

§. XVIII.

Seculo poſt Chriſtum natum decimo ſeptimo veteres panegyrici prodierunt *Pariſiis* 1605. 12. et 1611. 12. per Paulum Stephanum. 1643. 12. 2. volum. cum notis variorum. 1677. 4. cum interpretatione et notis Iacobi de la Baune S. I. in vſum Delphini. *Francofurti* 1607. 12. accurate recenſuit Ianus Gruterus, qui et ſuas, et Laeuineii, et Acidalii, et Rittershuſii notas emendationesque addidit. *Viennae Auſtriae* 1694. 12.

§. XIX.

v) Comment. in Claudian. p. 559.

Digitized by Google

§. XIX.

Noſtro ſeculo panegyrici veteres prodierunt *Amſtelodami* 1701, 8. *Halae Magdeburgicae* 1703. 8. cum annotationibus Chriſtophori Cellarii. *x*) *Venetiis* 1708. 8. LaurentiusPatarol panegyricos ad quinque codices MStos caſtigatos cum verſione Italica notisque hiſtoricis et numiſmatibus imperatorum, quibus panegyrici dicti ſunt, ad exemplum Iacobi le Baune edidit. *y*)

§. XX.

Sub Valentiniano, Theodoſio, et filiis imperatoribus, Romae inclaruit ſummae auctoritatis orator, vtpote praefectus vrbis et conſularis Vir, Q. AVRELIVS SYMMACHVS, Romae, illuſtri loco natus. Pater eius fuit L. Aurelius Auianus Symmachus, Romanus ſenator, qui variis apud principes pro ſenatu functus eſt legationibus, a Iuliano in Maeſia honorifice exceptus, ſub Valentiniano tandem vrbis praefecturam obtinuit: ac rebus praeclare geſtis, cum Romae, tum Conſtantinopoli meruit ſtatuam, cum inſcriptione, quae dignitatum ac meritorum ſeriem, prudentiae item et eloquentiae laudes ſignificabat. *z*) Matrem habebat Acyndini, conſulis Romani

x) Confer. Acta Erudit. Lipſ. 1703. p. 155. *y*) BOECLERI deſiderio bibliograph. p. 73. ſic tandem factum eſt ſatis, qui opus orationum iſtud dignum iudicauit, in quod vir aliquis eruditus, cui otium ſuppeteret, curas ſuas intenderet, et phraſes difficiliores ex hiſtoria explicaret. Quae enim adhuc in illas ſcripta, varias tantum eſſe lectiones. Putat difficultate deterritos plerosque, vt nollent hiſtoriam illius temporis perſcrutari. *z*) AMMIANVS MARCELLINVS hiſt. l. 27. *Symmachus* in praefectura *Aproniano ſucceſſit, inter praecipua nominandus exempla doctrinarum atque modeſtiae, quo inſtante vrbs ſacratiſſima otio copiisque abundantius ſolito frue-*

ſororem germanam. Ab ineunte aetate, quae Conſtantii principatum attigit, liberalioribus diſciplinis probe imbu-

fruebatur, et ambitioſo ponte exultat atque firmiſſimo, quem condidit ipſe, et magna ciuium laetitia dedicauit, ingratorum, vt res docuit apertiſſima: qui conſumtis aliquot annis domum eius in Transtiberano tractu pulcherrimam incenderunt, ea re perciti, quod vilis quidam plebeius finxerat, illum dixiſſe, ſine indicio vllo vel teſte, libentius ſe vino proprio calcaribus extincturum, quam id venditurum pretiis quibus ſperabatur. Auctoritate, qua ſuis praefuit, maxima, ſtatuas ſibi vidit erectas Romae; quarum vni, teſte ONVPHRIO PANVINIO reip. Romanae commentariorum l. 2. p. 199. inſcriptum: LVCIO. AVRELIO. AVIANIO. SYMMACHO. V. C. PONTIFICI. MAIORI. XV. VIRO. SACRIS. FACIVND. Sed haec reperta Boſphorii, apud GVIL. FLEETWOOD. inſcriptionum antiquarum pag. 158. L. AVR. AVIANO, SYMMACHO. V. C. PRAEFECTO. VRBI. CONSVLI. PROPRAEFECTIS, PRAETORIO. IN. VRBE, ROMA. FINITIMISQ. PROVINCIIS. PRAEFECTO. ANNONAE. VRBIS. ROMAE, PONTIFICI. MAIORI. XV. VIRO. SACR. FACIVND. MVLTIS. LEGATIONIBVS. PRO. AMPLISSIMI. ORDINIS. DESIDERIIS. APVD. DIVOS. PRINCIPES. FVNCTO. QVI. PRIMVS. IN. SENATV. SENTENTIAM. ROGARI. SOLITVS. AVCTORITATE. PRVDENTIA. ATQ. ELOQVENTIA. PRO. DIGNITATE. TANTI. ORDINIS. MAGNITVDINEM. LOCI. EIVS. IMPLEVERIT. AVRO. ILLVSTREM. STATVAM. QVAM. A. DOMINIS. AVGVSTISQ. NOSTRIS. SENATVS. AMPLISSIMVS. DECRETVS. FREQVENTIBVS. IMPETRABIT. IDEM. TRIVMFATORES. PRINCIPES. NOSTRI. CONSTITVI. ADPOSITA. ORATIONE. IVSSERVNT. QVAE. MERITORVM. EIVS. ORDINEM. AC. SERIEM. CONTINERET. QVORVM. PERENNE. IVDICIVM. TANTO. MVNERI. HOC. QVOQVE. ADDIDIT. VT. ALTERAM. STATVAM. PARI. SPLENDORE. ETIAM. APVD. CONSTANTINOPOLIM. COLLOCARET. DEDICATA. III. KAL. MAIAS. D. N. GRATIANO. IIII. ET. MEROBAVDE. COSS. Tanti Viri eloquentiam laudatam probat vna ad filium epiſtola, cui et poeſeos quaedam ſpecimina addidit. Hanc epiſtolam cum verſiculis Symmachi patris SCHOPPIVS veriſimil. lib. primum pluribus mendis purgatam edidit. Vnde eam IAC. LECTIVS. Symmachi filii lib. 1. epiſtolae 2. ſubiecit.

Digitized by Google

butus, artem bene dicendi a ſene quodam rhetore Aquitano didicit. Vnde poſtea Gallicanae facundiae percupidum ſe, coeloque Gallico, quicquid ſciret, debere, ingenue profeſſus eſt. Valentiniani et Gratiani Imperatorum temporibus, vt plurimum in ipſorum comitatu, caſtra ſecutus, Treuiris in Gallia Belgica Auſonii Burdigalenſis, qui Gratiani tum fuerat magiſter, tyro veterani, *a*) intimam amicitiam et familiaritatem meruit: adeo quidem, vt frequenter illius conuiuiis intereſſet. Circa annum ſeruatoris noſtri CCCLXVIII, Lucaniae et Brutiorum correcturam obtinuit. Biennio poſt CCCLXX. Africam pro Conſule rexit; ea quidem ſanctitate, vt ſtatuam promeruerit. Vir conſularis in pontificum quoque adſcitus collegium, parentis ſui loco, pontifex maior factus eſſe videtur. Certe paganam ſuperſtitionem pro viribus, et animi ſumma contentione defendit, nominis Chriſtiani infenſiſſimus hoſtis. Quod Symmachi eſſet incomparabilis facundia, in ſenatu iuſſus eſt, omnium nomine et autoritate de Principum victoriis dicere: qua quidem oratione eorum inſignem iniit gratiam. Sed cum a ſenatu ad Gratianum Imperatorem mitteretur, vt de ara victoriae in ſenatu diruta, detractisque ceremoniarum ſumtibus, priuilegiis atque ſtipendiis Veſtalium quereretur: et admirabili eloquentia Principi cum reliqua, tum Victoriae aram in ſenatu reſtituendam, ſuadere coepiſſet: eum ſtatim ab aſpectu ſuo re-

a) Hinc eum l. 1. epiſt. 32. filium eum AVSONIVS vocat ſuum. *Expertus es*, ad eum ſcribit, *fidem meae mentis atque dictorum, cum in comitatu deguimus ambo aeuo diſpari: vbi tu veteris militiae praemia tyro meruiſti, ego tyrocinium iam veteranus exercui. — — Ibi me et parentem, et amicum, et ſi quid vtroque charius eſt, chariorem fuiſſe ſenſiſti.*

remotum in centeſimo lapide, eo die, manere iuſſit. *b*) Anno Chriſti CCCLXXXIV. a Valentiniano II. imperatore Praefecturam Vrbanam accepit: in qua dignitate quid memoratu dignum geſſerit, ipſe relationibus ſuis, quae libro epiſtolarum decimo extant, quam fideliſſime narrat. Inprimis Symmachi notandus feruor animi et flagrans, aduerſus Chriſtianorum fauſtos ſucceſſus, paganae ſuperſtitionis conſeruandae deſiderium. Neque enim illi ſufficiebat, repulſam a Gratiano tuliſſe: velut iuſſus ab ſenatu, cuius pars potior adhuc a Chriſtianorum ſacris aliena, longam ſcripſit ad Valentinianum II. Theodoſium, et Arcadium, Auguſtos epiſtolam, *c*) vt victoriae aram ſenatui, cerimoniarum ſumtus cum priuilegiis atque ſtipendiis Romae Veſtalibus virginibus reſtituerent. Sed irrito conatu. Res fieri aliter non potuit: poſtquam idolorum vanitas, et populi ſuperſtitio ſuſpecta ſatis principibus reddita fuit. His etiam Symmachi literis *Ambroſius* Mediolanenſis epiſcopus binas ad Imperatorem Valentinianum ſcriptas, *d*) et AVRELIVS PRVDENTIVS elegantiſſimum carmen oppoſuit. Poſtea Symmachus Maximo tyranno, qui, Gratiano imperatore caeſo, Galliis praeerat, et iam Italiae imminebat, apertius fauere coepit, eumque publica panegyri laudare et commendare ſenatui. Sed breui poſt victo caeſoque Maximo, Theodoſius victor glorioſus Romam venit: Symmachus autem maieſtatis reus in eccleſiam confugit, vt mortem ſibi imminentem, quodam quaſi aſylo, deprecaretur. Veniamque, rogantibus amicis, ab im-

b) PROSPER AQVITANICVS de promiſſionibus Dei part. 1.
c) Quae eſt l. 10. epiſt. 61. in aliis 54. vel etiam alibi inſerta. Eius init. *vbi primum ſenatus ampliſſimus* etc. *d*) Conferatur eiusdem AMBROSII epiſtola ad Imperatorem Eugenium ſcripta de Symmachi poſtulatione iniqua.

Digitized by Google

imperatore impetrat: cui a crimine liber, apologetico ſcripto, gratias agit, eumque vocat conſeruatorem ſuum. *e*) Haec poſt Chriſtum natum anno CCCLXXXIX. geſta ſunt. Anno ſequenti ad auſpicia conſulatus Valentiniani Mediolanum euocatur. Anno ab v. c. MCXLIV. qui eſt Chriſti CCCXCI. conſulatum ipſe cum Tito Fabio Titio obtinuit a Theodoſio imperatore, quem ideo honorum vocat alicubi ſuorum patronum. Sub initium imperii filiorum Theodoſii, qui CCCXCV. obiit, ſenatus nomine legationibus interfuit ſaepius, et cum Stilicone aliquando legationis ſocio Mediolanum venit ad Honorium imperatorem: vt periclitanti exoraret vrbi opem. Et cum delegationibus in vrbe frequens eſſet ambitus, inter ſenatores contentionibus ortis, res illius arbitrio permittebatur. Vita priuata fuit ſatis modeſtus et liberalis. Laudis fuit ſemper ſed verae ſtudioſus: et dicere conſueuit, *vt vera laus ornat, ita falſa caſtigat.* *f*) Et hoc CASSIODORVS *g*) commendat eximium Symmachi dictum: *ſpecto feliciter virtutis eius augmenta, qui differo laudare principia.* Quamuis enim patriae ſuperſtitionis eſſet defenſor acerrimus, et famem, morbos, omniaque mala, quae remp. tunc temporis vrgebant, neglectis adſcriberet ſacris: *h*) Chriſtianorum tamen non recuſauit amicitiam, quibuscum ſaepius humanitatis officia miſcuiſſe, inter alia ipſius ad Auſonium et Ambroſium epiſtolae teſtantur. Inter amicos coluit Stiliconem, Eutropium, Ricomerem, Bauconem, Auſonium,

e) CASSIODORVS hiſtor. tripart. l. 9. c. 23. SOZOMENVS hiſt. eccleſ. l. 7. c. 14. NICEPHORVS l. 12. c. 21. *f*) SIDONIVS APOLLINARIS l. 8. ep. 10. *g*) Variar. l. 11. epiſt. 1. *h*) Cui quidem Symmachi calumniae ex omnium ſeculorum hiſtoriis S. AVGVSTINVS atque OROSIVS reſponderunt.

ſonium, Latinum Pacatum Drepanium, Protadium, Mineruium, Florentinum. Neque ipſi defuerunt inimici et aemuli, quorum factionibus et ſtatuae illius deiectae fuerunt. In patria ciuis boni officia quaeque omnibus viribus implere ſtuduit, atque etiam extra praefecturam ſolicite geſſit curam annonae, ob cuius caritatem frequentes illis temporibus erant turbae, et pulſi Roma peregrini emigrare debebant. In matrimonio habuit Ruſticianam, Orfiti, praefecti vrbis, filiam: ex qua illi natus filius vnicus, Q. Flauius Memmius Symmachus. Pueri huius ſtudia ſic ipſe curauit: vt ſemet illis velut aequalem adiungeret. Et fructus tantae ſolicitudinis tulit minime poenitendos. Vidit enim filium quaeſtorem, & praetorem vrbanum: cuius nomine etiam munera ſatis magnifica dedit. Valetudinis gratia ſaepe vſus eſt ruſticatione in praediis, quae illi et ampla, et multa fuere. Sed Romae habitauit in Coelio monte, antiquae frugalitatis quammaxime ſtudioſus. Eum valde ſenem obiiſſe conſtat. Nec ab re IACOBVS GOTHOFREDVS *i*) iudicat, eum non eſſe mortuum ante annum Domini CCCCIV. neque diu poſt praeturam filii vixiſſe: qui hanc patri memoriam poſuit: *k*) Q. AVRELIO. SYMMACHO. V. C. QVAEST. PRAET. PONTIFICI. MAIORI. CORRECTORI. LVCANIAE. ET. BRITTIORVM. COMITI. ORDINIS. TERTII. PROCONS. AFRICAE. PRAEFECT. VRB. CONS. ORDINARIO. ORATORI. DISERTISSIMO. Q. FAB. SYMMACHVS. V. C. PATRI. OPTIMO.

§. XXI.

Symmachi CASSIODORVS *l*) teſtatur multos reperiri libros. Orationes procul dubio ſcripſit non paucas: ex quibus

i) Q. Aurelii Symmachi vita, quam ad Ioh. Philipp. Pareum ſcripſit. *k*) Apud GVIL. FLEETWOOD inſcriptionum antiquarum ſylloge pag. 158. *l*) Hiſt. tripart. l. 9. c. 23. pag. 518.

Digitized by Google

quibus CASSIODORVS *m*) indicat *Maximi laudem*, et *apologeticum librum ad Theodosium*. De ciuilibus quoque et bellicis Theodosii laudibus egit. Agorium Praetextatum defendit. *n*) Aduersus Christianos Vestalium causam orauit, atque in senatu victoriae aram restituendam saepius a principibus postulauit. Ex omnibus vero eius scriptis extant solum *libri X. epistolarum ad diuersos*, quas post eius obitum filius, Q. Flauius Memmius Symmachus v. c. edidit. Liber postremus epistolas continet, siue relationes, quas de rebus grauissimis ad imperatores scripsit. Nescio, quid REINESIVM mouerit, vt has, eodem quas hodie habemus X. librorum systemate, epistolas iudicarit non vnius Symmachi, vnius tamen seculi esse. Nam stilus vbique eundem sapit. Nec ipse filius, qui sua in patrem pietate illustris, et epistolas post fata illius collegit ac edidit, omnesque quam accuratissime discernere potuit, alienas in hunc epistolarum a parente suo conscriptarum thesaurum, sine auctoris nomine expresso, admiserit vnquam.

§. XXII.

Scripsit Symmachus quidam historiarum libros, ex quorum quinto IORNANDES *o*) luculentum fragmentum affert de Maximini imperatoris mira fortitudine, et qua ratione ex gente Gothica natus ad imperium peruenerit. Sed num idem ille, cuius epistolas habemus, an pater eius, aut alius, historicum istud confecerit opus, nemo facile dixerit: quandoquidem historia ipsa pridem iniuria temporum interiit. VOSSIVS *p*) tamen Symmachum illum, quisquis etiam fuerit, a nostro epistolarum auctore diuersum fuisse opinatur. Sunt plures diuersarum aetatum Symmachi, qui ab aliis nonnunquam confundi solent:

m) L. c. *n*) SYMMACHI l. 1, ep. 52. *o*) In Geticis c. 15.
p) De historicis Latinis l. 3. pag. 724.

Digitized by Google

facile autem hoc modo diſcerni poſſunt. Fuit alius L. AVR. SYMMACHVS anno poſt Chriſtum natum CCCXXX. cum Gallicano Conſul. L. AVRELIVS AVIANVS SYMMACHVS, Vir itidem conſularis, factusque anno CCCLXIV. a Valentiniano imperatore praefectus vrbi, noſtri parens. Q. AVR. SYMMACHVS, qui conſulatum anno Chriſti CCCXCI. obtinuit, Lucii filius, epiſtolarum auctor. Q. FLAVIVS MEMMIVS SYMMACHVS, Q. Aurelii noſtri filius vnicus, vrbi praefectus CCCCXV. Q. AVR. SYMMACHVS, cum Aetio, tertium conſule, conſul CCCCXLVI. Q. AVREL. MEMMIVS SYMMACHVS, Conſul anno reparatae ſalutis CCCCLXXXV. Ruſticianae pater, quae altera fuit Boethii coniux. Et huius nepos Q. AVREL. ANICIVS SYMMACHVS conſul fuit anno Chriſti DXXII. *q*) cum Seuerino Boethio Anicio Manlio. Vtrique viro conſulari Theodorici, Regis Italiae, imperium fatale. Temporibus illis ſuſpicioſiſſimis, vel ex aliorum calumniis, Regi habebantur inuiſi: quod Albinum, maieſtatis reum, ſummis eloquentiae viribus defendiſſent, et Arianis, ex Theodorici mandato, in vrbe templa concedere noluerint. Hinc anno DXXVI. Symmachus et Boethius v. c. in vincula coniecti, bonisque publicatis, ſecuri percuſſi ſunt. Sed breui poſt Regi piſcis caput ingens in menſa proponitur: quod obſtupeſcens Symmachi ſibi videbatur videre caput, horribili rictu, oculisque flammeis, minitans caedis miſerandae poenam. Hinc lethali morbo correptus, triſtis, tremensque lectum petit, ac diem mox obit ſupremum. De aliis Symmachis, qui plures ſunt, ac toto coelo ab epiſtolarum ſcriptore noſtro diuerſi, REINESIVS, *r*) SIRMONDVS,

q) Hunc IOH. TRITHEMIVS de ſcriptoribus eccleſiaſticis c. 196. cum antiquiore noſtro epiſtolarum ſcriptore confundit: neque plures, quam vnum, potuit reperire libros epiſtolarum ad diuerſos. *r*) Epiſt. ad Boſium p. 133. 141.

Digitized by Google

MONDVS, *s*) IAC. GOTHOFREDVS, *t*) PETRVS RELANDVS, *v*) et IOH. ALBERT. FABRICIVS, *x*) conſulendi ſunt.

§. XXIII.

Quanta Symmachus noſter ſuo tempore fuerit auctoritate in rep. et hominum eruditiſſimorum ſocietate, veterum paſſim multa ſcientiis et artibus conſpicua monumenta docent. AVSONIVS *y*) ex eius literis tandem fatetur intellexiſſe, quam mellea res ſit oratio, quam delenifica, et quam ſuada facundia: ſuauiſſimum agnoſcit eius atque floridiſſimum ſermonem. *An quisquam*, ſcribit, *ita nitet, vt comparatus tibi non ſordeat? Quis ita ad Aeſopi venuſtatem, quis ita ad ſophiſticas Iſocratis concluſiones, quis ita ad enthymemata Demoſthenis, aut opulentiam Tullianam, aut proprietatem noſtri Maronis accedat? Quis ita affectet ſingula, vt tu imples omnia? Quid enim aliud es, quam ex omni bonarum artium ingenio collecta perfectio?* Vniuerſae eruditionis cenſori Gryphum inſcripſit, ſiue edyllium vndecimum, cui nihil neque non lectum, neque non intellectum. *z*) Summam viri conſularis, vtut ſuae genti iniquioris, eloquentiam agnoſcit AVREL. PRVDENTIVS: *a*)

O linguam miro verborum fonte fluentem,
Romani decus eloquii, cui cedat et ipſe
Tullius, has fundit dines facundia gemmas!
Os dignum aeterno tinctum quod fulgeat auro,
Si mallet laudare Deum, cui ſordida monſtra
Praetulit, et liquidam temerauit crimine vocem.

s) Ad Sidonium p. 34. Ad Ennodii l. 7. ep. 25. *t*) In proſopographia codicis Theodoſiani p. 386. *v*) In faſtis conſularibus. *x*) Biblioth. Lat. vol. 3. p. 170. ſeqq.

y) Ad Symmachum epiſtola, quae eſt 32. l. 1. Inter Auſonianas epiſtola 17. *z*) AVSONII Grypho praefixa epiſt. extr.

a) Contra Symmachum l. 1.

Digitized by Google

Poſt pauca:

Illaeſus maneat liber, excellensque volumen
Obtineat partam dicendi fulmine famam.

Et alibi *b*) tanto viro neminem tunc temporis quidem fatetur fuiſſe diſertiorem: cui exultanti, frementi, intonanti, omnes cedere debuerint. MACROBIVS *c*) cum dicendi generibus aliis, copioſo, breui, ſicco, pingue et floridum componit, in quo Plinius Secundus olim, ſua vero aetate nullo veterum minor Symmachus luxuriauerit. SIDONIVS APOLLINARIS *d*) Symmachi rotunditatem laudat; CASSIODORVS *e*) facundiam: et PROSPER AQVITANICVS *f*) affirmat, eum mirabili eloquio et ſcientia praeditum fuiſſe. CASSIODORVS *g*) quoque *Symmachus*, inquit, *inter Senatores praecipuus habebatur, eratque Romani eloquii eruditione mirabilis.* Sed peruerſo aliquid dandum eſt huius ſeculi iudicio: cum doctiores et emunctae naris critici facile perſpiciant, quantum diſtent aera lupinis. Tanta celebritate cum eſſet conſularis orator: viri doctiſſimi quique eum conſulere inſtituerunt, atque libros ex eius bibliotheca petere. Sic Protadio Treuirenſi indicium fecit eorum, qui Gallorum memorias ſcripſiſſent. Auſonio Burdegalenſi, amicorum integerrimo, Plinii hiſtoriam naturalem, Valerio Liuium commodauit. Hinc et Macrobius eum ſaturnalibus ſuis inducit loquentem. Ipſe literas et literatos ſummo fauore proſecutus eſt. Rhetores, Philoſophos, Medicos, Hiſtoricos inſigni iuuit opera, et pro meritis cuiusque libellos commendauit.

§. XXIV.

Laudat IACOBVS GOTHOFREDVS *h*) in Symmachi epiſtolis

b) Contra Symmachum l. 2. praef. *c*) Saturn. l. 5. c. 1.
d) Lib. 1, epiſt. *e*) Variar. l. 11. ep. 1. *f*) De promiſſionibus Dei part. 3. *g*) Hiſt. tripart. l. 9. c. 23. pag. 518.
h) Symmachi vita.

Digitized by Google

ſtolis Laconicum ſcribendi genus rotundum et floridum, crebra potiſſimum ſententiarum admixtione; DAVID CHYTRAEVS filius, *i*) Symmachi epiſtolarum circiter CCCL. breuem, eruditam, et preſſam orationem, paucis verbis res multas complectentem. Quo quidem nomine etiam IOH. CVSPINIANVS *k*) illas prae aliis ſtudioſae iuuentuti commendatiſſimas eſſe voluit. Inter alia Symmachum, virum conſularem, et vrbi praefectum eloquentiſſimum et doctiſſimum, annotat ſcripſiſſe epiſtolas familiares elegantiſſimas, mirae breuitatis et rotunditatis, *quae*, addit, *pro Caroli et Caſparini epiſtolis certe ſunt iunioribus legendae, et quas noſtri ſeculi duo clariſſima lumina, Pomponius Laetus et Angelus Politianus, mire laudarunt. Habent enim elegantiam concinnam cum breuitate amabili, et huius temporis geſta nonnulla explicant. Lege, lector, et laetaberis.* Dixerim, epiſtolas, ſuo ſe Laconiſmo commendantes, non a tyronibus et Romanae eloquentiae ſtudioſis, quorum adhuc flexilis neque ſatis robuſta eſt dictio, ſed a viris conſtantibus atque magiſtris legendas eſſe, qui maturiori iudicio ab virtutibus vitia diſcernere valent. Ita BOECLERVS quoque et Cl. WALCHIVS, *m*) qui eius ſententiam facit ſuam, notarunt, male vulgo fieri, quod has epiſtolas deligant imitationis exemplum. Declinare ſtilum Symmachi non modo a ſtilo veterum, ſed etiam ab ipſa huius ſeculi eloquentia, quod ex panegyriſtis liqueat. Ambroſium longe etiam Symmacho eloquentiorem eſſe. Sententioſum hunc quidem, et accuratos habere ſenſus: ſed ſtilum eius immerito commendari.

§. XXV.

i) Praefatione epiſtolarum, quas a patre ſuo ſcriptas edidit. *k*) In commentario conſulum. *l*) Hiſt. vniuerſ. ſec. IV. ſect. 5. n. 6. Bibliographia critica p. 86. *m*) Hiſt. critica L. L. c. 1. p. 82.

§. XXV.

Sunt certe superstites Symmachi epistolae propter omnigenam eruditionem, illius temporis specialiorem historiam, atque inprimis ciuilis et publici iuris Romani cognitionem, magnificiendae. Nec ab re BARTHIVS *n*) Symmachum eruditionis tam literariae, quam publicae, penu vocat. Et STOLLIVS *o*) recte iudicat, qui iurium studio sese consecrarunt, has epistolas non sine fructu perlustrare. Ita iam diu quoque ante eum BOECLERVS: *p*) *hoc praecipuum est in eo aestimandum, quod plurima habet iuridica. Fuit enim vir πολιτικώτατος, et ciuilis prudentiae peritissimus. Multa quoque particularia et historica illius temporis conseruauit, quae alibi non exstant. Studiosis iuris merito debet esse commendatus.*

§. XXVI.

Dictionis veteris semper studiosissimus fuit: quod ipse pluribus locis testatur: *q*) eiusque formam simpliciorem amplecti, quam titulorum, qui mos tum obtinebat, pompam fastumque obseruare, aut scriptis suis exprimere, maluit. Vtinam vero meliores sibi ex veteribus imitandos proposuisset: a quibus, quod elegit, breuissimis elatum floseulis, et crebra sententiarum admixtione dissolutum, dicendi genus Laconicum quam longissime abesse videtur. Vulgo notissimum hoc sermonis Latini vitium, quod quam maxime perspicuitati aduersatur. Nihil eo scribendi genere breuissimo, vel ornatus, vel dexteritatis inesse potest: vt veteres dudum etiam, cum virile subsisteret linguae robur, stilum istum Laconicum exulare iuberent: quem

n) In Claudianum p. 322. Confer. eiusd. comment. in 2. Theb. Papin. Statii p. 350. *o*) Introd. in hist. liter. part. 1. c. 4. §. 33. *p*) Hist. vniuers. sec. IV. sect. 5. n. 6. Et bibliographia critica p. 86. *q*) Lib. 3. epist. 11. et 44.

Digitized by Google

quem Symmachus vbique epiſtolis ſuis exprimere ſtudet. Characterem bene et eleganter Anticlaudiani auctor deſcribit, *r*) quem FABRICIVS, *s*) et alii ALANVM eſſe volunt:

Symmachus in verbis parcus, ſed mente profundus:
Prodigus in ſenſu, verbis anguſtus: abundans
Mente, ſed ore minor: fructu, non fronte beatus,
Senſus diuitias verbi breuitate coarctat.

Adeone ſermo ſufficiens ſenſus interpres: vt plura inſtituerit lectori ſuo celare, quam proloqui, quae ſcire vtriusque intereſſet? Optimum vero illud dicendi genus eſt, quo nihil deficit, ad facilem dicendorum cognitionem, nihil redundat. Cum inter alios maxime Plinium imitari vellet, vt teſtatur aequalis eius MACROBIVS: *t*) ab Attica elegantia, rerum ſuarum nimis ſecurus, ad inſolens Laconiſmi vitium digredi facile potuit. Hinc merito ERASMVS *v*) *Symmachum*, inquit, *admirentur, quibus ſtudio eſt moleſte potius, quam bene dicere.* Et OLAVS BORRICHIVS: *x*) *ſtylus non raro offendit aures melioribus ſeculis aſſuetas.*

§. XXVII.

Symmachi epiſtolae primo *Argentinae* prodierunt 1510. 4. Cuius quidem editionis auctor, non fouit, vt FABRICIVS *y*) putat, ſed correxit multorum errorem, qui noſtrum cum alio Symmacho, Boëthii ſocero confundunt. *z*) Additae ſunt epiſtolae Magni Turci, interprete Laudino, equite Hieroſolymitano. *Baſileae* 1549. 8. *Pariſiis* 1580.

r) Lib. 3. p. 167. *s*) Biblioth. Lat. vol. 1. pag. 633.
t) Saturn. l. 5. c. 1. conf. VOSSIVS de rhetorices natura et conſtitutione c. 15. p. 109. *v*) In Ciceroniano. *x*) In conſpectu praeſtantiorum auctorum Latinae linguae p. 22. *y*) Bibl. Lat. vol. 1. pag. 633. *z*) Confer. IOH. GOTTLIEB KRAVSE animaduerſ. in Boecleri bibliographiam criticam p. 844.

1580. cum notis Franciſci Iureti. *a*) *Genevae* 1587. et 1598. 8. cum Iacobi Lectii et Franciſci Iureti notis.

§. XXVIII.

Seculo poſt Chriſtum natum decimo ſeptimo Symmachi epiſtolae prodierunt *S. Geruaſii* 1601. 12. ſumtibus heredum Euſtathii Vignon, editio tertia, cum Iac. Lectii et Franc. Iureti notis. *Pariſiis* 1604. 4. cum Iureti notis auctioribus, additis X. miſcellaneorum libris. *Moguntiae* 1608 4. cum notis Caſpar. Scioppii, qui animaduerſiones ſuas Oberto Giſanio ſurripuiſſe dicitur. *b*) *Neapoli Nemetum* 1617. et 1628. 8. ex noua recenſione Ioh. Philippi Parei. Acceſſerunt, praeter variantes in margine lectiones, Symmachi vita a Iacobo Gothofredo deſcripta. Ioh. Philippi Parei calligraphia Symmachiana, in qua omnes phraſes, et formulae elegantiores, in gratiam et vſum philologiae ſtudioſorum, inprimis eorum, qui principibus ab epiſtolis eſſe cupiunt, per certos titulos locorum communium colliguntur. Eiusd. lexicon Symmachianum. Eiusdemque electa Symmachiana, in quibus quicquid rerum memorabilium antiquitatisque Romanae occurrit, certis titulis locorum communium refertur. *Francofurti* 1642. 8. Ioh. Phil. Parei. *Lugduni Batau.* 1653. 12. Et nouam Symmachi editionem Celeberrimus D. Trotzius, Fautor et Amicus noſter, cum obſeruationibus

a) Iuretum plagii Petrus Faber falſo accuſauit. vid. THOMASIVS de plagio liter. §. 425. et 477. MORHOFIVS polyh. lit. l. 4. c. 14. §. 14. *b*) MORHOFIVS polyhiſt. liter. l. 4. c. 14. §. 14. plagium accuſat Scioppii, qui Oberto Giphanio, hoſpiti ſuo, integrum codicem MS. Symmachi ſurripuerit, et ex eo poſtmodum ſuas emendationes magnam partem hauſerit: quas in editione ſua, et veriſimilium libris oſtendit.

Digitized by Google

nibus ſuis edendam promiſit, c) quam nunc auide exſpectamus.

§. XXIX.

Alios cum rhetores et grammaticos, tum oratores, qui circa haec tempora vixerunt, ac ſua eloquentia illuſtres nominis meruere immortalitatem, HIERONYMVS in chronico annotauit. Praecipue Burdigalenſes profeſſores et data opera ſingulari libello AVSONIVS verſibus celebrauit. Et memorandus eſt SIDONII APOLLINARIS d) locus, quo illuſtres aliquot rhetores ac declamatores recenſet: *tua tam clara, tam ſpectabilis dictio eſt, vt illi diuiſio Palaemonis, grauitas Gallionis, abundantia Delphidii, Agraecii diſciplina, fortitudo Alcimi, Adelphidii teneritudo, rigor Magni, dulcedo Victorii, non modo non ſuperiora, ſed vix aequiparabilia ſcribantur. Sane ne videar tibi ſub hoc quaſi hyperbolico rhetorum catalogo blanditus quippiam, gratificatusque, ſolam tibi acrimoniam Quinctiliani, pompamque Palladii, comparari non ambigo, ſed potius acquieſco.* Nos vero in illis acquieſcimus, quorum et doctrinae, et eloquentiae monumenta, neſcio quo beneficio ſeculi, ad aetatem noſtram peruenerunt.

CAPVT VII.

De clariſſimis vegetae ſenectutis Iureconſultis.

§. 1.

Hadrianus Imperator iuris ciuilis ſtudioſiſſimus fuit. 2. Quod in ſcholis publice docebatur. 3. Et iuris-

c) Leipz. neue Zeitungen von gelehrten Sachen 1737. p. 194.
d) Lib. 5. epiſt. 10.

conſultorum dignitas magna erat. 4. *Inprimis Hadriano imperante Neratius Priſcus floruit.* 5. *Cuius ſcripta, atque ex illis fragmenta recenſentur.* 6. *Publius Iuuentius Celſus, cuius ſcripta, atque ex illis fragmenta recenſentur.* 7. *Saluius Iulianus.* 8. *Auctor edicti perpetui.* 9. *Eius auctoritas.* 10. *Naeui.* 11. *Merita.* 12. *Fragmentorum collectiones.* 13. *Reliqua Iuliani ſcripta et quae ſuperſunt ex illis fragmenta recenſentur.* 14. *An auctor Saluiani edicti.* 15. *De edicto prouinciali.* 16. *Sub Antoninis floruit Sextus Caecilius Africanus.* 17. *Cuius ſcripta et fragmenta enumerantur.* 18. *Terentius Clemens.* 19. *Aburnius Valens.* 20. *L. Voluſius Maecianus.* 21. *Cuius ſcripta notantur.* 22. *Iunius Mauricianus.* 23. *Vlpius Marcellus.* 24. *Titus Caius.* 25. *Eius ſcripta laudantur.* 26. *Papirius Iuſtus.* 27. *Q. Ceruidius Scaeuola.* 28. *Eius ſcripta recenſentur.* 29. *Q. Claudius Saturninus.* 30. *Tarruntenus Paternus.* 31. *Q. Septimius Florens Tertullianus.* 32. *Arrius Menander.* 33. *Aemilius Papinianus.* 34. *Eius ſcripta.* 35. *Auctoritas.* 36. *Ingenium.* 37. *Stilus laudantur.* 38. *Sextus Pomponius.* 39. *Eius ſcripta enumerantur.* 40. *Aelius Marcianus.* 41. *Eius ſcripta indicantur.* 42. *Domitius Vlpianus.* 43. *Eius ſcripta.* 44. *Auctoritas atque merita.* 45. *Vitia.* 46. *In Chriſtianos odium.* 47. *Philoſophia.* 48. *Aemulatio.* 49. *Stilus conſiderantur.* 50. *Iulius Paulus.* 51. *Eius ſcripta, et quae ex illis ſuperſunt fragmenta recenſentur.* 52. *Eiusdem auctoritas.* 53. *Aemulatio.* 54. *Studium linguae Graecae.* 55. *Stilus examinantur.* 56. *Herennius Modeſtinus.* 57. *Eius ſcripta et* 58. *Auctoritas.* 59. *Furius Anthianus.* 60. *Iulius Aquila.* 61. *Rutilius Maximus.* 62. *Florentinus.* 63. *Claudius Thryphoninus.* 64. *Q. Venuleius Saturninus.* 65. *Calliſtratus.* 66. *Licinius Ruſinus.* 67. *Aemilius Macer.* 68. *Aure-*

Digitized by Google

68. *Aurelius Arcadius Charisius.* 69. *Hermogenianus denique laudantur.* 70. *Quorum in pandectis nulla mentio, illi, vtut fuerint plurimi silentio praetermittuntur.*

§. I.

Fuit Hadrianus imperator magni ingenii, linguarum gnarus, et gloriae auidissimus, vt quasuis scientias intelligere simularet, omnesque vel eruditissimos viros antecellere cuperet. Is inter reliqua facinora, quibus immortalitatem sibi comparare studuit, iuris emendationem meditatus est, magis quidem ex ambitione, quam probo consilio, vt Numae saltem, veteris Romanorum regis, famam meritaque referret. Sic Romana iurisprudentia nouam quasi ab illo accepit faciem: et officiorum, quae iurisdictionem concernebant, ingens facta est conuersio. Atque adeo ab huius imperatoris aetate noua iurisprudentiae Romanae periodus inchoanda est: qua iuris antiqui capita pleraque immutata fuerunt. *a*) Neque solum nouas condidit leges, verum etiam sua auctoritate veteres renouauit, confirmauit, atque formam istis indidit legum perpetuarum. Erat tunc temporis Saluius Iulianus, qui Sabinianae scholae famam vnus omnium maxime illustrem reddidit. Tanta enim illius apud Imperatorem auctoritas erat: vt condendi perpetui edicti cura huic Iurisconsulto relinqueretur soli. Et felix profecto iurisprudentiae praedicandum erat studium, quod viri eruditissimi, et Latinae linguae non minus, quam Iuris vniuersi statores excellentissimi certatim magno numero in legum libris conscribendis operam insignem collocabant. Laetum

 succesſit

a) Conſulendus in primis RENATI BOTTEREAV, in ſupremo Galliarum ſenatu cauſſarum patroni, Hadrianus legislator, qui Pictauii 1690. prodiit: et hiſtoriae iuris volumini ſecundo pag. 129. ſeqq. a CHRIST. GODOFR. HOFFMANNO adiunctus eſt.

ſucceſſit iureconſultorum agmen, Antonini Pii, Diuorum Fratrum, et ſequentium imperatorum aetate, quos inter aemulationes occultas interceſſiſſe, nulli dubitamus: vt pro ſe quisque ſtrenue incomparabili iuris ſtudio laboraret, ſuaque exaſciata doctrinae vulgaret documenta: quibus paulatim iurisprudentia maturitatem ſuam obtinuiſſe dicenda. Sic principatum inter reliquos oppido multos huius ſeculi doctores cum immortali nominis fama tenuerunt Maecianus, Gaius, Pomponius, Cerbidius Scaeuola, Papinianus, Paulus, Vlpianus, Modeſtinus. Coeperunt deinde Iurisconſultorum oracula obmuteſcere quaſi: cum eo vſque diuina ſcientia videretur peruenisſe, vt nulla pateretur amplius incrementa. Et paulatim magis ex auctoritate praefidum, placitoque imperatorum, quam ex ipſis Iuſtitiae fontibus ius reddere conſueuerunt. *b*) Primus autem de iure reſpondendi facultatem iureconſultis Conſtantinus M. imperator ademit. Is enim III. Nonas Decembribus Sabino et Rufino coss. anno poſt Chriſtum natum CCCXVI. ſolis principibus reſcripſit quid inter ius et aequitatem interſit diſpiciendum eſſe. *c*) Quam legem Iuſtinianus imperator poſtea confirmauit. *Si enim*, inquit, *d*) *in praeſenti leges condere ſoli imperatori conceſſum eſt: et leges interpretari, ſolo dignum imperio eſſe oportet. Cur autem ex ſuggeſtionibus procerum, ſi dubitatio in litibus oriatur, et ſeſe non eſſe idoneos vel ſufficientes ad deciſionem litis illi exiſtiment, ad nos decurratur?*

et

b) Confer. IAC. GOTHOFREDVS manual. iuris pag. 26. MERILLVS obſer. l. 1. c. 5. et 6. CVIACIVS obſerv. l. 10. c. 4. A BOECKELEN de diuerſis familiis veterum iureconſultorum, SLEVOGTII opuſculis de ſectis et philoſophia iurisconſultorum p. 107.

c) L. 1. C. de legibus et conſtitutionibus principum.

d) L. vlt. C. eodem titul.

Digitized by Google

et quare omnes ambiguitates iudicum, quas ex legibus oriri euenit, aures accipiunt noſtrae, ſi non a nobis interpretatio mera procedit? Vel quis legum aenigmata ſoluere, et omnibus aperire idoneus eſſe videbitur, niſi is, cui ſoli legislatorem eſſe conceſſum eſt? Exploſis itaque his ridiculis ambiguitatibus, tam conditor, quam interpres legum ſolus imperator iuſte exiſtimabitur: nihil hac lege derogante veteris iuris conditoribus: quia et eis hoc maieſtas imperialis permiſit. Sic veteris meminit iuris conditorum: vt recentioribus illam quidem poteſtatem haudquaquam conuenire teſtetur. Veteres autem illi etiam laudantur iuris conditores, *e*) et iuris auctores: *f*) vt eorum fide omnes de iure ſententias conſiſtere pateat. Sed poſteriores, qui Conſtantini Magni temporibus et poſtea vixerunt, ſola iuris docendi ex legibus prouincia, Romae, Conſtantinopoli, vel Beryti, fungebantur: neque ampliſſimo illo decorabantur titulo, *g*) verum potius legum *doctores*, *h*) et iuris ciuilis *profeſſores i*) audiebant. Quod nomen primo rhetoribus tributum: vt QVINTILIANVS *k*) Porcium Latronem rhetorem primum clari nominis *Profeſſorem* vocat: et SVETONIVS *l*) magnam ſcribit *Profeſſorum* atque *Doctorum* profluxiſſe copiam. At illi, qui in foro cauſſas agebant, nouo nomine *togati* nominabantur. Sic IVVENALIS: *m*)

--- Veniet de plebe togata
Qui iuris laqueos et legum aenigmata ſoluet.

AMMIANVS MARCELLINVS *n*) homines vocat rigidos et cupientes

e) L. 25. C. de nupt. l. 1. C. de comm. ſeruo manumiſſ.
f) L. 9 1. D. de act. emt. l. 17. D. de iure patron. l. 23. C. de procurat. *g*) Confer. STRAVCHIVS exercit. 2. ad 50 deciſ. Iuſt. cap. 1. num. 13. ſeqq. *h*) L. 6. §. 12. D. de excuſ.
i) L. 5. §. 5. D. de extraordin. cognit. *k*) Inſtit. orat. l. 10. c. 5.
l) De claris rhetor. c. 1. *m*) Satyr. 4. *n*) Lib. 30. c. 4. init.

pientes audire lites: quos APVLEIVS *o*) eleganter vulturios togatos appellare non veretur, forenſes rabulas et leguleios, in medio foro latrocinia facientes. Sed miſſis omnia turbantibus rabulis, de quibus ſatis multa AMMIANVS *p*) queritur, cum generale fuerit ciuium quorumque Romanorum nomen, *καθ' ἐξοχὴν togati* his temporibus nominari coeperunt iuris periti, et qui cauſſas aliorum in foro agebant. IVSTINIANVS imperator *q*) Dioſcorum et Praeſentinum diſertiſſimos commendat togatos fori ampliſſimi praetoriani. *r*) De aduocatis autem, qui eo nomine tantum inſigniri videntur, ſuperius eo capite memini iam ſatis dixiſſe, quo artis oratoriae ſeneſcentis fata exponere ſtudui. Quamuis etiam reſponſa prudentum deſierint vim obtinere iuris: atque adeo plurimum derogatum fuerit eorum auctoritati: vt publice reſpondendi prorſus nulla bonis relinqueretur facultas: iuris tamen fuerunt ſemper conſulti, qui priuatim conſulentibus de iure ſolebant reſpondere, praeſcribere formulas, ſuoque patrocinio tueri clientes: quemadmodum et hodie, vt M. TVLLIVS noſter loquitur, *s*) domus iurisconſulti eſt totius oraculum ciuitatis: vtut haud raro etiam multa iureconſultorum ingeniis corrumpi ac deprauari videantur. Hinc ſub Valentiniano et Valente imperatoribus AMMIANVS MARCELLINVS *t*) eorum accuſat perfidiam, *qui iuris profeſſi ſcientiam,*

o) Aſini aurei lib. 6. Sic quoque *homo vulturius* pro rapace; apud CICER. orat. in Piſon. c. 16. qui et Gabinium et Piſonem imperatores, pretio nundinantes omnia *paludatos vulturios* dixit orat. pro Sextio c. 33. Confer. COEL. RHODIGINVS lection. antiq. l. 8. c. 18. *p*) Loc. cit. *q*) Conſtit. 1, de nouo codice faciendo, ad Senatum vrbis Conſtantinopolitanae §. 1. extr. *r*) Confer. L. 3. 5. 6. 7. 8. 9. 11. 15. C. de aduocatis diuerſorum iudiciorum. *s*) De orat. lib. 1. c. 45. Confer. eiusd. orat. pro Muraena c. 12. *t*) Hiſt. l. 30. c. 4.

Digitized by Google

ſcientiam, quam repugnantium ſibi legum aboleuere diſſidia, velut vinculis ori impoſitis, reticente iugi ſilentio, vmbrarum ſunt ſimiles propriarum. Hi velut fata natalitia praemonſtrantes, aut Sibyllae oraculorum interpretes, vultus grauitate ad habitum compoſita triſtiorem, ipſum quoque venditant, quod oſcitantur. Hi, vt altius videantur iura callere, Trebatium loquuntur, et Caeſellium, et Alfenum, et Auruncorum Sicanorumque iamdiu leges ignotas, cum Euandri matre abhinc ſeculis obrutas multis: et ſi voluntate matrem tuam finxeris occidiſſe, multas tibi ſuffragantes abſolutionem lectiones reconditas pollicentur, ſi te nummatum ſenſerint.

§. II.

Vt tanto iucundior eſſet iurisprudentiae meſſis, atque viri ſemper docti et probi copia ſufficienti conſulentibus reſponderent, vel eorum ſuſciperent cauſſas: his temporibus gymnaſia aperiebantur, quibus ſtudioſa iuuentus publice ea rebus publicis ſaluberrima diſciplina enutriri ac recte formari ſolebat. Et quantum memini, tres tantum in orbe Romano fuerunt ſcholae, in quibus licebat interpretandis legibus nauare operam, Romana, Conſtantinopolitana et Berytienſis. Et, quod notatu dignum, duo tantum Romae, totidemque Conſtantinopoli, ſed Beryti quatuor Iuris profeſſores erant. Primum facile patet ex titulo de ſtudiis liberalibus vrbis Romae et Conſtantinopolitanae: *v*) alterum vero coniicere licet ex conſtitutione Iuſtiniani de iuris docendi ratione, ad octo anteceſſores ſcripta, *x*) Theophilum, Dorotheum, Theodorum, Iſidorum, Anatolium, Thalleleum, Cratinum, et

v) In codice Theodoſiano et Iuſtinianeo.

x) Digeſtorum praefatione de iuris docendi ratione.

et Salaminium. Cum enim anteceſſores duos tantum Roma, duosque Conſtantinopolis haberet: quatuor reliquos ſequitur Berytienſes fuiſſe. Qui trium ſcholarum auctores fuerint atque ſtatores, dictu quidem difficile: ſed ante Iuſtiniani imperatoris tempora floruiſſe: loco iam citato de iuris docendi ratione diſertis verbis ipſe monet: y) *haec autem tria volumina, a nobis compoſita, tradi eis tam in regiis vrbibus*, Roma et Conſtantinopoli, *quam in Berytienſium pulcherrima ciuitate, quam et legum nutricem bene quis appellet, tantummodo volumus: quod iam et a retro principibus conſtitutum eſt, et non in aliis locis, quae a maioribus tale non meruerint priuilegium: quia audiuimus etiam in Alexandrina ſplendidiſſima ciuitate, et in Caeſarienſium, et in aliis, quosdam imperitos homines deuagare, et doctrinam diſcipulis adulterinam tradere: quos ſub hac interminatione ab hoc conamine repellimus, vt, ſi auſi fuerint in poſterum hoc perpetrare, et extra vrbes regias et Berytienſium metropolim hoc facere, denarum librarum auri poena plectentur, et reiiciantur ab ea ciuitate, in qua non leges docent, ſed in leges committunt.* Has celeberrimas Iureconſultorum ſcholas ante imperatoris Hadriani tempora inſtitutas fuiſſe non putamus: quandoquidem ſcriptorum, qui temporibus iſtis vixerunt, memoriae nemo prodidit. Primus vero, quantum conſtat, GREGORIVS THAVMATVRGVS, z) qui Alexandro Seuero imperante claruit, Berytienſis ſcholae meminit.

§. III.

Idem hoc aeuo erat Iureconſultorum honor, eademque auctoritas: vt viris principibus, et paſſim in prouinciis

y) §. 7. Confer. ARGIDIVS MENAGIVS Iuris ciuilis amoenit. c. 24. p. 132. ſeq. STRAVCHIVS tr. de metrop. Beryto.

z) Oratione panegyrica ad Originem.

Digitized by Google

uinciis imperatoribus, a conſiliis, et a manu eſſent. Tenacius etiam Latinae linguae proprietatem et verum vſum, formulis verbisque, vt agere conſueuerant omnia, conceptis ſeruabant, et religione tuebantur inſigni: quod vel ex vno diligentiſſimi BRISSONII de formulis theſauro facile omnibus patet. Alioqui vitia vegetae ſenectutis communia etiam illis adhaerebant: quod itidem ſatis clare in ſuperſtitibus illorum fragmentis apparet: dummodo ad nos ſana et incorrupta recentiorum ſtudio peruenerunt. Neque eſt, quod I. V. GRAVINAE *a*) opponam ſententiae. *Dum philoſophia veritatis amorem amittebat, et eloquentia natiuum ſuccum et incorruptum nitorem cum fuco meretricio commutabat: e defluentibus harum viribus atque facultatibus creuit adoleuitque iurisprudentia: quae de philoſophia priſcam ſententiarum vtilitatem, et e priſca eloquentia vim atque temperantiam orationis arripuit. Eaque dici poteſt propria et peculiaris Romanorum ſapientia, et ciuilis atque operaria philoſophia, quae vetuſtiſſimis temporibus e pontificum collegio primum exoriens, et a Sempronio, Coruncano, Catone, Bruto, Q. Mutio, Seruio Sulpicio, Tuberone, Trebatio laudabiliter exculta, ſola ſub principibus imperauit, ſtudiisque refulſit doctiſſimorum ea aetate Iurisconſultorum, Scaeuolae praecipue, Iuliani, Papiniani, Vlpiani, Pauli, atque hiſce ſimilium: qui, Latinitate inclinata, germanum Latini eloquii candorem, et Attici ſtili pudicitiam in conſtuprata eorum temporum eloquentia cuſtodierunt: ita vt vna Iurisconſultorum ſchola, in ea corruptione doctrinarum et artium, ſolidioris philoſophiae fuerit, atque ſanctioris eruditionis, et purioris eloquentiae confugium.*

a) Oratione de ſapientia vniuerſa. Oper. p. 657.

§. IV.

Hadriano imperante inprimis claruit NERATIVS PRISCVS, qui Labeonis ſcholam per Celſum patrem poſtremus accepit. Eum Traianus tanta beneuolentia et honore amplexus eſt, vt multorum iudicio imperium illi traditurus videretur. Nam et prouincias illi commendauit, ſi quid ſibi fatale contigiſſet. Attamen Neratio ſpem abſtulit Hadrianus, Plotinae forſan maiori fauore: vt honoris habuerit ſatis, ab Hadriano in conſilium adhiberi. *b*) Conſulem fuiſſe POMPONIVS *c*) teſtatur. Sed frater eius fuit Neratius ille Marcellus, qui eam dignitatem anno ab v. c. DCCCLXXXI. poſt Chriſtum natum CXXX. cum Iuuentio Celſo geſſit. VLPIANVS enim, *d*) Neratium noſtrum, ait, Marcello fratri conſulenti reſpondiſſe. VENVLEIVS *e*) auctor eſt, Neratio Priſco et Annio Vero conſulibus, factum SCtum, vt qui ſeruum caſtrandum tradiderit, pro parte dimidia bonorum multetur. Conſulem ergo fuiſſe oportet ſuffectum anno ab v. c. DCCCLXXIII. poſt Chriſtum natum CXXII. In faſtis enim hoc anno M. Annius Verus et Augur notantur. Hic quidem mirifice hallucinatur GROTIVS, *f*) qui Verum hunc ſibi perſuadet, tertium conſulem fuiſſe, primo quidem cum Siluano, ſub Veſpaſiani imperio. Sed is Verus Pollio fuit. Nec verus illi placet annus,

b) Vid. SPARTIANVS Hadriano c. 4. et 18. Pl. confer. EBERLINVS de orig. iuris c. 47. p. 384. ſeqq. RVTILIVS vitis ICtorum c. 59. BERTRANDVS de iuris peritis l. 1. c. 8. GROTIVS de vitis ICtor. l. 2. c. 3. PANZIROLVS de claris legum interpr. l. 1. c. 35. RVPERTVS animadu. in enchirid. Pomponii l. 3. c. 13. ſect. 4. apud VHLIVM opuſc. ad hiſt. iuris pertinent. p. 213. GRAVINA orig. iuris l. 1. c. 80. Alii. *c*) L. 2. D. de orig. iuris.

d) L. 12. §. 43. D. de inſtructo vel inſtrumento legato.

e) L. 6. D. ad leg. Cornel. de ſicariis.

f) De vitis ICtorum l. 2. c. 3. §. 2.

Digitized by Google

annus, quem indicauimus: credit potius tertii conſulatus collegam fuiſſe Neratium noſtrum, anno ab v. c. DCCCLXXVIII. poſt Chriſtum natum CXXVII. At non Annius eo anno, ſed Veſpronius Candidus Verus cum Ambiguo Bibulo conſul fuit.

§. V.

Scripſit 1) membranarum libros ſeptem. 2) Regularum libros quindecim. 3) Reſponſorum libros tres. 4) Libros ex Plautio. 5) Epiſtolarum libros quatuor. Ex omnibus nonniſi fragmenta quaedam extant in Digeſtis Iuſtinianeis. Ex *membranarum libro primo* l. 53. ad leg. Aquil. *g*) l. 4. in quib. cauſſis pign. vel hypoth. tac. contr. *h*) l. 9. de curatoribus furioſo dandis. *i*) l. 54. de hered. inſtit. *k*) l. 64. de furtis. *l*) l. 4. de vacat. et excuſat. muner. *m*) Ex *membranarum libro altero* l. 14. ſi quis cautionib. *n*) l. 8. de condict. cauſſa data. *o*) l. 18. depoſiti. *p*) l. 15. de impenſis in res dotal. factis. *q*) l. 59. de acquir. vel omitt. heredit. *r*) Ex *libro membranarum tertio* l. 58. de pactis. *s*) l. 17. de Publiciana in rem actione. *t*) l. 44. de vſufructu. *v*) l. 54. familiae erciſcundae. *x*) l. 31. de action. emt. et vend. *y*) l. 53. de iure dotium. *z*) l. 17. de ſtatu liberis. *a*) l. 6. de aqua cottid. et aeſtiu. *b*) l. 16. iudicatum ſolui. *c*) l. 9. ad municipalem. *d*) Ex *libro quarto membranarum* l. 21. de exceptionibus. *e*) l. 11. de doli mali except. *f*) l. 11. rem pupilli ſaluam fore. *g*) Ex *libro quinto membranar.* l. 35. mandati. *h*) l. 5. de lege commiſſor. *i*) l. 2. de iuris et facti ignorantia. *k*) l. 44. de donat. inter vir.

g) 9. 2. *h*) 20. 2. *i*) 27. 10. *k*) 28. 5. *l*) 47. 2. *m*) 50. 5. *n*) 1. 11. *o*) 12. 4. *p*) 16. 3. *q*) 25. 1. *r*) 29. 2. *s*) 2. 14. *t*) 6. 2. *v*) 7. 1. *x*) 10. 2. *y*) 19. 1. *z*) 23. 3. *a*) 40. 7. *b*) 43. 20. *c*) 46. 7. *d*) 50. 1. *e*) 44. 1. *f*) 44. 4. *g*) 46. 6. *h*) 17. 1. *i*) 18. 3. *k*) 22. 6.

et vx. *l*) l. 124. de legat. et fideic. 1. *m*) l. 14. de acquirendo rerum dominio. *n*) l. 5. pro ſuo. *o*) l. 41. de iniur. et famoſ. libellis. *p*) Ex *libro ſexto membran.* l. 21. de legib. *q*) l. 41. de condict. indebiti. *r*) l. 48. de euict. et duplae ſtipul. *s*) l. 16. de impenſis in res dotal. factis. *t*) l. 9. de Carbon. edicto. *v*) l. 47. de damno infecto. *x*) Ex *libro ſeptimo membran.* l. 57. de hered. petitione. *y*) l. 18. de in rem verſo. *z*) l. 39. mandati. *a*) l. 13. vt legat. ſeu fideic. ſeru. cauſſa caueatur. *b*) l. 41. de vſurp. de vſucap. *c*) l. 27. de except. rei iud. *d*) Ex *libro tertio regularum* l. 18. de tutelis. *e*) l. 2. de confirmand. tut. vel curat. *f*) Ex *libro quarto regularum* l. 2. de ſeruitut. praed. ruſtic. *g*) Ex *libro quinto regularum* l. 15. de acquirendo rerum dominio. *h*) l. 40. de vſurpat. et vſucap. *i*) Ex *libro ſexto regularum* l. 13. de acquir. rer. dominio. *k*) Ex *libro decimo regularum* l. 118. de legat. et fideic. 1. *l*) Ex *reſponſorum libro primo* l. 55. de peculio. *m*) l. 30. depoſiti. *n*) l. 6. de praeſcriptis verbis. *o*) l. 52. de adminiſtr. et peric. tutor. *p*) l. 50. de operis libertor. *q*) l. 43. de mortis cauſſa donat. *r*) l. 83. de furtis. *s*) Ex *reſponſorum libro ſecundo* l. 61. de vſufructu. *t*) l. 24. de legat. et fideic. 3. *v*) l. 23. de inſtruct. vel inſtrumento legato. *x*) l. 22. et 24. de ſtipulat. ſeruorum. *y*) l. 8. de incend. ruin. naufr. *z*)

§. VI.

Eiusdem aetatis fuit PVBLIVS IVVENTIVS *a*) CELSVS,

l) 24. 1. *m*) 30. 1. *n*) 41. 1. *o*) 41. 10. *p*) 47. 10. *q*) 1. 3. *r*) 12. 6. *s*) 21. 2. *t*) 25. 1. *v*) 37. 10. *x*) 39. 2. *y*) 5. 3. *z*) 15. 3. *a*) 17. 1. *b*) 36. 3. *c*) 41. 3. *d*) 44. 2. *e*) 26. 1. *f*) 26. 5. *g*) 8. 3. *h*) 41. 1. *i*) 41. 3. *k*) 41. 1. *l*) 30. 1. *m*) 15. 1. *n*) 16. 3. *o*) 19. 5. *p*) 26. 7. *q*) 38. 1. *r*) 39. 6. *s*) 47. 2. *t*) 7. 1. *v*) 32. 1. *x*) 33. 7. *y*) 45. 3. *z*) 47. 9.

a) Aliis *Iubentius*, ex vſitata literarum V. et B. permutatione, de qua conſulendus illuſtris D. EVERARDVS OTTO theſaur. iuris Rom.

Digitized by Google

CELSVS, clari eiusdem nominis ICti filius, qui adoleſcentis nomine in iuris codicibus a patre diſtinguitur. Fuit Hadriano imperatori a conſiliis inter Iurisconſultos alios, quos approbante ſenatu, ſibi adiungere conſueuit. *b*) Conſul erat primo ſuffectus, deinde ordinarius cum Neratio Marcello anno ab v. c. DCCCLXXXI. poſt Chriſtum natum CXXX. Scripſit digeſtorum libros triginta nouem. 2) Commentariorum libros ſeptem. 3) Epiſtolarum libros vndecim. 4) Quaeſtionum libros duodecim. Ex quibus tantum fragmenta quaedam in pandectis Iuſtinianeis hodie ſuperſunt. Ex *libro primo digeſtorum* l. 33. de pactis. *c*) l. 9. de probat et praeſumtionibus. *d*) l. 47. de donat. inter vir. et vxor. *e*) l. 25. de nouat. et delegat. *f*) Ex *libro ſecundo digeſtorum* l. 28. de minoribus. *g*) l. 37. de receptis. *h*) l. 51. de acquirendo rerum dominio. *i*) Ex *libro tertio digeſtorum* l. 17. de officio praeſid. *k*) l. 12. de transaction. *l*) l. 38. de rei vindicat. *m*) l. 16. de condict. cauſſa data. *n*) l. 39. de re iudicata. *o*) l. 51. de obligat. et action. *p*) l. 26. de nouat. et delegat. *q*) Ex *libro quarto digeſtorum* l. 45. de red. petit. *r*) Ex *libro quinto digeſtorum* l. 4. de legibus. *s*) l. 9. de ſeruitutibus. *t*) l. 6. quemadmod. ſeruit. amitt. *v*) l. 32. de rebus credit. *x*) l. 11. de re iudicata.

tom. 1. praef. p. 13. Nec immerito interpretes SPARTIANI Hadrian. c. 18. *Iuuentium* pro *Iulio* reponunt.

b) Vid. SPARTIANVS Hadriano. c. 18. Pl. confer. auctores de vitis ICtorum ſupra citati. De Celſo patre quaedam notauimus in libro de imminenti Lat. linguae ſenectute c. 8. §. 14. IOH. GOTTL. HEINECCIVS progr. de P. Iuuentio Celſo. *Francof.* 1727. IOH. STRAVCH vita vtriusque Celſi, patris et filii inter programmata *Ienae* 1723. 8. edita. *c*) 2. 14. *d*) 22. 3. *e*) 24. 1. *f*) 46. 2. *g*) 4. 4. *h*) 4. 8. *i*) 41. 1. *k*) 1. 18. *l*) 2. 15. *m*) 6. 1. *n*) 12. 4. *o*) 42. 1. *p*) 44. 7. *q*) 46. 2. *r*) 5. 3. *s*) 1. 3. *t*) 8. 1. *v*) 8. 6. *x*) 12. 1.

dicata. *y*) l. 86. de verb. ſignif. *z*) Ex *libro ſexto digeſtorum* l. 42. de rebus creditis. *a*) l. 47. et 48. de condictione indebiti. *b*) l. 6. de peculio. *c*) l. 17. de probat. et praeſumt. *d*) l. 15. de legat. et fideic. 2. *e*) l. 13. de re iudicata. *f*) Ex *libro ſeptimo digeſtorum* l. 48. mandati. *g*) l. 11. de precario. *h*) l. 184. de diuerſ. reg. iuris. *i*) Ex *libro octauo digeſtorum* l. 59. de contrah. emt. et vend. *k*) l. 38. de action. emt. et vend. *l*) l. 2. de praeſcriptis verbis. *m*) l. 185. de diuerſ. reg. iuris. *n*) Ex *libro nono digeſtorum* l. 24. de legibus. *o*) l. 48. de donat. inter vir. et vx. *p*) l. 79. de legat. et fideic. 3. *q*) Ex *libro decimo digeſtorum* l. 6. de collat. bonorum. *r*) Ex *libro vndecimo digeſtorum* l. 32. depoſiti. *s*) l. 11. de probat. et praeſumt. *t*) l. 60. de iure dotium. *v*) l. 11. de tutor. et curat. datis. *x*) l. 7. de magiſtratib. conueniend. *y*) Ex *libro duodecimo digeſtorum* l. 15. de condict. furtiua. *z*) l. 30. de operis libertorum. *a*) l. 67. de furtis. *b*) l. 186. de diuerſ. reg. iuris. *c*) Ex *libro decimo tertio digeſtorum* l. 7. de collat. bonor. *d*) l. 189. de diuerſ. reg. iuris *e*) Ex *libro decimo quarto digeſtorum* l. 50. ad leg. Falcid. *f*) Ex *libro decimo quinto digeſtorum* l. 75. pro ſocio. *g*) l. 22. de ritu nuptiar. *h*) l. 27. qui teſtam. facere poſſunt. *i*) l. 43. de legat. et fideic. 3. *k*) l. 6. de cenſibus. *l*) Ex *libro decimo ſexto digeſtorum* l. 24. 26. et 59. de hered. inſtit. *m*) l. 21. de condit. inſtit. *n*) l. 25. ſi quis omiſſa cauſſa teſtam. *o*) l. 16. de legat. et fideic. 2. *p*) l. 187. de diuerſ. reg. iuris. *q*) Ex *libro decimo ſeptimo digeſtorum*

y) 44. 1. *z*) 50. 16. *a*) 12. 1. *b*) 12. 6. *c*) 15. 1. *d*) 22. 3. *e*) 31. 1. *f*) 42. 1. *g*) 17. 1. *h*) 43. 26. *i*) 50. 17. *k*) 18. 1. *l*) 19. 1. *m*) 19. 5. *n*) 50. 17. *o*) 1. 3. *p*) 24. 1. *q*) 32. 1. *r*) 37. 6. *s*) 16. 3. *t*) 22. 3. *v*) 25. 3. *x*) 26. 5. *y*) 27. 8. *z*) 13. 1. *a*) 38. 1. *b*) 47. 2. *c*) 50. 17. *d*) 37. 6. *e*) 50. 17. *f*) 35. 2. *g*) 17. 2. *h*) 23. 1. *i*) 28. 1. *k*) 32. 1. *l*) 50. 15. *m*) 28. 5. *n*) 28. 7. *o*) 29. 4. *p*) 31. 1. *q*) 50. 17.

Digitized by Google

digeſtorum l. 5. de legibus. *r*) l. 12. de probat. et praeſumt. *s*) l. 62. de legat. et fideic. 1. *t*) l. 18. de legat. et fideic. 2. *v*) l. 53. ad leg. Falcid. *x*) l. 188. de diuerſ. reg. iuris. *y*) Ex *libro duodeuiceſimo digeſtorum* l. 49. de rei vindicat. *z*) l. 2. de vſufructu. *a*) l. 10. de ſeruitutibus. *b*) l. 19. de legat. et fideic. 2. *c*) l. 14. de vſu et vſufr. legato. *d*) l. 88. de verb. ſignif. *e*) Ex *libro vndeuiceſimo digeſtorum* l. 58. de iure dotium. *f*) l. 20. de legat. et fideic. 2. *g*) l. 13. et 25. de peculio legat. *h*) l. 7. de ſuppellect. legat. *i*) l. 3. de aur. arg. mund. legat. *k*) l. 93. de verb. ſignif. *l*) Ex *libro viceſimo digeſtorum* l. 18. de iure codicill. *m*) l. 21. de legat. et fideic. 2. *n*) l. 32. ad SC. Trebellianum. *o*) l. 87. de ſolut. et liberat. *p*) l. 94. de verb. ſignif. *q*) Ex *libro viceſimo primo* l. 22. de legat. et fideic. 2. *r*) l. 2. ad SC. Trebellian. *s*) Ex *libro viceſimo ſecundo* l. 17. de adim. vel transfer. legat. *t*) l. 25. de rebus dubiis. *v*) l. 49. de condit. et demonſtrat. *x*) l. 23. de ſtatuliberis. *y*) Ex *libro viceſimo tertio digeſtorum* l. 39. de legibus. *z*) l. 12. quemadmod. ſeruitutes amitt. *a*) l. 18. de acquir. vel amitt. poſſeſſ. *b*) Ex *libro viceſimo quarto digeſtorum* l. 3. de curatore bonis dando. *c*) l. 69. de ſolut. et liberat. *d*) l. 190. de diu. reg. iuris. *e*) Ex *libro viceſimo quinto digeſtor.* l. 2. de eo, qui pro tutore vel curat.

r) 1. 3. *s*) 22. 3. *t*) 30. 1. *v*) 31. 1. *x*) 35. 2. *y*) 50. 17. *z*) 6. 1. *a*) 7. 1. *b*) 8. 1. *c*) 31. 1. *d*) 33. 2. *e*) 50. 16. *f*) 23. 3. *g*) 31. 1. *h*) 33. 8. *i*) 33. 10. *k*) 34. 2. *l*) 50. 16. *m*) 29. 7. *n*) 31. 1. *o*) 36. 1. *p*) 46. 3. *q*) 50. 16. *r*) 31. 1. *s*) 36. 1. *t*) 34. 4. *v*) 34. 5. *x*) 35. 1. *y*) 40. 7. *z*) 1. 8. *a*) 8. 6. *b*) 41. 2. *c*) 42. 7. *d*) 46. 3. *e*) 50. 17.

Digitized by Google

curat. *f*) l. 14. de re iudicata. *g*) l. 7. de itin. actuque priuato. *h*) l. 18. quod vi aut clam. *i*) l. 12. de precario. *k*) l. 6. de cenſibus. *l*) l. 96. et 158. de verb. ſignif. *m*) Ex *libro viceſimo ſexto digeſtor.* l. 17. de legibus. *n*) l. 26. de rebus dubiis. *o*) l. 97. de verb. obligat. *p*) l. 70. de ſolut. et liberat. *q*) Ex *libro viceſimo ſeptimo digeſtorum* l. 31. de iudiciis. *r*) l. 11. de ſeruit. praed. ruſtic. *s*) l. 12. de action. emt. et vend. *t*) l. 10. et 62. de euict. et duplae ſtipulat. *v*) l. 71. de ſolut. et liberat. *x*) Ex *libro viceſimo octauo digeſtorum* l. 5. de adopt. et emancip. *y*) l. 7. de ſuis et legit. hered. *z*) l. 21. de donationibus. *a*) Ex *libro viceſimo nono digeſtor.* l. 18. de legibus. *b*) l. 19. de ſtatu hominum. *c*) l. 60. de heredibus inſtit. *d*) l. 19. de manumiſſis vindicta. *e*) Ex *libro triceſimo digeſtor.* l. 13. de probat. et praeſumt. *f*) l. 23. de ritu nuptiar. *g*) Ex *libro triceſimo ſecundo digeſtor.* l. 97. de verb. ſignif. *h*) Ex *libro triceſimo tertio digeſtor.* l. 19. de legibus. *i*) l. 191. de diu. reg. iuris. *k*) Ex *libro triceſimo quarto digeſtor.* l. 27. de legat. et fideic. 2. *l*) Ex *libro triceſimo quinto digeſtor.* l. 80. de legat. et fideic. 3. *m*) l. 1. de regul. Caton. *n*) Ex *libro triceſimo ſexto digeſtor.* l. 29 de legat. et fideic. 2. *o*) Ex *libro triceſimo ſeptimo digeſtor.* l. 30. de legat. et fideic. 2. *p*) l. 11. de cuſtod. et exhibit. reorum. *q*) l. 21. de poenis. *r*) Ex *libro triceſimo octauo digeſtor.* l. 50. mandati. *s*) l. 99. de verb. obligat.

f) 27. 5. *g*) 42. 1. *h*) 43. 19. *i*) 43. 24. *k*) 43. 26. *l*) 50. 15. *m*) 50. 16. *n*) 1. 3. *o*) 34. 5. *p*) 45. 1. *q*) 46. 3. *r*) 5. 1. *s*) 8. 3. *t*) 19. 1. *v*) 21. 2. *x*) 46. 3. *y*) 1. 7. *z*) 38. 16. *a*) 39. 5. *b*) 1. 3. *c*) 1. 5. *d*) 28. 5. *e*) 40. 2. *f*) 21. 3. *g*) 23. 2. *h*) 50. 16. *i*) 1. 3. *k*) 50. 17. *l*) 31. 1. *m*) 31. 1. *n*) 34. 7. *o*) 31. 1. *p*) 31. 1. *q*) 48. 3. *r*) 48. 19. *s*) 17. 1.

Digitized by Google

obligat. *t*) l. 193. de diuerſ. reg. iuris. *v*) Ex *libro triceſimo nono digeſtor.* l. 7. de adopt. et emancip. *x*) l. 3. ne quid in loco publico. *y*) l. 98. de verb. ſignif. *z*)

§. VII.

Sub Hadriano Imperatore SALVIVS IVLIANVS quammaxime floruit inter Iureconſultos, et immortale ſibi nomen edicto, quod Caeſarea condidit auctoritate, perpetuo ſuisque in illud commentariis parauit. Nobili genere ortus ſua nobilior factus eſt progenie: quacum ipſe haud raro confundi ſolet. AELIO SPARTIANO teſte, *a*) fuit proauus Didii Iuliani imperatoris, bis conſul, praefectus vrbi, et iurisconſultus: quod magis eum nobilem fecit. Vt clarius paterent omnia, poſt Gruterum atque Reineſium CHRISTOPHORVS ADAMVS RVPERTVS *b*) hoc nobis clariſſimorum Iulianorum ſchema reliquit: quod ea concinnitate, qua fieri poteſt, communicare ſtudebo.

t) 45. 1. *v*) 50. 17. *x*) 1. 7.
y) 43. 8. *z*) 50. 16.
a) Didio Iuliano init.
b) Animaduerſ. in enchiridion Pomponii IC. de origine iuris p. 215. VHLII ſiue HEINECCII opuſculis ad hiſtoriam iuris pertinentibus. Tabulam quoque genealogicam illuſtris HEINECCIVS exhibet diſſert. de Saluio Iuliano p. 8.

SALVIVS IVLIANVS Celeberrimus noſter ICtus, e colonia Hadrumetina Afer.

Filia, coniux C. Vibii Iuuentii,

Didius Seuerus, Inſuber Mediolanenſis

Didius Seuerus

SALVIVS IVLIANVS auunculus Didii Saluii Iuliani, praefectus praetorio, exercitum duxit et occiſus eſt a Commodo

Filius, cuius pudicitiam Commodus tentauit

Vibia Saluia Vara Coniux quam Spartianus perperam vocat Claram Aemiliam

= Petronii Didii Seueri

NVMIVS ALBINVS.

NVMIA VARA.

DIDIVS PROCVLVS.

Filius, cui a Didio Iuliano filia deſponſata.

P. DIDIVS SALVIVS IVLIANVS SEVERVS Auguſtus, natus anno ab v. c. 890. poſt Chriſt. natum 139. homo perditiſſimus. Vxor Manlia Scantilla

DIDIA VARA Aug. nupta Cornelio Repentino, praefecto vrbi.

Fuit ergo Saluius Iulianus noſter Didii Iuliani imperatoris proauus, quod etiam SPARTIANVS in Iuliano teſtatur: gente Africanus, Adrumeti natus. *c*) Falluntur ergo, qui eum cum EBERLINO, *d*) RVTILIO, *e*) BERTRANDO, *f*) GROTIO, *g*) FREYMONIO, *h*) GRAVINA, *i*) et aliis, Mediolanenſem faciunt.

c) Apud GRVTERVM inſcript. pag. CCCCLVIII, HEINECCIVM antiq. Roman. ad inſtit. prooem. §. 14. HOFMANNVM hiſt. iuris part. 1. pag. 209. *d*) De orig. iuris p. 396. *e*) Vit. iureconſ. c. 66. *f*) De iurisperitis l. 1. c. 1. §. 9. *g*) De vitis iurisconſultorum l. 2. c. 6. §. 1. *h*) Symphonia p. 257. *i*) Orig. iuris ciuilis l. 1. c. 86.

Digitized by Google

ciunt. Nec aliud huius assertionis fundamentum habent, quam quod Didius Iulianus, nostri pronepos, famosus imperator ille, ortu Mediolanensis fuerit. Sed hoc nihil prorsus ad Saluii Iuliani patriam. *k*) Neque, vt iidem scriptores tradiderunt, *Seuerus* cognominatus est: et satis aperte, vt schema genealogicum demonstrat, paternum Didii Iuliani proauum cum materno, i. e. Didium Seuerum Mediolanensem cum Saluio Iuliano Adrumetino confundunt. Praeceptorem habuit Iauolenum iureconsultum: cui et ipse, vt apud POMPONIVM *l*) est, in ea celeberrima iuris schola successit. Diserte magistri mentionem facit, lege quinta de manumissis vindicta: *an apud se manumittere possit is, qui consilium praebeat, saepe quaesitum est. Ego, cum meminissem Iauolenum, praeceptorem meum, et in Africa, et in Syria, seruos suos manumisisse, cum consilium praeberet, exemplum eius secutus, et in praetura, et in consulatu meo quosdam ex seruis meis vindicta liberaui; et quibusdam praetoribus, consulentibus me, idem suasi.* Atque etiam inde patet Sabinianae addictum fuisse, *m*) non Proculianae scholae, quod sibi HVGO DONELLVS *n*) persuasit. Cum iurisprudentia inter omnes excelleret, atque insignem sibi comparauerit sapientiae laudem: Hadriano imperatori coepit esse familiaris, atque ab eo cum paucis aequalibus magno pretio haberi. Et SPARTIANO *o*) teste, *cum iudicaret, in consilio habuit non amicos suos aut comites solum, sed iurisconsultos, et praecipue Iulium Celsum, Saluium Iulianum, Neratium Priscum, aliosque: quos tamen senatus omnis probasset.*

k) Confer. MENAGII iuris ciuilis amoenit. c. 24. init.
l) L. 2. §. vlt. de origine iuris. *m*) L. 57. D. de manumiss. testam. *n*) Lib. 5. comment. iuris ciuilis cap. 25.
o) In Hadriano.

Digitized by Google

Sic noſtro imperator ad expedienda maximi momenti negotia ſaepius prae ceteris vſus eſt: et iuris illi notandam emendationem impoſuit. Etiam viri merita perquam liberaliter remuneratus eſt: vt, qui ſummus in rep. erat, honoris gradum obtineret. Nam praetor, imperatori a ſanctioribus conſiliis, bis conſul, et vrbi praefectus fuit. *p*) De praetura et conſulatu ipſe teſtatur, loco ſupra citato. *q*) Quibus vero annis faſces penes illum conſulares fuerint, difficile dictu. Si faſtos conſulimus, Antonini Pii imperatoris anno decimo, poſt Chriſtum natum CXLIX. M. Saluius Iulianus cum Torquato, et M. Antonini Philoſophi anno decimo quinto, poſt Chriſtum natum CLXXVI. cum Calpurnio Piſone conſul fuit. Et hos IANVS VINCENTIVS GRAVINA *r*) ſequi nullus dubitauit: quamuis ſibi perſuadeat, tacentibus faſtis conſularibus, magis credere Spartiano. Errorem vero pridem IOH. BERTRANDVS *s*) et GVIL. GROTIVS *t*) odorati ſunt: qui ex annorum longa ſerie, vnius viri aetatem excedente, iudicarunt, primo Hadriani temporibus fuiſſe conſulem ſuffectum: et ſecundo iam tum valde ſenex conſularem dignitatem cum Torquato habuiſſe. Viginti ſeptem poſt annis cum Piſone alium fuiſſe conſulem Saluium Iulianum, noſtri ex filia nepotem, et Didii Iuliani auunculum: *v*) quem vtplurimum cum ICto noſtro confundere ſolent. Et Aquitaniam rexiſſe, ALTESERRA *x*) ſcribit: idemque PANCIROLVS *y*) aſſerit, ac nuper HOF-

p) AELIVS SPARTIANVS Didio Iuliano init. *q*) L. 5. D. de manumiſſis vindicta. *r*) Originum iuris ciuilis l. 1. c. 86 p. 69.
s) De iurisperitis l. 1. c. 1. §. 8. *t*) De vitis iureconſultorum l. 2. c. 6. §. 2. *v*) Confundit vtrumque ANGELVS POLITIANVS etiam l. 5. epiſt. 9. operum pag. 70, vbi florentem Hadriani temporibus Saluium Iulianum noſtrum Didii Iuliani, poſtea principis, auunculum vocat: qui proauus erat.
x) Rerum Aquitanicarum l. 4. c. 11. *y*) In Saluii Iuliani vita,

Digitized by Google

HOFMANNVS. z) Scilicet de Saluio Iuliano iurisconſulto accipiunt haec CALLISTATI: *a*) *Saluio quoque legato Aquitaniae idem princeps* (Diuus Hadrianus) *ſcripſit* etc. Et mihi omnino in noſtrum quadrare videntur. At eruditiſſimo ANTON. AVGVSTINO, *b*) et AEGIDIO MENAGIO *c*) de alio Saluio accipienda videntur. Neque hic probat, quod PANCIROLVS *d*) addit, Belgicam quoque, Dalmatiam, Germaniam, atque Baeticam adminiſtraſſe: hoc enim, ait, ſine vllo teſtimonio affirmare, neque diuinandum, quibus argumentis in hanc ſententiam adductus eſſet. Eum in Aegypto fuiſſe conſtat, vel ipſo teſte. *e*) Num vero priuatus, an cum imperio ibi fuerit, diuinare non poſſum. Neque tempus, quo diem obiit ſupremum, ſatis conſtat. Ex AELIO LAMPRIDIO *f*) intelligimus, a Commodo filium Saluii Iuliani, qui exercitibus praeerat, ad impudicitiam fruſtra tentatum fuiſſe, atque hinc patri factas inſidias: eumque tandem conſpirationis reum cum Paterno et Vitruuio Secundo interfectum. Ecquis vero dixerit, Saluium Iulianum Iurisconſultum noſtrum fuiſſe? Nam hiſtoriarum ſeries illius ex filia nepotem, atque Didii Iuliani auunculum fuiſſe demonſtrat: vt BERNARDINI RVTILII *g*) oſcitantiam non ſatis admirari poſſimus, qui, *Saluium*, de noſtro ſcribit, *ad Commodi vsque tempora peruenisſe, ab eoque inter principes viros caeſum, memoriae proditur a Graecis h) quibusdam auctoribus: quorum fidei temporum interualla non ſatis congruunt, niſi ad extremam*

ſenectam

z) Hiſtoria iuris part. 1. p. 209. *a*) L. 12. D. de cuſtodia et exhibitione reorum. *b*) Libro de proprijs nominibus pandectarum. *c*) Iuris ciuilis amoenit. c. 24. p. 128. *d*) L. c. *e*) L. 36. D. de ſolutionibus et liberationibus. extr. *f*) Commodo Antonino cap. 3. et 4. *g*) Vitis Iureconſultorum c. 66. *h*) Quare a Graecis? LAMPRIDIVS, vt dixi, memoriae prodidit.

ſenectam venerit. Idemque GRAVINA *i*) cetero elegans iureconſultus, et antiquitatum ſtudioſiſſimus, aſſererę non veretur. Ad extremam certe peruenit hominum aetatem, et octogenario proximus egregie de rebus in iure controuerſis ſcripſit: imo diſcendi ſuam teſtatus eſt maximam cupiditatem. *Ego*, inquit, *k*) *diſcendi cupiditate, quam ſolam viuendi rationem optimam in octauum et ſeptuageſimum annum aetatis duxi, memor ſum eius ſententiae, qui dixiſſe fertur.* Κἂν τὸν ἕτερον πόδα ἐν τῇ σωρῷ ἔχω, προσμαθεῖν τι βουλείμην. *i.e. etſi alterum pedem in tumulo haberem: non pigeret aliquid addiſcere.* Valde ſenex ergo, ſi quid coniicere licet, breui poſt alterum conſulatum, Antonino Pio imperante, medio poſt Chriſtum natum ſeculo altero, mortuus eſt, et milliario quinto via Lauicana ſepultus eſt in monumento, quod ſibi ſuisque ad longam poſteritatem exſtruxit. *l*)

§. VIII.

Circa annum reparatae ſalutis CXXX. *m*) Hadriano imperante, Saluius noſter Iulianus, non Didius Iulianus imperator,

i) De ortu et progreſſu iuris ciuilis part. 1. c. 86.

k) L. 20. D. de fideicommiſſariis libertatibus.

l) Vid. AELIVS SPARTIANVS Didio Iuliano c. 8. extr. Confer. BERTRANDVS de Iurisperitis l. 1. c. 1. §. 9. et GROTIVS de vitis iurisconſultorum l. 2. c. 6. §. 7. et HOFMANNVS hiſt. iuris vol. 1. pag. 209. IOH. GOTTLIEB HEINECCIVS progr. de Saluio Iuliano. *Halae* 1733. IOH. STRAVCHIVS ſingul. de Saluio Iuliano, in programmatibus, cura celeberrimi D. BVDERI *Ienae* 1723. edit.

m) HIERONYMVS, in chronico Euſebiano, annum notat Hadriani XV. Domini CXXII.

Digitized by Google

perator, *n*) edicta praetorum *o*) collegit, vel ex multis potius, vnum concinnauit edictum, quod perpetuum vocabatur. *p*) De eo IVSTINIANVS imperator: *q*) καὶ πρός γε Ἀδριανὸς ὁ τῆς εὐσεβοῦς λέξεως, ὅτε τὰ παρὰ τῶν πραιτώρων κατ' ἔτος ἕκαστον νομοθετούμενα, ἐν βραχεῖ τινι συνῆγε βιβλίῳ, τὸν κράτιστον Ἰουλιανὸν πρὸς τοῦτο παρελάβων etc. *Sed et diuus Hadrianus piae memoriae, quando ea, quae a praetoribus quotannis edicta fuerant, breui complexus eſt libello, aſſumto ad id optimo Iuliano.* Et poſtquam hoc in lucem prodiit edictum perpetuum: eo praetores ita vſi ſunt, vt deſierint ipſi proponere noua.

§. IX.

n) Vt HVGO GROTIVS *florum ſparſ.* p. 641. ex Aurelii Victoris quodam loco, male inſpecto, coniecerat. Confer. MENAGIVS *iuris ciuilis amoenitat.* c. 24. pag. 123. ſeqq. et illuſtris SCHMINCKIVS noſter ſyntagmatis critici variorum auctorum praefat. SPANHEMIVS in orbe Roman. c. 8. BERTRANDVS et GROTIVS Iureconſultorum vitis.

o) POMPONIO teſte, l. 2. §. 44. D. *de origine iuris*, Sulpicius quidam primum ad praetoris edictum commentari coepit. Sed breuiſſimum iſtud notat fuiſſe opuſculum, Bruto dedicatum: ex quo fragmentum habemus l. 5. §. 1. D. *de inſtitor. actione.* Deinde C. Aulus Oſilius Iureconſultus, Auguſto imperante, praetorum edicta collegit ac interpretatus eſt: eodem teſte POMPONIO l. c. et l. 1. §. 2. D. *ne quis eum, qui in ius vocabitur.* Sed opus fuerat priuato conſilio ſuſceptum, neque adeo publicam auctoritatem vnquam obtinuiſſe videtur: tantoque facilius periit, poſtquam Iuliani edictum perpetuum acceſſit. Vid. MENAGIVS *amoenit. iur.* c. 42. pag. 413. ſeqq. HEINECCIVS antiquit. Rom. ad inſtit. prooem. §. 13. p. 11.

p) EVTROPIVS *hiſt. Rom.* l. 8. c. 9. l. 1. §. 18. *C. de vet. iure enucl.* l. 10. C. *de condict. indebiti.* HEINECCIVS l. c. §. 14.

q) De confirmatione digeſtorum ad magnum ſenatum et populum §. 18.

§. IX.

Summae auctoritatis fuiſſe iureconſultum, paſſim veterum monumentis docemur. Nominant virum ſapientiſſimum; *r*) maximae exiſtimationis virum, et diſertiſſimum iurisperitum; *s*) iuris ſublimiſſimum teſtem, ſummae auctoritatis hominem, et praetorii edicti ordinatorem; *t*) ſummum auctorem iuris ſcientiae; *v*) *πάντων τῶν ἐν νομοθέταις ἰμβεκιμηκότων σοφώτατον*, omnium iuris conditorum, qui vnquam fuerunt, prudentiſſimum. *x*) Diui Fratres M. ANTON. PHILOSOPHVS et L. ANTON. VERVS imperatores *y*) eum amicum ſuum et clariſſimum virum vocant. IOH. BERTRANDVS *z*) noſtrum etiam opinatur eum eſſe Iulianum, qui, anthologiae Graecae *a*) quodam epigrammate, iurisprudentiae lumen et ingens naturae miraculum appellatur. Sed diuerſum eſſe, et minime veram Bertrandi ſententiam, pluribus GVIL. GROTIVS, *b*) AEGIDIVS MENAGIVS, *c*) et alii demonſtratum iuerunt. Sufficit magnam Saluii Iuliani auctoritatem fuiſſe: nec immerito imperatorum et iureconſultorum in coelos euehi ſummis laudibus: qui nobilis praeſertim ſuaque gloria illuſtris, ob illam minime vulgarem iuris ciuilis cognitionem, ab AELIO SPARTIANO *d*) praedicatur: vt eius etiam maxime opera in edicto perpetuo conficiendo Hadrianus imperator vti voluerit.

§. X.

Neque tamen Iuliani edictum perpetuum ſuis naeuis caruiſſe

r) Nouell. 74. *s*) L. 5. C. de bonis quae lib. *t*) L. 10. C. de condict. indeb. *v*) L. 15. C. de vſufr. et habit.

x) De confirmatione digeſtorum ad magnum ſenatum et populum §. 18. *y*) L. 17. D. de iure patronatus. *z*) De iurisperitis l. 1, c. 1. §. 4. *a*) Lib. 1. tit. 1. *b*) De vitiis iureconſultorum l. 2. c. 6. §. 4. *c*) Iuris ciuilis amoenit. c. 24. p. 131. ſeqq. *d*) Didio Iuliano init.

Digitized by Google

caruiſſe aiunt. Quaedam enim addidit de ſuo, quae praetor nunquam edixerat. *e*) Quaedam detraxit, velut illa, quae de iure iurando veſtalibus et famini Diali remittendo praetor edixerat. *f*) Quaedam pro lubitu correxit: *g*) vt VLPIANVS bene moneat, olim praetoris edictum aliter fuiſſe conceptum, antequam Iulianus, Hadriani praecepto, illud ordinaſſet. Quaedam denique contra receptam iurisconſultorum ſententiam ſcripſit, vt CALLISTRATVS *h*) teſtatur his verbis: *an bona, quae ſoluendo non ſint, ipſo iure ad fiſcum pertineant, quaeſitum. Labeo ſcribit, etiam ea, quae ſoluendo non ſint, ipſo iure ad fiſcum pertinere. Sed contra ſententiam eius edictum perpetuum ſcriptum eſt.*

§. XI.

Sed eum facile excuſat Hadriani imperatoris auctoritas: cuius auſpiciis edictum perpetuum edidit. Laudi vero Hadrianus ſibi duxit, leges ferre nouas. Imo hinc alterum Numam videri voluiſſe, ex AVREL. VICTORE Schotti praeclare HENR. DODVVEL *i*) obſeruauit. Certe Iuliani labor tantam in foro auctoritatem obtinuit: vt Diocletianus et Maximianus imperatores ipſi illud ius perpetuum vocare non dubitauerint. *k*) Neque adeo mirum, certatim iureconſultos ex eo tempore, Furium Anthianum, Pomponium, Calliſtratum, Paulum, Vlpianum, et alios ad edictum perpetuum commentatos fuiſſe. Iuris praetorii indigeſta moles, ex tot variantibus praetorum edictis

e) L. 3. D. de conſt. cum emanc. lib. *f*) A. GELLIVS noct. Attic. l. 10. c. 15. *g*) L. 1. §. 1. D. commod. l. 1. D. quod metus cauſſa. *h*) L. 1. D. de iure fiſci. *i*) Praelect. Cambden. 7. p. 294. Conſer. HEINECCIVS antiquit. Rom. ad inſtit. prooem. §. 14. p. 14. Atqui etiam NICEPHORVS hiſt. eccleſ. l. 3. c. 24. Hadrianum, ſcribit, leges ad Draconis et Solonis Athenienſium legislatorum imitationem promulgaſſe.

k) L. 5. C. de appellat.

orta, formam omnino aliam requirebat: vt vix illa ſuperanda confuſio, quam mutata quotannis fere noui magiſtratus placita in iure proferebant, tandem ſummi magiſtratus auctoritate ac noua, eaque perpetua formula tolleretur. Sic certe addenda, abolenda, et immutanda erant plurima: cum imperator conſilium iniret de compilando edicto perpetuo: quod praetoriam poteſtatem infringeret, ne quid poſthac noui iuris, eius publicata hac velut norma, proferrent. Ante quidem edicta praetorum etiam perpetua dicebantur: quia ex illis edictis, ſub initium praeturae ab ſe publicatis, per id temporis ſpatium, quo praetores erant, perpetuo ius dicere debebant. Hoc vero edictum perpetuum nominabatur, quod omnibus temporibus valeret ex ipſius principis auctoritate, qui illud non in vnius anni, ſed perpetuum vſum promulgauerat. *l*) Sed errat, mea quidem ſententia, GVIL. GROTIVS, *m*) qui, nuſquam, affirmat, ante Hadriani tempora perpetui edicti vocem repertam fuiſſe.

§. XII.

Edictum perpetuum hoc temporis periit iniuria. Sed fragmenta hinc inde quaedam in digeſtis extant: quae Eguinarius Baro in libris manualium collegit. IACOBVS autem GOTHOFREDVS *n*) parum honorifice de collectione iſta ſentit: eiusque auctorem notat ſaepe data opera fingere edicta, quae nunquam fuerint, multaque eo referre, quae ex iureconſultorum placitis, moribus antiquis, ac nouis principum inſtitutis deſcendant. Nec inutilem Guilielmus Ranchinus iuris ſtudioſis praeſtitit operam, qui edicti perpetui reliquias ex multis veterum monumentis, velut ex naufragio

l) Confer. SPANHEMIVS orbis Rom. c. 8. *m*) De vitiis iuriſconſultorum l. 2. c. 6. §. 5. extr. *n*) Bibliotheca iuris.

Digitized by Google

Sub Commodo imperatore TARRVNTENVS *b*) PATERNVS fuit illuſtris iurisconſultus, praetorio praefectus, vir maximae auctoritatis, et imperatori a conſiliis. Ab ea adminiſtratione vero primum honoris ſpecie, mox coniurationis praetextu a Commodo cum aliis ipſi familiaribus interfectus eſt. *c*) Miranda hinc oſcitantia eorum,

l) 46. 3. *m*) 46. 8. *n*) 49. 1. *o*) 50. 17. *p*) 22. 2. *q*) 33. 2. *r*) 35. 2. *s*) 40. 11. *t*) 46. 1. *v*) 43. 20.

x) L. 6. §. 7. D. mandati vel contra. *y*) L. 1. D. de ſenatoribus.

z) In l. 1. C. de ſacroſ. eccleſ. Confer. IOH. GOTTL. HEINECCII programma de variis Saturninis ICtis. *Francof.* 1731. *a*) 48. 19.

b) Perperam eum alii *Tarantinum*, vel *Taruntium* vocant. Confer. Celeberr. D. OTTO tom. 1. theſ. iuris Romani praef. p. 16. et Celeb. D. WIELING Iurisprudentia reſtituta pag. XCII.

c) LAMPRIDIVS Commodo Antonino cap. 4. Confer. GROTIVS de vitis ICtorum l. 2. c. 11. §. 4. Et BERTRANDVS de iurisperitis l. 1. c. 32.

qui, cuius aetatis fuerit, liquere negant. Et egregie falluntur, qui noſtrum, cum PANCIROLO, *d*) ad Alexandri Seueri tempora non dubitant referre. Nam et MACER, *e*) qui ſub Alexandro vixit, hunc velut ſcriptorem vetuſtiorem laudat: vt ex eo, quod commemorauimus, ſatis pateat, diuerſum a Iurisconſulto noſtro fuiſſe Paternum, cui Alexander, Iuliano et Criſpino coss. reſcripſit, *f*) Ex monumentis eius nihil ſupereſt, quam fragmenta quaedam quatuor librorum, quos de re militari ſcripſit, etiam VEGETIO *g*) laudatos, qui Paternum appellat diligentiſſimum rei vel iuris militaris aſſertorem. Ex *libro primo de re militari* in pandectis Iuſtinianeis eſt l. 6. de iure immunitatis. *h*) Ex *libro ſecundo* l. 7. de re militari. *i*)

§. XXXI.

Sub imperatoribus Septimio Seuero et Antonino Caracalla celebris inter Iurisconſultos fuit Q. SEPTIMIVS FLORENS TERTVLLIANVS. Is quidem videtur eſſe, eiusdem et nominis, et aetatis, quem in ſcriptoribus ſacris infra laudabimus: *k*) diuerſiſſimum tamen eſſe, BERTRANDVS, *l*) MENAGIVS, *m*) HAHNIVS, *n*) OTTO, *o*) WIELING, *p*) alii demonſtrarunt. Tantum conſtat, neque ſacrum illum ſcriptorem,

d) De clatis legum interpretibus l. 1. c. 2. p. 13. *e*) L. 12. §. 1. D. de re mil. *f*) L. 2. C. de magiſtratibus conuenlendis.
g) Lib. 1. cap. 8. *h*) 50. 6. *i*) 49. 16.
k) Et eundem eſſe crediderunt IAC. CVIACIVS obſeru. l. 7. c. 2. ANTON. AVGVSTINVS lib. de proprtiis nominibus pandectarum. PANCIROLVS de claris legum interpret. l. 1. c. 50. GROTIVS de vitis ICtorum l. 2. c. 9. §. 6. Plures alii. RVTILIVS vitis ICtorum c. 65. GRAVINA origin. iuris ciuil. l. 1. c. 94. et alii, nihil certi affirmare conantur. *l*) De iurisperitis l. 1. c. 23. *m*) Iuris ciuil. amoenitat. cap. 12. *n*) De vſu chronol. §. 40. ſeqq. p. 137.
o) Theſ. iuris Rom. tom. 1. praef. pag. 15.
p) Iurisprud. reſtituta pag. XCII.

Digitized by Google

criptorem, neque iurisconſultum noſtrum conſulem fuiſſe, et perperam cum iſtis Tertullum confundi, qui ſub Antonino Pio vixit, cuiusque ad relationem Senatus conſultum Tertullianum *q*) factum eſt. Scripſit 1) quaeſtionum libros octo. 2) De caſtrenſi peculio librum ſingularem. Ex quibus pauca in pandectis Iuſtinianeis fragmenta ſuperſunt. Ex *libro quaeſtionum primo* l. 27. de legibus. *r*) l. 28. de acquirenda vel amittenda poſſeſſ. *s*) Ex *libro ſingulari de caſtrenſi peculio* l. 23. et 33. de teſtamento militis. *t*) l. 4. de caſtrenſi peculio. *v*)

§. XXXII.

Septimii Seueri et Antonini Caracallae imperatorum temporibus floruit etiam inter Iurisconſultos ARRIVS MENANDER, ille conſiliarius, ſui principis negotiis adeo implicatus, vt excuſationem a tutela meruerit. Ita enim diſerte VLPIANVS: *x*) *cum enim ſuſceptam tutelam non alii ſoleant deponere, quam qui trans mare reip. cauſſa abſunt, vel hi, qui circa principem ſunt occupati, vt in conſiliarii Menandri Arrii perſona eſt indultum* etc. BERTRANDVS *y*) eum quidem ſcribit conſiliarium fuiſſe Alexandri: ſed GROTIVS *z*) ſatis clare demonſtrat, Antonini Caracallae conſiliarium fuiſſe: quod Vlpianus libros ad edictum, ex quibus iſte locus deſumtus eſt, ſub imperio Antonini ſcripſiſſe aliunde *a*) colligatur: tum quod MACER,

q) *Tertyllianum* vulgo ſcribitur, notiſſima *y* et *u* vocalium permutatione. Confer. Celeberr. OTTO. l. c. *r*) 1. 3. *s*) 41. 2.
t) 29. 1. *v*) 49. 17. Pl. confer. IOH. HENR. BLVMBACHII liber eruditiſſimus de SCto. Q. Septimio Florente Presbytero, et ICto Tertullianis. *Lipſiae* 1735. 4. *x*) L. 11. §. 2. D. de minoribus viginti quinque annis. *y*) De iurisperitis l. 1. c. 28.
z) De vitis Iurisconſultorum l. 2. c. 9. §. 16.
a) L. 1. D. ſi is, qui teſtamento liber eſſe iuſſus erit etc.

Digitized by Google

CER, *b*) qui ſub Alexandro ſcripſit, Menandri huius ſemel iterumque meminerit, velut auctoris vetuſtioris atque probati. Scripſit de re militari libros quatuor, ex quibus pauca tantum fragmenta in pandectis Iuſtinianeis ſuperſunt. Ex *libro primo* l. 29. de liberali cauſſa. *c*) l. 2. et 4. de re militari. *d*) Ex *libro ſecundo* l. 5. de re militari. *e*) Ex *libro tertio* l. 6. d. t. *f*) l. 1. de veteranis. *g*)

§. XXXIII.

Septimio Seuero imperante, ſub finem ſecundi ac initium tertii poſt Chriſtum natum ſeculi, Iureconſultos inter maxime illuſtris fuit AEMILIVS PAPINIANVS, *h*) de quo eleganter BALDVINVS *i*) monet difficile eſſe, vel ſcribere, vel non ſcribere. Scribere de eo difficile, de quo ſcriptores hiſtorici, veterumque annalium monumenta, quae commemorentur, perpauca ſuppeditent. Nihil vero ſcribere de viro tanto, veterumque prudentum principe, non minus eſſe difficile, praeſertim homini iuriſprudentiae ſtudioſo, qui in legum libris tot et tam praeclara illius reſponſa legat, et admiretur. Venerandae antiquitatis leguntur monumenta, quae ſi cum optimis huius aeui

b) L. 1. D. de veteranorum et militum ſucceſſione, L. 13. §. 5. D. de re militari. *c*) 40. 12. *d*) 49. 16. *e*) Ibid. *f*) Ibid. *g*) 49. 18.

h) GROTIVS de viris Iurisconſultorum l. 2. c. 9. §. 1. eum *L. Aemilium Papinianum* vocat. Veteri monumento ſepulchrali *Aemilius Paulus Papinianus* legitur: perperam vero FRANC. BALDVINI Papiniano pag. 197. *Aemilius Iulius Papinianus*. Sunt etiam qui eum *Papianum* vocant. Confer. illuſtris EVERHARDVS OTTO, Syndicus Reip. Bremenſis longe meritiſſimus, in vita Papiniani c. 2. Et Clariſſimus Vir, ABRAH. WIBLING iuriſprudentia reſtituta, ad indic. ICtorum alphabeticum annot. pag. LXXXV.

i) Papiniano p. 196. Ita quidem SPARTIANVM Antonino Caracallo cap. 8. init. imitatur, vbi, *ego malui*, inquit, *veritatem* (at ille *varietatem* legit) *opinionum edere, quam de tanti viri caede reticere.*

Digitized by Google

aeui hiſtoricis componantur, haud exiguam vitae Iuriſconſulti propius inſpiciendae lucem affundere videntur. Melioris notae inſcriptio haec eſt.

D. M.
AEMILIO. PAVLO. PAPINIANO.
PRAEF. PRAET. IVR. CONS.
QVI. VIX. ANN. XXXVI. M. IIII. D. X.
HOSTILIVS. PAPINIANVS.
EVGENIA. GRACILIS.
TVRBATO. ORDINE. IN. SENIO.
HEV. PARENTES. INFELICISS.
FILIO. OPT. P. M.
FECERVNT.

Et ſua aetate, cum Sixtus Pontifex Maximus rerum potiretur, soccinvs *k*) Romae teſtatur, vrnam argenteam a ruſtico, agrum fodiente, repertam, cum hac inſcriptione: AEMILII. PAPINIANI. I. C. ET. PRAEFECTI. PRAETORIO. REQVIESCVNT. HIC. OSSA. CVI. INFELIX. PATER. ET. MATER. SACRVM. FECERVNT. MORTVO. ANN. SVAE. AETATIS. XXXVIII. Mihi quidem videtur ex monumento primo, ad conſeruandam tanti viri memoriam, inſcriptiones in vaſis, marmoribus, aliisue vtenſilibus factas eſſe plurimas. Sic et ANDR. GRYPHII Papiniano aere inciſa conſpicitur vrna feralis argentea ex monumentis ſepulchralibus Ribiſii, ſed cum inſcriptione illa priori, paucis mutatis, Papiniani quoque et Plautiae effigies, ex amethyſto Fuluii Vrſini: vt parum omnibus ſit tribuendum fidei. Mirum, quod Papiniano ſex atque triginta tantum adſcribantur vitae anni, qui tot tantosque

k) In l. 102. *cum annus* etc. D. de conditionibus et demonſtrationibus. Conſer. GVIDI PANZIROLI de claris legum interpretibus l. 1. c. 55.

tantosque viros et discipulos habuerit, et in iudicio assessores: imo reliquerit filium, a Caracalla cum patre interemtum, qui ante triduum quaestor munus opulentum dederat. Et aliae sunt caussae, quod BALDVINVS, *l*) GALVANVS, *m*) illustris Dominus EVERARDVS OTTO, nostri temporis Papinianus, et insigne iurisprudentiae ornamentum, *n*) HOFFMANNVS, *o*) et alii, ea vetustatis monumenta valere nolunt. Contra RVTILIVS, *p*) BERTRANDVS, *q*) GROTIVS, *r*) GRAVINA, *s*) A BOECKELEN, *t*) et alii auctoritatis quicquam istis abrogare verentur. Ex eo, quod in priori monumento XXXVI. in altero XXXVIII. annos vixisse dicitur: *v*) coniicere licet, scriptum fuisse XXXXVI. vt, parte literarum inferiori laesa, vltimum X. abruptum V. et sequens V. solutum II. repraesentarit, cum litera finali altera I. Quae coniectura si vera est: Papinianus, sub diuis fratribus M. Antonino Philosopho et L. Antonino Vero, natus est anno Domini CLXVII. Prudenti et M. Vitrasio Pollione coss. ab vrbe condita DCCCCXVIII. Parentes fuerunt Hostilius Papinianus et Eugenia Gracilis. De familia et genere nihil constat: nisi quod imperatoris Seueri fuerit affinis per secundam vxorem: *x*) quae fuit Iulia Domna Aemesena Syra, Getae mater. Si eius gentis

l) Papiniano p. 198. *m*) Dissert. de vsufructu c. 13. p. 134. *n*) Papiniano, siue de vita, studiis, scripds, moribus, et morte Aemilii Papiniani, ICtorum Coryphaei, comment. *o*) Historia iuris vol. I. p. 153. *p*) Vitis ICtorum c. 70. extr. *q*) De iurisperitis l. 1. c. 2. init. *r*) De vitis Iurisconsultorum l. 2. c. 9. §. 1. *s*) Orig. iuris ciuilis l. 1. c. 99. oper. pag. 73. *t*) De diuersis familiis veterum iureconsultorum, SLEVOGTII opusculis de sectis et philosophia iurisconsultorum pag. 106. *v*) Quod etiam RVTILIVS obseruat, vitis ICtorum c. 70. extr. et BALDVINVS Papiniano p. 198. Sed GRAVINA orig. iuris ciuilis l. 1. c. 99. posterius monumentum ex priori perperam emendare studuit.

x) AELIVS SPARTIANVS Antonino Caracallo c. 8.

Digitized by Google

tis Papinianus, poſſet Syrus videri: vt Vlpianus ſe quoque Tyrium fuiſſe profitetur. Eſt illius quidem lingua tam Latina, vt eum plane Romanum indicet. Eſt vero etiam Vlpiani Tyrii oratio Latiniſſima: et Papinianus non minus eleganter Graece ſcripſit: de quo μονόβιβλος ἀστυνομικός teſtari poteſt, eius ſaltem fragmentum, quod in pandectis legitur. *y*) Ab ineunte aetate optimarum artium ſtudio omnes fere condiſcipulos ſuperauit, ac ſatis mature inprimis omnigenae eruditionis nomine commendari coepit. Inter praeceptores maxime veneratus eſt Ceruidium Scaeuolam, quo Iurisconſulto vſus eſt M. Antoninus Philoſophus, *z*) quique iuris celeberrimus eo tempore doctor inter Sabinum et Proculum aequiſſimus fuit arbiter, *a*) et ipſum quoque Seuerum imperatorem docuit, Papiniani amiciſſimum. *b*) Et hic inter condiſcipulos clarius exſplendeſcebat, quam eorum pars aequo animo ferre poſſet: pars vero etiam ipſius, dum iuris ſcholam valde iuuenis aperiret, ab eius ore dependere non verebantur. Inter eum certe, Paulum, ac Vlpianum magna aemulatio fuit: *c*) quos vt et multos alios auditores aeque ac condiſcipulos habuit. Nam AELIO LAMPRIDIO teſte, *d*) in Alexandri Seueri imperatoris conſilio fuerant Fabius Sabinus, Domitius Vlpianus, Aelius Gordianus, Iulius Paulus, Claudius Venatus, Pomponius, Alphenus, Aphricanus, Florentinus, Martianus, Calliſtratus, Hermogenes, Venuleius, Triphonius, Metianus, Celſus, Proculus, Modeſtinus, et

y) BALDVINVS Papiniano p. 197. ſeq. *z*) IVLIVS CAPITOLINVS M. Anton. Philoſ. c. 11. extr. *a*) Vid. GOTFRIDI MASCOVII v. c. de ſectis Sabinianorum et Proculianorum in iure ciuili diatr. pag. 131. ſeq. *b*) AELIVS SPARTIANVS Caracallo c. 8. *c*) Vid. CHR. OTT. A BOECKELEN de diuerſis familiis veterum ICtorum in SLEVOGTII opuſculis de ſectis et philoſophia Iurisconſultorum p. 58. et 66. *d*) Alexandro Seuero c. 68.

hi omnes iuris profeſſores diſcipuli fuerunt ſplendidiſſimi Papiniani, vt Alexandri Seueri imperatoris quoque familiares et ſocii. Septimio Seuero, antequam rerum potiretur, in aduocatione fiſci ſucceſſit. *e*) Quo quidem tempore ſub Commodo, imperatore inſano ac furente, magna remp. oppreſſit calamitas: vt aliae ex aliis difficultates ab aduocato fiſci ſuperandae eſſent, qui iuſtitiam et aequitatem, cum de iure fiſci ageretur, ſartam tectam ſeruare ſtudet. Maius etiam poſt Commodi principatum, anno cxcii, ſuboriebatur periculum, quod, ſublato Pertinace, Didius Iulianus, Peſcennius Niger, Clodius Albinus, plures alii, gladiatorio animo viam affectabant ad imperium et funeſtiſſimae paſſim factiones erant. Cum tandem Septimius Seuerus, tyrannis oppreſſis, remp. ſolus ordinare videretur, at ſaeuus auarusque eſſet ac indulgeret Plautiano: noſtrum tamen fiſci aduocatum iniquas ac illiberales eorum cupiditates conſtanter repreſſiſſe, pulcherrima ipſius de iure fiſci reſponſa teſtantur. Imo et Seuerum aliquando in hoc genere liberaliorem reddidit, quam aut iuris ſeueritas poſtularet, aut ipſe ſperare auderet. *f*) Fuit etiam libellorum magiſter, qui ſupplicibus libellis reſpondendo principis nomine ſubſcribebat: *g*) aſſidens imperatori Seuero, cum in ſacro, quod appellabant, auditorio ius diceret ac iudicaret. Eumque tunc temporis ex cauſſa nouam ſaepe ſententiam in conſilio, eaque auctoritate, conſiliariis reclamantibus aliis, dixiſſe patet, vt imperator velut dictata magiſtri exciperet. *h*) Aſſeſſores quoque habuit

e) AELIVS SPARTIANVS Antonino Caracallo c. 8. *f*) Vid. l. 18. D. de his, quae vt indignis auferuntur. *g*) Id enim dicebatur *agere libellos*. Vid. l. 12. pr. D. de diſtractione pignorum et hypothecarum. *h*) Confer. l. vlt. D. de iure fiſci. et l. 97. D. de acquirenda hereditate.

Digitized by Google

buit procul dubio in eodem iudicio Paulum et Vlpianum Iureconſultos, quos ab ineunte aetate et condiſcipulos et auditores habuiſſe monuimus. *i*) Tandem et praetorio fuiſſe praefectum, qui ſummus erat a principe honoris gradus, ipſe innuit, *k*) et PAVLVS teſtatur: *l*) vnde eum quoque IVSTINIANVS imperator cum aliis ornat honorum vocabulis, tum virum ſublimiſſimum vocat praefectorium Papinianum. *m*) Neque eſt, quod cum BERTRANDO *n*) ſtatuamus, Baſſiani temporibus demum praefecturam praetorianam geſſiſſe; neque cum RVTILIO, *o*) GRAVINA, *p*) et aliis, a Septimio Seuero ſtatim poſt ſuſceptum imperium praetorio fuiſſe praefectum. Fecit autem, SPARTIANO teſte, *q*) ſtatim praefectum praetorio Flauium Iuuenalem: quem etiam Iulianus tertium praefectum praetorii ſibi aſſumſerat. Vnde patet, plures tunc temporis fuiſſe praefectos: cum et ipſe PAPINIANVS *r*) plurium meminerit. Sic ante Commodus quoque praefecturam praetorianam dicitur poſt necem Perennis duobus dediſſe, vt eam imbecilliorem redderet. *s*) Initio certe Seuerus, cum rerum potiretur, praetorianis valde infenſus erat, qui Iuliano eam dignitatem ante vendiderant: vt magna cum miſeria et periculis iam tum videretur fuiſſe coniuncta. Vero hinc credo ſimilius, quod, rebus iam ordinatis, poſt alia atque alia munera meritaque cumulata Papinianum tandem praetorio praefecerit ſolum: quandoquidem imperator

i) AELIVS LAMPRIDIVS Alexandro Seuero c. 26. AELIVS SPARTIANVS Peſcennio Nigro c. 7. *k*) Apud SPARTIANVM Antonino Caracallo c. 8. *l*) L. 40. pr. D. de rebus creditis. *m*) Epiſt. de conceptione digeſtorum ad Iurisconſultos §. 4. *n*) De iurisperitis l. 1. c. 2. §. 5. *o*) Vitis ICtorum c. 70. §. 1. *p*) De ortu et progreſſu iuris ciuilis l. 1. c. 99. *q*) Seuero imper. c. 6.
r) L. 3. D. de vſuris. Confer. VLPIANVS l. 1. D. de legat. lib. 3.
s) Vid. LAMPRIDIVS Commodo Antonino c. 6.

eo vno contentus esset, eiusque maximam valere auctoritatem facile pateretur. Hic obiter notandus ANGELI POLITIANI *t*) error, qui eum scribit fuisse praefectum vrbi, ac potentiorem in aula, quam voluerit: vt saepe nocituram potentiam deponere sit frustra conatus. Habuit praefectus praetorio auditorium suum, et cum assessoribus de caussis ciuilibus et criminalibus iudicauit: vt eius imperium cum iurisdictione coniunctum, non modo vrbanum, sed inprimis etiam militare esset: quandoquidem togatus simul atque solemni ceremonia gladio a principe ornatus praeerat exercitui. *v*) Fuit Bula quidam seditiosorum dux et archipirata, qui sexcentorum collecta latronum manu horrendas dedit in media Italia turbas, ipsum imperatorem Seuerum terruit, ac illi nescio quibus praestigiis illusit. Tandem captus ad praetorianum Papiniani tribunal adductus est. A Papiniano interrogatus, cur latrocinium fecisset, superbissime respondit, et tu cur praefectus es? Sed damnatus et bestiis obiectus magno Italiam metu et periculo liberauit. *x*) Postea Seuerus in Britanniam, vbi motus audiuerat esse nouos, cum exercitu traiecit, ac comitem Papinianum suum habuit praetorio praefectum. *y*) Quales tunc essent in ea insula turbae, quales quantique seditionum fluctus, quantus barbarorum furor, vel inde coniicere licet, quod DIO, sufficiens huius rei testis, narrat, quinquaginta Romanorum millia interiisse. Seuerus autem omnia victricibus subegit armis: neque desiit in castris, Papiniani consilio vsus, ferre leges, atque passim de iure implorantibus respondere. Commorabatur in ea insula

t) Lib. 5. epist. 9. oper. p. 71. *v*) Officium praefecti praetorio pluribus describit BALDVINVS Papiniano p. 206. seqq. *x*) DIO epit. lib. 76. *y*) Quod item DIONIS testimonio constat. Confer. BALDVINI Papinianus p. 212. seqq.

Digitized by Google

ſula triennium totum, quo quidem temporis ſpatio cum reliquis prouinciis Roma inſigni gaudebat tranquillitate: vt hiſtoriae nonniſi de Britannia loquantur. Oportet ergo ſuperſtites in codice Iuſtinianeo leges ab imperatore editas Caracalla III. et Geta II. conſulibus, qui cum patre in Britannia erant, deinde Pompeiano et Lolliano Auito coss. ac tandem Fauſtino et Macro Rufiniano coss. Anno Domini CCIX. ſeqq. illic eſſe natas. HERODIANO teſte, *z*) vbi Seuerus intellexit, ſatis ſibi ex ſententia promta ac parata eſſe omnia, iuniorem filium, Getam, in parte inſulae Romanis ſubiecta reliquit, vt iuri dicundo rebusque ciuilibus adminiſtrandis praeeſſet: eique conſiliarios ex amicis natu grandibus reliquit, Antonino Caracalla ſecum aduerſus barbaros educto. Ecquis dubitabit, inter hos ipſum quoque Papinianum fuiſſe: cui, vt SPARTIANVS *a*) memoriae prodidit, vterque filius praecipue a Seuero commendatus fuit? Mirandum hinc, quod Herodianus nullam Papiniani vnquam fecerit mentionem, qui magnum ſui temporis ornamentum, neque pars minima imperii fuit. Non ego quidem hiſtorici illius, neque Dionis puto accuſandam eſſe inuidiam, *b*) qui narrat, cum in Britannia Caracallus aliquando patrem occidere tentaſſet, Seuerum, illi paricidium exprobrantem, id eum, dixiſſe, Papiniano mandare debuiſſe, qui facile obſecuturus fuiſſet. Sed patris, ſi fabula vera eſt, ironiam intelligo: qui optimi viri fidem, prudentiam, animi magnitudinem, atque conſtantiam ſaepius expertus fuerat, ita quidem, vt cum filiis remp. ipſam illius tutelae quaſi committere nullus dubitauerit. Non is fouere lites, nedum paricidia probare aut patrare didicerat, SPARTIANO teſte, *c*) fratrum

z) Lib. 3. c. 14. *a*) Antonino Caracallo c. 8.
b) Vid. BALDVINVS Papin. p. 214. ſeq. *c*) Antonino Caracallo c. 8.

trum fouit concordiam, atque hoc egit, ne occideretur Geta, cum iam de insidiis eius Bassianus quereretur. Tandem Seuerus in Britannia CCXII. moerore magis, quam morbo, consumtus, annis duodeuiginti gesto imperio, decessit, suisque dissidentibus filiis, vt pari potestate regnarent, ingentes reliquit opes. *d*) Getae minori Caracalla perpetuo struxit insidias, easque sibi ab illo fieri non veritus est conqueri. Vnde HERODIANVS, *e*) iuuenes, consecrato parente domum reuersos, discordias quotidie et simultates exercere, insidiari inter se, moliri, parare omnibus modis, et ea tantum in animo habere, quibus alter dolo caperetur: postremo quacunque via grassari ad singulare imperium, ac nihil inuicem praetermittere, vt consortem potestatis expungerent. Sed maior in Geta probitas, moderatio, et humanitas, qui interea temporis, quo frater ambitiose et auare, imo crudeliter agebat omnia, studia amplectebatur honestissima, et viros secum frequentes habebat disciplinarum laude celeberrimos, vt, spe excitata felicioris imperii, amorem populi fere totius mereri videretur. Iulia Seueri vidua, Caracallae nouerca, et Getae mater, nostri vero Papiniani cognata, quae et maritum in Britanniam secuta fuerat, de conciliandis fratribus, filio et priuigno suo, valde solicita, inprimis Papiniani, cognati sui, consiliis vtebatur: vt salua cum suis et exercitu Romam reuerteretur. Postquam frustra diu de conciliandis fratrum animis laborauit, quorum magis magisque in dies ingraueſcebant odia: morae tandem impatiens Caracalla et insana totius imperii capessendi cupidine instigatus, magnum instituit facinus aut exsequi, aut pati, et caedem quocunque modo experiri. Factum ergo V. kal. Martii anno post patris mortem proximo, Aspris

d) HERODIANVS l. 3. c. 15. *e*) Lib. 4. c. 3.

Digitized by Google

Aſpris duobus coss. poſt Chriſtum natum CCXIII. vt Getam Caracalla, perrupto fratris cubiculo, nihil minus exſpectantem, in amplexu contremiſcentis Iuliae matris, multo vndantem ſanguine, ſaeuus obtruncaret. Quo facto exilit tyrannus ſtatim, ac per totam regiam currens clamitat, magnum ſe periculum effugiſſe, vix incolumem euaſiſſe. Militibus vero palatii cuſtodibus imperat, vt in caſtra ſe continuo deducerent, vbi tutius aſſeruetur: ſe periturum dictitans, ſi moram diutius in aedibus iſtis trahat.*f*) Mox et in alios pergit ſaeuire omnes, quos fratri ſuſpicabatur non fuiſſe inimicos: vt ſine probatione, ſine accuſatore, atque adeo ſine crimine, praeſtantiſſimi et innocentiſſimi quique in vrbe viri iugularentur. Ipſa Iulia nouerca neci iam deſtinata, niſi, dolore diſſimulato, tyrannum ad laſciuiam et meretricios amores pellexerit. Eo quidem triſti rerum ſtatu, non potuit non etiam praetorio praefectum, Papinianum, adoriri, qui ſemper adhuc fraternae reconciliationis auctor fuerat: nullaque indignationis vel odii habita ratione, boni fortisque viri officio ſatisfecerat: cum ſibi ſuisque rebus, aliorum exemplo, melius proſpicere, diſcordiam alere, atque interea temporis, quod ambitioſi homines facere ſolent, opibus omnes ſuperare potuiſſet. Sed longe alia Papiniani mens fuit: vt praemium referret, quod vulgo ſolet eſſe virtutis. Nam et Caracalla hunc praefectum ſuum ad ſupplicium rapere iuſſit: quia ſtrenuus ſine adulatione defenſor iuſtitiae paricidium excuſare noluit.*g*) Haec enim vera ſupplicii cauſſa fuit: quam et SPARTIANVS

f) Vid. HERODIANVS l. 4. c. 4. SPARTIANVS Seuero c. 21. Antonino Caracallo c. 2. et Antonino Geta.

g) AELIVS SPARTIANVS Seuero imperat. c. 21.

SPARTIANVS vnam tradit: licet alibi *b*) ſubdubitare videatur. *Scio*, ſcribit, *de Papiniani nece multos ita in literas retuliſſe, vt caedis non ſciuerint cauſſam, aliis alia referentibus.* Poſt pauca: *multi dicunt, Baſſianum, occiſo fratre, illi mandaſſe, vt et in ſenatu per ſe, et apud populum facinus dilueret: illum autem reſpondiſſe, non tam facile paricidium excuſari poſſe, quam fieri. Eſt etiam haec fabella, quod dictare noluerit orationem, qua inuehendum erat in fratrem, vt cauſſa eius melior fieret, qui occiderat: illum autem negantem reſpondiſſe, aliud eſt paricidium, accuſare innocentem occiſum. Sed hoc omnino non conuenit: nam neque praefectus poterat dictare orationem: et conſtat, eum quaſi fautorem Getae occiſum.* Vtique inter fautores Getae occiſus fuit, et quod excuſare noluerit facinus iſtud triſte Caracalli. Et quidni, vel extra ordinem, principis nomine, potuit dictare orationem? Ipſe quidem Caracalla ſatis et impudens, et diſertus erat: vt aliquam ad ſcelus excuſandum fingeret orationem: qualem et, HERODIANO teſte, *i*) ad milites ſuos dixit. Attamen facile intellexit, tam odioſo facinore ſe prorſus nihil acturum, niſi maxima tanti viri cum eloquentia accederet auctoritas: cuius patrocinio haud difficulter aliorum ſententias ſuperare poſſet. Eam vero tulit repulſam virtutis, quae, ſine fraude et iniuria, ſuum cuique tribuit, et linguam neque meritoriam, neque meretriciam habet. Papinianus, cum raptus

b) Antonino Caracallo c. 8. GRAVINA originum iuris ciuilis l. 1. c. 99. *Quia hoſtis loco habebatur a Caracalla, quicunque fratri non eſſet infeſtus: Papinianum, vel Getae necem prohibentem, vel paricidium excuſare detrectantem, vel nolentem imperatori orationem componere ad facinus apud populum diluendum, ſuis militibus occidendum tradidit.* Sed ea cauſſarum diuerſitate, vna virtutis conſtantia deprehenditur, qua Getae non potuit excuſare necem. *i*) Lib. 4. c. 5.

Digitized by Google

raptus a militibus, imperatoris iuſſu, ad palatium traheretur occidendus, tyranni fata praediuinauit quaſi, et *ſtultiſſimum*, dixit, *fore, qui in ſuum ſurrogaretur locum, niſi appetitam crudeliter praefecturam vindicaret.* Quod et factum eſt, cum quadriennio poſt a Macrino occideretur. *k*) Papinianus vero, teſte SPARTIANO, *l*) in conſpectu tyranni, percuſſus eſt ſecuri et a militibus occiſus. Quo facto, Caracalla percuſſori dixit: *gladio te exequi oportuit meum iuſſum. m*) Truncatum per plateam tractum cadauer, ſine aliqua humanitatis reuerentia. Et filius Papiniani, qui ante triduum quaeſtor opulentum munus ediderat, interemtus eſt. Factum, vt dixi, anno poſt Chriſtum natum CCXIII. ab vrbe condita DCCCCLXIV. Aſpris coss. Coniugem habuit Plautiam, Plautiani, principis ac praediuitis ſed inſolentis viri, *n*) filiam, cuius ſororem Plautillam Seuerus imperator filio ſuo Caracallo tradidit. Sed ille parum laetus iſto matrimonio, ac neceſſitate magis quam voluntate impulſus, puellam ipſam pariter et puellae parentem peſſime odit, ſic vt ne torum quidem laremue cum ea communem pateretur: imo quotidie minaretur, ipſam cum patre occiſurum ſimul atque imperium ſolus obtinuiſſet. *o*) Sed Plautiam coniugem Papinianus amoris tenerrimo vinculo coniunctiſſimam habuit. Et reperta eſt amethyſtus, quae gemmae annullaris ſpeciem habuit, inſignem duobus capitibus et quinque literis PLA PA ſculpturam continens. Coniuges a dextra femina et maritus illi oppoſita ſe inuicem intuentur: quemadmodum

k) SPARTIANVS Caracallo c. 8. *l*) Antonino Caracallo c. 4. init. *m*) Confer. BALDVINI Papinianus pag. 220. et GRYPHII ad Papinianum animaduerſiones verſ. 356. *n*) De quo conſulendus eſt SPARTIANVS Seuero imperatore c. 14. HERODIAN. et DIO CASSIVS. *o*) HERODIANVS l. 3. c. 10. GRYPHII ad Papinianum animaduerſ. v. 27.

Digitized by Google

dum hoc antiquitatis monumentum IACOB. GRONOVIVS *p*) edidit, et inſcripſit, *Plautia et Papinianus propinquitate Seueri imperatoris et iurisperitia nobile coniugium.* Vitam Papiniani data opera deſcripſerunt Illuſtris primum Duisburgenſis, mox Vltraiectinus Anteceſſor, et hodie Bremenſis Reip. Syndicus meritiſſimus, D. EVERARDVS OTTO, ſaepe laudatus FRANCISCVS BALDVINVS, cuius diſſertationes duas de iure ciuili ex Papiniano eiusque vitam, cum commentariis ad leges de iure ciuili, Voconiam, Falcidiam etc. GVNDLINGIVS Halae 1730. 8. edidit. IACOBI LECTII orationem de Papiniano Celeberrimus D. OTTO iuris Romani theſauro *q*) inſeruit. Tragoedias in Germania GRYPHIVS, in Italia GRAVINA *r*) ſcripſerunt. De philoſophia Papiniani IOH. PHILIPPVS SLEVOGTIVS proluſionem Ienae anno MDCLXXXI. lectionibus moralibus praemiſit. *s*) CHR. BESOLDVS Tubingae orationem edidit de Papinianea ſecuri: Helmſtadii IOH. PAVL. KRESSIVS de religione iudicantium Papinianea. MATTH. WESENBECII Papinianus cum aliis miſcellaniis prodiit *Witeb.* 1570. et *Lipſiae* 1585. 8. IOH. STRAVCHII vita Aemilii Papiniani inter eius programmata, quae Celeberr. D. BVDER *Ienae* 1723. 8. edidit.

§. XXXIV.

Ingens ſane a Papiniano iurisprudentiae incrementum venit: qui ſapienter et ingenue ſuis ſcriptis Romanam iuſtitiam docuit. Cum maximae auctoritatis Iureconſultus

p) Theſauro Graecarum antiquitatum volum. 3. pppp. *q*) Tom. 1. n. 3. *r*) Qui originum iuris ciuilis l. 1. c. 99. exit. *Catonianam nos conſtantiam principis iurisconſultorum in ſcenam, ad popularem admirationem, adduximus, vernacularum tragoediarum quarta, quae inſcribitur Papinianus.* *s*) Quae extat in GOTTLIEB SLEVOGTII de ſectis et philoſophia ICtorum opuſculis p. 160. ſeqq.

Digitized by Google

conſultus eſſet, ac plurimum in rep. valeret, ſine faſtu et inuidia tamen iuris et aequi amantiſſimus fuit, et ipſe errores agnoſcere ſuos, quam a veritate latum vnguem recedere, maluit. *t*) Scripſit vero Papinianus, vt ex catalogo veterum auctorum pandectis Iuſtinianeis praefixo intelligimus, 1) quaeſtionum libros triginta ſeptem, 2) reſponſorum libros vndeuiginti, 3) definitionum libros duo, 4) de adulteriis duo libros, 5) de adulteriis librum ſingularem, 6) ἀσυνομικῶν μονοβίβλιον. *v*) Ex libris ſeptem et triginta quaeſtionum in pandectis Iuſtinianeis leges ſunt deſumtae ſequentes. Ex *libro quaeſtionum primo* l. 5. de officio proconſulis et legati. *x*) l. 1. de officio eius, cui mandata eſt iurisdictio. *y*) l. 33. de receptis. *z*) l. 74. de diuerſis regulis iuris. *a*) Ex *quaeſtionum libro ſecundo* l. 15. ſi quis cautionibus. *b*) l. 38. de pactis. *c*) l. 17. de transactionibus. *d*) l. 8. de poſtulando. *e*) l. 25. de his, qui notantur infamia. *f*) l. 2. de quibus rebus ad eundem iudicem eatur. *g*) l. 54. de condictione indebiti. *h*) l. 7. de praeſcriptis verbis. *i*) l. 1. de vſuris et fructibus. *k*) l. 35. de adminiſtratione et periculo tutorum. *l*) l. 33. de ſtatuliberis. *m*) l. 115. de verborum obligatione. *n*) l. 33. de poenis. *o*) l. 11. et 13. ad municipalem, et de incolis. *p*) l. 5. de decurio-

t) Vid. CVIACIVS obſeruat. l. 2. c. 37. Qui, *vtinam*, obſeruationi egregiae ſubiungit, *qui hoc tempore ius noſtrum interpretantur, Papinianum imitati, quae vel falſo, vel inepte aliquando et ſenſerint, et ſcripſerint, ingenue retractent, nec in eis contra quam poſtea reſciuerint, tam obſtinato, tamque obfirmato animo, vti faciunt, perſeuerent.* *v*) Vid. Celeberr. ABRAHAMVS WIELING, Fautor et Amicus noſter, Iurisprudentia reſtituta, ad indicem ICtorum alphabeticum annotat. p. LXXXV.

x) Digeſt. l. 1. tit. 16. *y*) 1. 21. *z*) 4. 8. *a*) 50. 17. *b*) 2. 11. *c*) 2. 14. *d*) 2. 15. *e*) 3. 1. *f*) 3. 2. *g*) 11. 2. *h*) 12. 6. *i*) 19. 5. *k*) 22. 1. *l*) 26. 7. *m*) 40. 7. *n*) 45. 1. *o*) 48. 19. *p*) 50. 1.

curionibus. *q*) l. 6. de vacatione et excuſat. muner. *r*) Ex *quaeſtionum libro tertio* l. 8. de ſtatu hominum. *s*) l. 48. de negotiis geſtis. *t*) l. 30. de minoribus. *v*) l. 19. ex quibus cauſſis maiores. *x*) l. 39. de iudiciis. *y*) l. 49. de hereditatis petitione. *z*) l. 16. de compenſationibus. *a*) l. 1. de probat. et praeſumt. *b*) l. 36. de adminiſtratione et periculo tutorum. *c*) l. 12. de vulgari et pupillari ſubſtitutione. *d*) l. 49. ad ſenatusconſultum Trebellianum. *e*) l. 8. de collatione bonorum. *f*) l. 18. de operis noui nunciatione. *g*) l. 42. de vſurpatione et vſucap. *h*) l. 12. de doli mali except. *i*) l. 36. ad legem Iuliam de adulter. *k*) l 75. de diuerſis regulis iuris. *l*) Ex *quaeſtionum libro quarto* l. 40. de iudiciis. *m*) l. 51. de legatis et fideicommiſſis 1. *n*) l. 116. de verborum obligatione. *o*) Ex *quaeſtionum libro quinto* l. 39. de pactis. *p*) l. 14. de inofficioſo teſtamento. *q*) l. 8. de ſtipulationibus praetoriis. *r*) l. 37. ad legem Iuliam de adulter. *s*) Ex *quaeſtionum libro ſexto* l. 50. de hereditatis petitione. *t*) l. 10. ſi pars hereditatis petatur. *v*) l. 62. de rei vindicatione. *x*) l. 55. de condictione indebiti. *y*) l. 2. de vſuris et fructibus. *z*) l. 8. vt in poſſeſſionem legatorum. *a*) l. 47. de manumiſſis teſtamento. *b*) Ex *libro quaeſtionum ſeptimo* l. 5. et 33. de vſufructu. *c*) l. 4. de ſeruitutibus. *d*) l. 36. de ſeruitutibus praediorum vrbanorum. *e*) l. 34. de ſeruitutib. praed. ruſtic. *f*) l. 17. communia praediorum. *g*) l. 13. et 31. familiae erciſcundae. *h*) l. 28. communi diuidundo. *i*) l. 64. de euictionibus et duplae ſtipulatione. *k*) l. 7.

q) 50. 2. *r*) 50. 5. *s*) 1. 5. *t*) 3. 5. *v*) 4. 4. *x*) 4. 6. *y*) 5. 1. *z*) 5. 3. *a*) 16. 2. *b*) 22. 3. *c*) 26. 7. *d*) 28. 6. *e*) 36. 1. *f*) 37. 6. *g*) 39. 1. *h*) 41. 3. *i*) 44. 4. *k*) 48. 5. *l*) 50. 17. *m*) 5. 1. *n*) 30. 1. *o*) 45. 1. *p*) 2. 14. *q*) 5. 2. *r*) 46. 5. *s*) 48. 5. *t*) 5. 3. *v*) 5. 4. *x*) 6. 1. *y*) 12. 6. *z*) 22. 1. *a*) 36. 4. *b*) 40. 4. *c*) 7. 1. *d*) 8. 1. *e*) 8. 2. *f*) 8. 3. *g*) 8. 4. *h*) 10. 2. *i*) 10. 3. *k*) 21. 2.

Digitized by Google

l. 7. ad legem Falcidiam. *l*) Ex *libro quaeſtionum octauo* l. 19. de interrogationibus in iure faciendis. *m*) l. 43. de religioſis et ſumtibus funerum. *n*) l. 56. et 66. de condictione indebiti. *o*) l. 9. et 25. de pecunia conſtituta. *p*) l. 1. de praeſcriptis verbis. *q*) l. 1. qui potiores in pignore vel hypotheca. *r*) l. 65. de euictionibus, et duplae ſtipulatione. *s*) l. 81. de iure dotium. *t*) l. 94. de ſolut. et liberat. *v*) l. 78. de furtis. *x*) l. 10. de ſepulcro violato. *y*) Ex *libro quaeſtionum nono* l. 66. de procuratoribus et defenſoribus. *z*) l. 50. de peculio. *a*) l. 7. ad S. C. Velleianum. *b*) l. 8. et 24. depoſiti. *c*) l. 53. mandati. *d*) l. 81. pro ſocio. *e*) l. 11. de legatis et fideic. 1. *f*) l. 47. de fideiuſſoribus et mandatoribus. *g*) l. 79. de furtis. *h*) Ex *libro quaeſtionum decimo* l. 17. de condictione furtiua. *i*) l. 58. et 72. de contrah. emt. et vend. *k*) l. 5. et 7. de ſeruis exportandis. *l*) l. 68. de iure dotium. *m*) l. 52. de donat. inter virum et vxorem. *n*) l. 48. de manumiſſis teſtamento. *o*) l. 48. de fideiuſſoribus et mandatoribus. *p*) Ex *libro quaeſtionum vndecimo* l. 41. de iudiciis. *q*) l. 5. de condictione ſine cauſſa. *r*) l. 39. et 61. ſoluto matrimonio. *s*) l. 5. et 30. de actione rerum amotarum. *t*) l. 5. de confirmando tutore vel curatore. *v*) l. 15. de tutoribus et curatoribus datis. *x*) l. 37. de adminiſtratione et periculo tutorum. *y*) l. 24. de excuſationibus. *z*) l. 50. ad SC. Trebellianum. *a*) l. 5. ſi a parente quis manumiſſus. *b*) Ex *libro quaeſtionum duodecimo* l. 63. de rei vindicatione. *c*) l. 14. de tutoribus et curatoribus datis. *d*) l. 38.

l) 35. 2. *m*) 11. 1. *n*) 11. 7. *o*) 12. 6. *p*) 13. 5. *q*) 19. 5. *r*) 20. 4. *s*) 21. 2. *t*) 23. 3. *v*) 46. 3. *x*) 47. 2. *y*) 47. 12. *z*) 3. 3. *a*) 15. 1. *b*) 16. 1. *c*) 16. 3. *d*) 17. 1. *e*) 17. 2. *f*) 30. 1. *g*) 46. 1. *h*) 47. 2. *i*) 13. 1. *k*) 18. 1. *l*) 18. 7. *m*) 24. 3. *n*) 24. 1. *o*) 40. 4 *p*) 46. 1. *q*) 5. 1. *r*) 12. 7. *s*) 24. 3. *t*) 25. 2. *v*) 26. 4. *x*) 26. 5. *y*) 26. 7. *z*) 27. 1. *a*) 36. 1. *b*) 37. 12. *c*) 6. 1. *d*) 26. 5.

Digitized by Google

l. 38. de administratione et periculo tutorum. *e*) l. 10. de suspectis tutoribus. *f*) l. 23. de liberis et postumis. *g*) l. 75. de heredibus instituendis. *h*) l. 41. de bonis libertorum. *i*) l. 117. de verborum obligatione. *k*) l. 12. rem pupilli, vel adulescentis, saluam fore. *l*) l. 80. de furtis. *m*) Ex *libro quaestionum decimo tertio* l. 20. ex quibus causis maiores. *n*) l. 28. de conditionibus institutionum. *o*) l. 14. de bonorum possessionibus. *p*) l. 21. de legatis praestandis. *q*) l. 11. de Carboniano edicto. *r*) l. 11. de bonorum possess. secundum tabulas. *s*) l. 42. de bonis libertorum. *t*) Ex *libro quaestionum decimo quarto* l. 15. de inofficioso testamento. *v*) l. 3. qui testamentum facere possunt. *x*) l. 34. de testamento militis. *y*) l. 8. ad legem Falcidiam. *z*) l. 12. de Carboniano edicto. *a*) l. 43. de bonis libertorum. *b*) l. 12. de castrensi peculio. *c*) Ex *libro quaestionum decimo quinto* l. 76. de heredibus instituendis. *d*) l. 10. de iure codicillorum. *e*) l. 64. de legatis et fideic. 2. *f*) l. 3. de regula Catoniana. *g*) l. 11. de his, quae vt indignis auferuntur. *h*) l. 24. ad SC. Trebellianum. *i*) l. 1. de bonorum possessione furioso, infanti etc. competente. *k*) l. 14. ad municipalem. *l*) Ex *libro quaestionum decimo sexto* l. 15. de conditionibus institutionum. *m*) l. 84. de acquirenda vel omittenda hereditate. *n*) l. 26. si quis omissa causa testamenti. *o*) l. 65. de legatis et fideic. 2. *p*) l. 5. de seruitute legata. *q*) l. 12. de his, quae vt indignis auferuntur. *r*) l. 70. de conditionibus et demonstrationibus. *s*) l. 4. ad legem Falcidiam.

e) 26. 7. *f*) 26. 10. *g*) 28. 2. *h*) 28. 5. *i*) 38. 2. *k*) 45. 1. *l*) 46. 6. *m*) 47. 2. *n*) 4. 6. *o*) 28. 7. *p*) 37. 1. *q*) 37. 5. *r*) 37. 10. *s*) 37. 11. *t*) 38. 2. *v*) 5. 2. *x*) 28. 1. *y*) 29. 1. *z*) 35. 2. *a*) 37. 10. *b*) 38. 2. *c*) 49. 17. *d*) 28. 5. *e*) 29. 7. *f*) 31. 1. *g*) 34. 7. *h*) 34. 9. *i*) 36. 1. *k*) 37. 3. *l*) 50. 1. *m*) 28. 7. *n*) 29. 2. *o*) 29. 4. *p*) 31. 1. *q*) 33. 3. *r*) 34. 9. *s*) 35. 1.

Digitized by Google

diam. *t*) l. 13. de caſtrenſi peculio. *v*) Ex *libro quaeſtionum decimo ſeptimo* l. 33. de vſufructu. *x*) l. 2. quibus modis vſufructus amittatur. *y*) l. 8. de vſufructu earum rerum. *z*) l. 77. de heredibus inſtit. *a*) l. 66. de legatis et fideic. 2. *b*) l. 2. de vſu et vſufructu, et reditu etc. *c*) l. 12. de auro, argento, mundo, ornamentis etc. legatis. *d*) l. 71. de conditionibus et demonſtrationibus. *e*) l. 51. ad SC. Trebellianum. *f*) Ex *libro quaeſtionum duodeuiceſimo* l. 87. et 90. de legatis et fideic. 1. *g*) l. 7. de dote praelegata. *h*) l. 24. de his, quae vt indignis auferuntur. *i*) l. 72. et 99. de conditionibus et demonſtrationibus. *k*) l. 25. quando dies legatorum vel fideicommiſſorum cedat. *l*) Ex *libro quaeſtionum vndeuiceſimo* l. 7. de iuris et facti ignorantia. *m*) l. 35. de teſtamento militari. *n*) l. 11. et 13. de iure codicillorum. *o*) l. 67. et 69. de legatis et fideic. 2. *p*) l. 22. de liberatione legata. *q*) l. 73. de conditionibus et demonſtrationibus. *r*) l. 9. ad legem Falcidiam. *s*) l. 52. et 54. ad SC. Trebellianum. *t*) l. 9. vt in poſſeſſionem legatorum. *v*) l. 21. de fideicommiſſariis libertatibus. *x*) Ex *libro quaeſtionum viceſimo* l. 64. de rei vindicatione. *y*) l. 3. de pignoribus et hypothecis. *z*) l. 3. de vſuris et fructibus. *a*) l. 26. de probationibus et praeſumtionibus. *b*) l. 3. quando ex facto tutoris vel curatoris. *c*) l. 70. et 72. de legatis et fideic. *d*) l. 10. et 93. ad legem Falcidiam. *e*) l. 12. et 53. et 55. ad SC. Trebellianum. *f*) l. 40. de operis libertorum. *g*) l. 44.

t) 35. 2. *v*) 49. 17. *x*) 7. 1. *y*) 7. 4. *z*) 7. 5. *a*) 28. 5.
b) 31. 1. *c*) 33. 2. *d*) 34. 2. *e*) 35. 1. *f*) 36. 1. *g*) 30. 1.
h) 33. 4. *i*) 34. 9. *k*) 35. 1. *l*) 36. 2. *m*) 22. 6. *n*) 29. 1.
o) 29. 7. *p*) 31. 1. *q*) 34. 3. *r*) 35. 1. *s*) 35. 2. *t*) 36. 1.
v) 36. 4. *x*) 40. 5. *y*) 6. 1. *z*) 20. 1. *a*) 22. 1. *b*) 22. 3.
c) 26. 9. *d*) 31. 1. *e*) 35. 2. *f*) 36. 1. *g*) 38. 1.

Digitized by Google

l. 44. de acquirenda vel amittenda poſſeſſione. *h*) l. 118. de verborum obligatione. *i*) l. 218. de verborum ſignificatione. *k*) Ex *libro quaeſtionum viceſimo primo* l. 34. de ſtatuliberis. *l*) Ex *libro quaeſtionum viceſimo ſecundo* l. 12. de iure codicillorum. *m*) l. 22. de fideicommiſſariis libertatibus. *n*) l. 4. ſi ingenuus eſſe dicetur. *o*) l. 43. de vſurpationibus et vſucapionibus. *p*) Ex *libro quaeſtionum viceſimo tertio* l. 73. de legatis et fideic. 2. *q*) l. 44. et 46. de acquirenda et amittenda poſſeſſione. *r*) l. 44. de vſurpationibus et vſucapionibus. *s*) l. 3. et 8. pro legato. *t*) Ex *libro quaeſtionum viceſimo quarto* l. 42. de iudiciis. *v*) l. 76. de diuerſis regulis iuris. *x*) Ex *libro quaeſtionum viceſimo quinto* l. 18. de tutelae, et rationibus diſtrahendis. *y*) l. 2. de ſeparationibus. *z*) Ex *libro quaeſtionum viceſimo ſexto* l. 1. de diſtractione pignorum et hypothecarum. *a*) l. 47. de acquirenda vel amittenda poſſeſſione. *b*) l. 18. quae in fraudem creditorum. *c*) l. 18. de vi et vi armata. *d*) Ex *libro quaeſtionum viceſimo ſeptimo* l. 43. de iudiciis. *e*) l. 54. mandati. *f*) l. 6. et 8. de ſeruis exportandis. *g*) l. 8. de praeſcriptis verbis. *h*) l. 4. de vſuris et fructibus. *i*) l. 74. de legatis et fideic. 2. *k*) l. 3. de ſeparationibus. *l*) l. 28. de exceptione rei iudicatae. *m*) l. 27. de obligationibus et actionibus. *n*) l. 118. de verborum obligatione. *o*) l. 9. de duobus reis conſtituendis. *p*) l. 18. de ſtipulatione ſeruorum. *q*) l. 49. de fideiuſſoribus et mandatoribus. *r*) l. 14. de caſtrenſi peculio. *s*) l. 218. de verborum ſignificatione. *t*) Ex *libro quaeſtionum*

b) 41. 2. *i*) 45. 1. *k*) 50. 16. *l*) 40. 7. *m*) 29. 7. *n*) 40. 5. *o*) 40. 14. *p*) 41. 3. *q*) 31. 1. *r*) 41. 2. *s*) 41. 3. *t*) 41. 8. *v*) 5. 1. *x*) 50. 17. *y*) 27. 3. *z*) 42. 6. *a*) 20. 5. *b*) 41. 2. *c*) 42. 8. *d*) 43. 16. *e*) 5. 1. *f*) 17. 1. *g*) 18. 7. *h*) 19. 5. *i*) 22. 1. *k*) 31. 1. *l*) 42. 6. *m*) 44. 2. *n*) 44. 7. *o*) 45. 1. *p*) 45. 2. *q*) 45. 3. *r*) 46. 1. *s*) 49. 17. *t*) 50. 16.

Digitized by Google

quaeſtionum viceſimo octauo l. 3. de condictione indebiti *v*) l. 66. de euictionibus et duplae ſtipulatione. *x*) l. 5. de vſuris et fructibus. *y*) l. 40. ſoluto matrimonio. *z*) l. 8. de tutelae et rationibus diſtrahendis. *a*) l. 2. et 5. vt legatorum ſeu fideicommiſſorum ſeruandorum cauſſa caueatur. *b*) l. 4. vt in poſſeſſionem legatorum vel fideicommiſſorum ſeruandorum cauſſa eſſe liceat. *c*) l. 95. de ſolutionibus et liberationibus. *d*) l. 1. ratam rem haberi. *e*) l. 77. de diuerſis regulis iuris. *f*) Ex *libro quaeſtionum viceſimo nono* l. 6. de vſuris et fructibus. *g*) l. 40. de vulgari et pupillari ſubſtit. *h*) l. 11. ad legem Falcidiam. *i*) l. 7. ſi tabulae teſtamenti nullae extabunt. *k*) l. 15. de ſuis et legitimis heredibus. *l*) l. 27. de donationibus. *m*) l. 40. de mortis cauſſa donat. *n*) l. 10. de captiuis et poſtliminio reuerſis. *o*) Ex *libro quaeſtionum triceſimo* l. 85. de acquirenda et omittenda hereditate. *p*) l. 12. ad legem Falcidiam. *q*) l. 19. de manumiſſionibus. *r*) l. 78. de diuerſis regulis iuris. *s*) Ex *libro quaeſtionum triceſimo primo* l. 9. de ſtatu hominum. *t*) l. 32. de adoptionibus. *v*) l. 11. de captiuis et de poſtliminio reuerſis. *x*) l. 78. de diuerſis regulis iuris. *y*) Ex *libro quaeſtionum triceſimo ſecundo* l. 61. de ritu nuptiarum. *z*) l. 13. de his, quae vt indignis auferuntur. *a*) l. 74. de conditionibus et demonſtrationibus. *b*) l. 79. de diuerſis regulis iuris. *c*) Ex *libro quaeſtionum triceſimo tertio* l. 14. de his, quae vt indignis auferuntur. *d*) l. 80. de diuerſis regulis iuris. *e*) Ex *libro quaeſtionum triceſimo quarto* l. 75.

v) 12. 6. *x*) 21. 2. *y*) 22. 1. *z*) 24. 3. *a*) 17. 3. *b*) 36. 3. *c*) 36. 4. *d*) 46. 3. *e*) 46. 8. *f*) 50. 17. *g*) 22. 1. *h*) 28. 6. *i*) 35. 2. *k*) 38. 6. *l*) 38. 16. *m*) 39. 5. *n*) 39. 6. *o*) 49. 15. *p*) 29. 2. *q*) 35. 2. *r*) 40. 1. *s*) 50. 17. *t*) 1. 5. *v*) 1. 7. *x*) 49. 15. *y*) 50. 17. *z*) 23. 2. *a*) 34. 9. *b*) 35. 1. *c*) 50. 17. *d*) 34. 9. *e*) 50. 17.

de conditionibus et demonſtrationibus. *f*) Ex *libro triceſimo quinto* l. 15. de caſtrenſi peculio. *g*) Ex *libro quaeſtionum triceſimo ſexto* l. 13. de adoptionibus. *h*) l. 119. de verborum obligatione. *i*) l. 38. ad legem Iuliam de adulter. *k*) l. 14. ad legem Iuliam peculatus. *l*) l. 7. de vacatione et excuſatione munerum. *m*) Ex *libro quaeſtionum triceſimo ſeptimo* l. 19. de dolo malo. *n*) l. 54. ad legem Aquiliam. *o*) l. 41. ſoluto matrimonio. *p*) l. 13. ad legem Falcidiam. *q*) l. 120. de verborum obligatione. *r*) l. 10. de duobus reis conſtituendis. *s*) l. 50. de fideiuſſoribus et mandatoribus. *t*) Ex *libro reſponſorum primo* l. 20. de officio praeſidis. *v*) l. 6. de officio aſſeſſorum. *x*) l. 14. de in ius vocando. *y*) l. 40. de pactis. *z*) l. 9 de poſtulando. *a*) l. 20. de his, qui notantur infamia. *b*) l. 17. de compenſationibus. *c*) l. 55. mandati. *d*) l. 1. de iure aureorum annulorum. *e*) l. 81. de furtis. *f*) l. 1. de crimine ſtellionatus. *g*) l. 12. 15. et 17. ad municipalem. *h*) l. 6. de decurionibus. *i*) l. 8. de vacatione et excuſatione munerum. *k*) l. 7. et 13. de legationibus. *l*) l. 3. de adminiſtratione rerum ad ciuitates pertinentium. *m*) Ex *libro reſponſorum altero* l. 67. de procuratoribus et defenſoribus. *n*) l. 31. de negotiis geſtis. *o*) l. 42. de receptis. *p*) l. 44. de iudiciis. *q*) l. 16. de inofficioſo teſtamento. *r*) l. 51. de hereditatis petitione. *s*) l. 48. et 65. de rei vindicatione. *t*) l. 4. de ſeruitutibus praediorum ruſticorum. *v*) l. 11. finium regundorum. *x*) l. 32. et 57. familiae erciſcundae. *y*) l. 2. de diſtractione pignorum

f) 35. 1. *g*) 49. 17. *h*) 1. 7. *i*) 45. 1. *k*) 48. 5. *l*) 48. 13. *m*) 50. 5. *n*) 4. 3. *o*) 9. 2. *p*) 24. 3. *q*) 35. 2. *r*) 45. 1. *s*) 45. 2. *t*) 46. 1. *v*) 1. 18. *x*) 1. 22. *y*) 2. 4. *z*) 2. 14. *a*) 3. 1. *b*) 3. 2. *c*) 16. 2. *d*) 17. 1. *e*) 40. 10. *f*) 47. 2. *g*) 47. 20. *h*) 50. 1. *i*) 50. 2. *k*) 50. 5. *l*) 50. 7. *m*) 50. 8. *n*) 3. 3. *o*) 3. 5. *p*) 4. 8. *q*) 5. 1. *r*) 5. 2. *s*) 5. 3. *t*) 6. 1. *v*) 8. 3. *x*) 10. 1. *y*) 10. 2.

Digitized by Google

rum et hypothecarum. *z*) l. 7. de vſuris et fructibus. *a*) l. 20. de tutelae et rationibus diſtrahendis. *b*) l. 6. de fideiuſſoribus et nominatoribus. *c*) l. 20. de SC. Silaniano et Claudiano. *d*) l. 41. de mortis cauſſa donationibus. *e*) l. 22. de appellationibus et relationibus. *f*) l. 219. de verborum ſignificatione. *g*) Ex *libro reſponſorum tertio* l. 68. de procuratoribus et defenſoribus. *h*) l. 32. de negotiis geſtis. *i*) l. 45. de iudiciis. *k*) l. 17. de religioſis et ſumtibus funerum. *l*) l. 57. de condictione indebiti. *m*) l. 40. et 42. de pigneraticia actione. *n*) l. 19. de inſtitoria actione. *o*) l. 27. ad SC. Velleianum. *p*) l. 18. de compenſationibus. *q*) l. 25. depoſiti. *r*) l. 7. et 56. mandati. *s*) l. 82. pro ſocio. *t*) l. 73. de contrahenda emt. et vend. *v*) l. 20. de in diem addictione. *x*) l. 18. de periculo et commodo rei venditae. *y*) l. 41. de actionibus emti et venditi. *z*) l. 2. de pignoribus et hypothecis. *a*) l. 2. qui potiores in pignore vel hypotheca habeantur. *b*) l. 3. de diſtractione pignorum et hypothecarum. *c*) l. 4. de nautico foenore. *d*) l. 15. de fundo dotali. *e*) l. 7. de fideiuſſoribus et nominatoribus. *f*) l. 28. de donationibus. *g*) l. 51. de fideiuſſoribus et mandatoribus. *h*) l. 27. de nouationibus et delegationibus. *i*) l. 36. de iure fiſci. *k*) l. 81. de diuerſis regulis iuris. *l*) Ex *libro reſponſorum quarto* l. 9. de ſenatoribus. *m*) l. 4. de officio aſſeſſorum. *n*) l. 54. de aedilicio edicto. *o*) l. 15. 34. et 62. de ritu nuptiarum. *p*) l. 31. et 69. de iure dotium. *q*) l. 26. de pactis dotalibus. *r*) l. 53. de donationibus inter virum et vxorem

z) 20. 5. *a*) 22. 1. *b*) 27. 3. *c*) 27. 7. *d*) 29. 5. *e*) 39. 6. *f*) 49. 1. *g*) 50. 16. *h*) 3. 3. *i*) 3. 5. *k*) 5. 1. *l*) 11. 7. *m*) 12. 6. *n*) 13. 7. *o*) 14. 3. *p*) 16. 1. *q*) 16. 2. *r*) 16. 3. *s*) 17. 1. *t*) 17. 2. *v*) 18. 1. *x*) 18. 2. *y*) 18. 6. *z*) 19. 1. *a*) 20. 1. *b*) 20. 4. *c*) 20. 5. *d*) 22. 2. *e*) 23. 5. *f*) 27. 7. *g*) 39. 5. *h*) 46. 1. *i*) 46. 2. *k*) 49. 14. *l*) 50. 17. *m*) 1. 9. *n*) 1. 22. *o*) 21. 1. *p*) 23. 2. *q*) 23. 3. *r*) 23. 4.

Digitized by Google

rem. *s*) l. 42. ſoluto matrimonio. *t*) l. 27. de actione rerum amotarum. *v*) l. 26. et 28. de teſtamentaria tutela. *x*) l. 44. ad legem Iuliam de adulter. *y*) Ex *libro reſponſorum quinto* l. 6. de confirmando tutore vel curatore. *z*) l. 39. de adminiſtratione et periculo tutorum. *a*) l. 5. quando ex facto tutoris vel curatoris minores agere poſſunt. *b*) l. 11. de ſuſpectis tutoribus. *c*) l. 28. et 30. de excuſationibus. *d*) l. 14. de curatoribus furioſo dandis. *e*) l. 17. de iniuſto, rupto et irrito facto teſtamento. *f*) l. 22. de legatis praeſtandis. *g*) l. 9. de collatione bonorum. *h*) l. 5. de dotis collatione. *i*) l. 41. de operis libertorum. *k*) l. 25. qui et a quibus manumiſſi liberi non fiunt. *l*) l. 15. de muneribus et honoribus. *m*) Ex *libro reſponſorum ſexto* l. 10. de iuris et facti ignorantia. *n*) l. 35. de ritu nuptiarum. *o*) l. 40. de adminiſtratione et periculo tutorum. *p*) l. 4. de his, quae in teſtamento delentur. *q*) l. 70. 78. et 80. de heredibus inſtituendis. *r*) l. 7. 15. 23. et 41. de vulgari et pupillari ſubſtitutione. *s*) l. 24. de conditionibus inſtitutionum. *t*) l. 12. 27. 36. et 43. de teſtamento militis. *v*) l. 86. de acquirenda et omittenda hereditate. *x*) l. 27. ſi quis omiſſa cauſſa teſtamenti, ab inteſtato, vel alio modo poſſideat hereditatem. *y*) l. 4. et 21. de SC. Silaniano. *z*) l. 75. de legatis et fideic. 2. *a*) l. 22. de adimendis vel transferendis legatis. *b*) l. 15. de his, quae vt indignis auferuntur. *c*) l. 76. de conditionibus et demonſtrationibus. *d*) l. 6. de dotis collatione. *e*) l. 8. ſi tabulae teſtamenti nullae extabunt, vnde liberi. *f*) l. 9. vnde cognati.

s) 24. 1. *t*) 24. 3. *v*) 25. 2. *x*) 26. 2. *y*) 48. 5. *z*) 26. 3. *a*) 26. 7. *b*) 26. 9. *c*) 26. 10. *d*) 27. 1. *e*) 27. 10. *f*) 28. 3. *g*) 37. 5. *h*) 37. 6. *i*) 37. 7. *k*) 38. 1. *l*) 40. 9. *m*) 50. 4. *n*) 22. 6. *o*) 23. 2. *p*) 26. 7. *q*) 28. 4. *r*) 28. 5. *s*) 28. 6. *t*) 28. 7. *v*) 29. 1. *x*) 29. 2. *y*) 29. 4. *z*) 29. 5. *a*) 31. 1. *b*) 34. 4. *c*) 34. 9. *d*) 35. 1. *e*) 37. 7. *f*) 38. 6.

Digitized by Google

b) 43. 26. *c*) 21. 1. *d*) 40. 12. *e*) 46. 5. *f*) 33. 2. *g*) 34. 4. *h*) 46. 7. *i*) 41. 2. *k*) 43. 19. *l*) 43. 21. *m*) 43. 23. *n*) 43. 24. *o*) 43. 26. *p*) 43. 29. *q*) 43. 30. *r*) 41. 2. *s*) 44. 3. *t*) 41. 1. *v*) 42. 8. *x*) 40. 14. *y*) 48. 3. *z*) 48. 8. *a*) 48. 19. *b*) 1. 16. *c*) 22. 5. *d*) 48. 3. *e*) 49. 3. *f*) 22. 5. *g*) Ibid. *h*) 29. 5. *i*) 47. 10.

Digitized by Google

uaricatione. *k*) l. 12. de accuſat. et inſcript. *l*) l. 5. de cuſtod. et exhibit. reorum. *m*) l. 6. ad leg. Iul. maieſt. *n*) l. 7. ad leg. Iul. peculat. *o*) Ex *libro tertio de publ. iudic.* l. 4. et 5. de leg. Iul. repetund. *p*) l. 8. ad leg. Iul. peculat. *q*) Ex *ſtipulationum libro primo* l. 137. de verbor. obligat. *r*) l. 21. de ſtipulat. ſeruor. *s*) l. 9. de ſtipulat. praetoriis. *t*) Ex *ſtipulat. lib. ſecundo* l. 18. de SC. Macedon. *v*) l. 12. de duobus reis conſtit. *x*) Ex *ſtipulat. lib. tertio* l. 13. de duob. reis conſtit. *y*) l. 31. de nouat. et delegat. *z*) Ex *ſtipulat. libro quarto* l. 138. de verbor. obligat. *a*) Ex *ſtipulat. lib. ſexto* l. 51. de adminiſtr. et peric. tutor. *b*) l. 139. de verb. obligat. *c*) l. 17. iudicatum ſolui. *d*) Ex *ſtip. lib. ſeptimo* l. 7. familiae erciſcundae. *e*) l. 224. de verb. ſignif. *f*) Ex *ſtipul. libro nono* l. 19. iudicatum ſolui. *g*) Ex *ſtipulat. lib. vndecimo* l. 21. de acceptilatione. *h*) Ex *ſtipulat. libro duodecimo* l. 4. vſufructuar. quemadmod. caueat. *i*) l. 25. de ſtipulat. ſeruorum. *k*) l. 99. de diuerſ. regul. iuris. *l*) Ex *ſtipulat. libro decimo tertio* l. 6. ad leg. Falcid. *m*) Ex *ſtipulat. lib. decimo quinto* l. 8. ratam rem haberi. *n*) Ex *ſtipul. libro decimo ſexto* l. 75. de euict. et duplae ſtipul. *o*) Ex *ſtipul. libro decimo ſeptimo* l. 76. de euict. et duplae ſtipulat. *p*) l. 6. de vi bonorum raptor. *q*)

§. LXV.

Inter Alexandri Seueri conſiliarios et iuris profeſſores a LAMPRIDIO *r*) etiam nominatur CALLISTRATVS,

k) 47. 15. *l*) 48. 2. *m*) 48. 3. *n*) 48. 4. *o*) 48. 13. *p*) 48. 11. *q*) 48. 13. *r*) 45. 1. *s*) 45. 3. *t*) 46. 5. *v*) 14. 6. *x*) 45. 2. *y*) Ibid. *z*) 46. 2. *a*) 45. 1. *b*) 26. 7. *c*) 45. 1. *d*) 46. 7. *e*) 10. 2. *f*) 50. 16. *g*) 46. 7. *h*) 46. 4. *i*) 7. 9. *k*) 45. 3. *l*) 50. 17. *m*) 35. 2. *n*) 46. 8. *o*) 21. 2. *p*) Ibid. *q*) 47. 8. *r*) Alex. Seu. cap. 68.

Digitized by Google

TVS, de quo quicquid dici poteſt, nuper Celeberr. D. GOTTLOB AVGVSTVS IENICHEN perquam amice nobiſcum elegantiſſima diſſertatione *s*) communicauit. Erudite refellit eos, qui Lampridii locum pro ſubdititio et adulterino declararunt. Huius fide nobiſcum fretus Calliſtratum docet ſub Diuis Fratribus quidem fuiſſe natum: ac Principum illorum reſcripta prae aliis diligenter excuſſiſſe, ſuoque aſſenſu comprobauiſſe: at, Septimio Seuero et Antonino Caracalla imperatoribus, nobilem reip. tandem curam ſuſcepiſſe, ſplendidis praefuiſſe muneribus, atque nominis ſcribendo ſibi comparauiſſe famam. Aetatis vero et gloriae maximo flore ſub Alexandro Seuero de iure reſpondiſſe, et inter amicos imperatoris receptum, de rebus difficillimis ſententiam ſuam candide ac libere dixiſſe. Haec et alia multis et ſtringentibus argumentis probat. Deinde, pro ſingulari eruditione ac iuris peritia, de Calliſtrati philoſophia, praeceptoribus, ingenio, moribus, ſententiis, vitae ac ſcribendi ratione, tandemque de operibus agit, quae notatu ſunt maxime digna, lectuque iucunda. Scripſit Calliſtratus 1) cognitionum libros ſex. 2) Ad edictum monitorium libros ſex. 3) Inſtitutionum libros tres. 4) De iure fiſci libros quatuor. 5) Quaeſtionum libros duos. Quae ſuperſunt, fragmenta in pandectis Inſtinianeis extant. Ex *libro primo cognitionum* l. 9. et 19. de officio praeſid. *t*) l. 3. de in ius vocando. *v*) l. 36. de iudiciis. *x*) l. 26. de poenis. *y*) l. 37. ad municipalem. *z*) l. 11. de decurionibus. *a*) l. 14. de munerib. et honor. *b*) l. 5. de iure immu-

s) Quam inſcripſit Singularia de Calliſtrato ICto, nuptiis Hübleriо Seyfferthianis ſacra. Lipſiae 1742. 4.

t) 1. 18. *v*) 2. 4. *x*) 5. 1. *y*) 48. 19. *z*) 50. 1. *a*) 50. 2. *b*) 50. 4.

munitatis. *c*) l. 5. de extraord. cognit. *d*) Ex *libro ſecundo cognitionum* l. 31. de re iudicata. *e*) l. 5. de decret. ab ordine faciend. *f*) l. 7. de operib. publ. *g*) Ex *libro tertio cognitionum* l. 16. de ſeruit. praed. ruſtic. *h*) l. 14. de ſupellect. legat. *i*) l. 3. qui ſine manumiſſ. ad libertat. peruen. *k*) l. 32. de re iudicata. *l*) l. 2. de termino moto. *m*) l. 31. ad leg. Corn. de falſis *n*) l. 2. de nundinis. *o*) Ex *libro quarto cognit.* l. 3. de teſtib. *p*) l. 33. de adminiſtr. et peric. tutor. *q*) l. 6. de ſuſpect. tutorib. *r*) l. 17. de excuſationib. *s*) l. 6. ſi cui plus, quam per leg. Falcid. *t*) l. 3. de colluſ. detegend. *v*) l. 127. de verb. ſignif. *x*) Ex *libro quinto cognition.* l. 13. quod metus cauſſa. *y*) l. 37. de iudiciis *z*) l. 2. de SC. Silanian. *a*) l. 33. de re iudicata. *b*) l. 3. de termino moto. *c*) l. 19. de accuſat. et inſcript. *d*) l. 12. de cuſtod. et exhibit. reor. *e*) l. 7. ad leg. Iul. de vi priuat. *f*) l. 15. de quaeſtionibus. *g*) l. 27. de poenis. *h*) Ex *libro ſexto cognitionum* l. 3. de offic. procurat. Caeſ. *i*) l. 2. de fugitiuis. *k*) l. 3. de abigeis. *l*) l. 13. de cuſtod. et exhibit. reor. *m*) l. 14. ad leg. Corn. de ſicariis. *n*) l. 6. de lege Fab. de plagiar. *o*) l. 7. et 28. de poenis. *p*) l. 2. de bonis damnator. *q*) l. 12. de iure fiſci. *r*) l. 12. de decurionib. *s*) Ex *libro primo ad edictum monitorium* l. 2. in ius vocati vt eant. *t*) l. 12. de edendo. *v*) l. 4. de in integr.

c) 50. 6. *d*) 50. 13. *e*) 42. 1. *f*) 50. 9. *g*) 50. 10. *h*) 8. 3. *i*) 33. 10. *k*) 40. 8. *l*) 42. 1. *m*) 47. 21. *n*) 48. 10. *o*) 50. 11. *p*) 22. 5. *q*) 26. 7. *r*) 26. 10. *s*) 27. 1. *t*) 35. 3. *v*) 40. 16. *x*) 50. 16. *y*) 4. 2. *z*) 5. 1. *a*) 29. 5. *b*) 42. 1. *c*) 47. 21. *d*) 48. 2. *e*) 48. 3. *f*) 48. 7. *g*) 48. 18. *h*) 48. 19. *i*) 1. 19. *k*) 11. 4. *l*) 47. 14. *m*) 48. 3. *n*) 48. 8. *o*) 48. 15. *p*) 48. 19. *q*) 48. 20. *r*) 49. 14. *s*) 50. 2. *t*) 2. 6. *v*) 2. 13.

Digitized by Google

tegr. reſtit. *x*) l. 45. de minoribus. *y*) l. 41. de receptis. *z*) l. 58. de obligat. et action. *a*) l. 85. de ſolut. et liberat. *b*) l. 6. de incend. ruin. naufr. *c*) Ex *libro ſecundo ad edictum monitor.* l. 2. 4. 9. 11. 14. ex quibus cauſſis majores. *d*) l. 50. de rei vindicat. *e*) l. 32. de noxal. action. *f*) l. 1. de interrog. in jure faciend. *g*) Ex *libro tertio ad edict. monit.* l. 29. de negotiis geſtis. *h*) l. 18. de teſtamentar. tutela. *i*) l. 13. vt in poſſeſſ. legat. *k*) l. 38. de operis libertor. *l*) Ex *libro quarto ad edict. monitor.* l. 63. de legat. et fideic. 2. *m*) Ex *inſtitutionum libro ſecundo* l. 29. de adopt. et emancip. *n*) l. 41. de relig. et ſumt. funer. *o*) l. 12. et 25. de acquirendo rerum dominio. *p*) Ex *inſtit. lib. tertio* l. 21. ad SC. Velleian. *q*) Ex *libro primo de iure fiſci* l. 27. de SC. Silanian. *r*) l. 4. ne de ſtatu defunct. *s*) l. 1. de bonis damnat. *t*) l. 1. de iure fiſci. *v*) Ex *libro ſecundo de iure fiſci* l. 2. et 23. h. t. *x*) Ex *lib. tertio de iure fiſci* l. 3. h. t. *y*) Ex *libro primo quaeſtionum* l. 38. de legibus. *z*) l. 47. de iudiciis. *a*) l. 10. de in litem iurando. *b*) l. 64. pro ſocio. *c*) l. 15. ad leg. Corn. de falſis. *d*) l. 35. de poenis. *e*) Ex *libro altero quaeſtionum* l. 4. de lege Rhod. de iactu. *f*) l. 72. de euiction. et duplae ſtipulat. *g*) l. 5. de fide inſtrum. *h*) l. 64. de ritu nuptiar. *i*) l. 8. de iure dotium. *k*) l. 48. ſoluto matrim. *l*) l. 82. de condit et de-

x) 4. 1. *y*) 4. 4. *z*) 4. 8. *a*) 44. 7. *b*) 46. 3. *c*) 47. 9. *d*) 4. 6. *e*) 6. 1. *f*) 9. 4. *g*) 11. 1. *h*) 3. 5. *i*) 16. 2. *k*) 36. 4. *l*) 38. 1. *m*) 31. 1. *n*) 1. 7. *o*) 11. 7. *p*) 41. 1. *q*) 16. 1. *r*) 29. 5. *s*) 40. 15. *t*) 48. 20. *v*) 49. 14. *x*) Ibid. *y*) Ibid. *z*) 1. 3. *a*) 5. 1. *b*) 12. 3. *c*) 17. 2. *d*) 48. 10. *e*) 48. 19. *f*) 14. 2. *g*) 21. 2. *h*) 22. 4. *i*) 23. 2. *k*) 23. 3. *l*) 24. 3.

Digitized by Google

demonſtr. *m*) l. 37. de liberali cauſſa. *n*) l. 59. de acquir. rerum dominio. *o*) l. 20. quae in fraud. credit. *p*) l. 7. de incend. ruin. naufr. *q*) l. 220. de verbor. ſignif. *r*)

§. LXVI.

LICINIVS RVFINVS *s*) ſub Antonino Caracalla, Alexandro Seuero, Gordiano, et Decio imperatoribus floruit: qui omnes ad eum, aliquo magiſtratu fungentem, mandata ſua miſerunt. *t*) Iulii Pauli videtur fuiſſe auditor, quem ipſe poſtea nonnunquam conſuluit. *v*) Scripſit regularum libros duodecim, quorum particulae in pandectis Iuſtinianeis extant. Ex *libro primo* l. 51. de ritu nuptiar. *x*) l. 32. de ſtatuliberis. *y*) l. 25. de vſurpat. et vſucap. *z*) Ex *libro ſecundo* l. 6. de teſtibus. *a*) l. 74. de hered. inſtit. *b*) l. 210. de diuerſ. reg. iuris. *c*) Ex *libro tertio* l. 15. de offic. proconſ. et legat. *d*) Ex *libro quarto* l. 38. de iudiciis. *e*) l. 62. de legat. et fideic. 2. *f*) l. 21. de adim. vel transfer. legat. *g*) Ex *libro quinto* l. 16. de fideicommiſſar. libertat. *h*) Ex *libro ſexto* l. 41. de donat. inter vir. et vx. *i*) Ex *libro ſeptimo* l. 155. de verb. ſignif. *k*) Ex *libro octauo* l. 70. de contrah. emt. et vendit. *l*) l. 59. de obligat. et actionib. *m*) Ex *libro decimo* l. 156. de verbor. ſignif. *n*) Ex regularum libro decimo tertio perperam fortaſſis notatur fuiſſe deſumta L. 34. de re iudicata. *o*)

§. LXVII.

m) 35. 1. *n*) 40. 12. *o*) 41. 1. *p*) 42. 8. *q*) 47. 9. *r*) 50. 16.

s) Quem IACOB. CVIACIVS obſeru. l. 7. c. 2. extr. ſed nullo auctore, vel argumento, Chriſtianum fuiſſe, tradidit.

t) L. 3. C. de fideic. L. 1. C. etiam per procur. cauſ. in integr. reſtit. agi poſſe. L. 8. C. de tranſaction. L. 3. C. de acquir. poſſeſſ.

v) L. 4. D. quibus ad libertat. proclam. non licet.

x) 23. 2. *y*) 40. 7. *z*) 41. 3. *a*) 22. 5. *b*) 28. 5. *c*) 50. 17. *d*) 1. 16. *e*) 5. 1. *f*) 31. 1. *g*) 34. 4. *h*) 40. 5. *i*) 24. 1. *k*) 50. 16. *l*) 18. 1. *m*) 44. 7. *n*) 50. 16. *o*) 42. 1.

Digitized by Google

§. LXVII.

AEMILIVS MACER, cum illo non confundendus, quem inter poetas adultae Latinitatis deſcripſimus, *p*) floruit ſub Alexandro Seuero, qui ad eum mandata miſit. *q*) Attamen ſua eruditionis monumenta poſt Vlpianum, Menandrum, et Paulum, edidit, quorum ſubinde mentionem feciſſe legimus. *r*) Scripſit 1) de appellationibus libros duos. 2) De re militari libros duos. 3) De officio praeſidis libros duos. 4) De publicis iudiciis libros duos. 5) Ad legem viceſimam Hereditatium libros duos. Fragmenta, quae in pandectis Iuſtinianeis leguntur, hodie pauca ſuperſunt. Ex *libro primo de appellationibus* l. 15. qui ſatisdare cogantur. *s*) l. 2. et 4. de appellat. et relat. *t*) l. 2. quando appellandum ſit. *v*) l. 4. de appellat. recipiend. *x*) Ex *libro de appellationibus altero* l. 8. de in integr. reſtit. *y*) l. 63. de re iudicata. *z*) l. 9. de appellat. et relat. *a*) l. 3. quand. appelland. ſit. *b*) l. 6. de appellat. recipiend. *c*) l. 1. quae ſent. ſine appellat. reſcind. *d*) l. 2. an per al. cauſſae appellat. reddi poſſ. *e*) l. 1. ſi pendente appellat. mors. *f*) Ex *libro de re militari primo* l. 12. h. t. *g*) Ex *libro de re militari altero* l. 26. de teſtam. milit. *h*) l. 92. ad leg. Falcid. *i*) l. 1. de veteran. et milit. ſucceſſ. *k*) l. 14. de poenis. *l*) l. 13. de re militari. *m*) l. 11. de caſtrenſi pe-

p) Commentar. de virili aetate L. L. part. 1. c. 4. §. 18.
q) L. 3. C. de calumn. Confer. L. 1. D. ſi pend. appell.
r) L. 68. D. ad Leg. Falc. L. 5. D. de vacat. muner. L. 14. D. de poenis. L. penult. D. quando appelland. ſit.
s) 2. 8. *t*) 49. 1. *v*) 49. 4. *x*) 49. 5. *y*) 4. 1. *z*) 42. 1. *a*) 49. 1. *b*) 49. 4. *c*) 49. 5. *d*) 49. 8. *e*) 49. 9. *f*) 49. 13. *g*) 49. 16. *h*) 29. 1. *i*) 35. 2. *k*) 38. 12. *l*) 48. 19. *m*) 49. 16.

Digitized by Google

culio. *n*) Ex *libro primo de officio praefidis* l. 1. et 16. h. t. *o*) l. 4. de officio eius, cui mandata eſt iurisd. *p*) l. 3. de offic. aſſeſſor. *q*) l. 61. de acquir. vel omitt. hered. *r*) Ex *libro altero de officio praefidis* l. 7. de cuſtod. et exhibit. reor. *s*) l. 12. de poenis. *t*) l. 5. de vacat. et excuſat. muner. *v*) l. 3. de operib. public. *x*) Ex *libro primo de publicis iudiciis* l. 8. de ſepulcro violato. *y*) l. 2. de concuſſione. *z*) l. 2. de abigeis. *a*) l. 3. de praeuaricatione. *b*) l. 1. de publicis iudiciis *c*) l. 18. 24. et 32. ad leg. Iul. de adult. *d*) l. 3. ad leg. Iul. de vi priuata. *e*) l. 10. ad leg. Cornel. de falſis. *f*) l. 3. 5. et 7. ad leg. Iul. repetund. *g*) Ex *libro altero de publicis iudiciis* l. 14. de offic. praefid. *h*) l. 63. de furtis. *i*) l. 40. de iniur. et famoſ. libell. *k*) l. 9. de ſepulcro violato. *l*) l. 4. de praeuaricatione. *m*) l. 7. de publicis iudiciis. *n*) l. 8. et 11. de accuſat. et inſcript. *o*) l. 9. et 15. ad SC. Turpillian. *p*) l. 2. et 4. de requirendis vel abſentib. damnand. *q*) l. 10. de poenis. *r*) l. 2. de bonis eorum, qui ante ſentent. *s*) l. 34. de iure fiſci. *t*) Ex *libro primo ad leg. viceſ. hereditatium* l. 13. de transactionibus. *v*) l. 37. de relig. et ſumtib. funer. *x*) l. 7. qui teſtament. facere poſſunt. *y*) l. 154. de verb. ſignif. *z*) Ex *libro ad leg. viceſ. hereditatium altero* l. 68. ad leg. Falcid. *a*)

§. LXVIII.

AVRELIVS ARCADIVS CHARISIVS fuit magiſter

n) 49. 17. *o*) 1. 18. *p*) 1. 21. *q*) 1. 22. *r*) 29. 2. *s*) 48. 3. *t*) 48. 19. *v*) 50. 5. *x*) 50. 10. *y*) 47. 12. *z*) 47. 13. *a*) 47. 14. *b*) 47. 15. *c*) 48. 1. *d*) 48. 5. *e*) 48. 7. *f*) 48. 10. *g*) 48. 11. *h*) 1. 18. *i*) 47. 2. *k*) 47. 10. *l*) 47. 12. *m*) 47. 15. *n*) 48. 1. *o*) 48. 2. *p*) 48. 16. *q*) 48. 17. *r*) 48. 19. *s*) 48. 21. *t*) 49. 14. *v*) 2. 15. *x*) 11. 7. *y*) 28. 1. *z*) 50. 16. *a*) 35. 2.

Digitized by Google

ſter libellorum, *b*) et floruit Cari, Carini, et Numeriani, imperatorum, temporibus, qui ad eum de calumniae poena reſcripſerunt, *c*) ipſis COSS. auguſtis anno ab V. C. MXXXIV. poſt Chriſtum natum CCLXXXIII. Et PANCIROLVS *d*) credit, quod ad eum Syriae praeſidem Diocletianus et Maximianus imperatores direxerint reſcriptum, *e*) vbi pro *Chariſio* mendoſe *Chariſſimus* legatur: *f*) et alia ad ipſum eorundem principum reſcripta extare, *g*) in quibus per errorem legatur *Aurelio Chreſimo* pro *Chariſio:* etſi nomen Chreſimi etiam in marmoribus antiquis inueniatur. Quoquo ſe res habeat modo, poſt Modeſtinum ſuos libros edidit, quem citat ſaepius, atque illuſtrare conatur. Atqui eum, ſed nullo auctore, IACOB. CVIACIVS *h*) Chriſtianum fuiſſe tradit: quod merito in dubium vocamus. Scripſit de muneribus ciuilibus librum ſingularem. 2) De officio praefecti praetorio librum ſingularem. 3) De teſtibus librum ſingularem. In pandectis Iuſtinianeis extant ex *libro de muneribus ciuilibus* l. 18. de muner. et honorib. *i*) Ex *libro de officio praefecti praetorio* l. vn. h. t. *k*) Ex *libro de teſtibus* l. 1. 21. et 25. h. t. *l*) l. 10. de quaeſtionibus. *m*)

b) Vid. inſcriptio legis vnicae D. de officio praefecti praetorio.

c) L. 4. C. de calumniatoribus. *d*) De claris legum interpretibus l. 1. c. 64. Confer. BERTRANDVS de iurisperitis l. 1. c. 34. Et GROTIVS de vitis ICtorum l. 2. c. 11. §. 11.

e) L. 9. C. de quaeſtion. *f*) In aliis vero, CONTIO obſeruante, eſt ad *Carium*. *g*) L. 17. C. de pact. et L. 1. C. ne ruſticani ad vllum obſequium deuocentur. Huius vero legis inſcriptio neminem oſtendit. Illius in aliis *Archeſimo*, vt opinor, ſatis quidem mendoſe habet. *h*) Obſerv. l. 7. c. 2. extr.

i) 50. 4. *k*) 1. 11. *l*) 22. 5. *m*) 48. 18.

§. LXIX.

HERMOGENIANVS, *n*) quasi a Mercurio genitus, vulgo creditur esse *Hermogenes* ille Alexandri Seueri consiliarius, cuius LAMPRIDIVS *o*) meminit: qua quidem opinione BVDAEVM *p*) et CVIACIVM, *q*) iurisprudentiae politioris instauratores, fuisse legimus. Hermogenes vero plures fuerunt, qui cum Hermogeniano confundendi non sunt. GROTIVS *r*) autem pluribus demonstrat, hunc circa Diocletiani tempora vixisse. Et PANCIROLVS *s*) eundem fuisse putat, qui Diocletiano et Maximiano imperantibus praefectus praetorio fuit, et in senatu de persecutione in Christianos decernenda retulit, cum in circo clamatum esset, vt tollerentur: atque decretum etiam obtinuit. *t*) Contra BERTRANDVS *v*) ex l. 60. D. de donat. inter vir. et vx. opinatur Christianum fuisse, quod scripserit diuortia saepe fieri propter sacerdotium, vel etiam sterilitatem. Quasi vero pagana superstitio nulla fecerit propter sacerdotium diuortia. Ecclesiae autem Christo deuotae suaque perpetuo gementis calamitate pietas atque castitas tanta fuit, vt sanctius amoris atque matrimonii vinculum seruare instituerit. Deficiente iam Christianorum integritate, post ea tempore sero tandem, quod tradidit, euenisse videmus. Auctor quoque creditur fuisse *codicis Hermogeniani*, in quo leges a Claudio vsque ad Diocletianum col-

n) Cuius alii praenomen *Claudii*, alii *Eugenii* faciunt. *o*) Alex. Seuer. c. 68. *p*) De asse lib. 5. *q*) Obseruat. l. 2. c. 27. Confer. BERTRANDVS de iurisperitis l. 1. c. 38. *r*) De vitis ICtorum l. 2. c. 12. §. 8. *s*) De claris legum interpretibus l. 1. c. 65. *t*) Vid. acta D. Sabini episcopi Spoletani, a BARONIO recitata annal. anno Domini 301. *v*) De iurisperitis l. 1. c. 38. §. 2.

Digitized by Google

collectae ſunt. *x*) Alii vero docent, auctorem a noſtro longe diuerſum fuiſſe. *y*) Scripſit epitomarum libros ſex. 2) Fideicommiſſorum libros. Particulae in pandectis Iuſtinianeis extant ex *libro primo epitomarum* l. 5. de iuſtit. et iure. *z*) l. 35. de legibus. *a*) l. 2. et 13. de ſtatu hominum. *b*) l. 16. de transactionib. *c*) l. 8. 17. et 35. de minoribus. *d*) l. 53. de iudiciis. *e*) l. 48. de adminiſtr. et peric. tutor. *f*) l. 94. de condit. et demonſtr. *g*) l. 38. ad leg. Falcid. *h*) l. 24. de manumiſſionibus. *i*) l. 23. de manumiſſ. vindicta. *k*) l. 27. qui et a quib. manumiſſi. *l*) l. 53. de re iudicata. *m*) l. 6. ratam rem haberi. *n*) l. 36. et 42. de poenis. *o*) l. 16. et 23. ad municipalem. *p*) l. 8. de decurionib. *q*) l. 1. et 17. de munerib. et honor. *r*) l. 11. de vacat. et excuſat. muner. *s*) Ex *epitomarum libro ſecundo* l. 10. de offic. praeſid. *t*) l. 45. de pactis. *v*) l. 52. de hered. petit. *x*) l. 2. de condict. cauſſa data. *y*) l. 5. de lege Rhod. de iactu. *z*) l. 23. et 25. mandati. *a*) l. 75. de contrah. emt. *b*) l. 7. de lege commiſſor. *c*) l. 23. de hered. vel action. vendit. *d*) l. 19. de peric. et commod. rei vend. *e*) l. 49. de action. emt. et vend. *f*) l. 12. et 23. locati, conducti. *g*) l. 74. de euict. et duplae ſtipul. *h*) l. 60. et 62. de donat. inter vir. et vx. *i*) l. 51. ſoluto matrimonio. *k*) l. 16. de action. rerum

x) Vid. ANT. AVGVSTINVS de nomin. prop. pand. ANT. SCHVLTING ad tit. 1. Cod. Gregor. p. 683. Iurispr. anteiuſtin. *y*) Confer. Celeberr. WIELING Iurispr. reſtitut. pag. LXXIX. *z*) 1. 1. *a*) 1. 3. *b*) 1. 5. *c*) 2. 15. *d*) 4. 4. *e*) 5. 1. *f*) 26. 7. *g*) 35. 1. *h*) 35. 2. *i*) 40. 1. *k*) 40. 2. *l*) 40. 9. *m*) 42. 1. *n*) 46. 8. *o*) 48. 19. *p*) 50. 1. *q*) 50. 2. *r*) 50. 4. *s*) 50. 5. *t*) 1. 18. *v*) 2. 14. *x*) 5. 3. *y*) 12. 4. *z*) 14. 2. *a*) 17. 1. *b*) 18. 1. *c*) 18. 3. *d*) 18. 4. *e*) 18. 6. *f*) 19. 1. *g*) 19. 2. *h*) 21. 2. *i*) 24. 1. *k*) 24. 3.

rerum amotar. *l*) l. 7. de confirm. tutore vel curat. *m*) l. 10. de legitim. tutor. *n*) l. 27. de tutor. et curat. dat. *o*) l. 50. de adminiſtr. et peric. tutor. *p*) l. 41. et 43. de excuſat. *q*) l. 10. de tritic. vin. vel oleo legat. *r*) l. 48. de operis libertor. *s*) l. 6. pro donato. *t*) l. 46. de re iudicata. *v*) l. 32. de obligat. et action. *x*) l. 64. de fideiuſſ. et mandat. *y*) l. 5. expilatae hered. *z*) l. 26. de appellat. et relat. *a*) l. 222. de verb. ſignif. *b*) Ex *epitomarum libro tertio* l. 87. de heredib. inſtit. *c*) l. 12. de conditionib. inſtit. *d*) l. 94. et 96. de acquir. vel amitt. heredit. *e*) l. 30. ſi quis omiſſa cauſſa teſtam. *f*) l. 20. de his, quae vt indign. aufer. *g*) l. 2. et 18. de bonor. poſſeſſ. contra tab. *h*) l. 23. de legat. praeſtand. *i*) l. 3. de ventre in poſſeſſ. mittendo. *k*) l. 15. de Carbon. edicto. *l*) l. 21. de iure patron. *m*) l. 6. vnde legitimi. *n*) l. 2. ne quid in loco ſacro. *o*) l. 97. de diuerſ. regul. iuris. *p*) Ex *epitomarum libro quarto* l. 22. de legat. et fideic. 3. *q*) l. 95. de condit. et demonſtr. *r*) l. 40. ad leg. Falcid. *s*) l. 11. vt in poſſeſſ. legat. *t*) l. 98. de diuerſ. reg. Iuris. *v*) Ex *epitomarum libro quinto* l. 74. de iure dotium. *x*) l. 25. de tutelae et rationib. diſtrah. *y*) l. 10. de publican. et vectigal. *z*) l. 40. de liberali cauſſa. *a*) l. 5. de colluſ. detegend. *b*) l. 50. de acquir. vel amitt. poſſeſſ. *c*) l. 46. de vſurpat. et vſucap. *d*) l. 9. pro legato. *e*) l. 45. de iniur. et

l) 25. 2. *m*) 26. 3. *n*) 26. 4. *o*) 26. 5. *p*) 26. 7. *q*) 27. 1. *r*) 33. 6. *s*) 38. 1. *t*) 41. 6. *v*) 42. 1. *x*) 44. 7. *y*) 46. 1. *z*) 47. 19. *a*) 49. 1. *b*) 50. 16. *c*) 28. 5. *d*) 28. 7. *e*) 29. 2. *f*) 29. 4. *g*) 34. 9. *h*) 37. 4. *i*) 37. 5. *k*) 37. 9. *l*) 37. 10. *m*) 37. 14. *n*) 38. 7. *o*) 43. 6. *p*) 50. 17. *q*) 32. 1. *r*) 35. 1. *s*) 35. 2. *t*) 36. 4. *v*) 50. 17. *x*) 23. 3. *y*) 27. 3. *z*) 39. 4. *a*) 40. 12. *b*) 40. 16. *c*) 41. 2. *d*) 41. 3. *e*) 41. 8.

Digitized by Google

et fam. libell. *f*) l. 9. ad leg. Iul. maieſt. *g*) l. 27. de appellat. et relat. *h*) l. 2. ſi tutor. vel curat. appell. *i*) Ex *epitomarum libro ſexto* l. 3. de except. rei vend. *k*) l. 33. de donat. *l*) l. 3. ne de ſtatu defunctorum. *m*) l. 61. de acquir. rerum dominio. *n*) l. 2. de liberis exhibend. *o*) l. 24. de exceptionib. *p*) l. 13. de diuerſ. temporal. praeſcript. *q*) l. 16. de doli mali et metus except. *r*) l. 65. de fideiuſſ. et mandator. *s*) l. 11. ratam rem haberi. *t*) l. 10. de accuſat. et inſcript. *v*) l. 10. ad leg. Iul. maieſt. *x*) l. 20. ad leg. Cornel. de falſis. *y*) l. 7. de lege Fab. de plagiar. *z*) l. 46. de iure fiſci. *a*) Ex *fideicommiſſorum libro quarto* l. 14. ad SC. Trebellian. *b*)

§. LXX.

Fuerunt plures alii aequales illis, quos hactenus recenſere potuimus: ſed nihil prorſus hodie ex illorum monumentis ſupereſt. Ac ſufficiens cognitio virum ex illis repeti poteſt, qui data opera veterum iurisconſultorum hiſtoriam ſcriptitarunt. *c*) Nos, omiſſis omnibus, quorum ne fragmenta quidem hodie in iuris ciuilis theſauro Iuſtinianeo leguntur, ea ſuggerenda duximus, quae vegetam Latinae linguae ſenectutem monumentis ſuis aliquomodo illuſtrare videntur. Inſtituti ratio requirit, vt ordine etiam notatu digniores hiſtoricos perluſtremus.

f) 47. 10. *g*) 48. 4. *h*) 49. 1. *i*) 49. 10. *k*) 21. 3. *l*) 39. 5. *m*) 40. 15. *n*) 41. 1. *o*) 43. 30. *p*) 44. 1. *q*) 44. 3. *r*) 44. 4. *s*) 46. 1. *t*) 46. 8. *v*) 48. 2. *x*) 48. 4. *y*) 48. 10. *z*) 48. 15. *a*) 49. 14. *b*) 36. 1.

c) Qui longa ſerie laudantur in iucundiſſima bibliotheca iuridica Lipenio-Ienichiana, tit. *hiſtoria iuris ciuilis* p. 243. et *vitae iurisconſultorum*, part. 5. p. 41.

CAPVT VIII.

De vegetae ſenectutis clarioribus hiſtoricis.

§. 1.

Iuſtinus quis fuerit. 2. *Trogi Pompeii hiſtoriam Philippicam compendio propoſuit.* 3. *Auctoris ſui nomine commendatam.* 4. *Eius merita.* 5. *Errores.* 6. *Stilus.* 7. *Editiones ſeculi decimi quinti.* 8. *Decimi ſexti.* 9. *Decimi ſeptimi.* 10. *Decimi octaui recenſentur.* 11. *Iulii Obſequentis fata.* 12. *Scripta.* 13. 14. 15. *Editiones enumerantur.* 16. *Solini vita.* 17. *Scripta.* 18. *Merita.* 19. *Stilus.* 20. 21. 22. *Editiones.* 23. Ποντικὰ *examinantur.* 24. *Cenſorinus.* 25. *Modeſtus.* 26. *Spartianus.* 27. *Capitolinus.* 28. *Lampridius.* 29. *Vulcatius Gallicanus.* 30. *Trebellius Pollio.* 31. *Vopiſcus laudantur.* 32. *Scriptorum hiſtoriae auguſtae inſtitutum.* 33. *Dicendi character.* 34. *Merita.* 35. 36. 37. *Editiones recenſentur.* 38. *Aurelii Victoris vita.* 39. *Scripta.* 40. *Stilus.* 41. 42. 43. *Editiones deſcribuntur.* 44. *Eutropii vita.* 45. *Scripta.* 46. *Auctoritas.* 47. *Merita.* 48. *Stilus.* 49. 50. 51. 52. *Editiones.* 53. *Pauli Diaconi continuatio recenſentur.* 54. *Sextus Rufus quis fuerit.* 55. *Eius breuiarium* et 56. *Stilus examinantur.* 57. *Ammiani Marcellini vita.* 58. *Scripta.* 59. *Memoria.* 60. *Merita.* 61. *Stilus.* 62. *Vitia.* 63. *Laudes.* 64. 65. 66. *Editiones recenſentur.* 67. *Vegetius.* 68. *De re militari ſcripſit.* 69. *Cuius merita* et 70. 71. *Editiones recenſentur.* 72. *Ambroſius.* 73. *Hieronymus.* 74. *Ruffinus de hiſtoria bene meriti ſunt.* 75. *Ruffini ſcripta.* 76. *Auctoritas.* 77. *Stilus.* 78. *Contemtores.* 79. *Merita.* 80. *Editiones indicantur.* 81. *Auguſtinus hiſtorica ſcripſit atque* 82. *Paulinus.* 83. *Oroſii vita.* 84. *Hiſtoriarum libri.* 85. *Scripta alia notantur.* 86. *Cur liber hiſtoricus hormeſta vocetur.* 87. *Me-*

Digitized by Google

87. *Merita.* 88. 89. 90. 91. *Editiones recenſentur.* 92. *Hilario chronicon ſcripſit.* 93. *Sulpicii Seueri vita.* 94. *Scripta.* 95. *Merita.* 96. *Vitia.* 97. *Stilus.* 98. 99. 100. *Editiones recenſentur.* 101. *Alius Seuerus.* 102. *Auitus.* 103. *Numatianus laudantur.*

§. I.

Aetatis dubiae, ſed optimis, propter dictionem, propior IVSTINVS eſt, de cuius vita fatisque certi prorſus nihil cognouimus: cum Iuſtini fuerint plures eruditione ac meritis illuſtres: *a*) neque adeo in eius nomine conueniant. GERH. IOH. VOSSIO *b*) et IACOBO BONGARSIO *c*) teſtibus, in codice quodam manu exarato, qui apud Antonium Arnoldum fuit, *Iuſtinus Frontinus*, et in alio vetuſtiori et optimae notae, qui in bibliotheca Medicea eſt, *M. Iunianus Iuſtinus* vocatur. Atque etiam, vt ABR. GRONOVIVS et poſt eum FABRICIVS *d*) memoriae prodiderunt, in codice Mayliabequiano Iuſtinus traditur philoſophus celeberrimus et Trogi diſcipulus fuiſſe. Imo GVALTERVS BVRLEVS Anglicus *e*) eum Trogi filium nominare non veretur.

a) Vid. REINESIVS epiſtolis ad Hofmannum pag. 410. MOLLERVS diſſert. de Iuſtino. FABRICIVS biblioth. Latin. volum. 3. p. 56. *b*) De hiſtoricis Latinis l. 1. c. 12. *c*) Notis ad Iuſtini praefat. n. 5. Conf. FABRICIVS bibl. Lat. volum. 1. p. 528. *d*) Bibl. Lat. vol. 3. p. 56. *e*) Lib. de vita philoſophorum, qui anno 1472. editus eſt. Et inſignis eſt MARTINI POLONI ſub Antonino Pio oſcitantia, vbi: *eo tempore floruit Pompeius Trogus, natione Hiſpanus, qui totius orbis hiſtorias a tempore Nini, regis Aſſyriorum, vſque ad monarchiam Caeſaris Latino ſermone deduxit, diſtinguens per libros XLIV. quorum abbreuiationem fecit Iuſtinus, eius diſcipulus. Qui Iu-*

Quod illius ſeculi dandum eſt ignorantiae. Sunt qui eum ſuſpicantur vixiſſe, poſtquam imperium Conſtantinopolin translatum fuit: propterea, quod in hiſtoriarum Philippicarum epitome, ſua notans tempora, memoriae prodiderit: *f) Graeciam etiam* nunc *et viribus, et dignitate, orbis terrarum principem, regum certe gentiumque ſemper victricem et multarum adhuc vrbium dominam, alienis excubare ſedibus, aut rogantem bellum, aut deprecantem.* Sed iam tum viri eruditiſſimi obſeruarunt, haec de Graecia Iuſtini aeuo praedicari non potuiſſe: et particulam *nunc* eandem vim habere, quam tunc: vt paulo etiam inferius *Thebanos Lacedaemoniosque, antea inter ſe imperii, nunc Graeciae imperantis aemulos* vocat. Vbi *nunc* valet de eo tempore, cuius res geſtae exponuntur. *g)* Noſtrum haud ab re VOSSIVS *h)* arbitratur ſub Antoninis imperatoribus vixiſſe: ſuam vero epitomen non Pio, ſed Philoſopho dicaſſe crediderim. Ita enim Iuſtini praefatio habet in principe Romana editione, ac in aliis codicum fide exaratis: *quod ad te, imperator Antonine, non tam cognoſcendi, quam emendandi cauſſa, transmiſi: ſimul vt et otii mei, cuius et Cato reddendam operam putat, apud te ratio conſtaret.* BONGARSIVS illud *imp. Antonine* expunxit quidem, quod in codicibus MStis ſuis non reperiret: ſed poſſunt alii meliores fuiſſe, quorum fidem ſecuti primum auctoris ſententiam ediderunt integram: nec mihi tam facile perſuaſerint, dolo quodam, aut ignorantia librariorum haec

Iuſtinus philoſophus Antonio Pio librum de Chriſtiana religione compoſitum tradidit, et benignum eum Chriſtianis fecit.

f) Lib. 8. cap. 4. *g)* Vid. BERNEGGERVS, VORSTIVS, SCHEFERVS et GRAEVIVS ad h. l. *h)* De hiſtoricis Latinis l. 1. c. 32.

Digitized by Google

haec verba in alios aliosque libros tandem irrepſiſſe. At, inquiunt, veroſimile non videtur, Iuſtinum emendandi cauſſa opus ſuum ad imperatorem mittere voluiſſe. *i*) Certe non veroſimile, ſi noſtris haec fuerint diiudicanda moribus. Sed quae quis vnquam vix fuerit auſus facere, doctis atque prudentibus viris apud Antoninum Philoſophum omnino licuerunt: qui tanto dignitatis faſtigio non veritus eſt ipſe per plateas portare libellum, et ſapientum adire ſcholas: qui ſemetipſum quotidie emendauit et alios, et cateruatim multos aluit bonarum artium ſtudioſos. Imo noſter imperatori videtur adulari, cum probe nouerit medicam Trogi hiſtoriam non deſiderare manum: imperatoris iudicio tamen omnia ſubiicere voluit: vt ſi qua re peccatum, pro inſigni, qua doctos conſueuerit amplecti, gratia, non aliorum ex plebe commodis, verum ſibimet potius ipſi emendare et recte conſulere velit. Neque offendere quemquam debet familiaris illa oratio, qua imperatorem compellare veteres conſueuerunt. Nam et PLINIVS *k*) Veſpaſianum vocat *ſuum*, et *iucundiſſimum imperatorem*. Voſſium hinc quoque PONTANVS, VORSTIVS, et alii *l*) ſequuntur. Omnium vero minime Iuſtinus, Trogi abbreuiator, confundendus eſt cum Iuſtino Martyre, viro ſub Antoninis imperatoribus itidem literis claro, qui ſuam vtrique pro Chriſtianis ſcriptam apologiam tradidit. *m*) Fuit noſter a ſacris Chriſtianorum alienus, Martyr Chriſto deuotus: et quomodo inter ſe differant, VOSSIVS *n*) quam diſertiſſime exponit.

i) Vid. BERNEGGERVS ad h. l. FABRICIVS bibl. Lat. vol. 1. p. 529. *k*) Hiſt. natur. praefat. *l*) Obſerv. ad Iuſtini praefationem. *m*) Confundit autem MARTINVS POLONVS in Chronico: quem et plures alii ſequuntur. *n*) De hiſt. Lat. l. 1. c. 32.

§. II.

Exſtant hiſtoriarum Philippicarum, et totius mundi originum, et terrae ſitus ex Trogo Pompeio excerptarum libri XLIV. a Nino ad Caeſarem vſque Octauianum Auguſtum, ſub quo Trogus vixit: *o*) ſuamque hiſtoriam a potiori ſui parte, rebus videlicet Macedonicis, quas a libro ſeptimo ad quadrageſimum primum exſequitur, *Philippicam*, Theopompi exemplo, inſcripſit. *p*) Inde Iuſtinus ait, cum in vrbe verſaretur, per otium ſe cognitu quaeque digniſſima excerpſiſſe, et omiſſis, quae nec cognoſcendi voluptate iucunda, nec exemplo neceſſaria iudicaret, florum quaſi breue corpuſculum feciſſe. Sic ſane, etiam AVGVSTINO *q*) affirmante, *Graecam, vel potius peregrinam, Trogum Pompeium ſecutus, non Latine tantum, ſicut ille, verum etiam breuiter ſcripſit hiſtoriam.* Sunt, qui cum Floro, Xiphilino, Treboniano, Iuſtinum quoque reprehendunt, quod illorum opera intempeſtiua ſit factum, vt Trogi, Liuii, Dionis, vberrimae hiſtoriae, et veterum Iureconſultorum libri interierint. Hiſtoriarum Philippicarum compendio in BONGARSII editione, ac inde in pluribus aliis ſubiiciuntur *prologi, ſiue periochae hiſtoriarum Philippicarum Trogi Pompeii*, cuiusmodi fere ſunt Liuii argumenta, quae Flori nomine vulgo commendantur. Sed BERNARDVS MONTFAVCONVS *r*) negat prologos iſtos fac-

o) Vid. comment. de virili aetate L. L. parte altera c. 5. §. 7.

p) Nam et regnum Macedoniae Philippo Magno, Alexandri parenti, multum debet. Septem vero libros primos BONGARSIVS cenſebat eſſe *mundi origines:* quas veterum librorum inſcriptio pollicetur: at *terrae ſitus*, quos itidem promittunt, arbitratur eſſe deſcriptiones regionum, quae a Iuſtino fuerint omiſſae. *q*) De ciuitate Dei l. 4. c. 6. *r*) Diario Italico p. 76.

Digitized by Google

ſaepius occurrere in Iuſtini codicibus MStis. Sunt, qui ſibi perſuadent, ab ipſo Trogo profectos: *s*) quod non pauca prae ſe ferant, a Iuſtino omiſſa, et in his praeſertim ea, quae Trogus de ſitu terrarum ſcripſerat. Enim vero etiam codices, quibus THOMAS HEARNE vſus eſt, et duo e Bongarſianis, Iuſtinum eorum auctorem profitentur. At ille vir eruditiſſimus a librariis imperitis adiectos putat: iſtud quippe nomen *prologi* ea ſignificatione, qua vſurpatur, barbarum; ex quo et illud intelligi poſſit, eorum auctorem, quicunque ille fuerit, his eruditis temporibus non vixiſſe, quibus aliqua ſuperfuiſſet linguae Latinae gloria. Et phraſis *in exceſſu*, qua ſaepiſſime vtitur, nihil aliud denotat, quam *per digreſſionem*: vnde TAN. FABER iudicauit, hominem fuiſſe Graeculum, quippe qui dicere conſueuerint, *ἐν παρεκβάσει*, vel *διὰ παρεκβάσεως*.

§. III.

Pluribus antiquis Iuſtini codicibus adſcriptum legitur *Trogi Pompeii*, cuius opera iam diu deperdita ſunt, ſpecioſum nomen. Vnde LVPVS FERRARIENSIS, *t*) PETRVS BLESENSIS, *v*) ALVEREDVS BEVERLACENSIS, *x*) et alii, quoties Trogum citant, Iuſtini epitomen intelligunt. Et WAGENSEILIVS *y*) narrat, prae gaudio ſe exiliiſſe, cum in bibliotheca Scorialenſi Trogum Pompeium codici praecipuae magnitudinis inſcriptum vidiſſet: et apud ſe dixiſſe: quam ego laeto nuncio exhilarabo viros doctos, quot et quanta mihi dabunt euangelia! At librum vix aperuiſſe, et ſtatim illi ob mendacem

s) Vid. FABRICIVS biblioth. Lat. vol. 1. p. 530. *t*) Epiſt. 20.
v) Epiſt. 85. et 94. *x*) Annalibus regum Britanniae pag. 24.
y) In Sota p. 576.

cem titulum, ſibimet quoque ipſi nimis credulo indignatum fuiſſe, quod praeter Iuſtinum nihil inuenerit. Sic et alii integram Trogi hiſtoriam in Marquardi Gudii bibliotheca fuiſſe, mentiti ſunt. Et Aldus Manutius ſpe magna ſe lactabat, apud amicorum quemdam doctum ac fidei ſpectatae Philippicas Trogi hiſtorias extare, et fore vt propediem typis mandari poſſent. Sed et illa ſpes vana fuit, et auctor ille ſeculi melioris in hunc vſque diem reperiri nuſquam potuit.

§. IV.

Scriptorem noſtrum certe vtiliſſimum plurimis obſeruationum politicarum, ad quotidianum vſum accommodatarum, floſculis abundare, BOECLERVS animaduertit. *z*) Et veriſſime BONGARSIVS olim, qui vir optime de Iuſtino meritus eſt, ſuaſit, ab hoc inchoandum eſſe ſtudium hiſtoricum. *Ad hiſtoriarum*, ſcribit, *a*) *ſtudium vt accedas, requirit aetas tua; requirunt haec tempora, quibus mature firmare animum expedit conſtantibus exemplis. Ea vnde petas, niſi ex hiſtoriis? Hiſtoriarum autem cognitione ſi inchoare a Salluſtii, Liuii, Taciti lectione volueris, neque recte feceris, neque ordine. Abrupta eſt, aut interrupta in eorum libris hiſtoriae ſeries. Ab hoc tibi auctore* (Iuſtino) *principium ſit hiſtorici ſtudii.* Sed huiusmodi conſilia hodie parui penduntur. Omnium regnorum et rerumpublicarum, quae ante Seruatoris noſtri natalem floruerunt, origines, proceſſus, et finem perſecutus eſt: vt auctor nullus, GRAEVIO etiam Iudice, *b*) tyrociniis ſtudii hiſtoriarum accom-

z) Diſſert. tom. 3. p. 426. Bibliographia critica p. 181. *a*) Epiſtola ad Ioh. Noelium, excerptionibus eius chronologicis, ad Iuſtini hiſtoriam accommodatis, praemiſſa. *b*) Dedicatione ad Illu-

Digitized by Google

commodatior Iuſtino eſſe poſſit. Sunt, qui eum, ſicut tempore, dictionis etiam candore et elegantia multum antecellunt: Nepos, Caeſar, Salluſtius, Liuius, alii, maxima cum vſura et voluptate ab omnibus legendi, ac deuorandi prope toti: ſed vnius populi res geſtas, nec eadem ſerie, abrupta bella, imperatorum ſingularia deſcripſerunt, neque ſine aliarum gentium hiſtorica cognitione exactiori facile intelligi poſſunt. Hanc vero in primis Iuſtinus, et terſe, et ſufficienter nobis ſuppeditabit: vt qui hodie vnus minime contemnendus Trogi ſupereſt epitomator. Quamuis etiam ſtili non eadem appareat venuſtas, atque in ceteris veteribus optimae notae auctoribus: pleraque tamen et verba, et phraſes Trogi retinuit, ſicuti Gellium quoque feciſſe conſtat. Neque is tam propter ſtilum et formandam orationem, quam propter hiſtorias et deſcriptionem rerum, in orbe inde ab antiquiſſimis temporibus geſtarum, legendus eſt. Nec ab re BOECLERVS c) iudicat: *qui eloquentiam penitius ſcrutantur, haurire poſſunt inde aliquid e melioris ſeculi literatura. In plurimis enim non minus Trogum exſcripſit, quam Xiphilinus Dionem. Si candide et citra moroſam cenſuram agendum eſt, non video, quid repudiare in eo poſſit noſtri ſeculi politicus, vel in verbis, vel in ſententiis, quatenus expoſitioni rerum ſeruiendum eſt. Nam elegantiam contexendae orationis, aut ornandi argumenti, aliunde rectius forte petiueris.*

§. V.

De Iudaeis Trogo parum innotuit. Certe quae Iuſtinus

Illuſtriſſimos et Praepotentes dioeceſeos Traiectinae Ordines, Iuſtino praemiſſa.

c) Diſſert. tom. I. p. 113. et bibliographia critica p. 181.

ſtinus *d*) de Iudaeorum origine, Iſrahele, Ioſepho, Moyſe, et aliis memoriae prodidit, diuinis oraculis plane aduerſantur. *e*) Sed nihil mirum, hiſtoricos in earum gentium rebus geſtis impingere, a quibus lingua, ſacris, ritibus, conſuetudine, tota mente fuerunt diuerſi. Romanis fere omnibus non ſatis cognitas fuiſſe res Iudaeorum, facile intelliget, qui cum diuinis et domeſticis populi monumentis, praeter Iuſtinum, diligentius paulo DIODORVM, *f*) DIONEM CASSIVM, *g*) TACITVM, *h*) STRABONEM, *i*) et alios conferre non dedignatus fuerit. Sed iam tum quoque IOSEPHVS *k*) Graecorum commentis multa ab hiſtorica fide abhorrentia de Iudaeis prodita fuiſſe teſtatur. Et SVIDAS auctor eſt, Alexandrum Mileſium, cognomine Polyhiſtora, qui Sullae temporibus vixit, praeter alia quinque de Roma libros ſcripſiſſe, in quibus, *Hebraeam fuiſſe mulierem, Moſo nomine, a qua perſcripta ſit lex Hebraeorum:* deprauato et ſextu, et nomine legislatoris noſtri. Ita ſcilicet qui extra Numinis ſancti gregem verſabantur, et ſibi videbantur ſapere ſolis, vel ſponte ſua caecutientes aliquot diuinae veritatis ſtricturas in ipſis tenebris peruidere potuerunt. Ex veteribus HIERONYMVS, *l*) OROSIVS, *m*) et AVGVSTINVS *n*) de Iuſtino mentionem fecerunt.

§. VI.

Iuſtini ſtilus hiſtoricus ſatis paſſim elegans, et ipſius Flori,

d) Lib. 36. c. 2. et 3. *e*) Confer. BENEDICTVS PERERIVS in Danielem c. 40. Et IOH. IACOBVS SCHVDT in compendio hiſtoriae Iudaicae e gentilium ſcriptis collecto: quod Francofurt. 1700. 8. prodiit. *f*) Ecloga ex Diodori l. 40. *g*) Lib. 37. *h*) Hiſtor. l. 5. *i*) Geogr. l. 16. *k*) Aduerſus Appionem l. 1. *l*) In Danielem prooemio. *m*) Lib. 1. c. 8. et 10. *n*) De ciuitate Dei l. 4. c. 6.

Digitized by Google

Flori, ſuperioris aeui ſcriptoris, affectationis pleni, dictione multo melior atque purior eſt: vt Trogi illius, aetatis optimae hiſtorici, cuius epitomen contexuit, verba propemodum in pluribus videatur retinuiſſe: et inter omnes huius Latinae linguae aetatis ſcriptores quammaxime terſus et elegans habeatur. Attamen ex aetate ſua non paucos immiſcet melioris ſeculi monumentis idiotiſmos et dictiones, quae profecto paſſim locorum probandae non ſunt. Neque ſatis caute CASP. SCIOPPIVS *o*) inter aureae aetatis ſcriptores eum locauit: aduerſus quem OLAVS BORRICHIVS *p*) multis ſententiam probat contrariam, atque Iuſtinum ad hanc Latinae linguae deteriorem aetatem refert. Quamuis ipſe SCIOPPIVS *q*) quoque conſultatione altera de prudentiae et eloquentiae parandae modis, in adoleſcentis cuiusdam Germani vſum, Trogi affirmet hiſtoriam a Iuſtino non ſolum admutilatam, verum etiam non vno loco verbis ferrea demum aetate vſurpari coeptis inquinatam fuiſſe. Pari modo vt ANDR. BORRICHIVS *r*) terſam quidem cultamque fatetur eſſe Iuſtini dictionem; ſed eam laudem non tam Iuſtino, multoque minus ei, quo vixit, ſeculo, tribuendam eſſe, quam diſertiſſimo viro, Pompeio Trogo, qui aurea aetate floruerit, ex cuius libris contractam Iuſtinus dederit hiſtoriarum epitomen, alieno et adſcito cultu nitidus, quem tamen ipſemet adſperſis quibusdam ſui ſeculi fecibus interdum foedarit. Lipſienſium actorum clariſſimi auctores *s*) de Iuſtino ita iudicarunt:

o) Conſultationibus de Scholarum et ſtudiorum ratione pag. 53.
p) Cogitationibus de variis Latinae linguae aetatibus pag. 4.
q) L. c. pag. 41. *r*) De fatis et aetat. Lat. linguae p. 61.
s) Act. Erud. Lipſ. 1683. pag. 179. Confer. GRAEVII epiſtola dedicatoria Iuſtino praemiſſa.

runt: *nullum ex vetuſtis ſcriptoribus, qui ex foeda barbariei tempeſtate, triſtique rei literariae naufragio quaſi eluctati ad nos peruenerunt, tyrociniis ſtudii hiſtoriarum eo accommodatiorem eſſe, viri doctiſſimi cenſent. Tam terſe ſane, tam emendate ſcripſit, vt ſeculi ſui captum ſuperare, nec ſolarum rerum, ſed et verborum floſculos ex Trogo, optimi aeui ſcriptore, delibaſſe videatur. Nec praeter eum quisquam amplius extat eorum, qui ſecundum ſeriem temporum res plerarumque gentium digeſſerunt, in iisque ordine pertexendis elaborarunt: omnibus, ſiue totis, ſiue maximam partem abſorptis, et longa ſuperioris memoriae nocte, optimarumque artium fatali ſilentio deletis.* Sic prope iisdem Graeuii verbis vtuntur, ac rem acu tangere in primis videntur. Vir ſumme reuerendus, D. IOH. GEORG. WALCHIVS *t*) bene notat, de ſtilo Iuſtini criticos et philologiae doctores non vno modo iudicare, aliis eum laudantibus, aliis reprehendentibus, iuſto vehementius. Scribendi genus medium eſſe, nec habere longiores, nec breuiores periodos. Satis quidem eſſe perſpicuum; minus vero adeo purum, vt nihil a probatiſſima Latinitate alienum admiſiſſet.

§. VII.

Prima Iuſtini editio videtur illa eſſe *Romana* ſine annotato impreſſionis anno, fol. apud Vdalricum Gallum, verſibus inſignita:

Anſer, Tarpeii cuſtos Iouis, vnde quod alis
Conſtreperes, Gallus decidit: vltor adeſt
Vldricus Gallus: ne quem poſcantur in vſum,
Edocuit, pennis nil opus eſſe tuis.

Romana altera cum Floro prodiit 1472. fol. per Conradum

t) Hiſtoria critica Latinae linguae c. 8. §. 13.

Digitized by Google

dum Sweynheim et Arnoldum Pannartz. Primam proxime ſecuta eſt *Veneta* 1470. fol. ad cuius calcem legitur:

Hiſtorias veteres peregrinaque geſta reuoluo
Iuſtinus. Lege me: ſum Trogus ipſe breuis.
Me Gallus Veneta Ianſon Nicolaus in vrbe
Formauit, Mauro Principe Chriſtophoro.

Veneta altera prodiit 1479. fol. per Philippum Condam Petri. Tertia 1493. fol. *Mediolanenſis* 1474. fol. his verſibus inſignita:

Hiſtorias veteres peregrinaque geſta reuoluo
Iuſtinus. Lege me: ſum Trogus ipſe breuis.
Quem manus Antoni Zarotho ſanguine creti
Impreſſit ſolers, Inſubribusque dedit.

Mediolanenſis altera 1476. fol. per Chriſtophorum Baldarfer Ratisbonenſem. Sub finem huius, vel initium ſequentis ſeculi, Iuſtini hiſtoria ex Trogo Pompeio quattuor et triginta epithomatis collecta, Lucii Flori epithomata quattuor quam cultiſſima in decem Titi Liuii decadas. Sexti Ruffi conſularis viri de hiſtoria Romana opus digniſſimum, quarto, ſine anni et loci annotatione, ſi quid coniicere licet, Pariſiis, vna prodierunt, Marci Antonii Sabellici cura, ſcripta ad Iohannem Mattheum Contarenum, virum patricium, epiſtola nuncupatoria, qua dolet quam maxime, hanc quaſi meliorum auctorum vmbram non niſi mendoſam, claudam, et corruptam, librariorum ſiue inſcitia, ſiue incuria, ad poſteros transmiſſam fuiſſe. Praefixum quoque eſt carmen Iohannis Lermite de Monte mirabili ad bonarum literarum ſtudioſos, lectu dignum:

Quisquis amas Italo reſonantes ore Camoenas:
Hiſtoriasque omnis noſcere quisquis amas:

Aurea nunc adſunt Latio perfuſa lepore
Scripta: quibus nullum terſius extat opus.
Vos procul hinc timidi, procul hinc diſcedite ſegnes:
Lautior haec non eſt coena parata pigris.
Haec teneant docti triuiali haud iudice digna:
Ad claros ſpectant ſcripta ſeuera viros.
Iſte Titi paruo innumeras epithomate claudit
Hiſtorias: quis nunc tempora priſca patent.
Contrahit aſt alter tenui ſignata papyro
Pompeius nobis quae dedit ampla Trogus.
Iuſtinus Latia illius grauitate refulget:
Maieſtate Titi flore venuſtus ades.
Aſt quod plus laudes, vbi finem conficit alter,
Incipit hic, ſcriptis vnio tanta ſuis.
Tertius aduenies his Romae computat annos:
Quis ducibus recta eſt, quaue ſit aucta manu.
His ſtilus emunctus, dulcis, concinus, amoenus,
Atque lacaena ipſi ſunt breuitate pares.
Hinc vos, quos pallas gremio tritonia dulci
Suſcipit, excultum quaeſo legatis opus.

§. VIII.

Seculo poſt Chriſtum natum XVI. Iuſtinus prodiit *Venetiis* 1502. fol. 1510. 8. e Sabellici caſtigatione, curante Auguſto Bechario Mortarienſi, vna cum Floro, Sexto Rufo, et aliis. 1512. fol. 1522. 8. apud Aldum, cum Cornelio Nepote. Hanc editionem MORHOFIVS *v*) primam credidit fuiſſe: et Aldum inſigniter deceptum notat, qui ſibi ab amico perſuaderi paſſus ſit, Trogum Pompeium ipſum in eius bibliotheca extare, breui etiam edendum. 1594. fol. *Mediolani* 1510. fol. *Florentiae* 1525.

v) Polyhiſt. lit. l. 4. c. 14. §. 1.

Digitized by Google

1525. 8. apud Iuntas, cuius editionis magna fuit apud Graeuium auctoritas. *Parisiis* 1530. 8. apud Sim. Colineum, cum Aurel. Victore. 1543. 8. apud. Rob. Stephanum. 1581. 8. ex emendatione, cum notis tabulisque chronologicis Iacobi Bongarsii, qui eximiam prae ceteris Iustino nauauit operam, eumque ex Puteani, Cuiacii, et aliis sex codicibus MStis emendauit. *Lugduni* 1542. et 1555. 8. apud Seb. Gryphium, cum Aurelio Victore. 1557. 1559. et 1573. 12. additis in Victorem Eliae Vineti notis. *Antuerpiae* 1543. 8. 1552. 12. *Coloniae* 1533. et 1543. 8. Georgii Maioris. *Argentorati* 1506. 4. cum Floro et Plinio (Aurel. Victore) de viris illustribus. *Hagenoae* 1526. et 1533. 4. cum scholiis Georgii Maioris, et Philip. Melanchthonis praefatione. *Basileae* 1530. 8. Ioh. Sichardi. 1539. 4. Simonis Grynaei. 1553. 8. cum Sichardi castigatione et Maioris annotationibus. 1562. 8. cum praefatione Sim. Grynaei de vtilitate legendae historiae, subiectis ad calcem Henrici Loritti Glareani notis. *Francofurti* 1587. et 1591. 12. apud Ioh. Wechelum ex Franciſci Modii castigatione, cum eiusdem et Bongarsii notis.

§. IX.

Elegantiori habitu Iustinus prodiit seculo post Christum natum XVII. *Parisiis* 1632. 12. 1677. 4. in vsum Delphini illustratus a Petro Iosepho Cantelio, addita in margine temporum notatione. *Salmur.* 1668. et 1671. 8. cum notis Tanaquilli Fabri. *Oxonii* 1674. 8. cum breuibus notis et lectionibus variis. *Londini* 1686. 8. *Vpsaliae* 1678. 8. cum notis Ioh. Scheferi, et Freinshemii indice. *Hagae-Comitis* 1663. 8. notis compendiosis, in vsum studiosae iuuentutis, dilucidatus opera et industria Titi Liuii. *Vltraiecti* 1669. 12. cum notis Ioh. Georg. Grae-

Graeuii. *Lugduni Batau.* 1640. 12. apud Elzeuirios cum Iſaaci Voſſii notis. 1650. 8. cum notis variorum, curante Antonio Thyſio. 1669. 8. cum variorum notis, curante Cornelio Schreuelio. 1683. 8. ex officina Hakiana cum notis variorum integris, accurante Ioh. Georg. Graeuio. *Amſtelodami* 1637. 12. ex officina Guil. Blaeu. 1638. 1645. et 1660. 12. ex noua M. Zuerii Boxhornii recenſione, apud I. Ianſonium. 1659. 1663. et 1669. 8. cum notis variorum, curante Cornelio Schreuelio, apud Elzeuir. 1671. 12. apud Dan. Elzeuirium. 1673. et 1688. 12. Iſaaci Voſſii. 1694. 12. cum notis Ioh. Georg. Graeuii. *Vrſellis* 1602. 8. cum Victorini Strigelii commentario. 1610. 8. cum Strigelii, Bongarſii et Theophili Cangiſeri notis. *Argentorati* 1613. et 1627. 8. cum Victorini Strigelii commentario et aliorum notis. 1631. 1651. 1653. 1662. et 1666. 8. Matthiae Berneggeri, qui Bongarſii, Modii, Strigelii, et aliorum ſuis addidit notas, et Ioh. Freinshemii indicem ſubiecit. *Marpurgi* 1612. 8. Iani Gruteri. *Francofurti* 1630. 8. Danielis Parei. 1659. 12. *Hamburgi* 1678. 12. cum notis Ioh. Scheferi et Freinshemii indice. *Berolini* 1673. 8. cum notis Ioh. Vorſtii et Freinshemii indice. *Vratislauiae* 1660. 8. cum notis variorum, curante Cornel. Schreuelio. 1688. 8. ex recenſione Ioh. Georg. Graeuii, cum integris variorum notis, et ampliſſimo Ioh. Freinshemii indice, Ioh. Shefferi et aliorum acceſſionibus aucto.

§. X.

Seculo noſtro elegantiori habitu Iuſtinus prodiit *Pariſiis* 1709. minori forma cum eruditis ad prologos Abbatis de Longerue notis. *Londini* 1701. 8. in vſum Delphini, cum Petri Ioſephi Cantelii illuſtratione. 1714. forma minore, cum indice, curante Mich. Maittaire. *Oxo-*

Digitized by Google

Oxonii 1705. 8. e theatro Sheldon. cum breuibus notis et variis lect. curante Thoma Hearne. *Amſtelodami* 1706. 24. 1707. 8. ex emendatione et cum notis I. G. Graeuii. *Traiecti ad Rhenum* 1708. 8. ex recenſione Graeuii. *Lugduni Batau.* 1701. 8. cum integris variorum notis, accurante Graeuio. 1719. 8. cum integris variorum notis, accurante Abrahamo Gronouio. *Auguſtae Vindelicorum* 1717. 8. cum annotationibus Emanuelis Sinceri Germanicis. *Lipſiae* 1701. 1709. 1715. et 1725. 12. cum notis Chriſtiani Iunckeri, ad modum Minellii. *Berolini* 1731. et 1740. 8. cum annotationibus Emanuelis Sinceri Germanicis.

§. XI.

IVLIVS OBSEQVENS aetatis incertae ſcriptor longae poſteritati vix aliter innotuit, quam huius nominis aliquem de prodigiis libellum ſcripſiſſe, cuius fragmentum perexiguum ad tempora vſque noſtra aetatem tulit. Nec ab re tamen ex praenomine *Iulii* gentis vetuſtiſſimae Romanum, ex argumento profanae religioni addictum, ex ſtilo et ſermone caſtigato, quo vtitur, meliori aeuo propiorem fuiſſe ſuſpicantur. Niſi, quod in Iuſtino ſatis conſtat, ex optimis adultae Latinae linguae monumentis, praeſtaret dicere, eum cum rebus ipſis dictionem quoque i. e. ſeculi alieni aurum retinuiſſe. In primis Liuium ſecutus eſt, cuius etiam verba frequenter conſeruat. Vossio iudice, *x*) minimum ante Honorii tempora vixit, quibus cum Auguſtino virisque illuſtribus aliis Paulus Oroſius floruit. SEBASTIANVS CORRA-

x) De hiſtor. Latinis l. 3. parte altera pag. 711.

RADVS *y*) vero in alia ſententia fuiſſe videtur, qui, cum vtriusque faceret mentionem, Oroſium praemittit.

§. XII.

Scripſit *prodigiorum librum*, quo notabiliora exponit prodigia Romae, vel in regionibus Romanae ditioni ſubiectis, viſa vel audita, temporum ordine ſeruato. Ab vrbe condita videtur hanc materiam ad aetatem vſque ſuam perduxiſſe. At melior pars operis interiit, cuius perexiguum fragmentum, a L. Scipione et C. Laelio COSS. ſeu anno vrbis DLXIII. *z*) ad Paulum Fabium et Q. Aelium COSS. qui ab vrbe condita fuerunt anno DCCXLII. Caeſare Octauiano Auguſto imperante. Atque etiam iſtud valde mutilatum eſt, Lycoſtenis opera ex aliis reſtituendum. Hic enim partem libelli non modo priorem ab vrbe condita, verum etiam paſſim fragmenti ſuperſtitis lacunas non paucas, ad Caeſarem vſque Auguſtum, ex Liuio, Dionyſio Halicarnaſſenſi, Eutropio, Oroſio, et aliis, reſtituere et ſupplere conatus eſt, adeo quidem vt ipſi nihil plane deeſſe videatur. Ea vero capita, et quicquid vbique eius induſtria adiectum fuit, quod ipſe indicat, *a*) aſteriſco * notare placuit: vt quae Obſequentis, quaeque ipſi affuta eſſent, melius dignoſci poſſet. At peſſimo conſilio poſtea iſtae notae in aliis editionibus fuerunt omiſſae. Vnde haud raro fieri ſolet, vt graui errore Lycoſtenes paſſim pro Obſequente lega-

y) In quaeſtura pag. 41. *z*) Vid. faſti conſulares h. a. BALTASSARIS BONIFACII de Romanae hiſtoriae ſcriptoribus p. 29. errorem FABRICIVS biblioth. Lat. vol. I. p. 536. imponere ſibi patitur, vt prodigiorum iſtud fragmentum non vereatur ab anno vrbis DV. deriuare, quo C. Aurelius Cotta et P. Seruilius Geminus conſules fuerunt.

a) Epiſtola dedicatoria ad Auguſtinum Bacgut p. 11.

Digitized by Google

legatur; atque etiam pro eo nonnunquam ab eruditiſſimis viris ad partes aduocetur. BALTHASAR BONIFACIVS *b)* Iulium Obſequentem putat, ex Frontini imitatione, prodigia, quaecunque ſparſim habebantur, collegiſſe. Quod FABRICIVS *c)* ita intelligendum eſſe notat, vt, quemadmodum Frontinus dicta et facta ſollertium ducum, ita Obſequens prodigia in vnum librum congeſſerit. Neque enim Frontinus ex inſtituto prodigia collegit, quamuis nonnulla in ſtrategematum libris attigerit. Obſequentis libellus ille quidem, doctorum omnium iudicio, plurimum deprauatus eſſe, et alienis paſſim conſulibus prodigia notare creditur: ſed tamen, quod ad ſtilum et elocutionem attinet, vere candidus, et defaecatus, et ex probata antiquitate cuiuis exaequandus, vitia ſeculi quoquo modo euitare ſolet.

§. XIII.

Primus Obſequentis fragmentum, ſibi a Iucundo Veronenſi donatum *Venetiis* 1508. 8. Aldus Manutius edidit. 1518. 8. Franciſcus Aſulanus, Aldi ſocer. *Florentiae* 1515. 8. Philippus Iunta, una cum Plinii epiſtolis et panegyrico, libro de viris illuſtribus, et Suetonii de grammaticis ac rhetoribus *Argentorati* 1514 8. Beatus Rhenanus, vna cum libro de viris illuſtribus, et Suetonio de grammaticis et rhetoribus. *Pariſiis* 1529. 1539. et 1544. 8. Robertus Stephanus, vna cum iisdem ſcriptoribus. *Antuerpiae* 1532. et 1542. 8. *Baſileae* 1521. et 1530. 8. cum iisdem ſcriptoribus. 1552. 8. apud Oporinum, Conradus Lycoſtenes Rubeaquenſis Iulii Obſequentis prodigiorum librum ab vrbe condita vſque ad

b) De Romanae hiſtoriae ſcriptoribus p. 29.
c) Biblioth. Latin. vol. I. p. 535.

Digitized by Google

Auguſtum Caeſarem, cuius tantum extabat fragmentum, hiſtoriarum beneficio *d*) integritati ſuae reſtituit. Adiuncti ſunt Polydori Vergilii Vrbinatis de prodigiis libri tres, et Ioachimi Camerarii de oſtentis libri duo. *Lugduni* 1539. 8. Iulius Obſequens prodiit, cum Aurel. Victore de viris illuſtribus et Suetonio de grammaticis ac rhetoribus. 1553. 12. apud Ioh. Tornaeſium et Guil. Gazeium Iulii Obſequentis libellus de prodigiis cum Conradi Lycoſtenis ſupplementis, addito Polydoro Vergilio de prodigiis et Ioachimo Camerario de oſtentis, quam nitidiſſime et accuratiſſime recuſus eſt: nec omiſſis aſteriſcis, quibus Lycoſtenes ſua ab auctoris notamina diſtinguere voluit. *e*) 1589. 12. cum Lycoſtenis ſupplementis.

§. XIV.

Seculo poſt Chriſtum natum decimo ſeptimo Iulii Obſequentis libellus de prodigiis *Amſtelodami* 1689. 8. editus eſt a Iohanne Scheffero, qui eum cum Lycoſtenis ſupplementis, diuerſo charactere excuſis, ſuis illuſtrauit notis, ac indicem vtiliſſimum addidit.

§. XV.

d) Praefatione ad Auguſtinum Baegut, reſtituiſſe monuit libellum, quantum fieri potuit, Liuii, Dionyſii Halicarnaſſei, Oroſii, Eutropii, atque aliorum quorundam probatiſſimorum auctorum auxilio, ita vt nihil plane deeſſe videatur. BOECLERVS vero bibliographia critica p. 447. prodigia et oſtenta, ſcribit, quae putabat, diligentius, quam opus erat, collegiſſe; in eo non probandum, quod ſua non ex fontibus, ſed ex nouitiis fere ſcriptoribus petierit.

e) Qua de re Tornaeſium VOSSIVS de hiſt. Latin. l. 3. p. 711. immerito accuſat: quod regius typographus ille primum Obſequentis libellum, a Lycoſtene ſuppletum, ſine aſteriſcis (quae res peſſimi exempli) ediderit: ut Lycoſtenes paſſim pro Obſequente legi coeperit.

Digitized by Google

§. XV.

Seculo quo viuimus, poſt Chriſtum natum duodeuiceſimo *Oxonii* 1703. 8. e theatro Sheldoniano Obſequens prodiit, quem Tho. Hearne, a Lycoſtenis additamentis liberum, ad veteres editiones recenſuit, cum Liuio contulit, et breuibus atque vtilibus notis illuſtrauit, adiunctum Eutropio, Meſſalae Coruino et anonymi orationi funebri in Conſtantinum, Conſtantini M. filium. *Lugduni Batau.* 1720. 8. Franciſcus Oudendorpius Obſequentem recenſuit, ac praeter accuratiorem conſulum notationem, variasque Ioſephi Scaligeri, Nic. Heinſii, Gisb. Cuperi, et Petri Burmanni obſeruationes, notasque Schefferi integras, annotationibus ſuis illuſtrauit: ac indices conſulum, rerum ac verborum addidit.

§. XVI.

Aetatis etiam incertae C. IVLIVS SOLINVS, profeſſione Grammaticus, quod nomen in veteribus libris apponitur: ſed quis fuerit, et quando vixerit, vel diuinando, tacentibus antiquitatis omnibus monumentis, nemo facile dixerit. Aegyptium oriundo fuiſſe, leuibus quibusdam argumentis SALMASIVS *f*) colligebat, quibus cum ipſe non ſtaret, nec alios ſtare volebat. Ex ſtilo ſaltem illius omnia affectantis auctoris peregrinitatem ſibi intelligere videtur. FABRICIVS *g*) eum putat Romanum fuiſſe: quod IOH. CAMERS *h*) ex ipſo ſtilo coniicit, et quod frequenter, quum de Romanis mentio intercidit, eos in locis multis *noſtros* appellare ſoleat. Eadem vero argumenta etiam SALMASIVS *i*) pro Solino Aegyptio militare affirmat. Dictio certe peregri-

f) Prolegom. in Solinum. *g*) Biblioth. Lat. vol. 1. pag. 413.
h) Vita Solini eius polyhiſtori praemiſſa. *i*) L. c.

Digitized by Google

num ſapit. Et vbicunque de Romanis loquens ſuos vocat Plinius, verbis Plinianis eandem narrans hiſtoriam Solinus, non noſtros, vt Plinius, ſed Romanos nominat. Potuiſſet tamen etiam Aegyptius, verba de Romanis faciens, eos dicere ſuos, quandoquidem Aegyptus quoque pars orbis Romani, idemque imperium agnoſcat. HENRICVS autem VALESIVS *k*) haud diuerſum eſſe arbitratur a Iulio Solino, ſiue Solone (nam XIPHILINVS et ZONARAS Ἰούλιον Σόλωνα vocant) ſenatore Romano, quem Alexander Seuerus interfecit. *l*) Qui Solinum arbitrantur, fuiſſe Graecum, ex ipſo eius polyhiſtore *m*) videntur haud difficulter refelli. Vitae genus, vt dixi, grammatici nomen, quod in fide dignis pluribus exemplis Solino additur, haud obſcure quidem prodit: SALMASIVS *n*) autem ſcriptum in aliis reperit *grammati*, in aliis *Cremonati*. Vnde legendum eſſe contendi grammatei: ὁ γραμματεὺς autem nomen officii eſſe in ſacris Aegyptiacis. Quod ad viri aetatem attinet, IACOB. PHILIPPVS BERGOMENSIS *o*) Solinum ait Caeſaris Octauiani Auguſti floruiſſe, eique ſuum opus dicaſſe. *Auguſto* ſcilicet legit pro eo, quod in variis exemplis nunc ſcribitur *Autio*, nunc *Aduento*: vnde DELRIO vel *Auito*, vel *Antio* legendum coniectabat. Enimuero ſi quis hunc Solinum velit componere cum ſeculi Auguſtei monumentis, eum oportet nihil ſapere, qui

k) Ad excerpta Peireſciana p. 105. *l*) Confer. TILLEMONTIVS tom. 3. hiſt. Imperatorum pag. 141. ſeq. et H. DODWELLVS append. ad diſſert. Cyprianic. §. 15. qui noſtrum Cenſorino aequalem facit. *m*) Cap. 2. 16. 36. 47. 43. et 57. *n*) Prolegom. in Solinum. *o*) In chronicis, quae ſupplementum ſupplementi inſcripſit. Confer. VOSSIVS de hiſt. Lat. l. 3. pag. 720. et IOH. CAMERS in Solini vita.

Digitized by Google

qui non intelligit, quid diſtent aera lupinis. Certe poſt tempora Veſpaſiani vixit, cuius ipſe mentionem facit. *p*) *Iudeae*, inquit, *q*) *caput fuit Hieroſolyma, ſed exciſa eſt. -- Cum iudaea potiti ſumus, ita luci illi propagati ſunt, vt iam nobis latiſſimi colles ſudent balſama. -- Engada oppidum infra Eſſaenos fuit, ſed exciſum eſt.* Meminit etiam Suetonii Paulini, tanquam herois, qui, longe ante ſuam aetatem, vltra Atlantem primus, et pene ſolus Romana ſigna circumtulerit. *r*) Hunc autem PLINIVS *s*) ſcribit ſe conſulem vidiſſe. Et multis SALMASIVS *t*) argumentis probat, longo poſt Plinium temporis interuallo fuiſſe noſtrum, qui illius hiſtoriam naturalem, auctoris ſuppreſſo nomine, expilauerit. Tantum conſtat, vixiſſe ante imperium Roma Conſtantinopolin translatum: quam certe notatu digniſſimam mutationem ſilentio praeterire non potuerit. Accedit eorum auctoritas, qui noſtri mentionem faciunt in monumentis ſuis. Quod nominatim SERVIVS *v*) facit. Laudatur *Solinus in collectaneis vel polyhiſtore* a PRISCIANO, *x*) imo ad eius, tanquam vetuſtioris, auctoritatem prouocat: *y*) *acer*, inquit, *quoque arbor, de cuius declinatione dubitatur, cuius genitiuus aceris, quod Solinus quoque protulit in memorabilibus, acernus facit.* Rurſum: *z*) *Solinus in memorabilibus, de arbore thuris, palam fieret, interto eam eſſe vimine, ramis ad aceris qualitatem.* Sic paſſim alibi grammaticus hic, qui ſub Iuliano vixit, Solini teſtimonio vtitur, tanquam claſſici et locupletis auctoris: quod

p) Cap. 42. *q*) Cap. 48. *r*) Cap. 37. extr. *s*) Hiſt. nat. l. 5. c. 1. *t*) Proleg. in Solin. *v*) Georg. l. 2. *x*) De octo partibus orationis l. 1. oper. p. m. 8. *y*) Lib. 2. pag. 18. *z*) Lib. 5. pag. 50.

quod non faceret, ſi propius ad aetatem ſuam acceſſiſſet. Hos enim grammatici vulgo neotericos vocabant, ac idoneis opponebantur, quibus vetuſtas auctoritatem conciliauerat. AMMIANVS MARCELLINVS non pauca ex Solino in hiſtoriam ſuam transtulit, ſeruatis etiam locutionibus ipſis: quod SALMASIVS paſſim in Plinianis exercitationibus demonſtrat. Quaedam ab eo MACROBIVS ſumſit: quamuis nomen Solini apud eum nuſquam reperiatur. *a*) E ſanctis eccleſiae patribus ab HIERONYMO, AMBROSIO, et AVGVSTINO, citatur.

§. XVII.

Ex ingenii monumentis ſupereſt eius liber *Polyhiſtor* inſcriptus, quem nominari ante voluerat *collectanea rerum memorabilium*: *b*) quo quidem nomine paſſim a PRISCIANO citatur: apud quem VOSSIVS *c*) etiam notat Solinum noſtrum in *admirabilibus* citari: niſi, vt putat, *memorabilibus* legendum potius. Eademque inſcriptio in pluribus manu exaratis codicibus, nonnullis quoque ſtanno impreſſis, ſeruatur. Ac Spirenſi quadam editione *d*) lego: *Solinus de memorabilibus mundi diligenter annotatus et indicio alphabetico prenotatus.* Sed, vt dixi, pro ea primae editionis inſcriptione, auctor hanc poſtea repoſuit: *C. Iulii Solini Grammatici polyhiſtor, ab ipſo editus ac recognitus.* Opuſculum ex variis

a) Confer. VOSSIVS de hiſtor. Lat, l. 3. p. 721. SALMASIVS prolegom. in Solin. Et IACOBVS GADDIVS tom. 1. de ſcriptoribus non eccleſiaſticis p. 27.

b) Ita enim ipſe ſcribit libelli praefatione ad Autium: *erit operi iſti titulus polyhiſtor. Nam quem in exordio deſignaueram, ſcilicet collectanea rerum memorabilium, cum iis, quae improbauimus, placuit obliterari.*

c) De hiſtoricis Latinis l. 3. p. 720. *d*) Ann. 1512. 4.

Digitized by Google

riis ſcriptoribus, Plinio maxime collectum, vnde ipſa aliquando etiam deprehenditur verba ſua deſumſiſſe. Inſeruntur vbique huic operi hiſtoriae, gentium origines, nominum rationes, ritus, mores, ſacra, profana, miranda item artis et naturae opera. Quae omnia ſtudioſe quidem collegit: non vero iudicio, eaque ratione, qua decet, vbique ſelegit. Vnde leuiſſimus ſcriptor a SCALIGERO *e*) vocatur. Cuius ſententiae VOSSIVS *f*) quoque ſubſcripſit. In plerisque nimis eſt credulus: et in rebus ſibi parum cognitis, auctorum mentem aliquando non potuit aſſequi. Ita enim ipſe: *g*) *exquiſitis aliquot voluminibus ſtuduiſſe me compendio fateor, vt et a notioribus referrem pedem, et remotis largius immorarer.* Nihilominus hunc libellum ſuperbiſſimo titulo polyhiſtorem appellauit, quod nomen ne Plinius quidem ampliſſimae ſuae mundi hiſtoriae dare voluit.

§. XVIII.

Simia vtplurimum vocatur Plinii, illius qui mundi, ſiue naturalem, hiſtoriam reliquit. Hunc enim non tam imitatus eſt, ſed ad verborum vſque numerum, non ſine plagii macula inſigni exſcripſit: adeo quidem, vt, in tanta rerum atque verborum ſimilitudine, fuerint, qui ambigerent, antiquioremne Plinio Solinum, aetatis incertae ſcriptorem, ponere oporteret, an iuniorem. *h*) Hoc ſatis mirari non poſſum, ne auctoris quidem facere mentionem, cui pleraque ſua in acceptis referre debeat. Nec difficile fuit CLAVDIO SALMASIO, doctrinae et lectio-

e) Euſebianis animaduerſ. pag. 226. *f*) De hiſtoricis Latin. l. 3. p. 710. *g*) Polyhiſt. c. 1. ſeu praefatione. *h*) Vid. IACOB. THOMASIVS de plagio literario §. 543.

ctionis ſtupendae viro, *i*) quod ipſe fatetur, *k*) Plinium emendare, explicare, et caſtigare, eo ordine, quo eum Solinus compilauit. Et hunc ipſum, eadem opera, non ſolum meliorem fecit, verum etiam, quam malus ſit auctor, oſtendit. Qui cum de Solino, vt omnes fatentur, optime fuerit meritus, et Lugdunum Batauorum aliquando e Galliis ingreſſus, ita fertur a P. Scriuerio ſalutatus fuiſſe: *ſalue ſal et ſol Solini.* *l*) Sed et hunc de plagio auctoris nefario audiamus: *m*) *quem*, inquit, *nemo neſcit, nihil omnino habere, quod non ex Plinio hauſerit. Ex omnibus enim Plinii libris quodcunque potuit, concurrit, et in ſuum iſtud compendium congeſſit. Quamuis autem ex profeſſo ſola geographica compilarit, et in epitomen redegerit, atque in hanc partem fere inclinatior ſit materies, quae locorum ſitum ac commemorationem perſequitur, ſeruata vbique orbis diſtinctione, quam Plinius adhibuit: idem tamen quidquid eſt arborum, gemmarum, animaliumque exoticorum, variis regionibus naſcentium, id omne ſolerter conquiſitum, et ſuis locis inſertum opportune reddidit ex Pliniano opere, vt varietas ipſa legentium faſtidio mederetur, quemadmodum ipſe profitetur. Plinii tamen nomen vbique diſſimulauit, ſcirique tantum voluit, quaecunque in libro ſuo memoratu digna potuiſſet, ea de ſcriptoribus manaſſe receptiſſimis.* Nec facile quisquam CAMERTIS *n*) opinionem probare poterit, eam ob cauſſam cenſentis oppreſſam fuiſſe Plinii mentionem, quod noſter noluerit nominare viuentem.

i) Plinianis exercitationibus in Solini polyhiſtora. *k*) L. c. p. 3.
l) Vid. BOECLERI bibliograph. critica p. 614. FABRICIVS biblioth. Lat. vol. I, p. 414. *m*) Prolegom. in Solinum.
n) In vita Solini.

tem. Quod ſi verum eſſet, cum ſatis ex ſuperioribus pateat, ſeſqui poſt eum ſeculo vixiſſe, furti tamen nunquam ideo non liberandus crimine. PLINIVS enim ingenue non ſolum, qui proxime deceſſerunt, ſed etiam tempore ſuo maxime florentes laudare ſolet atque citare teſtes. Peſſimum inertiae vitium accuſat PLINIVS ipſe: *o*) *ſcito, conferentem auctores me deprehendiſſe a iuratiſſimis et proximis veteres tranſcriptos ad verbum, neque nominatos, non illa Virgiliana virtute vt certarent, non Ciceroniana ſimplicitate, qui in libris de rep. Platonis ſe comitem profitetur.* In his nomen ſuum profiteri debet Solinus: cui etiam SALMASIVS *p*) ignoſcendum putat, ſi bona fide, et ſalua auctoris ſui mente retuliſſet, quae ab illo accepit. Sed tantam vbique negligentiam et imperitiam prodere, vt ferendus non ſit. Raram auem eſſe, ſi quando mentem Plinii aſſequatur, quem vbique ſequatur. In leuibus autem peccatis, et qualia plerumque dormitantibus, aut aliud agentibus obrepunt, facile dandum veniae locum. Quae ſingulis paginis peccet, eiusmodi eſſe, vt ne ab aequiſſimo quidem, imo indulgentiſſimo lectore condonari queant.

§. XIX.

Stilus nimium affectatus, et nihil omnino prae ſe ferens natiui ſermonis, peregrinitatem ſapit, aut vitium prodit aetatis, quod Latinae aſſueti elegantiae vix aequo poſſunt ferre animo. Vnde VOSSIVS: *q*) *ſi ex ſtilo iudicium fieri debet, ſeſqui ſeculo et amplius poſt Plinium vixiſſe dixerim.* Suos certe peculiares et hic auctor

o) Hiſt. natur. praef. *p*) Prolegom. in Solin. *q*) De hiſtor. Latin. l. 3. p. 721. Confer. OLAVS BORRICHIVS de variis Lat. ling. aetatibus pag. 15. Et conſpectu praeſtantiorum ſcriptorum Latinae linguae §. 40.

Digitized by Google

ctor idiotiſmos habet: nec adeo ſtuduit orationis elegantiae, quam rerum cognitioni. Hoc enim ipſe fatetur, atque diſerte ſcribit: r) *cui ſi animum propius intenderis, velut fermentum cognitionis magis ei ineſſe, quam bracteas eloquentiae deprehendes.* Sic ſaepe dictiones hauſit e faece ſuorum temporum. Subinde rurſus ſupra modum incaleſcit, ſuisque nimium indulget fabellis. Verum de noſtro BOECLERI s) iudicium: *Solini ſtilus quidem Pliniano eſt impolitior, et habet aliquid obſcuritatis ac affectationis: laus autem eruditionis ei non eſt adimenda.* Sed ſtilus non modo incultus; opus ipſum quoque ſine lima iudicii compoſitum eſt. t)

§. XX.

Antiquiſſimam Solini editionem SALMASIVS v) laudat *Venetam* 1473. fol. quae ipſi fuerit codicis manuſcripti loco, adeo in multis ac pene in omnibus cum ſcriptis conſentiens. Sequuntur *Parmenſis* 1480. 4. per Andream Portiliam. *Brixienſis* 1480. per Boninum de Boninis de Raguſia, et 1498. fol. per Iacobum Britannicum. *Veneta* 1498. 4. *Bononienſis* 1500. Philippi Beroaldi opera. x)

§. XXI.

Seculo poſt Chriſtum natum decimo ſexto Solinus prodiit *Spirae* 1512. 4. opera Iodoci Badii Aſcenſii, qui profitetur, auctorem dandum fuiſſe tam mutilum, tamque inuerſum, vt ab alio nemine, praeterquam a ſe ipſo, ſi qua ab inferis reuocari poſſet, inſtaurari, atque conuer-

r) Polyhiſtoris c. 1. ſeu praefatione. s) Bibliograph. critica p. 614. t) Confer. Celeberr. D. WALCHIVS hiſtor. critica Lat. linguae p. 74. v) Prolegom. in Solin. x) Quam editionem MEVRSIVS laudat in critico Arnobiano p. 67. 93.

Digitized by Google

uerti poſſe videretur: manum admouiſſe tamen, opeque chirurgica membrorum refeciſſe multa, reſecuiſſe autem nulla, quae nondum putrefacta, aut ſacro igni correpta videbantur. *Venetiis* 1518. 8. apud Aldum et Franciſcum Aſulanum, cum Mela et aliis. 1598. 4. *Coloniae* 1520. 8. apud Eucharium Ceruicornum. *Florentiae* 1526. 8. apud Iuntam, cum Mela et aliis. *Baſileae* non annotato impreſſionis anno, ex officina Henricpetrina, accurante Chriſtiano Vurſtiſio, cum Mela, annotationibus et mappis geographicis ornato. 1531. 12. 1538. fol. cum Iohannis Camertis commentario. 1543. fol. 1557. fol. cum Lucio Floro et Cebetis tabula, Iohannis autem Camertis in hos auctores ampliſſimis commentariis. Accedit Pomponii Melae de orbis ſitu libri tres cum commentariis Ioachimi Vadiani. 1564. et 1595. 8. cum Mela. *Pariſiis* 1536. 8. cum Mela, Oliuarii et Hermolai Barbari ſcholiis illuſtrata. 1577. 4. accurante Henrico Stephano, cum Delrionis emendationibus aliisque ſcriptoribus. *Pictauis* 1554. 4. Eliae Vineti opera. *Antuerpiae* 1572. 8. cum Martini Antonii Delrionis emendationibus.

§. XXII.

Decimo ſeptimo poſt Chriſtum natum ſeculo Solinus prodiit *Francofurti* 1603. 4. cum notis Georgii Draudii. *Genevae* 1605. 8. accurante Iacobo Graſſero, qui Solinum emendauit iuxta atque ſimilibus diſſimilibusque hiſtoriis illuſtrauit. *Lugduni Batauor.* 1646. 12. ex Delrionis caſtigatione, cum Mela et Aethico. *Gothae* 1665. 8. Andreas Reyherus Solinum in mille ſectiones diſpeſcuit, ac vtiliſſimo indice ornauit. *Pariſiis* 1621. 12. accurante Iacobo Graſſero. 1629. fol. cum prolegominibus, et Plinianis exercitationibus Claudii Salmaſii, duobus volumi-

luminibus. y) *Traiecti ad Rhenum* 1689. fol. 2. volum. denuo cum Solini polyhiſtore, ex veteribus libris emendato, atque in eum diffuſae eruditionis prolegominibus, prodierunt Claudii Salmaſii Plinianae exercitationes. Acceſſerunt de homonymis hyles iatricae exercitationes antehac ineditae, nec non de manna et ſaccharo.

§. XXIII.

Oratione ligata Solinum etiam quaedam ſcripſiſſe, fragmentum teſtatur ποντικῶν, ſiue carminis, qui ſuperſunt viginti duo primi verſus: quos legimus inter epigram-

y) MORHOFIVS polyhiſt. philoſ. l. 2. part. 1. c. 2. §. 3. *Plinii epitomator Solinus eſt, cuius extat polyhiſtor, quem Salmaſius vberrimis vaſtiſſimisque commentariis explicauit, qui liber locorum communium inſtar eſſe poteſt. Omnia enim vir ille doctiſſimus, quae apud veteres de ſimilibus argumentis tradita erant, collegit, ſuo vbique interſperſo iudicio. Sed quoniam ille feſtinanter plerumque ſcribebat, vt vberrimo ingenio nulla ſufficeret manus, nec vel verborum, vel rerum, modum noſſet: multa illi exciderunt, quae et ipſe nouerat melius, et rectius alio die tradebat: quaeque facile euitaſſet, ſi paululum modo attendiſſet animum. Quod Gronouii iudicium de hoc viri lib. 1. de pecunia veteri c. 41. vt in philologicis, ita etiam in his rerum eſt. Nam multa etiam hic miſcuit, quae poterat opportunius alio tempore et loco dixiſſe. Sed quoniam hic vaſtitatem et multitudinem habebat obiectorum, ſponte ingenium eius in tam varia excurrit.* Confer. SCHVRZFLEISCHII notitia ſcriptor. part. 3. pag. 75. STOLLII introd. in hiſt. liter. part. 2. c. 4. §. 19. n. 6. VT BOECLERO bibliographia critica pag. 614. videtur, adeo correctum et immutatum dedit Solinum, vt alius ſcriptor eſſe videatur. Quod quidem docti probare nequeunt. Fuit enim Salmaſius in reformandis et refingendis ſcriptoribus confidentior, et, vt verum dicam, audacior. Sed quoquo ſe res habeat modo, Salmaſii iſtud ſtupendae eruditionis opus eſt,

Digitized by Google

grammata et poematia vetera, quae Pithoeus *Pariſiis* edidit: emendatius vero apud SALMASIVM, *z*) qui hos verſus in exemplari regio vetuſtiſſimo ad finem polyhiſtoris ſubiectos reperit, cum inſcriptione, *incipit eiusdem ponticon.* An opus abſoluerit, incertum. *a*) Sed bene Salmaſius, atque ex eo VOSSIVS *b*) monet, titulum πονπικὰ operi melius ſcribendum πόντια. Nam conſtituiſſe res marinas, h. e. animalia maris, piſcium omne genus eo libro enarrare, vel, vt ipſe ait, *aequoreas cateruas*: quod argumentum fuit Ouidiani poematis, cuius inſcriptio *halieuticon.* Quicquid ad hoc genus pertinet, πόντιον dicendum, i. e. marinum, non πονπικὸν. Hoc enim gentile a regione Ponti, vel ipſo mari, quod ponticum, vel pontus abſolute dicitur. At πόντιον, quicquid ex quolibet mari eſt. VOSSIVS etiam notat, *c*) polyhiſtora ante ſexcentos annos a monacho quodam carmine verſum eſſe heroico: quod item ſupereſſe credit.

§. XXIV.

Anno poſt Chriſtum natum CCXXXVIII. Gordiani imperatoris primo CENSORINVS libellum de die natali ſcripſit: quem VOSSIVS *d*) hiſtoricis annumerat. Multa enim ſine illo chronologi ignorarent: quippe qui diuerſas gentium aeras, notatu maxime dignas, egregie connectat: et omnino omnes venerandae antiquitatis cultores inſignem ex eo multiplicis doctrinae monumento voluptatem capere poſſunt. Plura de Cenſorino philoſophos inter monenda erunt.

§. XXV.

z) Prolegom. in Solin. Extat etiam Carminis illius fragmentum in operis Virgiliani appendice. *a*) Vid. BARTHIVS aduerſar. p. 1990. *b*) De hiſtoric. Latin. l. 3. pag. 721. *c*) L. c. *d*) De hiſtor. Lat. l. 2. c. 3.

Digitized by Google

§. XXV.

Tacito Auguſto MODESTVS libellum dicauit de vocabulis rei militaris, qui cum Vegetio, Frontino et aliis rei militaris ſcriptoribus vulgo edi ſolet. Neque BARTHIVS *e*) aſſerere dubitat, Modeſti huius libellum a Vegetio ita exſcriptum eſſe, vt verbum de verbo expreſſiſſe videatur. Sunt tamen qui eum recentiorem faciunt. MODIVS Modeſti libello nihil putidius ſe vnquam vidiſſe affirmat: cui NAVDAEVS *f*) quoque ſuffragatur, Modeſtum vocans infelicem Vegetii epitomarem.

§. XXVI.

Diocletiano imperante, ſub finem tertii poſt Chriſtum natum ſeculi, AELIVS SPARTIANVS floruit, quem magnae auctoritatis virum, et ipſi imperatori valde familiarem fuiſſe, ex inſcriptione patet, qua Aelii Veri vitam illi ſacram eſſe voluit: *Diocletiano Aug. Aelius Spartianus ſuus ſalutem.* *g*) Hiſtoriae Auguſtae plura inſtituit conſcribere volumina. Ita enim ipſe teſtatur: *h*) *in animo mihi eſt, Diocletiane Auguſte, tot principum maxime, non ſolum eos, qui principum locum in hac ſtatione, quam temperas, retentarunt, vt vſque ad diuum Hadrianum feci, ſed illos etiam, qui vel Caeſarum nomine appellati ſunt, nec principes aut Auguſti fuerunt, vel quolibet alio genere aut in famam, aut in ſpem principatus venerunt, cognitioni numinis tui ſternere.* Rurſum: *i*) *haec ſunt, quae de Vero Caeſare mandanda literis fuerunt: de quo idcirco non tacui, quia mihi propoſitum fuit*

e) Aduerſar. l. 2. c. 20. *f*) Bibliotheca militari. *g*) Confer. ERASMVS de conſcribendis epiſtolis c. 13. et exercitationes noſtrae de ſtilo Latino ſect. 4. c. 1. §. 9. *h*) Aelio Vero init. *i*) Loc. cit. extr.

Digitized by Google

fuit, omnes, qui poſt Caeſarem dictatorem, h. e. diuum Iulium, vel Caeſares, vel Auguſti, vel principes appellati ſunt, quique in adoptionem venerunt, vel imperatorum filii, aut parentes, Caeſarum nomine conſecrati ſunt, ſingulis libris exponere, meae ſatisfacieus conſcientiae; etiamſi multis nulla ſit neceſſitas talia requirendi. Ex omnibus vero, ſi quando ſtetit promiſſis, de quo cum aliis viris eruditiſſimis VOSSIVS *k*) valde dubitat, hodie nihil ſupereſt, praeter illas vulgo notiſſimas Hadriani, Aelii Veri, Didii Iuliani, Seueri, Peſcennii Nigri, Antonini Caracalli, et Antonini Gaetae vitas. Quarum quidem vltimam Conſtantino Auguſto, reliquas maximam partem Diocletiano ſacras eſſe voluit. In omnibus eius ſcriptis ad perſpicuitatem omnino neceſſarius et hiſtorico inprimis conueniens deſideratur ordo. Inepta pluribus in locis eſt rerum earundem repetitio, et vix aliquando ferenda materiarum confuſio. Sic certe aliquoties Seruiani caedes in Hadriano legitur: nec temporum ſeruatur ſeries: nec iuſtis partibus diſtinguuntur dicenda, vt ſeparatim publica, ſeparatim priuata, peregrinationes, ſtudia, et ſi quae ſunt alia, circumſtantiarum habita ratione, ſuis quaeque locis proponerentur. Stilus valde humilis eſt atque neglectus, numerus vtplurimum ſubſultans; nullus verborum delectus, nullus eloquentiae apparatus.

§. XXVII.

Eiusdem Diocletiani imperatoris temporibus, ſub finem ſeculi tertii, Caeſarum res geſtas memoriae prodidit quoque IVLIVS CAPITOLINVS. Imperatorum, quos deſcripſit, ſuperſtites ſunt, Antoninus Pius ad Diocletianum

k) De hiſtor. Latinis l. 2. c. 5. p. 186.

num Aug. M. Antoninus Philoſophus, Verus Imperator ad Diocletianum Aug. Pertinax, Clodius Albinus ad Conſtantinum Aug. Opilius Macrinus ad Diocletianum Aug. Maximini duo ad Conſtantinum Aug. Gordiani tres ad eundem, Maximus et Balbinus. Sed cum aliis in eam temporum calamitatem incidit, qua cum imperii, tum hiſtoriae maieſtas conſenuit. Nulla methodo, nullo ordine ſcripſit, abruptus in plerisque et caſtae orationis haud quaquam ſtudioſus. SIGONIVS Capitolini reprehendit otioſam verboſitatem, dum minuta quaeque proſequatur. Sed eum hac quidem in re BALTHASAR BONIFACIVS *l*) defendit, atque demonſtrat, quod minimarum quoque rerum cognitio magnam interdum afferat vtilitatem, praeſertim ſi de magnis agitur viris, quorum nullum tam leue, tamque domeſticum dictum, aut factum, quin obſeruatione dignum videatur. Imo id eſſe in biographo maxime commendandum, quod in hiſtorico forſan vitio non vacat. Qui enim principum virorum compoſuerint vitas, duos quaſi parietes de vna fidelia dealbantes, mixtam dediſſe politicam et moralem philoſophiam, et res publice non ſolum, verum etiam priuatim geſtas expoſuiſſe; ſiue, vt SVETONIVS loquitur, qualis quisque fuerit in imperio regendo, et quae fuerit cuiusque interior ac familiaris vitae conſuetudo. FLAVIVS VOPISCVS *m*) eum ſibi cum aliis imitandum propoſuit, qui imperatorum vitas, non tam diſerte, quam vere memoriae tradiderunt.

§. XXVIII.

Eiusdem aetatis eſt AELIVS LAMPRIDIVS, quem inter

l) De XL. Romanae hiſtoriae ſcriptoribus p. 45.
m) Probo imperatore c. 2.

Digitized by Google

inter alios ſibi imitandum FLAVIVS VOPISCVS propoſuit, *n*) quod hiſtoriam Auguſtam non tam diſerte, quam vere memoriae prodiderit. Extant eius deſcripti quatuor imperatores, Commodus Antoninus ad Diocletianum Aug. Antoninus Diadumenus, Antoninus Heliogabalus ad Conſtantinum Auguſtum, et Alexander Seuerus ad Conſtantinum Aug. Sunt vero, qui ſibi dudum perſuaſerunt integrum nomen fuiſſe *Aelii Lampridii Spartiani:* vt Aelius Lampridius falſo ab Aelio Spartiano diuerſus eſſe credatur. Vopiſcus certe in Probo, vbi Aelium Lampridium nominat, inter ſcriptores hiſtoriae Auguſtae Spartianum praetermittit. Vitam Septimii Seueri, quam Spartiano plerique codices MSti tribuunt, codex regis Galliae Aelio Lampridio adſcribit: et principum vitae reliquae, nobis Aelii Lampridii nomine commendatae, CL. SALMASIVS in excerptis antiquiſſimis Palatinis legit ad Spartianum referri. *o*) Vti vero ego dicam, quid rei ſit, plurium maior conſtat auctoritas, quam vnius alteriusue codicis, vtut inſignem prae ſe antiquitatem ferat. Tantumque abeſt, vt ipſe VOSSIVS etiam *p*) plus fidei ſit auſus tribuere vni regis Galliae libro et illis Palatinis excerptis, quam tot aliis Spartiani et Lampridii diuerſis codicibus et MStis, et excuſis. Equidem me coniecturam ſine ratione ſufficiente nuſquam de trita et publica via abripere patiar. Eſt vero Lampridii, vt Spartiani et reliquorum, qui eadem ſcribendi materia verſantur, ſtilus valde humilis, dictio parum ſincera, numerus plerumque ſubſultans,

n) Probo imperatore cap. 2. *o*) Vid. VOSSIVS de hiſt. Latin. l. 2. c. 7. pag. 192. ſeq. BALTHASAR BONIFACIVS de Romanae hiſtoriae ſcriptoribus p. 46. FABRICIVS biblioth. Lat. vol. 1. pag. 546. STOLLIVS introd. in hiſt. liter. c. 6. §. 18. not. 7. *p*) Loc. cit. p. 193.

Res, nulla ſerie digeſtae, ita ſunt relatae, vt ipſi primum in mentem veniſſe videntur.

§. XXIX.

Etiam Diocletiano imperante, ſub finem ſeculi poſt Chriſtum natum tertii, hiſtoriam inſtituit illuſtrare auguſtam VVLCATIVS GALLICANVS, Vir clariſſimus, vt in vetuſtiſſimis codicibus nominatur. *q*) Viros autem clariſſimos dixerunt Romani, qui dignitatis eſſent ſenatoriae. De conſulatu illius in faſtis nullum veſtigium eſt. Neque adeo conſtat, an ex illius Vulcatii proſapia fuerit, quem Sedigitum, a ſenis in manu digitis, cognomento vocarunt. De inſtituti ratione ad imperatorem ita ſcribit: *r*) *propoſui, Diocletiane Auguſte, omnes, qui imperatorum nomen ſiue iuſte, ſiue iniuſte, habuerunt, in literas mittere, vt omnes purpuratos Auguſtos cognoſceres.* Ex omnibus vero vnus hodie tantum extat Auidius Caſſius, quem Diocletiano Imperatori ſacrum eſſe voluit. Nec, vti promiſerat, omnium vitas proſecutum eſſe, nobis inde coniicere licet, quod, qui paulo poſt eum ſcripſit, Vopiſcus negat, quemquam ante ſe Aureliani vitam memoriae prodidiſſe. *s*) Nec idem Vulcatii mentionem facit, vbi eos enumerat, quos in tradendis principum vitis ſibi imitandos propoſuerit: vt eius commemorandi optima occaſio et neceſſitas prope fuiſſet. *t*) Atqui etiam in excerptis Palatinis antiquiſſimis Auidii Caſſii vita Spartiano adſcribitur: quod cum SALMASIVS obſeruauit, eum prope arbitratus eſt genuinum auctorem fuiſſe, propter multa, quae con-

q) Notae V. C. quas vt plurimum libri antiqui exprimunt, BALTHASSAR BONIFACIVS de Romanae hiſtoriae ſcriptoribus pag. 50. perperam interpretatur *quintum conſul.* *r*) Auidio Caſſio c. 3. *s*) FL. VOPISCVS Aureliano c. 1. *t*) Idem Probo imperat. c. 2.

Digitized by Google

conueniunt, aetatem, dictionem, propoſitum, ipſius operis intermiſſionem. Hinc et FABRICIVS *v*) diſerte ait: *vita Auidii Caſſii non a Vulcatio Gallicano ſcripta eſt, ſed a Spartiano.* Sed VOSSIVS *x*) ſententiam recte tuetur contrariam. Plurium namque et meliorum codicum obſtat fides, et non contemnenda vetuſtatis tanto conſenſu auctoritas, quam vnius varians lectio euertere nequit. Si ea Auidii vita a Vulcatio ſcripta non eſt, vnde factum dicemus, vt non tam Spartiani, aut Lampridii nomen, quod eiusdem auctoris eſſe volunt, quam Vulcatii legatur Gallicani, quod alibi non occurrit, nec a librariis temere praeſcriptum videtur. CAROLVS SIGONIVS quoque *y*) Vulcatium agnoſcit hanc Auidii vitam ſcripſiſſe, quae ſola ex operibus illius ſupereſt. Quoquo ſe res habeat modo: aetatis auctor ille vtitur iisdem vitiis. Stilus exanguis et macilentus eſt, ſermonis neglecta caſtitas, et ipſius hiſtoriae turbatus naturalis ordo. Multas et longas aliorum epiſtolas exſcripſit. Iſocratem parum feliciter ſecutus, vt ille totum Helenae encomium laudibus Theſei compleuit, ſic et laudationem Marci Aurelii, quam Auidii Caſſii vitam ſcribere maluit. Adeo nihil in eo deprehenditur elegantiae: vt vere et candide pronuntiarit CASAVBONVS, Vulcatium, quid diceret, fortaſſe penſi habuiſſe; at quomodo, ne minimum quidem.

§. XXX.

Temporibus iisdem TREBELLIVS POLLIO hiſtoriam Auguſtam deſcripſit: de quo FLAVIVS VOPISCVS: *z*) *ea fuit diligentia, eaque cura in edendis bonis malisque principibus, vt etiam triginta tyrannos vno breuiter libro concluderet, qui Valeriani et Gallieni, nec multo ſuperiorum*

v) Biblioth. Lat. vol. 1. p. 546. *x*) De hiſt. Lat. l. 2. c. 5. p. 187. extr. *y*) Iudicio de hiſtoricis c. 27. *z*) Firmo c. 1.

rum aut inferiorum fuere principum temporibus. Alibi: *a) a duobus Philippis vſque ad diuum Claudium et eius fratrem Quintillum, imperatores tam claros, quam obſcuros, memoriae prodidit: in eodem vehiculo fuit, aſſerente Tiberiano, quod Pollio multa incurioſe, multa breuiter prodidiſſet.* Hodie vero non habemus vitam Philipporum, vel Decii, qui Philippis ſucceſſit, vel Galli aut Voluſiani, qui poſt Decium imperarunt. Extant ſolum a Pollione deſcripti Valerianus pater et filius, Gallieni duo, XXX. tyranni, *b)* qui Valeriani et Gallieni temporibus imperium occuparunt, et diuus Claudius ad Conſtantinum Auguſtum. VOSSIVS *c)* quidem omnibus viribus contendit, hunc imperatorem a Pollione ſcriptum eſſe non ad Conſtantinum, ſed ad patrem eius Conſtantium: ſed nihil temere mutandum, quandoquidem emendationis argumenta nihil ſtringere poſſunt. Sicubi Conſtantii meminit, vt eius memoriam religioſius coleret: propter filium omnino fieri poterat, eiusque tempora contigua. Quod ad ſtilum Pollionis attinet, vtique ſuo conueniens eſt ſeculo, i. e. varie inquinatus atque vacillans, quique nihil

a) Diuo Aureliano c. 2. *b)* Bellum ſcilicet ipſi videbatur, ſi totidem Valeriani et Gallieni temporibus fuerint tyranni, quot imperarint Athenis a Lyſandro captis. Cum vero XXIX. tantum reperiſſet, vt numerum impleret, Valentem ſuperiorem adiecit, temporis alieni tyrannum; vt quem ipſe Decii temporibus rebellaſſe fatetur. Et erant, qui, ipſo teſte c. 31. Zenobiam et Victoriam feminas tyrannos inter relatas aegre ferebant. Duos ergo addidit, temporis alieni, alios, Titum et Cenſorinum, quorum alter Maximini, alter Claudii imperio moleſtus fuit. Pl. confer. VOSSIVS de hiſt. Lat. l. 2. c. 6. p. 188. ſeqq. et BALTH. BONIFACIVS de Rom. hiſt. ſcriptoribus c. 23. p. 47. *c)* De hiſt. Lat. l. 2. c. 6. p. 190. Confer. CAR. SIGONII iudicium de hiſtoricis c. 23.

Digitized by Google

nihil prorſus priſtinae elegantiae prae ſe ferat. Quam caſtae Latinitatis ſit parum ſtudioſus, vel ex vna PETRI BEMBI obſeruatione patet, *d*) vbi ad Federicum Fregoſium, Archiepiſcopum Salern. de ludis decennalibus ſcribit: *eos celebraſſe alterum ex Gallienis, Pollio auctor eſt, qui tamen non* decennales *eos appellat, ſed* decennia: *quam appoſite, ipſe viderit, mihi certe non probatur. Nam etiam quinquennales apud Tranquillum ii ludi dicti, quos ad Actium Auguſtus inſtituit. Non enim ita dicimus* decennia, *vt Floralia, Cerealia, Rubigalia: quod decennia proprium vocabulum eſt alterius rei: Floralia vero et Rubigalia nullius, praeter ludorum. Sed in Pollione multa inepte.* Attamen ſi conſideramus, qua vixit, aetatem ac vitia ſcriptoribus iam prope communia: laude profecto non defraudandus eſt ſua. Coaeuis enim paulo terſior, atque vt GESNERO *e*) viſus eſt aſſurgit altius, quam hiſtorico conuenit: vtut de ſemetipſo ne mediocriter quidem ſentiat, fide contentus hiſtorica, quam ſibi vnam ſancte cuſtodiendam arbitratur. Eloquentiam nihil curat, vtpote qui de rebus, non de verbis ſollicitus, hiſtorici tantum ſtudeat implere partes. Sic triginta orditur tyrannos: *ſcriptis iam pluribus libris, non hiſtorico, nec diſerto, ſed pedeſtri eloquio* etc. Extremo: *da nunc cuiuis libellum, non tam diſerte, quam fideliter ſcriptum: neque ego eloquentiam videor pollicitus eſſe, ſed rem.*

§. XXXI.

Conſtantino Magno imperante, hiſtoricos inter maxime floruit FLAVIVS VOPISCVS Syracuſius, *f*) paren-

d) Epiſtol. familiarium l. 4 ep. 23. extr. *e*) Bibliothecae tom. I.
f) Nimis operoſa, et minus vtilis extat DAN. GVIL. MOLLERI de Flau. Vopiſco circularis diſputatio Altorf. 1687. 4. qua mul-

ds.

rentibus ortus, in militia qui magnam ſibi auctoritatem parauerant ac principibus viris in rep. familiariter fuerant vſi. Auus interfuit, cum Saturninus adoraretur, quem et ſua fata deplorantem vidit. *g*) Nouit idem Bonoſi tyranni coniugem: *h*) et concioni interfuit, cum Diocletiani manu Aper eſſet occiſus: *i*) imo fabellam ab ipſo Diocletiano audiuit, Druidem quandam mulierem, in Gallia cum moraretur, inter iocos dixiſſe: *Diocletiane iocari noli, nam imperator eris, cum Aprum occideris.* *k*) Et ſtatim noſter ſubiungit: *l*) *ſemper exinde Diocletianus in animo habuit imperii cupiditatem, idque Maximiano conſcio atque auo meo, cui hoc dictum a Druide ipſe retulerat.* Poſt pauca: *m*) *ipſum Diocletianum idem auus meus dixiſſe dicebat, nullam aliam fuiſſe ſibi cauſſam occidendi manu ſua Aprum, niſi vt impleret Druidis dictum, et ſuum firmaret imperium.* Nec minus ipſi iam tum imperanti familiaris fuit Vopiſci pater, a quo audiuit, Diocletianum principem dixiſſe, *nihil eſſe difficilius, quam bene imperare.* *n*) Equidem, vt ſupra dixi, Vopiſcum inficias ire non poſſum floruiſſe in primis ſub Conſtantino Magno: ſed dormitat magnus certe ille VOSSIVS, *o*) dum ex eo loco hiſtorici noſtri, *p*) *hic trium principum finis fuit, Cari, Numeriani, et Carini, poſt quos Diocletianum et Maximianum principes Dii dederunt; iungentes talibus viris Galerium atque Conſtantium - - quorum vitam ſingulis*

tis eum initio demonſtrat, in Europae nobiliſſima regione, Italiae foecundisſima inſula Sicilia, et eius florentisſima ciuitate, Syracuſis videlicet, natum fuiſſe.

g) VOPISCVS Saturnino c. 9. *h*) Idem Bonoſo c. 15. *i*) Idem Numeriano c. 13. *k*) Ibid. c. 14. *l*) Ibid. c. 15. *m*) Numeriano extr. *n*) Diuo Aureliano c. 43. *o*) De hiſtoricis Latinis l. 2. c. 7. *p*) Carino c. 18.

Digitized by Google

gulis libris Claudius Euſthenius, qui Diocletiano ab epiſtolis fuit, ſcripſit: quod idcirco dixi, ne quis a me tantam rem quaereret, maxime cum vel viuorum principum vita non ſine reprehenſione dicatur: ſatis liquere putat, vixiſſe poſt obitum Conſtantii Chlori, qui Conſtantini M. pater fuit. Hos enim principes diſerte ait, in viuis eſſe, et de rep. mereri optime: vt difficile ſit de illis ſcribere, antequam fuerint fato defuncti. Neque adeo locus emendatione indiget in Diuo Aureliano: q) *et eſt quidem iam Conſtantius imperator, eiusdem vir ſanguinis, cuius puto poſteros ad eam gloriam, quae a Druidibus pronuntiata ſit, peruenire.* Potuit his principibus ſcribere viuentibus, et ſcribere item poſt fata illorum, cum Conſtantinus rerum potiretur: vt alios hiſtoriae Auguſtae ſcriptores vidimus libros alios Diocletiano, alios Conſtantino inſcripſiſſe. Vlpia Vopiſcus maxime vſus eſt bibliotheca, eiusque libris linteis, elephantinis, et magna, quae fuerant ſcriptae publice, epiſtolarum copia. Inde vitas concinnauit imperatorum, Diui Aureliani, Taciti, Floriani, Probi, ad Rufum Celſum. Edidit porro quadrigam tyrannorum, Firmum, Saturninum, Proculum, et Bonoſum, ad Baſſum: et trigam imperatorum, Carum, Numerianum, et Carinum. Praeter iſta, quae hodie exſtant, nihil vel ab ipſo auctore, vel ab alio ſcriptore citatur. Decreuerat quidem etiam Apollonii Thyanaei philoſophi, aut impoſtoris, cuius magicas fraudes veris Chriſti miraculis gentiles opponebant, vitam et facta memoriae prodere, ſi vita ſuppetat: r) ſed aliis impeditus negotiis, aut morte praeuentus, aut alia quacunque abreptus cauſſa, non

q) Cap. 44. r) Diuo Aureliano c. 24. extr.

non ſtetit promiſſis. Neque multum potuiſſet bonis literis afferre vtilitatis meras profundens nugas et propudioſa mendacia. Vocat enim praeſtigiatorem celeberrimae famae auctoritatisque ſapientem, veterem philoſophum, amicum verum Deorum, ipſum etiam pro numine frequentandum. Poſt pauca, *quid enim*, inquit, *illo viro ſanctius, venerabilius, diuiniusque inter homines fuit? ille mortuis reddidit vitam: ille multa vltra homines et fecit, et dixit.* VOSSIVS, *s*) BONIFACIVS, *t*) et alii in Vopiſco praeter eruditionem illud etiam laudant, quod omnia ordine narret meliori, quam factum a Spartiano, Capitolino, atque aliis hiſtoriae Auguſtae ſcriptoribus, in quibus pleraque valde turbata.

§. XXXII.

Cum ex illis ſupra memoratis auctoribus quatuor, Spartianus videlicet, Capitolinus, Vulcatius, et Lampridius ſcripſerint, aut ſaltem ſcribere inſtituerint integram, a capite ad calcem, omnium purpuratorum hiſtoriam, orſi a Iulio Caeſare, qui primus remp. inuaſit: BONIFACIO, *v*) qui CASAVBONVM, optimum iſtorum interpretem, ſequitur, ſciolus quidam, ſiue principis iuſſu, ſiue ſponte ſua, ex his biographis videtur decerpſiſſe, quae ſcitu digniora putauit, atque in hoc corpus, quod iam extat, digeſſiſſe. Voluiſſe, opinatur, tres epochas et claſſes Caeſarum facere, primam duodecim Auguſtorum a Suetonio petendam; ſecundam ex his ſex ita a ſe conſarcinatis; tertiam denique Chriſtianorum principum a Chriſtianis ſcriptoribus maluiſſe hauriri. Neque dubitat,

s) De hiſt. Latinis l. a. c. 7. p. 194. *t*) De XL. Romanae hiſtoriae ſcriptoribus c. 24. p. 48. et c. 26. p. 51. *v*) De XL. Romanae hiſtoriae ſcriptoribus c. 26. p. 51.

Digitized by Google

tat, quin Tribonianus iſte, hoc audaci facinore perpetrato, videretur ſibi rem literariam praeclare geſſiſſe: cum tamen in cauſſa fuerit, vt amplius quinquaginta hiſtoriae Auguſtae ſcriptores penitus interierint; ſex autem, qui ſuperſunt, mutilos ac turbidos habeamus. Neque dubitat peruerſum ſcribendi ordinem magnam partem ab auctoribus ipſis ad iſtum alienarum mercium inſtitorem atque librarios, genus hominum, vt CASAVBONVS ait, perdendis literis natum, transferre. Solis vero haec omnia nituntur coniecturis: et fruſtra in partem vocantur criminis, qui ne minimo quidem indicio, cauſſam hanc ſibi feciſſe communem, argui poſſunt.

§. XXXIII.

Eodem dicendi charactere, ſi Trebellium et Vopiſcum excipias, vtuntur omnes: vt plane in eodem ludo videantur eſſe formati, eademque paſti fruge. Hiſtoricorum ante communis eloquentia et nunquam ſatis commendanda rerum exponendarum et exornandarum ratio peſtilenti quodam ſidere afflata quaſi contabuit: vt ne hilum quidem priſtinae elegantiae, aut ſani quicquam coloris eniteret. Nec ab re iudicat ERASMVS: x) *in his vix eſt, quod probes, praeter hiſtoriae fidem. Nam aegre tuentur ſermonis Latini caſtimoniam.* BOECLERVS y) ſtilum habere putat codicis Iuſtinianei ſtilo parum diſſimilem: vt cum fructu a Iureconſultis legi poſſint. Nec immerito. Quam multa enim toto ſparſim opere inuenies, quae ad iurisprudentiam praecipue pertinent? Quam multis locis aut nouum ius introductum, aut vetus antiquatum? Quot iureconſultorum actiones, munera, dignitates? Ad imitationem vero ſtilum ſibi non capiant, qui totus quantus a

x) Ciceroniano. y) Bibliographia critica p. 417.

veteri elegantia recedit. Comparent in iis quaedam adhuc veſtigia Latinitatis veteris, conatus autem fuit impar. Praeferunt ſubinde grauitatem; ſed non aſſequuntur, quod conantur.

§. XXXIV.

Hanc tamen nos gratiam debemus illis huius aeui ſcriptoribus hiſtoriae Auguſtae, quod ea nobis et longae poſteritati literis conſignata reliquerunt, quae nuſquam alibi reperturi eſſemus. Vtut hos BVDAEVS nequaquam inter claros auctores, et Romana hiſtoria dignos arbitretur eſſe connumerandos: quaedam fatalis tamen literarum calamitas nobis legendorum id genus hiſtoricorum neceſſitatem impoſuit: quandoquidem iſta tempora meliores vel non habuerunt, vel non retinuerunt: vt hominum elegantiori vel palato, vel curioſitati ſatisfacere queant. Atqui etiam, vt CAECILIVS ait, hiſtoria quoquo modo ſcripta delectat. Sunt enim a natura homines ita comparati, vt qualibet rerum nuda cognitione, ſermunculis fabellisque capiantur. Ad prudentiam potius atque rerum notitiam hi ſcriptores ſunt accommodati, quam ad eloquentiae ſtudia, et ſermonis Latini cognoſcendum verum nitorem, caſtitatem, elegantiam. Quae aliunde hauriri poſſunt. Inuenies pulcherrimas principum epiſtolas, grauiſſima ſenatus conſulta, alia publica monumenta, quae perquam ſollicite ex Auguſtorum ſcriniis, ſenatus et populi actis, vndecunque eruta collegerunt. Hiſtoriae Auguſtae pars magna hinc neceſſario petenda eſt: vbi res toto imperio Romano geſtae annis ferme certum et ſexaginta deſcribuntur. Nec alibi maior varietas deprehenditur, aut notatu magis digna rerum viciſſitudo. Nuſquam illuſtriora fortunae ludibria, aut memorabiliores maximorum principum exitus. Nam ſeptuaginta, et

eo

eo plures, in horum temporum ſerie numerantur, qui vel Caeſarum, vel imperatorum nomen vſurparunt. Adeo erant in illo principatu, quem omnes tum metuebant, et omnes modo ſuſpiciunt, comitia imperii turbulenta ac incerta: vt tumultuario populi concurſu, aut incondito militum ſtrepitu, interdum vel per iocum ludumque imperatores crearentur, et orbis terrarum dominatio in ſceleris ac nefandi parricidii praemium concederet. Noſtram ergo quam lubentiſſime facimus ſententiam MORHOFII: z) quamuis certo non ſatis conſtet, quae vitae a quibus ſigillatim ſint ſcriptae: nec praeterea dictionis character, aut Latinitas ea reperiatur, quae tuto in imitationem trahi poſſet: nihilominus, ob rerum, quas tradunt, magna pondera, maximi haud immerito aeſtimandos; praeſertim poſtquam exquiſitiſſimis Iſaaci CASAVBONI et CL. SALMASII annotationibus illuſtrati fuerunt.

§. XXXV.

Hiſtoriae Auguſtae ſcriptorum ſex commemoratorum ſylloge primum prodiit *Mediolani* 1465. fol. quam principem editionem Salmaſius laudat, et per omnia ferme teſtatur cum praeſtantiſſimo codice Palatino conſentire, quo ipſe ad emendandos hos auctores vſus eſt. 1475. fol. curante Bonino Mombrizio. *Venetiis* 1480. fol. quam editionem Caſaubonus falſo pro principe habuit. 1490. fol. vbi iunctim excuſi ſunt Suetonius, hiſtoriae Auguſtae ſcriptores, Eutropius, et Paulus Diaconus. 1499. fol. per Iohannem Rubeum de Vercellis.

§. XXXVI.

Sequenti ſeculo, poſt Chriſtum natum decimo ſexto ſex hiſtoriae Auguſtae ſcriptores prodierunt *Venetiis*

z) Polyhiſt. liter. l. 4. c. 14. §. 7.

1519. 8. apud Aldum, cum Ioh. Baptiſtae Egnatii notis. *Florentiae* 1519. 8. *Coloniae* 1527. fol. apud Eucharium Ceruicornum. *Pariſiis* 1544. 8. apud Robertum Stephanum cum Aurelio Victore et Ioh. Bapt. Egnatii notis. 1568. 8. apud Henricum Stephanum, cum Suetonio, Ammiano, et aliis, additis Egnatii annotationibus. *Lugduni* 1551. 12. apud Gryphium, cum Ioh. Bapt. Egnatii notis et Deſ. Eraſmi indice, quo voces obſcuriores explicantur. 1552. 8. cum Egnatii annotationibus. 1592. 8. apud Franciſcum le Preux. *Baſileae* 1533. et 1546. fol. apud Frobenium, cum Eraſmi praefatione, Caeſarum vitae hoc prodierunt ordine. 1. Suetonius. 2. E Dione excerpta. 3. Sex ſcriptores hiſtoriae Auguſtae. 4. Herodianus ex Angeli Politiani verſione. 5. Sex. Aurelius Victor de Caeſaribus. 6. Eutropius. 7. Ammianus Marcellinus. 8. Pomponii Laeti compendium hiſtoriae Romanae. 9. Ioh. Baptiſtae Egnatii Romanorum principum libri tres. 10. Eiusd. notae in Suetonium et hiſtoriae Auguſtae ſcriptores. 11. Eraſmi annotata. 12. In editione recentiori acceſſit Velleius Paterculus. *Francofurti* 1588. fol. apud Andreae Wecheli heredes, Claudium Marnium et Iohannem Aubrium, Friderici Sylburgii prodierunt hiſtoriae Romanae ſcriptores Latini minores: quorum tomo altero cum Suetonio et aliis ſex noſtri hiſtoriae Auguſtae ſcriptores continentur, additis Egnatii et Eraſmi annotationibus.

§. XXXVII.

Seculo decimo ſeptimo hiſtoriae Auguſtae ſcriptores ſex prodierunt *Pariſiis* 1603. 4. cum praeſtantiſſimo Iſaaci Caſauboni commentario. 1620. fol. cum eiusdem Caſauboni commentario et eruditiſſimis Claudii Salmaſii obſeruationibus. *Hanouiae* 1611. fol. cum Iani Gruteri notis,

Digitized by Google

notis, inter eius ſcriptores hiſtoriae Auguſtae Latinos minores. *Lugduni Batauorum* 1632. 12. cum M. Zuerii Boxhornii animaduerſionibus. *a*) 1661. 8. cum excerptis e Grutero, Caſaubono, et Salmaſio annotationibus, accurante Cornelio Schreuelio. 1670. 8. 2 voluminibus, ex officina Hackiana, cum integris Caſauboni, Salmaſii et Gruteri notis. *Amſtelodami* 1677. 8. cum iisdem notis. *Argentorati* 1677. 8. cum notis Vlrici Obrechti.

§. XXXVIII.

Conſtantii et Iuliani temporibus floruit SEXTVS AVRELIVS VICTOR Afer. Ita enim inſcriptio habet libelli de origine gentis Romanae: accedit quod Victor, ex eo forſan amore patriae, nimius eſt in Africae laudibus, quam terrarum decus vocat. Aetatem, qua vixit, haud obſcure innuit. Nam aetate ſua terrae motu ſcribit *b*) conſtratam eſſe Nicomediam, Cereali conſule. Fuit autem Neratius Cerealis cum Fabio Titiano conſul anno Vrbis MCXII. Iuliani Caeſaris anno III. poſt Chriſtum natum CCCLXIII. *c*) Alibi: *d*) *noſtra quoque aetate, poſt mille centeſimus, conſule Philippo, exceſſit, nullis, vti ſolet, ſolemnibus frequentatus.* Philippus ille cum Salia conſul ſcribitur faſtis apud FVNCCIVM A. V. MCII. poſt Chriſtum natum CCCLII. Rurſum: *e*) *ea tempeſtate imperatori noſtro Conſtantio inſigne Caeſaris datum.* Caeſares etiam ſuos in imperium vſque Iuliani Apoſtatae perduxit,

a) De hac editione BOECLERVS bibliographia critica pag. 417. *hoc ſeculo prodierunt Lugduni Batau. praeferentes nomen Cl. Boxhornii; ſed opus eſt vitioſiſſimum, indignumque, in quod nummi impendantur: grauiſſima enim ſunt vitia, quae non poſſunt corrigi, quibus omnes paginae ſcatent.*

b) De Caeſaribus c. 16. extr. *c*) CCCLXII. ſecundum FVNCCIVM chronolog. fol. 109. *d*) De Caeſaribus c. 28. *e*) Loc. cit. c. 41.

xit, qui eum, hominem ſibi communibus deuotum idolis, *f*) quam maxime ornauit. Vt de ſemetipſo teſtatur *g*) rure ortus, tenuique et indocto parente, bonarum artium ſtudiis eo peruenit: vt honeſte viueret, et quod in primis animum ad Romanam hiſtoriam ad ſua vſque tempora deſcribendam applicaret, principum virorum maxima celebritate verſaretur. Cum ergo Iulianus imperator Victorem hunc ſcriptorem hiſtoricum, ingenii et eruditionis laude commendatiſſimum, apud Sirmium videret, quae vrbs Pannoniae inferioris, et Romanorum imperatorum aliquando ſedes, eum inde accerſitum proconſulari dignitate praeficit Pannoniae ſecundae, et aenea ſtatua honorat: vt quanti eum faceret, propter incomparabilem virtutem et ſobrietatem, publice teſtatum relinqueret. Sufficiens AMMIANI MARCELLINI *h*) teſtimonium: *his vt in re tali tamque vrgenti compoſitis, magiſtro equitum illic relicto, imperator reuertitur Neſſum copioſum oppidum, quo inde expedite cuncta diſponeret ſuis vtilitatibus profutura. Vbi Victorem apud Sirmium viſum ſcriptorem hiſtoricum, exinde venire praeceptum, Pannoniae ſecundae conſularem praefecit, et honorauit aenea ſtatua; virum ſobrietatis gratia multilaudum, multo poſt vrbi praefectum.* Errant valde, qui de Conſtantio haec ſcripta putant: *i*) Iulianus enim imperator eſt, de quo

f) Victorem fuiſſe gentilium ſacris addictum, vel inde patet, quod in Hadriano, de Caeſaribus c. 14. ſtellam Antinoi, puſionis Hadriano adamati, eiusque pueri conſecrationem et ſacrificia non improbauit. *g*) De Caeſaribus c. 20. init. *h*) Lib. 21. c. 10. *i*) Vt ANDREAS SCHOTTVS praefatione in Aurel. Victorem. VOSSIVS de hiſtoricis Latinis l. 2. c. 8. p. 195. ſeq. Ipſe FABRICIVS biblioth. Lat. vol. 1. pag. 570. qui errorem agnouit vol.

Digitized by Google

quo Ammianus paulo ante locutus est, et continuo sequitur: *iamque altius se extollens, et nunquam credens, ad concordiam prouocari posse Constantium, orationem acrem et inuectiuam, probra quaedam in eum explanantem et vitia, scripserat ad senatum.* Eundem ex AMMIANO discimus multo post Vrbis Romae praefectum fuisse. Neque adeo dubitandum, quin hic sit ille Sextus Aurelius Victor, qui anno Vrbis MCXXIII. post Christum natum CCCLXXIII. cum Valentiniano fuit consul. *k*) Et alias eiusdem dignitates cognoscimus ex veteri inscriptione, quam ipse beneficiorum memor imperatori Theodosio poni curauerat: *l*) ---IERVM PRINCIPVM CLEMENTIAM----NCTITVDINEM MVNIFICENTIAM SVPERGRESSO D. N. FL. THEODOSIO PIO VICTORI SEMPER AVGVSTO SEX. AVR. VICTOR. V. C. VRBI PRAEF. IVDEX SACRARVM COGNITIONVM. D. N. M. Q. E. Ergo valde senex, omnibus perfunctus honoribus, principum plurimorum fata superauit. Nec causa fuit GERHARDO IOH. VOSSIO, *m*) vt inscriptionem illam ad iuniorem quendam Victorem, Arcadii et Honorii temporibus clarum, detorqueret. Alius ab auctore nostro ille est *Aurelius Victor*, cui *Pinio*, vel, vt alii legunt, *Primo*

vol. 3. pag. 98. STOLLIVS vero introductione in historiam literariam c. 6. §. 17. not. (4) non ferendo errore scribit: *ex infima eum sorte sustulit Pannoniaeque praesidem fecit Constantinus imperator.*

k) Confer. FVNCCIVS h. a. et CASSIODORVS chronico, apud Sylburgium historiae Rom. script. Latin. min. tom. 1. p. 623.

l) Quam LINDENBROGIVS annotauit ad Ammiani Marcellini l. 21. c. 10. (*y*) Editione Gronouiana Lugd. Bat. 1693. fol. pag. 214. seq. *m*) De hist. Lat. l. 2. c. 15. p. 221.

mo cognomen erat. Illius enim verba de Macrino IVLIVS CAPITOLINVS *n*) citat, qui eam Opilii Macrini vitam ad Diocletianum Auguſtum miſit, noſtrumque hiſtoricum Iuliani Apoſtatae temporibus florentem laudare non potuit. Neque noſter, vtut grandaeuus et conſularis vir, eo vſque aetatem perduxiſſe videtur, vt conſularem dignitatem cum Caſtino iterum obtinuerit A. V. MCLXXVIII. poſt Chriſtum natum CCCCXXVIII. *o*) Alii duo Victores Epiſcopi A. C. CCCXC. concilio Carthaginienſi interfuerunt, de quibus TILLEMONTIVS *p*) conſulendus eſt. Et MARIANVS VICTORINVS *q*) notat in bibliotheca Vaticana libro MSto extare *Aurelii Victoris hiſtoriam perſecutionum eccleſiae vſque ad Domitianum.* Sed eius fidem viri eruditiſſimi iam pridem in dubium vocarunt. *r*) EX HIERONYMO *s*) certe non colligendum eiusmodi ſcriptum aliquod Aurelii Victoris extare, cuius hiſtoriam petit a Concordienſi mittere ſibi velit, non *propter notitiam perſecutionum*, vt corrupti aliquot codices habent, ſed, vt libris melioribus legitur, *propter notitiam perſecutorum* i. e. Caeſarum, quorum vitas Aurelius Victor conſignauit. *t*)

§. XXXIX.

Ex omnibus eius ſcriptis, quae multa fuiſſe, et res Romanas ad ſua vſque tempora illuſtratas continuiſſe videntur, ſuperſunt hodie (1) Libellus *de origine gentis Roma-*

n) Opilio Macrino cap. 4. *o*) Vid. CASSIODORVS chron. apud Sylburgium hiſt. Rom. ſcript. tomo I. p. 616. confer. PVNCCII chronolog. fol. 112. *p*) Memorab. hiſt. eccleſ. tom. 6. p. 721. *q*) Ad epiſt. 21. S. Hieronymi. *r*) Vid. FABRICIVS biblioth. Lat. vol. I. p. 576. *s*) Epiſt. 21. ad Paulum Concordienſem. *t*) Confer. THEODORICI RVINARTI praefat. ad acta martyrum pag. 8.

Digitized by Google

manae, cuius inſcriptio VOSSIVM *v*) in eam opinionem abduxit, vt Victoris eſſe negaret, ab recentiore quodam potius ex libris eius collectum. Inſcribitur autem: *Sexti Aurelii Victoris origo gentis Romanae a Iano et Saturno conditoribus, per ſuccedentes ſibimet reges, vſque ad conſulatum decimum Conſtantii, digeſta ex auctoribus Verrio Flacco Andiate (vt quidem idem Verrius maluit dicere, quam Antia) tum ex annalibus pontificum, dein Cnaeo Egnatio Veratio, Fabio Pictore, Licinio Macro, Verrone, Caeſare, Tuberone, atque omni priſcorum hiſtoria, proinde vt quisque neotericorum aſſeuerauit, h. e. Liuius et Victor Afer.* Atqui eodem argumento dicendum, Victoris neque viros illuſtres, neque Caeſares eſſe: prorſus ergo nihil eorum, quae ſuperſunt, illi tribuendum. Haec enim ſimul omnia tangit, et hiſtoriam promittit a Iano et Saturno conditoribus ad conſulatum decimum Conſtantii. Deſinit autem origo gentis Romanae in hiſtoria conditae vrbis Romae; libellus de viris illuſtribus in Cleopatra regina; et ille de Caeſaribus tandem in Conſtantio et Iuliano. Eſt vero inſcriptio haec ab imperita librarii cuiusdam manu, nec ipſi commentationis auctoritati derogat. Et obſecro qui cum Liuio coniungendus fuit Victor Afer? Si quid coniectura valet, ſcriptum primo fuiſſe videtur: *vt quisque neotericorum aſſeuerauit.*

Victor Afer.

Ille ſcilicet operis ſequentis auctor. Acceſſit critica alius librarii manus, et, vt quendam *neotericorum* nominaret, adſcripſit *h. e. Liuius cet.* Vnde vocabula tandem contracta, quae minime cohaerent, *Liuius et Victor Afer.* Eaque inſcriptionis auctoritas et vetuſtas Victori vindicat

v) De hiſtoricis Latinis l. 2. c. 8. p. 196.

libellum, quem AVSONIVS POPMA *x*) et alii Aſconio Pediano tribuere mallent. Stilus vtique abhorret, et ſcriptorem longe recentiorem ſapit. Quidni Victor etiam librum ſcribere potuit de origine Patauina, *y*) qui de origine Romana ſcripſit, vtut Africanus eſſet. At Maronem familiarius citat, *quam*, inquiens, *opinionem ſequi metuit noſter Maro.* *z*) Vt et hodie dicimus noſter Nepos, Tullius noſter: quod hos auctores diligimus legimusque frequenter, ac totos fere amplectimur. Rurſum: *a*) *horum omnium*, inquit, *opinionibus diuerſis repugnat noſtrae memoriae proclamans hiſtoria Liuiana.* Ecquid aliud indicat, quam Liuii hiſtoriam cum ſua conuenire ſententia, quam ipſe memoriae prodiderit. Aliis obiectionibus BVRC. GOTTHELF. STRVVIVS *b*) reſpondet. Libellus hic de origine gentis Romanae ſeparatim poſt primam Andreae Schotti editionem Plantinianam *Antuerp.* 1579. 8. prodiit *Francofurti* 1586. fol. apud Wechel. tomo primo operum Dionyſii Halicarnaſſenſis annexus. 1609. fol. cum A. Schotti notis, et Ioh. Metelli ad Pighium epiſtola, praemiſſus libro de viris illuſtribus et Cornelio Nepoti, variorum notis illuſtrato. *Lugduni* 1590. 12. hiſtoriae antiquae a Dio-

x) Ad Salluſtii Catilinam p. 306. vbi libellum de origine gentis Romanae allegans, *eum auctorem*, inquit, *eſſe Q. Aſconium Pedianum adducor vt exiſtimem, primum quia de Virgilio et Liuio vt aequalibus et familiaribus ſuis loquitur, quod ipſum et facit Pedianus in commentariis ad orationes Ciceronis. Deinde dicit ſe feciſſe librum inſcriptum de origine Patauina. At Pedianus fuit Patauinus, vt ex Euſebii chronico conſtat. Poſtremo ſtilus optimus auctorum index commentatori magis quam hiſtorico conuenit, nec a Pediani ſtilo abhorret.* *y*) Cuius meminit cap. 1. *z*) Cap. 7. extr. *a*) Cap. vlt. *b*) Diſſert. de origine Romana et de ea ſcriptoribus, quae inſerta eſt tom. 3. obſeruationum Hallenſium p. 63.

Digitized by Google

a Dionyſio Gothofredo editae parte prima p. 94. *Lipſiae* 1691. fol. tomo primo operum Dionyſii Halicarnaſſenſis annexus. (2) *De viris illuſtribus vrbis Romae liber*, quorum primus eſt Proca rex Albanorum, vltimus poſt octoginta Cn. Pompeius Magnus. Ex libris MStis acceſſerunt nouem Iulius Caeſar, Octauianus Caeſar, Cato Praetorius, M. T. Cicero, M. Brutus, C. Caſſius, Sextus Pompeius, M. Antonius, atque Cleopetra regina. Saepius hic prodiit libellus ſub nomine Cornelii Nepotis, Suetonii Tranquilli, et Plinii Secundi iunioris. Sed ANDREAS SCHOTTVS *c*) et MARTINVS HANKIVS *d*) eum Sexto Aurelio Victori, veterum codicum MStorum auctoritate, vindicarunt: quibus cum origine vrbis Romae fuit Aurelii Victoris hiſtoriae abbreuiatae pars prima: altera vero (3) *de Caeſaribus liber*, inſcriptus Aurelii Victoris hiſtoriae abbreuiatae, ab Auguſto Octauiano, i. e. a fine T. Liuii, vſque ad conſulatum decimum Conſtantii Auguſti, et Iuliani Caeſaris tertium. Huius vero editionem primam Andreae Schotto debemus: *e*) vnde ſaepius Victor Schotti vocatur, ad differentiam illius, quae habebatur (4) *epitomae*, et Sexti Aurelii Victoris nomen prae ſe ferebat. Hunc ergo VOSSIVS *f*) ad Arcadii et Honorii tempora refert, et aliis Victorium, aut Victorinum vocari notat. Vti vero, quid ſentiam, ingenue fatear, *Sexti Aurelii Victoris epitome*, illius libelli non auctorem

c) De auctore virorum illuſtrium diſquiſitione, quae et apud SYLBVRGIVM legitur hiſtoriae Romanae ſcript. Lat. min. tom. 1. pag. 485. *d*) De Rom. rerum ſcriptoribus l. 1. p. 151. ſeq. *e*) Quae prodiit *Antuerpiae* 1579. 8. apud Plantinum. *f*) De hiſtoricis Latinis l. 2. c. 8. p. 196. et c. 15. p. 221. Conf. CELLARIVS prolegom. curarum poſteriorum de barbariſmis et idiotiſmis ſermonis Latini pag. 37.

deſignat, ſed eum operis diffuſioris ſcriptorem, vnde fuerit hauſtus atque decerptus; quemadmodum Liuii, et Trogi Pompeii epitomae diuerſos longe auctores agnoſcunt: vt fruſtra de alio eiusdem nominis ſcriptore laboremus. Eſto, quisquis ille fuerit: epitomen exhibet Victoris, ex illo maiori opere, quod temporum iniuria periit, et cuius ipſe hiſtoriam magis abbreuiatam reliquit. Satis clara in veteribus libris inſcriptio: *de vita et moribus imperatorum Romanorum excerpta ex libris Sexti Aurelii Victoris, a Caeſare Auguſto, vſque ad Theodoſium imperatorem.* Hinc bene MARTINVS HANKIVS: *g*) quemadmodum iſtius epitomes auctor incertus eſt: ſic, qua vixerit aetate, non repertum nobis, quo demonſtremus. Quae in Aelio Hadriano ſcribit: *h*) *officia publica et palatina, nec non militiae, in eam formam ſtatuit, quae, paucis per Conſtantinum immutatis, hodie perſeuerat:* nihil probant. Incipit epitome illa a principatu Caeſaris Octauiani Auguſti, et deſinit in exceſſu Theodoſii I. qui in annum Chriſti CCCXCIV. incidit. Verbaque finiunt: *vtramque remp. vtrique, i. e. Arcadio et Honorio, quietam relinquens. Corpus eius eodem anno Conſtantinopolim translatum atque ſepultum eſt.*

§. XL.

Non ſpernendae Latinitatis auctorem MORHOFIVS *i*) vocat. CL. WALCHIVS, *k*) *Latinitas eius*, inquit, *ſatis bona eſt, perſpicua, et ſi quae habet minus Latina, ea aeuo illi tribuenda ſunt.* Tantaque magis animum admiratio ſubit, hunc ſcriptorem vſque adeo pueritiae inter prima ſer-

g) De Romanarum rerum ſcriptoribus l. 2. c. 5. *h*) Cap. 14.
i) Polyhiſt. liter. l. 4. c. 14. §. 8. *k*) Hiſt. critica Latinae linguae c. 1. pag. 84.

Digitized by Google

ſermonis Latini rudimenta, propter inſignem ſimplicitatem et facilitatem commendari. Nec vnius generis videntur eſſe libelli, qui ſpecioſum Victoris nomen prae ſe ferunt. Qui epitomen ſcripſit, Taciti locutiones quasdam et ſententias ſtudioſe affectauit, ſed longe infra eruditae imitationis ſucceſſum. Victor ipſe in viris illuſtribus, quos pridem eruditi propter inaffectatam facilitatem Suetonio, Plinio Caecilio, aut ipſo Cornelio Nepote non indignos iudicarunt, pro illo ſeculi genio ſatis eſt candidus et prae ceteris ſimplex: vt, quemadmodum BOECLERO *l*) videtur, primas orationis formandae lineas ſtudioſo Latinitatis ſignare poſſit. Sponte hic fluunt omnia, ac ſeſe dictorum ipſa facilitate inſinuant. Attamen Cornelii Nepotis et ſimilium politae venuſtati nullo modo comparari poſſunt. In libro de Caeſaribus ſtilus prolixior eſt, et valde intricatus, atque adeo intellectu difficilior: vt ſtudio quaſi videatur quaedam exprimere obſcurius, contorquens periodos, et res illuſtres magnorum principum ipſa verborum grauitate adaequaturus. Altius profecto aſſurgit, quam forte decebat Caeſarum vitas ſimpliciter enarrantem: cum veri hiſtorici relinquens characterem, ex mala ſui ſeculi perſuaſione oratorium, aut intumeſcens potius ſectaretur dicendi genus. In omnibus libellis occurrunt non pauca, quae recentioris aeui et ſeneſcentis Latinae linguae, aut illius iam ingraueſcentis vitia ſapiunt. Tantoque magis a veterum hiſtoricorum immortali gloria, quantum a Latinae linguae, iam ſatis inclinata, puritate recedit. Ecquis ferret dicentem: *aduenientes excepit, permiſſos viuere, vt vellent? m*) Nuſquam ſibi a Grae-

l) Bibliographia critica p. 306. *m*) Orig. gentis Romanae c. 4. extr. c. 9. n. 1. *a rege Agamemnone, quo vellet, ire permiſſus, Idam petit.*

Graecorum loquendi consuetudine temperat, quippe quae iam prope Romanam ciuitatem obtinuit. Verbis plurimum delectatur, quae vulgo Grammatici frequentatiua vocant, in *tare* desinentibus, qualia sunt, *receptare*, *n*) *afflictare*, *o*) *despectare*, *p*) *retentare*, *q*) *suspectare*. *r*) Voces passim fingit inauditas, aut gratiam affectans nouitatis, aut nimium aetatis suae moribus indulgens. Reperies, quae forsan nullibi in optimis veteris Latii monumentis tibi sunt obuia, *militariter*, *s*) *aliquantis*, pro aliquot, *t*) *tantis*, pro tot, *v*) *quantis*, pro quot, *x*) *coangustatus*, *y*) *ampliare*, pro remouere, *z*) *gentilitas*, *a*) pro familia, aut gente, ex qua quis est natus, *liberi* singulari numero, pro filii, *b*) *conuersatio*, pro conuersione rerum, *c*) *correctura* pro emendatione, *d*) *creatrix* pro matre, *e*) *decollare*, *f*) *egestosus* pro egenus, *g*) *pauere diuitiis suis*, pro timere, *h*) *profanare* *i*) pro sacrificare etc. Particulis, ad summum vsque taedium, luxuriat: *nec non etiam*, *k*) *nec non et*, *l*) *verum etiam quoque*, *m*) et similibus. Phrasibus vtitur monstrosis: *apud populos prouocare*, pro ad populos. *n*) *In liberos redigere arrogatione*, pro adoptare. *o*) *Auentibus cunctis diligi*, pro fauen-

n) Epitom. c. 32. n. 3. *o*) De Caesaribus c. 40. n. 44. *p*) Ibid. c. 9. n. 13. *q*) Ibid. c. 37. n. 1. *r*) Ibid. c. 42. n. 9. *s*) Orig. gentis Rom. c. 13. n. 2. *t*) De Caesaribus c. 33. n. 25. Epitome c. 38. n. 3. *v*) Orig. gentis Rom. c. 1. n. 9. *x*) Ibid. c. 17. n. 3. *y*) Epitom. c. 39. n. 6. *z*) De viris illustr. c. 27. n. 8. *a*) Ibid. c. 27. n. 10. *b*) Epit. c. 12. n. 16. *c*) Ibid. c. 18. n. 5. *d*) De Caesar. c. 35. n. 5. et c. 39. n. 10. *e*) Epit. c. 35. n. 10. *f*) Ibid. c. 19. n. 4. *g*) Ibid. c. 12. n. 8. *h*) De viris illustr. c. 37. n. 7. *i*) Orig. gentis Rom. c. 7. n. 5. *k*) Ibid. c. 8. n. 6. *l*) Ibid. c. 9. n. 1. *m*) Ibid. c. 14. n. 7. *n*) De viris illustr. c. 5. n. 5. *o*) De Caesaribus c. 2. init.

Digitized by Google

fauentibus et cupientibus cunctis. *p*) *Aliquem ad compoſitam vitam educere*, ad mores manſuetos. *q*) *Serpens ſe conſpirauit*, in orbem ſe compoſuit. *r*) *Vultu contrectare*, pro inſpicere. *s*) *Cibos per omnia membra diſſerere*, pro diſtribuere. *t*) *Praefidatu regere*, praeeſſe. *v*) *Pro praefecto gerens dominatui incubuerat*, praefecti agens vices imperium affectauerat. *x*) *Vectatione exerceri*. *y*) *Patrem vitae vltima agebant*, pater morti erat proximus. *z*) Id genus libelli profecto non propter nitorem ſtili et eloquentiae ſtudium, ſed propter hiſtorias et argumenti, non vbique obuii, dignitatem cognoſcendi ſunt: vtpote qui non tam elegantia ſtili, quam rerum iucunda viciſſitudine, et ciuili prudentia valent. Et Victor noſter principum non facile adulatur vitiis, boni hiſtorici in eo functus officio, quem ſola veritas delectat. Vtut Liuio, aut Cornelio Nepoti nihilo propior, quam auro eſt ferrum: laudanda Victoris tamen induſtria et fides. Cum enim multa vndique delibauit: nobis inter alios cauit egregie, ne plurimarum rerum eſſemus ignari, quarum memoria cum vetuſtioribus libris, vnde ſua nobis excerpta reliquit, penitus interiiſſet.

§. XLI.

Scriptorum Victoris, vt hodie proſtant, editio princeps eſt Plantiniana *Antuerpiae* 1579. 8. cum Andreae Schotti commentario. 1582. 8. eadem repetita cum Schotti commentario, *Francofurti* 1588. fol. apud Andreae We-

p) Ibid. c. 3. n. 1. *q*) Orig. gentis Romanae c. 3. n. 2. *r*) De viris illuſtr. c. 25. n. 2. *s*) De Caeſaribus c. 5. n. 7. *t*) De viris illuſtr. c. 21. n. 4. *v*) De Caeſaribus c. 29. n. 2. *x*) Ibid. c. 40. n. 17. *y*) Epit. c. 9. n. 18. *z*) De Caeſaribus c. 40. n. 3.

Wecheli heredes, Claudium Marnium et Ioh. Aubrium in Friderici Sylburgii hiſtoriae Romanae ſcriptoribus Latinis minoribus, tomo primo pag. 474. cum Andreae Schotti praefationibus.

§. XLII.

Seculo poſt Chriſtum natum decimo ſeptimo Aurelius Victor prodiit *Hanouiae* 1610. fol. cum Iani Gruteri notis, hiſtoriae Auguſtae ſcriptorum tomo ſecundo. *Lugduni Batauorum* 1615. 12. ex officina Plantiniana Raphelengii, cum Floro, Velleio, Eutropio et aliis vna hiſtoriae Romanae epitome. 1632. 12. ex officina Ioh. Maire cum Floro, Velleio et aliis, hiſtoriae Auguſtae ſcriptorum Latinorum partis primae tomo altero, accurante M. Zuerio Boxhornio. 1671. 8. cum iconibus in aes inciſis, et notis variorum, Dominici Machanei, Andreae Schotti, Eliae Vineti, Iani Gruteri etc. *Pariſiis* 1681. 4. cum interpretatione et notis Annae, Tanaquilli Fabri filiae, in vſum Delphini. *Traiecti ad Rhenum* 1696. 8. cum integris commentariis Andr. Schotti, Dominici Machanei, Iani Gruteri et Annae, Tanaquilli Fabri filiae, in caeſares Eliae Vineti et Merici Caſauboni, iconibus item virorum illuſtrium ex veteri numiſmatum penu depromtis et aere deſcriptis, indicibus quoque locupletiſſimis, curante Samuele Pitiſco.

§. XLIII.

Poſt Chriſtum natum ſeculo duodeuicefimo Aurelius Victor prodiit *Lipſiae* et *Francofurti* 1704. 8. cum Sexti Rufi breuiario hiſtoriae Romanae, et notis in vſum iuuentutis ſcholaſticae grammaticis Chriſtiani Iunckeri. *Amſtelodami* 1733. 4. maiori cum notis integris Dominici Machanei, Eliae Vineti, Andreae Schotti, Iani Gruteri,

Digitized by Google

teri, nec non excerptis Friderici Sylburgii et Annae Fabri filiae, curante Iohanne Arntzenio, Iurisconſulto, *a*)

§. XLIV.

Valentiniano in occidente et Valente in oriente imperantibus, inter hiſtoricos maxime floruit EVTROPIVS, *b*) quem Italum SVIDAS *c*) ſophiſtam vocat, eumque notat Romanae hiſtoriae compendium lingua Italica, i. e. Latina, ſcripſiſſe, et alia quaedam. Fuit primum Conſtantino M. imperatori ab epiſtolis. Neque fortaſſis minori gratia apud eius filios Auguſtos valuit. Nam et Iuliani imperatoris meruit ſummum fauorem, cuius in Parthos expeditioni interfuit: vti ſcilicet principi a manu, atque conſiliis eſſet. Militaſſe, qui literis, non armis, ſe pridem conſecrauerat, cum VOSSIO, *d*) BONIFACIO, *e*) et MOLLERO *f*) mihi perſuadere non poſſum. Rem ipſam tradiderunt GEORGIVS CODINVS CVROPALATA: *g*) Εὐτρόπιος ὁ σοφιστὴς, ὁ τῷ παραβάτῃ Ἰουλιανῷ συμπαρὼν ἐν τῇ Περσίδι. *Eutropius ſophiſta, qui Iuliano deſertori in Perſia ſimul aderat.* Anonymus auctor antiquitatum Conſtantinopolitanarum: *h*) ὁ συμπαρὼν τῷ παραβάτῃ Ἰουλιανῷ ἐν Περσίδι, Εὐτρόπιός τις ὁ σο-

 φιστὴς

a) Vid. noua acta Erudit. Lipſ. 1734. pag. 1. ſeqq. *b*) Quem ſine cuiusquam veteris aut ſcriptoris, aut codicis, auctoritate, CAROLVS SIGONIVS iudicio de hiſtoricis c. 27. et BALTHASAR BONIFACIVS de quadraginta Romanae hiſtoriae ſcriptoribus c. 27. *Flauium Eutropium* vocant. *c*) Voc. *Eutropius*, p. m. 348. Εὐτρόπιος Ἰταλὸς σοφιστὴς, τὰ ῥωμαϊκὰ ἱστορίαν ἐπιτόμως τῇ Ἰταλῶν φωνῇ ἔγραψε, καὶ ἄλλα. *d*) De hiſtoricis Latinis l. 2. c. 8. pag. 197. *e*) De quadraginta Romanae hiſtoriae ſcriptoribus c. 27. *f*) Diſputatione circulari de Eutropio §. 8. p. 9. *g*) Selectis de originibus Conſtantinopolitanis. *h*) Lib. 1. c. 5. p. 4. Veneti corporis magni Byzantini tom. 17. Confer. ANSELMVS BANDVRVS, imperii orientalis, ſiue antiquitatum Conſtantinopol. part. 4. pag. 354. laudati corporis tom. 18.

φιστὴς καὶ ἐπιστολογράφος Κωνσταντίνου. *Qui vna ſimul adfuit Iuliano apoſtatae in Perſide, Eutropius ſophiſta quidam, et Conſtantino ab epiſtolis.* Et ipſe EVTROPIVS: *i) Hinc Iulianus rerum potitus eſt, ingentique apparatu Parthis intulit bellum: cui expeditioni ego quoque interfui.* Experientiae, prudentiae, et eruditionis famam atque hinc obtentam auctoritatem Valens ipſe orientis imperator ea quidem re teſtatur maxime, quod illi res Romanas, quibus par nullum poteſt eſſe ingenium, paucis deſcribendas mandauit. Et nuncupatoria ad Valentem Auguſtum ſcripta epiſtola aſſentationis prorſus nihil ſapit, ac viri magnifici characterem facile prodit. Stanno ac manu deſcripti codices plerique Eutropium V. C. vocant, i. e. virum clariſſimum, quod nomen conſularibus olim tributum fuiſſe nouimus. AMMIANVS MARCELLINVS autem *k)* circa annum Domini CCCLXXI. memoriae prodidit, Eutropium Aſiam proconſulari poteſtate obtinuiſſe. Cuius et LIBANIVS in vita ſua meminit, et alibi *l)* eum Acacii ſophiſtae diſcipulum, et fratris filium fuiſſe ait, ac nondum quidem magiſtratum geſſiſſe, ſed breui eſſe geſturum. GREGORIVS item NAZIANZENVS magnum Eutropium appellat, *m)* et Aſiae proconſulem fuiſſe non obſcure innuit. *n)* Idem poſtea, quod ex codice Theodoſiano patet, anno Domini CCCLXXX. et CCCLXXXI. praefectus praetorio fuit. Inde VALESIVS, Vir doctiſſimus, *o)* opinatur, eundem fuiſſe Eutropium V. C. qui breuiarium hiſtoriae Romanae ſatis eleganti ſermone ad Valentem Auguſtum ſcripſit. Sunt, qui Chriſtia-

i) Lib. 10. cap. 8. init. *k)* Lib. 29. cap. 1. *l)* Lib. 4. epiſt. 191. ad Themiſtium. *m)* Epiſtola 137. *n)* Epiſt. 138. *o)* Annot. ad Ammian. l. 29. c. 1. Confer. FABRICIVS biblioth. Latin. volum. 3. pag. 99. ſeqq.

Digitized by Google

ſtianum fuiſſe arbitrantur, vel ideo quod de Iuliano ſcribat: *p) gloriae auidus, ac per eam animi plerumque immodici. Religionis Chriſtianae inſectator, perinde tamen, vt cruore abſtineret.* Ita vero etiam quisque alius ſcribere potuit, qui Chriſti nunquam fuerat amplexus doctrinam: multo magis qui in confinio tenebrarum ac lucis conſtitutus, vt VOSSIVS *q)* loquitur, nec gentilem probaret ſuperſtitionem, nec Chriſtianae religioni nomen dediſſet: quales ſeculum hoc habuit multos. Qui Chriſtianum fuiſſe negant, ex ſilentio argumentantur, quo ſaeuiſſimas Chriſtianorum perſecutiones ſub imperatoribus praeterierit. At ciuilem, non eccleſiaſticam, Romanam inſtituit pauciſſimis deſcribere hiſtoriam: ex illis quidem prolixioribus monumentis, quae nec ipſa perſecutionum illarum mentionem fecerunt. Neque argumentum pro eius Chriſtianiſmo fuiſſet, ſi perſecutiones iſtas indicaſſet. Nam et Tacitus, et Suetonius paſſim de Chriſtianorum miſeria locuti ſunt, atque idolorum cultores fuerunt. Plinius Chriſtianorum innocentiam defendit, ac totus fuit ab illorum ſacris alienus. Accuſant hiſtorici, perfidiam, Chriſtianae religioni adeo aduerſam, ſuadentis conſilium: *r) ea pacis conditio non penitus reprehenſa foret, ſi foederis neceſſitatem, cum integrum fuit*, Iouianus *mutare voluiſſet: ſicut a Romanis omnibus his bellis, quaecunque memoraui, factum eſt.* Ex Romanorum, vt ipſe innuit, conſuetudine loquitur: vt non iuris, ſed facti, ratio habenda eſſe videatur. Atqui etiam, proh dolor! Chriſtiani. Sed praeſtat tacere, quam fruſtra malam accuſare conſuetudinem ſeculi, quam boni cuiuscunque

p) Lib. 10. c. 8. extr. *q)* De hiſtor. Lat. l. 2. c. 8. pag. 197.
r) Lib. 10. c. 9.

Digitized by Google

ordinis, cuiuscunque profeſſionis, probare nunquam potuerunt. Neque argumentum, ἡλικιώτην ὁμῶ καὶ αἱρεσιώτην Ἰγλιανῦ a NICEPHORO GREGORA *s*) vocari, quo, poſt LAMBECIVM, *t*) FABRICIVS *v*) vtitur, tanti eſt, quin ambigendum adhuc videatur, num Chriſtianus, an paganus fuerit. Vnde etiam VOSSIVS, *x*) MIRAEVS, *y*) BONIFACIVS, *z*) HANKIVS, *a*) MOLLERVS, *b*) et alii non habuerunt, quod certo ſtatuerint. Non confundendus noſter cum Eutropio eunucho et procuratore Theodoſii imperatoris, Arcadii cubiculario, et conſule, fruſtra qui rerum potiri conabatur. Hos enim SVIDAS *c*) ſingulos deſcribit. Hic an. CCCLXXXVII. et CCCXCIX. fuit conſul, tandemque laeſae maieſtatis reus quaeſitusque ad poenam ſub Chriſtianorum altari delituit, cui ipſe antea ius aſyli abrogare voluerat. Eum CLAVDIANVS poeta eleganti carmine heroico deſcripſit. Et alii fuerunt Eutropii, quos vulgo homines, erroris incauti, confundere ſolent. *d*) Nec infimi nominis ſcriptoribus erroris anſam praebuit Eutropius presbyter ille S. Auguſtini diſcipulus, de quo GENNADIVS *e*) et HONORIVS *f*) con-

s) In oratione de Conſtantini M. laudibus. Apud FABRICIVM biblioth. Lat. vol. 3. pag. 99. *t*) De biblioth. Vindobon. l. 4. pag. 56. *v*) Biblioth. Latin. vol. 1. p. 567. *x*) De hiſtoricis Latinis pag. 197. *y*) Auctario de ſcriptor. eccleſ. c. 39. *z*) De quadraginta Romanae hiſtoriae ſcriptor. c. 27. *a*) De Rom. rer. ſcriptor. part. 1. c. 31. §. 1. *b*) Diſput. circulari de Eutropio §. 5. *c*) Artic. *Eutropius* p. m. 348. *d*) Vid. VOSSIVS de hiſtoricis Latinis l. 2. c. 8. pag. 179. MOLLERVS diſput. de Eutropio §. 3. FABRICIVS biblioth. Lat. vol. 1. p. 567. et vol. 3. p. 101. ſeq. MIRAEVS auctario de ſcriptoribus eccleſiaſticis c. 39. apud Fabricium biblioth. eccleſiaſt. p. 7. *e*) De viris illuſtrib. c. 49. et ibi MIRAEI ſcholion. *f*) De ſcriptoribus eccleſiaſticis l. 2. c. 48.

Digitized by Google

conſulendi ſunt: quemque cum noſtro iam tum IOH. TRITHEMIVS *g*) confundit. Hunc autem VOLATERRANVS *h*) et alii ſecuti ſunt.

§. XLV.

Scripſit Eutropius noſter breuiarium hiſtoriae Romanae, decem libris diſtinctum, ad Valentem Auguſtum, qui hoc illi negotium dederat. Proſequitur autem res Romanas ab vrbe condita, ad ſuam vſque aetatem, i. e. Valentiniani et Valentis principatum, qui anno poſt Chriſtum natum CCCLXIV. Iouianum ſecuti ſunt. Quam fieri potuit, breuiſſime collegit, quae in negotiis vel bellicis, vel ciuilibus eminebant, per ordinem temporum, atque principum ſucceſſionem, ſtrictim additis etiam, quae in vitis illorum egregia extiterunt. *i*) Cur Eutropius compendium iſtud hiſtoricum ſcripſerit, in limine indicat ipſe, vt laetitiam in Valentis imperatoris animo excitaret, qui poſteaquam lectione cognouiſſet, in imperio ſe facta edidiſſe ea, quae et olim ab heroibus et illuſtribus viris edita fuerint; tanto magis gauderet, quanto manifeſtius adhuc nullis quidem ducibus libris, attamen non ſine maxima laude imperio praefuiſſet. Aliam cauſſam ELIAS VINETVS *k*) adducit, vt Valentem, qui omnium literarum ignarus ad imperium peruenisſet, ad ſuperiorum ducum principumque Romanorum res geſtas percurrendas alliceret. Ita CELLARIVS *l*) quoque hanc opinatur conſcriptam fuiſſe hiſtoriolam, vt Valentem, Romanorum principem et imperatorem, qui, Marcellino teſte, rudis et ſubagreſti ingenio fuit, quodam quaſi compendio,

g) De ſcriptor. eccleſiaſt. c. 81. *h*) Comment. vrban. l. 15. p. 561.
i) Vid. ipſius ad Valentem epiſtola, quam libello praemiſit.
k) Praefat. Eutropii. *l*) Dedicatione Eutropii.

Digitized by Google

dio, ad maximarum rerum ſcientiam prudentiamque adduceret. Extremo libro decimo Eutropius prolixiorem ſui temporis hiſtoriam promittit. *Is*, inquit, *ſtatus erat Romanae rei, Iouiano eodem et Varroniano COSS. anno vrbis conditae M. C. XIX. Quia autem ad inclutos principes*, Valentinianum et Valentem, *venerandosque peruentum eſt, interim operi modum dabimus. Nam reliqua ſtilo maiore dicenda ſunt, quae nunc non tam praetermittimus, quam ad maiorem ſcribendi diligentiam reſeruamus.* Sed huic eius inſtituto viri videntur interceſſiſſe fata.

§. XLVI.

Quanti libellum hunc fecerint Graeci, vel illud argumento eſſe poteſt, quod CAPITO, Lycius hiſtoricus, epitomes Eutropianae metaphraſin ſcripſit Graecae. *m*) Extat etiam Παιανίκ μετάφρασις Romanae Eutropii hiſtoriae: quam miror VOSSIVM, *n*) hominem in omni literatura verſatiſſimum, ne vidiſſe quidem, ſed intelligere ſolum ex SIMLERI appendice bibliothecae Geſnerianae extare in bibliotheca P. Pithoei, et quaedam inde a Scaligero citari. Hanc enim Paeanii metaphraſin Graecam FRID. SYLBVRGIVS iam tum anno 1590. ex Franciſci Pithoei bibliotheca edidit tomo tertio hiſtoriae Romanae ſcriptorum: vnde pluribus in Eutropii editionibus aliis, atque in elegantiſſimis Cellarii hodie legitur. Capitonis Lycii, qui ante Iuſtiniani imperatoris tempora vixit, Graeca

m) Teſte SVIDA in Καπίτων, vbi vocat ἐπιτομὴν Εὐτροπίου ῥωμαϊκὴ ἐπιτέμνοντος λίβιον τὸν ῥωμαίον. *epitomen, qua Eutropius Latino idiomate abbreuiauit Liuium ſcriptorem Romanum.* Quae verba VOLATERRANVS comment. vrban. l. 14. pag. 513. extr. perperam ita accipit, ac ſi Capito Lycius epitomen Liuii concinnaſſet ſimul atque Eutropium in Graecum ſermonem vertiſſet.

n) De hiſtoricis Latinis p. 198.

Digitized by Google

ca metaphraſis laudata pridem ſeculorum iniuria periit. Vnde LAMBECIVS ſibi perſuadet, Graeci metaphraſtis integrum nomen eſſe *Capitonis Pacanii*. FABRICIVS *o*) contra oſtendit, duas diuerſas fuiſſe Graecas Eutropii verſiones, alteram a Capitone Lycio, alteram a Pacanio: quod pluribus etiam DANIEL GVIL. MOLLERVS *p*) demonſtrat. Neque eum minoris Latini fecerunt. S. HIERONYMVS, cum Euſebii annales aut verteret Latine, aut longius deduceret, Eutropii verbis ſaepe vſus eſt. Quod etiam de Paulo Oroſio, Auguſtino aequali, et aliis conſtat. De Pauli Diaconi opera inferius dicemus.

§. XLVII.

Eutropii libellus vel ideo ſtudioſae iuuentuti commendatiſſimus eſſe debet, quod elegans et concinnum exhibet Romanae hiſtoriae compendium: atque res notatu maxime dignas dictione facili tradit. Vnde viri etiam eruditiſſimi eum in ſcholis legendum, et explicandum cenſuerunt. Sufficit CHRISTOPH. CELLARII *q*) teſtimonium: *Eutropium*, inquit, *commendo, non antiquiſſimum quidem ſcriptorem, at ea tamen Latinitate, quae augendae eruditioni ſit, neque aures, vel doctiſſimas, offendat, quod nihil oſtendi forte poteſt, quod non idem ex Traiani meliori aeuo comprobetur. Si quae propria eius ſeculi, quo ſcripſit, inueniri poſſunt, quae tamen admodum rara puto eſſe, non ſine cenſoria nota, aut excuſatione, dimittuntur, vt nec inde quidquam ſit, quod ſtilo tuo timeas. De rerum autem ſerie, et per ſecula decurſione non piget me repetere, quod allocutione dixi: qui cum Eutropio con-*

o) Biblioth. Latin. vol. 3. p. 104. *p*) Diſput. de Eutropio §. 17.
q) Noua ad Eutropium praefatione.

conferri poſſit, ne dicam anteponi, haberi in Latinis neminem. Iucundam certe ſuauemque in ea breuitatem ſectatus eſt, nihil tamen notatu dignum praetermiſit: vt ſtudioſae iuuentuti ad prolixiores Romanae hiſtoriae ſcriptores introductio eſſe poſſit.

§. XLVIII.

Stilus Eutropii, pro aetate, qua vixit, quamque vegetam Latinae linguae vocamus ſenectutem, ſatis eſt elegans et concinnus aptusque hiſtoriis, quas ſibi deſcribendas ſumſit. Si quid ea ſimplicitate, quae hiſtoricum praeſertim commendat, ex ſeculi naeuis trahit, veniam meretur, et facile ab cautis lectoribus euitari poteſt. Quamuis raro, vel doctiſſimas aures, offendat, aut ſuis immiſceat monumentis, quae ſuperiorum auctoritate defendi nequeat. Sed valde errant, ac nihil ſapiunt, qui auctorem illum ad bene dicendi facultatem acquirendam legunt, eoque Latinitatis ſtudio cum Nepote, aut aliis veteribus, componere non verentur. Ac horum reſpectu VOSSIVS r) recte iudicat, ſtilum Eutropii parum eſſe concinnum: ſed hoc aetati, qua vixit, tribuendum. Res ipſas compendio ſatis commodo conſtrinxit. Quod ad periodorum formam et magnitudinem attinet, mediocris eſt: vt neque longitudine offendat; neque lectores breuitate retineat. Ipſa vero dicendi ratio humilis eſt: cum verbis vtitur vulgaribus, neque de numero aut rhetorum aliis ornamentis valde ſolicitus eſſe videatur. Sic ſane, vt aetas tulit, oratio pura ſatis atque perſpicua commendatur. s)

§. XLIX.

r) De hiſtoricis Latinis l. 2. c. 8. pag. 198.

s) Confer. Celeberr. D. WALCHIVS hiſtoria critica Latinae linguae c. 8. §. 5. pag. 352.

Digitized by Google

§. XLIX.

Extat Eutropii breuiarium hiſtoriae Romanae *Romae* 1471. et 1473. fol. *Venetiis* 1480. fol. *Mediolani* 1475. fol. ad calcem hiſtoriae Auguſtae. Sed Pauli Diaconi additionibus mire interpolatum.

§. L.

Seculo poſt Chriſtum natum decimo ſexto Eutropius prodiit *Cracouiae* 1510. 4. curante Mich. Coccinio. *Pariſiis* 1513. Nicolai Maillardi Rothomagenſis ſtudio. Sed primus Eutropium ſincerum dare et a Pauli Diaconi interpolationibus ſeparare conatus eſt IOH. BAPTISTA EGNATIVS, *Venetiis* 1520. 8. ex Aldi officina. *Baſileae* 1532. fol. cum aliis ex recenſione Sigiſmundi Gelenii. Poſt Egnatium ANTONIVS SCHONHOVIVS Canonicus Brugenſis Eutropſum e MSto Gandauenſi reſtituit *Baſileae* 1546. et 1552. 8. de qua editione Georgius Caſſander:

Hactenus Eutropii titulum, nomenque, ſed ipſum
Nunc demum, lector, conſpicis Eutropium.

Ab eo tempore de Eutropio reſtituendo optime promeritus eſt ELIAS VINETVS, qui ex MSto Burdegalenſi eum emendauit, notisque illuſtrauit *Pictauii* 1553. 8. Quam editionem ſecutae *Baſilienſis* 1559. 8. et *Pariſienſis* 1560. 12. *Friburgi Briſgoiae* prodiit 1554. 8. ex emendatione Ioh. Bapt. Egnatii, cum notis Henrici Glareani. *Francofurti* 1588. fol. apud Andreae Wecheli heredes, tomo primo Latinorum hiſtoriae Romanae ſcriptorum, FRIDERICVS SYLBVRGIVS Eutropium ex MSto Fuldenſi caſtigauit. Schonhouium atque Vinetum ſecutus PAVLVS MERVLA *Lugduni* 1594. 8. apud Franciſcum Fabrum, Eutropium cum Pauli Diaconi continuatione

ac notis in Eutropium Henrici Glareani, et Eliae Vineti, edidit. *t*)

§. LI.

Seculo poſt Chriſtum natum decimo ſeptimo Eutropius prodiit *Helmſtadii* 1621. et quarta iam vice 1653. 8. accurante Chriſtophoro Heidmanno. *Geneuae* 1609. et 1653. fol. corpore hiſtoriae Romanae ſcriptorum Latinorum veterum. *Lugduni Batauorum* 1607. et 1615. forma minori, ex officina Plantiniana Raphelengii, cum Floro, Velleio, Victore, Rufo Feſto, Coruino, et Caſſiodoro. 1632. 12. cum iisdem ſcriptoribus, opera M. Zuerii Boxhornii. *Amſtelodami* 1625. forma minori, cum iisdem ſcriptoribus. *Salmurii* 1667. 8. cum Aurelio Victore, et breuibus Tanaquilli Fabri annotationibus. *Cizae* 1678. 8. cum Graeca Paeanii metaphraſi, et Chriſtophori Cellarii notis. *Ienae* 1698. 8. cum Paeanii metaphraſi et vberioribus Cellarii notis. *Pariſiis* 1683. 4. in vſum Delphini, cum Annae, Tanaquilli Fabri filiae, notis. *v*) *Oxonii* 1696. 8. e theatro Sheldoniano, in vſum Delphini, cum notis et emendationibus Annae, Tanaquilli Fabri filiae.

§. LII.

Noſtro ſeculo Eutropius prodiit *Oxonii* 1703. 8. e theatro Sheldoniano, cum variis lectionibus et breuibus notis, vna cum Paeanii metaphraſi Graeca, Meſſala Coruino, Iulio Obſequente, et anonymi Graeci oratione funebri in Conſtantium, Conſtantini M. filium, opera Thomae Hearne. *Londini* 1705. forma minori, cum breuibus

t) Fruſtra MOLLERVS diſput. de Eutropio §. 18. de hac editione, quae doctiſſimorum virorum annotationes promittat, rem ipſam queritur non reſpondere titulo, ſiquidem praeter Glareani annotationes in fine annexas, non aliae compareant.

v) Vid. Acta erudit. Latin. Lipſienſ. 1684. pag. 166.

Digitized by Google

bus Tanaquilli Fabri notis. *Halae Saxonum* 1715. 12. cum notis, Germanorum vernacula, tironum captui accommodatis, praemiſſa de Eutropio diſſertatione a Gabriele Schumanno. *Ienae* 1716. 8. cum Graeca Paeanii metaphraſi et notis Cellarii. *Hamburgi* 1729. 8. cum obſeruationibus Laurentii Reinhardi. *Lugduni Batauorum* 1729. 8. cum metaphraſi Graeca Paeanii, et notis Vineti, Glareani, Tanaquilli et Annae Fabri, Hearnii, Sylburgii et Cellarii. Accedunt Sexti Rufi breuiarium cum notis Cellarii, et Meſſala de progenie Auguſti. Ex MStis bibliothecae Lugdun. Batau. recenſuit Sigebertus Hauercampus, qui et ſuas, et C. A. Heumanni notas adiecit. *Francofurti et Lipſiae* 1734. 8. cum notis vernacula Germanorum lingua conſcriptis a Germanico Sincero. *Amſtelodami* 1738. 8. ex recenſione et cum indice Latinitatis Ioh. Danielis van Houen. *x*) *Hafniae* 1738. 8. Eutropii breuiarium hiſtoriae Romanae in vſum ſcholarum recenſuit, obſeruationibus illuſtrauit, copioſiſſimo Latinitatis indice inſtruxit, et praemiſſa diſſertatione de ſtilo Eutropii exornauit Laurentius Reinhardus, illuſtris gymnaſii Vinarienſis Subconrector. *Altorfi* 1740. 12. ex recenſione Andreae Goetzii, ſcholae Sebaldinae Collegae.

§. LIII.

Paulus, Warnefridi et Theodolindae filius, cognomento Winfridus, natione Langobardus, primum diaconus Aquileienſis, deinde vltimi Langebardorum regis Deſiderii cancellarius, qui, victo rege ſuo, inter nobiles captiuos a Carolo Magno abductus fuit, peſſimo ſane exemplo, ſua huic Romanae hiſtoriae compendio inſeruit. Vnde hiſtoria miſcella orta eſt: cuius priores vndecim libri

x) Vid. Leipziger gelehrte Zeitungen 1738. p. 878.

iidem ſunt Eutropii libri decem, niſi quod de ſuo Paulus ſubinde nonnihil addat. Eutropii hiſtoriam deinde continuat libris quinque ſequentibus. Ceteri, nempe decimus ſeptimus, et qui ſequuntur, a Landulpho Sagace additi ſunt, potiſſimum ex Georgio Theophane, ſiue ex Anaſtaſio Bibliothecario, qui Theophanem vertit. Aiunt, Adilbergam, Deſiderii, Langobardorum Regis, filiam id negotii Paulo Diacono dediſſe, vt non modo Eutropium noſtrum interpolaret, ſed pene totum inuerteret: vt omnem prope dignitatem amiſerit, donec fideli IOH. BAPTISTAE EGNATII et ANTONII SCHONOVII opera poſtliminio quaſi reſtitutus fuerit. *y*) Notatu maxime digna prodit ipſe titulus editionis Baſileenſis, a P. Pithoeo adornatae in 8uo. *Hiſtoriae miſcellae a Paulo Aquilegienſi Diacono primum collectae, poſt etiam a Landulpho Sagaci auctae productaeque ad imperium Leonis IIII. i. e. annum Chriſti DCCCVI. libri XXIIII. in quibus praeter Eutropii, Flori, Victoris, Euſebii, Rufini, Oroſii, Iornandis, et aliorum hiſtorias, totam pene Anaſtaſii Bibliothecarii Romani eccleſiaſticam ex Georgio Theophane aliisque Graecis ſcriptoribus collectam contineri bona fide polliceri poſſumus: cuius nos etiam ob id praefationem nunc primum edimus, adiecta Nicephori CP. epiſcopi chronologia et indice copioſo. Baſileae apud Petrum Pernam M. D. LXIX. cum priuilegio Caeſ. Maieſt. z*)

§. LIV.

Eadem Eutropii aetate, Valentiniano in occidentalibus

y) Pl. confer. BONIFACIVS de quadraginta hiſtoriae Romanae ſcriptoribus c. 27. et MOLLERVS diſput. circul. de Eutropio §. 14.

z) Prodiit etiam hiſtoria Miſcella *Ingolſtadii* 1605. 8. opera Henrici Caniſii. Et *Hanouiae* 1611. fol. curante Grutero inter ſcriptores Latinos hiſtoriae Auguſtae minores.

Digitized by Google

libus Romanis prouinciis imperante, circa annum Domini, Seruatoris noſtri, CCCLXIV. floruit SEXTVS RVFVS, vir conſularis. VOLATERRANVS, *a*) *Feſtum Rufum* vocat: cuius nominis et alterius, qui Graeciae fuerit proconſul, legatur Athenis memoria ad columnam in arce ante Palladis templum. Vnde VOSSIVS *b*) eundem fuiſſe iudicat, ac Feſtus Rufus Auienus. NIC. ANTONIVS vero, *c*) et FABRICIVS, *d*) vel ex temporis obſeruanda ratione docent, auctores diuerſos eſſe. Qui enim ſub Valentiniano I. ſenem ſe ac aeuo grauiorem profitetur, *e*) idem ſub Theodoſio, cum Macrobius ſua ſcriberet ſaturnalia, iuuenis eſſe non potuit. Apud FRIDERICVM SYLBVRGIVM *f*) nominatur Sextus Rufus V. C. dictator, magiſter militum: ſed quo argumento, aut qua codicis fide, quamuis ſolicite omnia perſpexerim, equidem reperire non potui: praeterquam quod in annotationibus *g*) ſcribat, in duobus MStis antiquiſſimis auctorem hunc nominari *Feſtum Dictatorem*; vt teſtentur ANDREAE SCHOTTI notae in Aurelii Victoris epitomen. n. 67.

§. LV.

Scripſit breuiarium hiſtoriae Romanae, ſiue rerum geſtarum populi Romani: quod etiam inſcribitur, de conſulari et imperiali dignitate, atque acceſſione Romani imperii. Libellum, qui certe breuiſſimus, ac rerum ſumma capita tantum annumerat, ex mandato Valentiniani impera-

a) Commentariorum vrbanorum lib. 19. pag. 691. ſeq. Confer, SYLBVRGII annot. in Sexti Rufi breuiarium, hiſt. Rom. ſcriptoribus Latinis minoribus tom. 1. pag. 746. *b*) De hiſtoricis Latinis l. 2. c. 8. pag. 199. *c*) Bibl. vet. Hiſpanae l. 2. c. 9. p. 161. *d*) Biblioth. Latin. vol. 1. p. 611. *e*) SEXTVS RVFVS breuiario rerum geſtarum populi Romani extremo. *f*) Corpor. hiſtor. Romanae ſcriptor. tom. 1. p. 548. *g*) L. c. p. 746.

peratoris edidit, ac ipſi voluit eſſe ſacrum. Res autem notat Romanas, vt Eutropius quoque, ad obitum Iouiani imperatoris. Sed prolixiorem Valentiniano hiſtoriam ſui temporis promittit, niſi fata, quod vſu venit, ſcribendi facultatem eriperent ſeni. *Quam magno*, inquit, *h*) *deinceps ore tua, princeps inuicte, facta ſunt perſonanda: quibus licet imparem dicendi niſu, et aeuo grauior me parabo.* Extat in omnibus, quotquot habemus, hiſtoriae Romanae collectionibus. Vtplurimum etiam Aurelio Victori adiungitur, cuius editiones ſupra iam indicauimus. Optime de Sexti Rufi libello IOH. CVSPINIANVS eſt meritus, qui, cum ante corruptiſſime legeretur, eum collatione variorum codicum correxit, ac iuſto commentario illuſtrauit. *i*) Ad Rufi praefat. *ita mutilus*, ſcribit, *et lacer inter Plutarchi vitas inſertus circumfertur impreſſus, vt in eo vix tres integrae lineae cohaereant. Non potui non ſtomachari ac excandeſcere in eos, qui ſe correctores, imo potius corruptores, ſatis elate in frontiſpiciis librorum inſcribunt, vno adiecto ſolo epiſtolio: quaſi ſatis ſit, lecta praefatione, toti operi fidem habere: id quod longe alienum eſt a vero, ex alieno ſcilicet labore famam aucupari feliciter. Studui igitur, collatis plerisque exemplaribus, quoad licuit, pro virili, mendas tollere, et ex diuerſis auctoribus quaſi repertorium aliquod Romanae hiſtoriae condere - - diſtinxique in capita ac rubricas, vt facilius ſingula intelligantur.* Immerito hinc primus Sextum Rufum in capita diſtinxiſſe dicitur Ianus Gruterus, *k*) qui eum inter alios hiſtoriae Romanae ſcriptores edidit *Hanouiae* 1611. fol.

Pro-

b) Rerum Romanarum breuiario extremo. *i*) Qui cum aliis CVSPINIANI operibus prodiit Francofurti 1601. fol. typis Wechelianis apud Claudium Marnium, et heredes Ioh. Aubrii.

k) Apud FABRICIVM biblioth. Latin. volum. 3. p. 113.

Digitized by Google

Prodiit etiam *Mediolani* 1510. fol. ad calcem Iuſtini et Flori. *Pariſiis* apud Ioh. Petit non annotato impreſſionis anno, 4. cum Iuſtino et Floro. *Baſileae* 1532. fol. cum Floro Camertis et aliis. *Helmſtadii* 1588. 8. cum Henrici Meibomii notis. *Cizae* 1678. 8. cum notis Chriſtophori Cellarii. *Halae* 1698. 8. cum Cellarii notis. Accedit libellus locorum vrbis et prouinciarum: quem idem Sextus Rufus ſcripſit. Mire quidem hallucinantur docti, *l*) et neſciunt vtrum haec vrbis Romae deſcriptio Sexto Rufo, an Paulo Victori adſcribenda ſit. Vterque vero, et Rufus, et Victor, breuiſſimum edidit opuſculum de regionibus vrbis Romae, quo omnia, quae in ſingulis erant memoratu digna, tam publica, quam priuata aedificia breuiſſime et accuratiſſime digeſſit. Vtrumque, et Rufum quidem primus, ſed Victorem poſt Aldi Manutii editionem, ONVPHRIVS PANVINIVS *m*) *Francofurti* 1597. fol. luci dedit publicae, ſuisque de Rep. Romana commentariis inſeruit. Singulis etiam praefationibus, quid de vnoquoque ſit ſtatuendum, vt omnia ſolet, quam eruditiſſime tradidit. Extant etiam in GRAEVII theſauro antiquitatum Romanarum tomo tertio. Commentarium in hos, cum Victoris, tum Rufi, libellos de regionibus vrbis Romae vtiliſſimum ſcripſit GVIDO PANCIROLVS, qui eſt *de quatuordecim regionibus vrbis Romae earundemque aedificiis, tam publicis, quam priuatis.* Addidit pertractationem hanc commentariis in notitiam dignitatum vtriusque imperii. *n*) Quod argumentum BLONDVS quo-

l) Vid. VOSSIVS de hiſtoricis Latinis l. 2, c. 8. p. 199. BONIFACIVS de quadraginta Romanae hiſtoriae ſcriptoribus c. 30.

m) Reipublicae Romanae commentariorum lib. 1. pag. 108. ſeqq. 114. ſequent. *n*) Parte altera p. 159. ſeqq. *Geneuae* 1623. fol.

quoque, et MARLIANVS, in topographia vrbis Romae, et alii profecuti ſunt.

§. LVI.

De ſtilo Sexti Rufi iniquius multi iudicant: qui certe, cum rerum ſumma tantum indicantur capita, ornatus eſſe nequit, neque ad ſucciplenam orationem compoſitus. BALTHASAR BONIFACIVS *o*) arbitratur ex Rufi rerum Romanarum breuiario nihil prope vtilitatis capi poſſe: quod nimis curſim et properanter hiſtoriae ſtadium praeteruolet potius, quam tranſeat. Eiusque cum Bodino reprehendit etiam libellum alterum, quod indice tantum Romanorum prouincias attigerit, opes omiſerit. Scriptorem vocat faetulentae ac inquinatae elocutionis, ſuaque natura infacundum; et et ipſe ingenue fateatur, cum dicat, ſe morem calculatorum ſequi, qui ingentes aeris ſummas breuibus admodum exprimunt notis; res geſtas ſignare non eloqui, vt Valentinianus maiorum facta non tam legere poſſet, quam numerare. CELLARIVS vero vtriusque libelli vſum quam maxime commendat: neque ſtilum contemnit, ratus, in eo vix quicquam inueniri, quod in ſcriptoribus Hadriani et proximorum temporum quoque non poſſit oſtendi. Hoc autem quisque ſibi facile perſuadere poteſt, Latinitatis ſenectutem cum virili robore componendam non eſſe, neque Rufum Salluſtio, Nepoti, aut aliis felicioris aeui ſcriptoribus aequandum. Sunt merita cuique ſua, ſed pro temporum diuerſitate varia: vt noſter argumenti, non eloquentiae gratia, ſtudioſae iuuentuti commendandus videatur.

§. LVII.

AMMIANVS MARCELLINVS, qui ſub Conſtantio

o) De quadraginta Romanae hiſtoriae ſcriptoribus c. 30.

Digitized by Google

tio et proximis imperatoribus vſque ad Theodoſium vixit, ſemetipſe notat ſaepius fuiſſe Graecum. *p*) Vrbem patriam ſimul atque parentes mecum ignorant omnes. Qui Conſtantinopolitanum faciunt, certum ac fide dignum nullum ſequuntur auctorem: et variis argumentis a CLAVDIO CHIFFLETIO *q*) refelluntur. Ab ineunte aetate liberalioribus diſciplinis imbutus, quam maxime ſermonis vtriusque copiam, adiuncta rerum geſtarum ſcientia, conſequi ſtuduit. Inprimis tota hiſtoria paſſim teſtatur, Ciceronis lectione delectatum fuiſſe. Hinc facile patet, a pueritia hominem Graecum in terris imperii occidentalibus ſedulam bonis artibus dediſſe operam, et aliquam latine dicendi facultatem fuiſſe conſecutum: quod ipſi prouectior ſequens aetas, toties totiesque bellis ac publicis negotiis interpellata, vix vnquam ſatis conceſſiſſe videtur. Caſtra enim ab adoleſcentia ſecutus, primum a Conſtantio, in Vrſicini, equitum magiſtri cohorte, ſtipendium meruit: *r*) eoque ab oriente reuocato, inter equeſtres Conſtantii protectores domeſticos retentus fuit: quorum in tota militia longe honeſtiſſimus locus aliis atque aliis dignitatibus viam pandit. Vrſicinus poſtea in Galliam miſſus eſt: vt Siluano, equitum peditumque magiſtro, ſuccederet, qui tum Coloniae Agrippinae imperium

p) Hiſt. epilogo: *haec vt miles quondam, et Graecus, a principatu Caeſaris Neruae exorſus, aduſque Valentis interitum, pro virium explicaui menſura.* *q*) De Ammiani Marcellini vita et libris rerum geſtarum monobiblio. Antiochenum LIBANIVS facit apud BAILIVM dictionaire hiſtorique et critique tom. 3. artic. *Marcellin.* Antiochenum quoque H. VALESIVS facit ibid. *r*) Hiſt. l. 14. c. 9. init. *a Niſibi, quam tuebatur, accitus Vrſicinus, cui nos obſecuturos iunxerat imperiale praeceptum* etc. c. 11. Mediolanum cum eo itineribus properauit magnis.

inuaſerat: eumque tyrannum ſuis copiis opprimeret. Ad eam rem tanti momenti expediendam Vrſicinus tribunos atque domeſticos protectores poſtularat decem: quos inter cum Veriniano collega lectum Ammianum, cuius pridem ipſi perſpecta virtus, ſecum duxit. *s*) Ex animi ſententia ſucceſſerunt omnia: vt Vrſicinus ſua ſuorumque comitum fide ac induſtria victus caederetur Siluanus et imperium Conſtantio aſſereretur. Sed paulo ante pugnam Argentinenſem Vrſicinus cum militibus ſuis, in quibus et Ammianus fuerat, Conſtantii literis ex Iuliani exercitu Sirmium vocabatur: vt cum Imperatore de pace cum Perſis ineunda ageret. *t*) Inde vlterius in orientem cum magiſterii poteſtate miſſus, noſtrum, vel propter aetatem, ad altiora non adſpirantem, ſocietate ſecum indiuidua ducebat. Hic rebus fortiter geſtis cum Ammiano et comitibus inclaruit Vrſicinus, quas libro duodeuiceſimo noſter deſcribit. Perſpecta ſatis Ammiani, protectoris domeſtici, fide ac prudentia, et coniuncta cum liberalioribus diſciplinis incomparabili fortitudine, ab Vrſicino, ad ſatrapam Corduenae, qui a partibus Romanorum erat, mittebatur, vt, quod paria vtriusque eſſent ſtudia, erant autem bonarum artium amantiſſimi, Perſarum conſilia ſcrutaretur. *v*) Quae quidem legatio tanto illi fuit vſui

s) Hiſt. l. 15. c. 5. Siluanus *monetur honorificis ſcriptis, vt, accepto Vrſicino ſucceſſore, cum poteſtate rediret intacta. Poſt haec ita digeſta, protinus iubetur exire, tribunis et protectoribus domeſticis decem, vt poſtularat, adiuuandas neceſſitates publicas ei coniunctis: inter quos ego quoque eram cum Veriniano collega; reſidui omnes propinqui et familiares.*

t) Hiſt. l. 16. c. 10. extr. ſeq.

v) Lib. 18. c. 6. *Erat eo tempore ſatrapa Corduenae, quae obtemperabat poteſtati Perſarum, Iouinianus nomine appellatus, in*

vſui, vt Perſicum apparatum omnem diſcere, ac feliciter ad ſuos referre potuerit. Poſtea ab Vrſicino, duce ſuo, vi et impulſu Parthorum, abruptus, obſidione cinctam tenuit Amidam, quam ſtrenue defendit, flagrans, non obtinendae quidem, quae deſperanda, ſalutis, ſed mortem fortiter ex glorioſe obeundi ſtudio: quoad poſt longae ac periculoſae obſidionis moram ab hoſtibus caperetur. Ex ea calamitate quo modo euaſerit, quibusque fuerit agitatus rerum viciſſitudinibus, donec cum duce reperto Antiochiam redierit, ipſe hiſtoriarum libro vndeuicesimo memoriae prodidit. *x*) Et poſt hac dubio procul Vrſicino ſemper adhaeſit: donec palatinorum inuidia et calumniis belli dux ille fortiſſimus a militia ad ignobile otium digredi iuberetur. Tunc et locum, et ordinem, qualiscunque fuerit, Ammianus retinuit: et ſtrenue, etiam mortuo Conſtantio, ſub Iuliano, Valentiniano, Valente, Gratiano ac Theodoſio, ſtipendia meruit. Sed quas militares aut ciuiles geſſerit dignitates, nuſquam ipſe innuit, niſi quod hiſtoria extrema ſe militem nominat. Sub Iuliano imperatore quidem Perſico militauit bello, cui etiam Eutropius hiſtoricus interfuit: num vero protector interfuerit domeſticus, an alio honoris ornatus titulo, mecum forſan omnes ignorabunt. In magna reip. luce verſatum, atque inſignibus dignitatum titulis condecoratum fuiſſe, nemo dubitat. Nec ab re CLAVDIVS CHIFFLETIVS *y*) ex aliquot legum inſcriptionibus

in ſolo Romano adoleſcens, nobiscum occulte ſentiens: ea gratia quod obſidatus ſorte in Syriis detentus, et dulcedine liberalium ſtudiorum illectus, remeare ad noſtra ardenti deſiderio geſtiebat. Ad hunc miſſus ego cum centurione quodam fidiſſimo, exploratius noſcendi gratia, quae gerebantur etc.

x) Lib. 19. c. 8. *y*) In Ammiani Marcellini vita.

nibus coniicit, eum ſub Gratiano, Valentiniano Iuniore, ac Theodoſio, comitiuam rei priuatae meruiſſe, i. e. ab armata ad palatinam dignitatem tranſiiſſe. In partitione comitum atque exercitus, quam Valentinianus et Valens, imperatores Auguſti, apud Naiſſum, Illyrici vrbem fecerunt: vt ille occidenti, hic orienti praeeſſet: Ammianus in orientem videtur Valentis partes fuiſſe ſecutus. Cum enim illius tyrannidem deſcripſiſſet, z) ſemet rebus saeui imperatoris teſtem interfuiſſe praeſentem, haud obſcure innuit. *Addici*, inquit, *poſt cruciabiles poenas vidimus multos, vt in tenebroſis rebus confuſione cuncta miſcente.* Et paulo poſt, vbi multos omnium ordinum homines miſeranda notauit periiſſe laniena, praeſentem ſuum non diſſimulat timorem. *Omnes*, inquit, *ea tempeſtate, velut in Cimmeriis tenebris reptabamus, paria conuiuis Siculi Dionyſii pauitantes.* Longe lateque, vt milites ſolent, per orientis et occidentis prouincias nobiliores profectus eſt, et ſatis accurate omnia vbique notatu maxime digna, mores, conſuetudines, inſtituta, et quicquid ſibi olim e re futurum eſſe putabat, commentariis deſcripſit. Sic quae in Perſia, Thracia, Aegypto, Italia, Germania, Gallia res geſtas memoriae voluit prodere, viſas ab ſe plerasque, et ipſo vſu cognitas, haud obſcure innuit. Num profeſſione Chriſtianus fuerit, altioris indaginis eſſe videtur. Affirmare CLAVDIVS CHIFFLETIVS non dubitat. *a*) Affirmat quoque PETRVS PITHOEVS. *b*) Pluribus contra ſententiam hanc PETRVS BAELIVS *c*) et IOH. ALBERTVS FABRICIVS *d*) refellere potuerunt. Eſto, homi-

z) Hiſt. l. 29. *a*) In vita Ammiani Marcellini. *b*) Apud ADRIAN. VALESIVM praefat. edit. 1681. *c*) Dictionaire hiſtorique et critique tom. 3. v. Marcellin. nota B. *d*) Bibliotheca Latina vol. 1. p. 613.

Digitized by Google

minem fuiſſe probum, a contumeliis et partium ſtudio, hiſtoricis quammaxime indigno, ſe abſtinentem: etiamſi litaret idolis, inſontibus Chriſtianis tamen, eorundemque ſacris, vtpote ſibi non recte cognitis parcere facilius potuit, imo debuit. Eum prorſus nemo teſtatur Chriſtianorum ſacris addictum fuiſſe. Nec ipſe vſquam eius vel mentionem, vel ſuſpicionem facit. Ecquis ſibi perſuaſerit vnquam, Marcellinum, ſi profeſſione i. e. religione et vita Chriſtianus fuiſſet, qui ſuam ſub Chriſtianis imperatoribus ſcripſit hiſtoriam, vſque adeo nihil deuotionis ſuae profiteri voluiſſe, vel etiam nomen ipſum diſſimulare: vt paganis ſuperſtitionibus fauere magis videretur. Homo vero ethnicus, vt monui iamiam, vel modeſtia et ſaniori iudicio ſuo, vel principum Chriſtianorum auctoritate, permotus hoc ab ſe haud difficulter impetrabit, vt prorſus neminem, nedum Chriſtianos, homines inſontiſſimos calumniaretur; ſuamque iniquitatem minime proderet. Sic laudat *e*) Saporis, Perſarum Regis, factum, qui in captis duobus caſtellis inuentas *virgines*, *Chriſtiano ritu*, *cultui diuino ſacratas*, *cuſtodiri intactas*, *et religioni ſeruire ſolito more*, *nullo vetante*, *praecepit*. CHIFFLETIVS vix credere poteſt, Chriſtiani oris haec verba non eſſe. Enimuero quis tam barbarus in orbe, vt virginum nolit conſulere caſtitati et libertati, vt ſacra inprimis curarent ſua? Vel quis eam principum liberalitatem atque gratiam praedicare nolit? Non magis ergo Ammianus, quam Sapor, inde Chriſtianorum ſacris addictus fuiſſe videtur: cum vterque humanitatis officia tantum ſeruare voluerit. Eodemque teſte AMMIANO, quod in continenti ſequitur, *lenitudinem* Sapor *in tempore ſimulauit*:

e) Hiſt. l. 18. extr.

lauit: vt omnes, quos ante hac diritate crudelitateque terrebat, ſponte ſua, metu remoto, venirent, exemplis recentibus docti, humanitate eum et moribus iam placidis magnitudinem temperaſſe fortunae. Pari modo *f*) vbi Theodoſium patrem leniter ſuſcepiſſe Chriſtiani ritus antiſtites, a Firmo tyranno miſſos, vt pacem orarent, ex humanitate in Chriſtianos imperatori laudem aſſerit. Haec ipſe CHIFFLETIVS leuiora eſſe fatetur. Neque multo ſunt ad Chriſtianam religionem Ammiano aſſerendam grauiora et illuſtriora, quae ſequuntur, quaeque illi ſatis clare iſtam teſtari videntur. Conſtantium imperatorem Arianae prauitatis arguit: ad quam ſuperſtitionem anilem a Chriſtianae religionis ſimplicitate tranſierit. Rem ex opinione ſui ſeculi deſcribit, ita quidem, vt ſemet ipſum diſerte hominum illorum ſocietate eximat. Chriſtianorum vero ſimplicitatem etiam iunior PLINIVS ſuo tempore agnouit. Sed videamus quid MARCELLINVS *g*) de ſua confeſſione tradat: *Chriſtianam religionem*, de Conſtantio loquitur, *abſolutam et ſimplicem*, vt eam ante amplexus fuerat, *anili ſuperſtitione confundens: in qua ſcrutanda perplexius, quam componenda grauius, excitauit diſſidia plurima; quae progreſſa fuſius aluit concertatione verborum: vt cateruis antiſtitum iumentis publicis vltro citroque diſcurrentibus per ſynodos quas appellant, dum ritum omnem ad ſuum trahere conantur arbitrium, rei vehicularis ſuccideret neruos.* Vide, quam ab ſe alienas, Chri-

f) Hiſt. l. 29. c. 5. *Feſſus aerumnis gemini proelii Firmus, imoque aeſtuans corde, ne quid vltimae rationis omitteret, Chriſtiani ritus antiſtites, oraturos pacem, cum obſidibus miſit. Qui quoniam ſuſcepti lenius, pollicitique victui congrua militibus, vt praeceptum eſt, laeta retulere reſponſa* etc.

g) Hiſt. l. 21. c. 16. circa finem.

Digitized by Google

Chriſtianis frequentatiſſimas notet ſynodos. Alioqui ſe non excluderet, ac tertia ſcriberet perſona, *ſynodos quas appellant:* cum nihil ipſi familiarius ſit, quam prima loqui, vbi partes ſibi aliquas ſumeret. Cum de Georgii Alexandrini antiſtitis acerbitate ac nimio vindictae ſtudio ad vile delationis vſque officium, ob quod ab Alexandrina plebe occiſus, dixiſſet plura, differte ſubiungit, *h*) quod CHIFFLETIVS valde captat, *profeſſionisque ſuae oblitus, quae nihil niſi iuſtum ſuadet et lene, ad delatorum auſa feralia deſciſcebat.* Ecquis, obſecro, aliud ſcriberet de ſacrorum antiſtite, cuiuscunque ſiue religionis, ſiue ſuperſtitionis? Iuſtum ac lene ſacerdotis munus, qui nunquam ſine maximo dedecore, ad vindictam, inſidias et proditiones delabi poteſt. Nec illi fauet, quod ex aliorum ſententia hiſtoricus ſcribit: *i*) *quo non contenta multitudo immanis, dilaniata cadauera peremtorum camelis impoſita vexit ad litus: iisdemque ſubdito igne crematis, cineres proiecit in mare, id metuens, vt clamabat, ne collectis ſupremis, aedes illis exſtruerentur, vt reliquis, qui deuiare a religione compulſi, pertulere cruciabiles poenas, ad vſque glorioſam mortem intemerata fide progreſſi, et nunc martyres appellantur.* Non ſuam, ſed Chriſtianorum deſignat de martyribus ſententiam: quam illis non potuit affingere aliam. Et clamantes, qui cineres ſpargebant, ne qua, ex more gentis, trucidatorum ſupereſſet memoria, non erant Chriſtiani. Hiſtoricus enim continuo addit: *poterantque miſerandi homines, ad crudele ſupplicium ducti, Chriſtianorum adiumento defendi, ni Geor-*

b) Hiſtor. l. 22. c. 11. *i*) Loc. cit. de vltimo Georgii Alexandrini ſupplicio, quem cum ſuis raptum dilaniarant.

Georgii odio omnes indiſcrete flagrabant. Inclementiam Iuliani imperatoris accuſat, quod docere vetuit magiſtros rhetoricos et grammaticos Chriſtianos, ni tranſiſſent ad numinum cultum. *k*) Enim vero quis, vel a ſacris noſtris alieniſſimus, illud tantum facinus, partium ſtudio nimis aperto laudaret, ac ſuum cuique non pateretur liberum eſſe iudicium, aut optimis literis proficiendi ardorem? Atqui etiam notanter *numinum* vocat, non idolorum, *cultum:* et ſatis prolixus eſt in Iuliani laudibus, quibus ea quidem inclementia nihil prorſus derogare videatur. Et quae de antiſtitum prouincialium diſciplina ſeueriori traduntur, *l*) non tam Chriſtianum, quam hiſtoricum pectus ſapiunt: et morum omnibus communem doctrinam ſtabiliunt. Nihil enim aliud, quam luxu et ſuperbia perditis hominibus aduerſam, omnibus omnino neceſſariam frugalitatem atque modeſtiam commendat. Haec et ſimilia ſi cui, pro afferenda Marcellino profeſſione et religione Chriſtiana, ſufficere videntur: nae ſuperfluum erit, quicquid aduerſus eum afferitur amplius. *m*) Exant-

k) Hiſtor. l. 25. c. 4. *l*) Hiſt. l. 27. c. 3. Vbi Damaſi et Vrſini de epiſcopatu Romano contentiones deſcribuntur, ſubiungit: *qui eſſe poterant beati reuera, ſi, magnitudine vrbis deſpecta, quam vitiis opponunt, ad imitationem antiſtitum quorundam prouincialium viuerent: quos tenuitas edendi potandique parciſſime, vilitas etiam indumentorum, et ſupercilia humum ſpectantia, perpetuo numini verisque eius cultoribus vt puras commendant et verecundos.*

m) Nec ab re MORHOFIVS polyh. liter. l. 4. c. 14. §. 12. hominem eum vocat, gentilium ſuperſtitioni addictum, ſed qui optima fide res geſtas Romanorum Imperatorum deſcripſit. ANTONIO POSSEVINO in apparatu ad omnium gentium hiſtor. ſect. 3. c. 15. etiam res Chriſtianorum traducere ac detorquere vide-

Digitized by Google

Exantlatis tandem maximis belli pacisque laboribus: cum obſeruarit, atque ipſe expertus fuerit, tam inſignes rerum viciſſitudines, quinquagenario maior, Theodoſio imperante, ad ſui temporis ſcribendam hiſtoriam ſe prudentia et diligentia inſigni accinxit, eamque XXXI. libris feliciter abſoluit. Quo tempore, aut quo mortis genere, diem obierit ſupremum, non conſtat. Si GESNERO *n*) credimus, hic idem eſt Marcellinus, a quo vitam Thucydidis Graece ſcriptam habemus. Sed iſtum Marcellinum viri docti recte putant diuerſum eſſe ſuaque profeſſione rhetorem, cuius commentarii ad Hermogenem extant. *o*) Hiſtoricus noſter, vir militaris, rebus gerendis vitaeque pragmaticae, quam rhetorum vmbrae ac ſtudio docendi aſſiduo addictior fuiſſe videtur. Alius quoque Marcellinus iunior, *p*) et Marcellinus notarius, qui geſta collationis Carthaginienſis calamo excepit, e quibus abbreuiata ſunt, quae hodie extant. *q*) Marcellinos alios IOH. GLANDORPIVS onomaſtico Romano *r*) recenſet. Vndecim claros, ſed toto coelo diuerſos, Marcellinos de-

videtur. Sincerum HENR. VALESII, epiſtola, quam Marcellino praemiſit, iudicium: *cum ad rerum ciuilium, tum ad eccleſiaſticae hiſtoriae cognitionem hic ſcriptor non modo vtilis eſt, ſed etiam neceſſarius. Etſi enim deorum cultui mancipatus fuit, quod certe negari non poteſt, ea tamen fide, ſinceritate, modeſtia, de Chriſtianorum rebus loquitur: vt niſi ex plurimis locis toto opere ſparſis conſtaret, eum cultorem numinum fuiſſe, Chriſtianus non immerito poſſet videri.*

n) Biblioth. Confer. Celeb. I. GOTTLIEB KRAVSE animaduerſionibus ad Boeclerii bibliographiam criticam pag. 866. *o*) Vid. G. I. VOSSIVS de hiſt. Graec. p. 253. I. A. FABRICIVS bibl. Lat. vol. I. p. 612. et volum. 3. p. 129. *p*) De quo SVIDAS. *q*) POSSID. in vita Auguſtini c. 13. BALVZIVS concil. t. I. p. 117. *r*) Pag. 775.

ſcribit DAN. GVIL. MOLLERVS, qui Altdorfi 1685. de Ammiano Marcellino circularem, quam vocat, diſputationem edidit, et varia de eo memoratu digna collegit. *s*)

§. LVIII.

Scripſit, vt dixi, noſter hiſtoriam ſui temporis, easque res ſolicite notauit, quae in orbe Romano ab imperatoribus geſtae fuerant: vt C. Taciti proſequeretur hiſtoriam, qui in Domitiano ſubſtiterat. Perduxit autem hiſtoriam ſuam a Neruae principatu, ad Valentis vſque interitum. Hoc enim nos in fine ipſe docet, vbi diſerte, *haec*, inquit, *vt miles quondam, et Graecus, a principatu Caeſaris Neruae exorſus, ad vſque Valentis interitum, pro virium explicaui menſura.* Nec voluit progredi vlterius, atque principum, qui viuebant, res deſcribere fortiter, aut male geſtas: ne pericula experiretur veritati contigua, aut quemquam praeter opinionem offenderet. Libris XXXI. totum opus abſoluere decreuit. *t*) Ad librum XV. quae eius aetatem anteceſſerunt, lecta, vel audita; inde vero viſa cognitaque deſcripſit. Ex illis magno hiſtoriae damno priores libri XIII. deſiderantur. Multa enim notatu digna, et hodie fere ſepulta comprehendiſſe, argumento ſunt hiſtoriarum libri, qui ad nos peruenerunt, accuratiſſime conſcripti: quamquam in iis ſtilum magis diffundere videatur, quo propius ad temporis ſui memoriam acceſſit. Scripſit, quod ipſe fatetur, homo Graecus Latine: cuius quidem linguae elegantiam exprimere, aut regulas obſeruare ſatis vbique potuit. Dictio vero

s) Diſp. §. 8. p. 8. ſeqq. *t*) CHIFFLETIVS, de vita Ammiani Marcellini, non contemnendis rationibus demonſtrare conatur, libros XXXII. ab Ammiano fuiſſe conſcriptos: et praeter primos XIII. etiam penultimum XXXI. librum deſiderari. Supereſſe vero, qui in eius locum ſucceſſerit, librum vltimum XXXII.

Digitized by Google

vero nihil hiſtorici virtutibus, quae maximae ſunt, derogare videtur.

§. LIX.

Ammiani Marcellini rara eſt apud veteres mentio: quod poſt Theodoſium imperatorem penitus corruit Romana maieſtas. Et qui poſt ea tempora vixerunt, vt rerum geſtarum minus erant curioſi, epitomarum collectores, quam hiſtoriae alicuius prolixioris conditores, ſectari maluerunt. Hinc et PAVLVS DIACONVS, qui ex aliis Eutropii ſupplementum ſcripſit, eum attingere noluit. At PRISCIANVS *v*) ex illius decimo quarto libro teſtimonium profert. Dubium, an IVLIVS SOLINVS Grammaticus etiam ex Ammiano miſcellam hiſtoriam ſuam confecerit. Et SALMASIVS, Ammianum paſſim a Solino quaedam accepiſſe, obſeruat. Placuiſſe eum valde ſuo aeuo, vel LIBANII epiſtola de eo, et ad eum, docere poteſt. *x*)

§. LX.

Qui ſibi perſuadent, ex Romanis ſcriptoribus Tacitum Ammiano propoſitum fuiſſe hiſtorici, quem imitaretur, omnibus numeris abſoluti exemplum: *y*) illos, ne

v) Lib. 9. p. 780. *Marcellinus rerum geſtarum quarto decimo: tanquam licentia crudelitati indulta.*

x) Confer. FABRICIVS biblioth. Lat. vol. 3. p. 128. ſeq.

y) BODINVS method. hiſtor. c. 4. *Vnum Tacitum ex omnibus ad intuendum et ad imitandum ſibi propoſuiſſe videtur. Hoc tamen ab eo differt, quod Tacitus Romani ſermonis dignitatem, vt tempora ferebant, aſſecutus eſt: Ammianus vero Latinis verbis, ac ſaepius ne Latinis quidem, Graece ſcripſit, et a re propoſita longius ac ſaepius digreditur.* Qualis, obſecro, haec imitatio eſt? Sed tamen ita quoque iudicat GODESCHALC. STEWECHIVS comment. ad Veget. l. 3. c. 6. FRANC. BALDVINVS de hiſtoria l. 1.

quid acerbius dicam, vel Ammiani, vel Taciti hiſtorica monumenta non legiſſe oportet. Nam et illi, qui Ammianum penitius inſpexerunt, ſuis obſeruationibus ornarunt, et ſupra modum laudarunt; vtrumque hiſtoricum affirmant quidem pari diligentia et fide res ciuiles et domeſticas, notabiliores rerum euentus et cauſſas, mores, conſilia, enarrauiſſe: ſed nuſquam in Ammiano orationis virtutes, Tacito proprias, verborum dignitatem, dictionis concinnitatem, ſententiarum lumina, in rerum delectu iudicium, in narrationibus ordinem, ac diuinam breuitatem, reperiſſe ingenue fatentur. Neque Thucydidis virtutes aſſequitur, cuius diligentem imitatorem fuiſſe, H. VALESIVS *z)* probare conatur. PRICAEVS *a)* pertinaciſſimum A. Gellii imitatorem vocat.

§. LXI.

Vnius quidem Ciceronis lectione a pueritia delectatum fuiſſe, tota paſſim hiſtoria indicat: eiusque ſententias interſerit ſaepius: ſed tamen totus quantus ab illius ſtilo et dictionis candore diuerſus. Ne Latinitatis quidem regulas verumque genium ſeruare didicit: vt ipſa huius ſeculi ſtribligine dictio illius horridior eſſe videatur. Tantumque abeſt, vt vel ad Liuii, vel ad Taciti venuſtatem, magnificentiam, nitorem, adſpirare valeat. Haud raro tam anxie Romanam eloquentiam affectat, resque, fideliter ſatis configendas, verborum minime apta comprehenſione inuoluit: vt, niſi militem ſemetipſum profiteatur atque Graecum, facile pateat omnibus, Latinae linguae vſum illi neutiquam fuiſſe familiarem, aut facultatem natiuam; nedum eloquentiam ſectatum fuiſſe forenſem: adeo hyperbatis, ſyncheſibus, et aliis fluidae orationis

z) Obſeru. ad Amm. l. 21, c. vlt. *a)* Ad milefias Apulei p. 487.

Digitized by Google

nis frequentioribus vitiis laborat. Verba Latinis auribus inaudita, inuerſa traiecta, ſententiae interruptae, narrationes confuſae, quae lectorem auertere facile poſſunt, ſaepius inueniuntur. Helleniſmi non infrequentes, ac dictiones horridae. Neque adeo mirandum, duriuſculas eſſe duri militis phraſes, hominemque Graecum Graecanicas ſapere loquendi formas. Ecquis inde ſibi, quae virtus hiſtorici princeps, perſpicuitatem orationis promittere poteſt: quae vt plurimum, ad inſignem ambiguitatem, in ſalebras, et aſperum perplexumque ſermonem delabitur: vt luxuriantem aliquando poetam magis, *b*) aut inanem declamatorem, quam grauem ſuauemque hiſtoricum agere videatur? Ne vitia aetatis attendamus, quae Ammiano cum pluribus ſui ſeculi ſcriptoribus ſunt communia: ex infinitis videamus quaedam affectati ſermonis, eaque ſatis luculenta teſtimonia. Inter ſenatus populique Romani vitia cum nimiam vellet notare ſpadonum curam: *c*) *poſtrema*, inquit, *multitudo ſpadonum, a ſenibus in pueros deſinens, obluridi, diſtortaque lineamentorum compage deformes: vt, quaqua inceſſerit quisquam, cernens mutilorum hominum agmina, deteſtetur memoriam Semiramidis, reginae illius veteris, quae teneros mares caſtrauit omnium prima, velut vim iniectans naturae, eandemque ab inſtituto curſu retorquens, quae inter ipſa oriundi crepundia, per primigenios ſeminis fontes, tacita quodammodo lege, vias propagandae poſteritatis oſtendit.* Declamator ſic forſan aliquis, ſui vix memor, haerens

b) GADDIVS tom. 1. de ſcript. p. 27. ſtilum eius poeticum eſſe dixerat. MORHOFIVS vero, contra eum, monet polyh. liter. l. 4. c. 14. §. 12. eſſe potius, pro ratione temporum illorum, aſpere tumidum, et inflatione affectate horrentem.

c) Hiſt. l. 14. c. 6.

rens in meteoris, ſuas deſcriberet quisquilias: elegans vero hiſtoricus, concinnae veritatis ſtudioſus, eiusmodi verborum inanem ſonitum non poteſt non toto animo faſtidire. Verboſiorem eſſe mittamus: neque compoſitionis, quae linguae Latinae anima vere eſſe dicitur, rigide examinemus regulas. Quid, obſecro, immanis et vix capienda teſtium deſcriptio? Itane praeſtaret, breuiter et perſpicue, diſerte tamen, literis mandare dicenda, et verborum inanium reprimere turbam? Cum memoriae prodiderit, Gothorum ingentem multitudinem in Thraciam perueniſſe: *d)* quorſum calamitatis illius poetica exaggeratio? *Illud ſane neque obſcurum eſt, neque incertum, infauſtos transuehendi barbaram plebem miniſtros, numerum eius comprehendere calculo ſaepe tentantes, conquieuiſſe fruſtratos: quem qui ſcire velit (vt eminentiſſimus memorat vates) Libyci velit aequoris idem diſcere quam multae Zephyro truduntur harenae. Reuiuiſcant tandem memoriae veteres, Medicas acies ductantes ad Graeciam: quae ductum Helleſponti occupantes, et diſcidio quodam fabrili, mare ſub imo Athonis pede quaeſitum exponunt, et turmatim apud Doriſcum exercitus recenſitos, concordante omni poſteritate, vt fabuloſae ſunt lectae* etc. Ad orationis concinnitatem, melius haec omnia reticuiſſet. Et tota ſuperuacanea eſt cum Fortuna expoſtulatio ingenui hominis, paulo ante diuitis atque liberi, qui belluae ritu ad ſeruiles operas, in deploranda Thraciarum vaſtatione, trahebatur: *e) de fortuna vt inclementi querebatur, et caeca, quae eum puncto temporis breui opibus exutum, et dulcedine caritatum domoque extorrem, quam concidiſſe vidit in cinerem et ruinas, aut lacerandum membratim, aut*

d) Hiſt. l. 31. c. 4. *e)* Hiſtor. l. 31. c. 8.

Digitized by Google

aut ſeruiturum, ſub verberibus et tormentis, duro deuoniſti victori. Innumera alia luxuriantis ingenii argumenta: quibus ſibimetipſi Ammianus nimium placet, Graecamque oſtendit vanitatem, ingenuis hiſtoriarum conditoribus atque lectoribus valde moleſtam, imo captu etiam difficillimam. Et minime ſincerum mihi videtur eſſe, cetero doctiſſimi, CL. SALMASII iudicium, *f*) qui ex ea tanta ſcriptoris hallucinatione inſignem lectoribus perſpicuitatem promittere non veretur. Eam equidem nuſquam, qui Ammianum ſaepius legere inſtitui, ſaluo, ex ipſa Latinitatis indole, de rebus traditis iudicio, reperire potui. Sibimet vero ipſi contradicentem audiamus: *quis*, inquit, *compoſitione magis eſt inconditus et lutulentus quam Ammianus Marcellinus? quis phraſes vnquam vſurpauit duriores, inconcinniores ac ruſticiores? Vt homo Graecus et militaris, qui voces tantum Latinas teneret, quomodo collocandae eſſent, neſciret, prorſus loquitur. Is tamen Tacito, quo nihil eſt concinnius, nec compoſitum magis, longe lucidior. Salluſtius etiam eo obſcurior.* Contra mihi, vel nihil ſentio, vel Ammiano immane quantum dilucidior vterque. Et mecum omnino ſentit CAR. SIGONIVS: *g*) *vbi ad temporum ſuorum hiſtoriam, quae libris, qui extant, continetur, deuenit, diligentiſſime atque optima fide ſcripſit: verum adeo duro, aſpero, incomto, et plane barbaro ſermone, vt vix, quid dicat, conſequi poſſis.*

§. LXII.

Vitio Ammiano verti poſſet, quod raro ſe ad annalium leges adſtringat, et, quibus res quaeque fuerint geſtae,

f) De Helleniſtica praef. pag. 39. *g*) In iud. de hiſtor. Rom. c. 28.

ſtae, ſequatur annos: ſed leuiter tantum ratione temporis obſeruata, carptim, vt quaeque ipſi videantur memoratu digna, explicare inſtituat. LVDOVICO VIVI *b*) et GABRIELI NAVDAEO, *i*) Viris doctiſſimis, Ammianus interdum viſus eſt quaedam nimis exaggerare, et plura, pro ingenii foecunditate addere veritati: et fidem habere narrationibus parum veriſimilibus. *On reconnoit par toute la ſuite de ſon hiſtoire, qu'il eſtoit fort ſuiet et adonné a croire et amplifier de telles narrations, ſur leſquelles je croi que Viues s' eſt en partie reglé quand il a prononcé un tel jugement de ſon hiſtoire: Ammiani, quod ſupereſt, opus nec oratoris omnino, nec hiſtorici.* *k*) Errores non paucos interpretes ipſi, huius auctoris amantiſſimi, annotarunt. Sic v. gr. vbi Mopſueſtiam vatis illius vocat domicilium Mopſi, quem a commilitio Argonautarum, cum, aureo vellere direpto, redirent, errore abſtractum, delatumque ad Africae littus, mors repentina conſumſit: *l*) egregie fallitur, et duos confundit Mopſos: illum Mantûs et Apollinis filium, patria Argiuum, qui poſt Troiae excidium vna cum Amphilocho in Ciliciam profectus, Mallum, Mopſueſtiam, aliasque vrbes in ora Ciliciae condidit: atque alium Mopſum, Ampyci et Chloridis filium, Titareſium, ſeu Titaronium, qui locus in Theſſalia eſt, Argonautarum comitem, quem, vt Ammianus memorat, ſua fata manſerunt. *m*) Inſignes VALESIVS tres obſeruat errores in Galliae diuiſione. *n*) Ibidem falſo Auenticum, quod eſt in Sequanis, ait ciuitatem

b) De tradendis diſciplinis l. 5. *i*) Apologia pro doctis magiae falſo accuſatis p. 207. *k*) Confer. BARTHIVS aduerſar. l. 45. c. 2. *l*) Hiſt. l. 14. c. 8. *m*) Conferantur VALESIORVM annotationes, Gronouiana editione fol. pag. 32. *n*) Lib. 15. c. 11. pag. edit. Gronouianae 79.

Digitized by Google

tatem esse in Alpibus Graiis et Peninis, Biturigas, Aquitaniae metropolin, in Lugdunensi prima collocat. Et Narbonensi tribuit Elusam, quae ciuitas tum erat prouinciae Nouempopulanae metropolis. Ararim scribit inter Germaniam primam fluere: *o*) deceptus forte Virgiliano Tytyro, qui latiori sensu: *p*) *aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim.* Arar autem inter Lugdunensem primam et Maximam Sequanorum fluit; Sequanosque a Lingonibus et Aeduis prouinciae Lugdunensis primae populis diuidit. Sic in locorum, fluminum, populorum descriptione saepius. Iusto verbosiorem esse, iam annotauimus. Et dici non potest, quanta ambitione famam doctrinae affectet: quod vitium illis vulgo solet esse commune, qui prouecta iam aetate ad literarum studia se contulerunt. Hinc Ammiani excessus intempestiui atque pueriles de terrae motuum causis, de cometis, de iride etc. Neque tonum, neque numerum historicum seruat: sed cothurnatus fere incedit: cum historico tracta et leniter fluens conueniat oratio. Et omnium minime placet facta ad ostentationem historia: vt LIBANIVS suam testatur Marcellinum πρὸς ἐπίδειξιν composuisse. Nitoris defectum ipse propterea saepe numero excusat, quod aliena sibique insueta lingua vtatur. Adeone incidit in eundem errorem, de quo Aulus Albinus valde suo tempore a M. Catone obiurgatus est, qui res Romanas oratione Graeca scriptitauit, deprecatus malae existimationis ignominiam, si quid in suis libris parum compositе, aut minus eleganter scriptum aliquis deprehendisset. Stultum quippe ac ineptum vir sapientissimus iudicauit, malle culpam deprecari, quam culpa vacare.

o) Lib. 15. c. 11. p. 81. *p*) Eclog. 1. v. 63.

§. LXIII.

Sua Marcellinus quidem non priuandus eſt laude, et boni, vt tempora ferebant, impleuit partes hiſtorici: ſed ipſi vel nimium indulgent, vel nihil ſapiunt, qui eum cum elegantiſſimi ſeculi ſcriptoribus optimis componere non verentur. Sic cetero doctiſſimus CLAVDIVS CHIFFLETIVS *q*) in Marcellini laudibus liberalior eſt: quod nimium eius fidei credit: vſque adeo, vt ipſi palmam prae ceteris omnibus tribuat: et ſecundum illius tanti viri ſincerum alioqui iudicium, *qui ſtilum admouerint felicius narrationi rerum, pauci hodie ſuperſint; nec indignus videatur, qui cum Salluſtio, Liuio, Cornelio, quadrigam hiſtoriae Romanae et Latinae conſtituat. Nam ceteri vitarum et epitomarum ſcriptores inter ſecundarios et proletarios referendi ſunt potius.* Cum ſtili non poſſit inſignem negare duritiem et comtae orationis vitia plurima: non ſine dignitatis literariae ſummo dedecore Ammianum ita defendit: *militaris viri ſenſus, quamuis incomti, tamen validi ſunt. Verba quidem fere Latina eſſe non negabit, qui linguam Latinam exiget non ad praeſentes anguſtias, ſed ad vbertatem veterem, et ad praeclara antiquorum monumenta, quibus caremus, quaeque ille viderat ac ſtudioſe lectitauerat. Graeca pura vix interiixit niſi coactus, et cum admonitione ac praefatione. Helleniſmi ſaepius occurrunt ex temporis illius licentia. Compoſitio alias eſt conueniens hiſtoriae, quae currere debet ac ferri.* etc. Etiam BOECLERVS *r*) Marcellinum maximi fecit, eumque, vel propter aulicorum deſcriptionem, cum Tacito et Curtio componit, ita quidem, vt, cum illis, omnibus plane ex veteribus ipſi praeferendus eſſe videatur.

q) De Ammiani Marcellini vita. *r*) Bibliographia critica p. 669.

Digitized by Google

deatur. At HENRICVS VALESIVS *s*) *mihi quidem*, inquit, *Marcellinus ſummis quibusque hiſtoriae ſcriptoribus comparandus videtur.* Adeone Liuio, aut Tacito, aut Salluſtio, aut aliis veteris Latii ornamentis? Verum et illius aſſerti audiamus rationem. *Cum duo maxime in hiſtorico ſpectanda ſint, res et verba: elocutio quidem haudquaquam rerum geſtarum ſcriptori negligenda eſt: rerum tamen prima ac potiſſima cura eſſe debet.* Atqui elocutio in Marcellini hiſtoria valde deſideratur. Ergo altera deſtitutus virtute cum optimis componi non poteſt. Et contradictionem inuoluunt, quae ſequuntur: *et Marcellinus quidem tum argumento operis, tum delectu ac diſpoſitione, tum iudicio ac fide nemini cedit: in proeliorum vero obſidionumque narrationibus multos longo interuallo ſuperat. Verba autem ipſa ſunt ea quidem Latina fere omnia: ſed conſtructio et collatio verborum eſt, vt ita dicam, fere militaris.* Militare vocat, quod horridum, inſolens, tumidum, nec ipſe Ammiani errores diſſimulare poteſt. Longum eſſet recenſere omnia, quae CASP. BARTHIVS, *t*) FRID. LINDENBROGIVS, *v*) et alii effuſius in Ammiani laudes protulerunt: vbi facile omnes nimiam commendatorum indulgentiam deprehendere poſſunt. Recte IVSTVS LIPSIVS: *x*) *inter mediae aetatis ſcriptores, proh dedecus! non eſt, quem pro mediocri hiſtorico laudem. Adeo labente imperio barbaries ſtatim et ſqualor omnia occuparunt: et ſi qui ſcripſerunt, ii fere ad vana delapſi, falſo vera, aut maiora vero miſcuerunt. Ammianus tamen Marcellinus fidei et iudicii ſatis clarus eſt, mo-*

s) Epiſtola, quam Marcellino ſuo praemiſit. *t*) Aduerſ. l. 45. c. 2. l. 47. c. 1. 8. l. 54. c. 5. paſſim. *v*) Ammiani ſui praefat. ad lect. *x*) Ad 1. lib. polit. c. 9.

do ſtili. Ab ineunte aetate, ad extremum vſque vitae halitum, liberalioris diſciplinae ſtudioſiſſimus fuit: adeo quidem, vt nobilitatis quammaxime reprehenderet otia cum ſceleribus coniuncta: et Socratem ipſe imitari maluerit, qui e vita poſtridie diſceſſurus, aliquid amplius ſcire optauit. Solemne illi fuit, bene vel male geſtam remp. imperantium adſcribere vel doctrinae, quae neminem ſinit eſſe ferum, vel ignorantiae, quae vt plurimum cum ſtupore et omnibus vitiis coniuncta eſſe ſoleat. Neque ipſius Valentis Auguſti ſubagreſte ingenium, nullis vetuſtatis lectionibus expolitum accuſare dubitat. *y*) Prudens vbique conſiliorum eſt indagator, euentuum ſolers ac fidus enarrator: quos cum veteri hiſtoria vtplurimum non inconcinne componit. Librorum initiis praefari ſolet. Praemittit etiam rerum geſtarum narrationibus locorum et regionum deſcriptiones. Nec deſunt imperatorum conciones et allocutiones militares. Si fidem hiſtoriae ſpectas, inſignem meretur laudem, et vix ſui hoc aeuo habet ſimilem: ſin eius attendis conſignandae characterem, longe quidem Eutropio et Rufo vberior eſſe videtur: ſed Latinitatis regulas aegre ſeruat, vtpote miles et Graecus, cui durior et laſciuiens familiaris dicendi facultas. Atqui apud me magna G. I. VOSSII *z*) auctoritas, qui ſcriptorem hunc iudicat veritatis eſſe ſtudioſiſſimum, et prudentem, grauem plane, ac ſerium, et dignum, qui ab omnibus, ac Germanis praecipue, ametur. Mirifice enim illuſtrare veteris Germaniae ſitum. Eoque maiorem hac parte fidem mereri, quia in hac ſtipendia

y) Hiſt. l. 30. c. 4. *z*) De hiſtoricis Latinis l. 2. c. 9. Confer. eiusd. de hiſt. Graec. l. 2. c. 18. extr. GOTTLIEB STOLLIVS introd. in hiſt. liter. part. 1. c. 5. §. 19.

Digitized by Google

pendia ipſe meruerit aduerſus Germanos. Dictionem horridiorem agnoſcit: virtutes autem putat eius eſſe maiores, quam vt ſermonis vitia in rationem venire debeant. Idem BOECLERVS *a*) ſentit: *ſicut dictio eius a pura Latinitate non parum receſſit: ita ſua quodam genere loquendi rerum abdita et negotiorum naturas diligenter conſequitur. Non poteſt quidem, quod prudenter intelligit, ciuiliter et venuſte eloqui: ſed oſtendit tamen eximie, ſibi ineſſe talis doctrinae elementa, ſi vel ſeculi facundioris exemplo, vel maturiore diſciplina licuiſſet vti viro plerumque in militia et negotiorum actu verſanti. Certe compoſitioris eloquentiae ſtudioſo ſaepe poteſt ſuggerere cogitationes et ſententias orationi ciuili profuturas* etc. Atque BOXHORNIVS: *b*) *cum re Romana etiam lingua defecit, quae quo longius ab Auguſti aeuo deceſſit, eo magis ſplendorem amiſit. Ammianum, ne longius digrediar, videte: qui quicquid ab ingenio ad ſcribendam hiſtoriam attulit, dictionis genere deformauit. Nemo tamen adeo infans rerum eſt, vt ea de cauſſa aſpernandum putauerit. Aliunde enim eloquentiam, aliunde rerum cognitionem peti debere exiſtimamus. Quam alte principum et aulae verſutias Ammianus excuſſit? Quam eleganter regionum, et praecipue Galliae ac Germaniae veteris, in qua ſtipendium ipſe fecit, ſitum nobis depingit? Quam multa paſſim interſerit, quae ex intimis, naturalis philoſophiae adytis deſumta? Quam multa de vita, qua publice, qua priuatim recte inſtituenda inculcat?* Quod quidem ad illos philoſophiae laudatos adytus attinet, ſupra iam monui, intempeſtiuas et pueriles eiusmodi digreſſiones maſculae hiſtoriarum

a) Bibliographia critica p. 301. ſeqq. *b*) Ammiani ſui dedicatione. Conf. BODINVS method. hiſtor. c. 4.

riarum elegantiae non parum derogare. *c*) Nihilominus ineſſe poteſt viro grauitas et fides, quam illi nemo facile negabit: vtpote qui ſine fuco Iuliani, cuius erat miles, et aliorum imperatorum res geſtas, quibus ipſe aliquando meminit interfuiſſe, maturiori iudicio, et ſine vllo partium ſtudio, ſingulari diligentia deſcripſit. Hiſtoricus fuit ab omni iactantiae et vanitatis ſuſpicione quam longiſſime remotus: adeo quidem vt ipſe ſuos non indicarit honores: atque res ab ſe fortiter et praeclare geſtas inſigni modeſtia, nihil arroganter, aut ambitioſe, commemorare inſtituerit. Vir probus, veri amator, aequi bonique ſtudioſus vbique ſuis ſcriptis apparet: qui prorſus nihil vel odio, vel ambitione, vel inuidia, vel adulatione captus memoriae prodidit. Ingenue, atque adeo ex rei veritate, quae hiſtoricum inprimis decet, virtutes et vitia imperatorum, militiae defectus atque gloriam, vt geſta, viſa, comperta ſunt quaeque, ſine fuco, poſteritati reliquit. Neque ſolum in bellis externis deſcribendis, ad exemplum aliorum ſuam conſumſit operam; verum etiam res vrbanas, ciuiles, domeſticas, et aulae artes, ea, qua decet, fide ac inſigni candore depinxit. Rerum publicarum fata et viciſſitudines ſimul atque memorabiles principum virorum euentus, conſilia, mores, cauſſas, ſine partium ſtudio, vel aſſentatione, vel inuidia, notauit. Pererudite multa de officiis domus Auguſtae diſſeruit: multisque exemplis cum iudicum, tum accuſatorum et patronorum vitia forenſia memoriae prodidit. Neque diſſimulauit principum, palatinorum, militum, ciuium, ſum-

c) Hinc BALTH. BONIFACIO de XL. Romanae hiſtoriae ſcriptoribus c. 28. p. m. 54. ad philoſophiam quam ad hiſtoriam videtur inſtructior: et multa frequenter inculcare ad oſtentationem ſapientiae, qui nihil ad Bacchum faciant.

Digitized by Google

ſummorum, infimorum, vitia et peruerſa ſtudia: quae ad emendationem vitae et ſaniora conſilia proponit. Veritatis indagandae et publicandae ſtudium ſaepe commendat: quae nec ſilentio, nec mendacio corrumpenda.

§. LXIV.

Quantum quidem conſtat, Ammiani hiſtoriarum Libri XIV-XXVI. primum *Romae* prodierunt 1474. fol. A. Sabini opera.

§. LXV.

Seculo poſt Chriſtum natum decimo ſexto Ammiani Marcellini hiſtoria libris, quos ſuperſtites inuenerunt, prodiit *Bononiae* 1517. fol. curante P. Caſtello. De qua editione HENR. VALESIVS: *d*) *diceres, id conſilium fuiſſe Caſtello, vt omnia contaminaret.* Auctior et emendatior Ammianus Marcellinus primum libris XIV-XXXI. prodiit *Auguſtae Vindelicorum* 1533. fol. ſtudio Mariangeli Accurſii, qui ſe ſcriptorem hunc quinquies mille mendis liberaſſe profeſſus eſt. *e*) Eoque nomine a CHIFFLETIO maxime commendatur, quod, quos habuerit, debiles ac fractos Marcellini libros bona fide publicarit. *Baſileae* primum manca et valde corrupta P. Caſtelli editio prodiit 1518. apud Ioh. Frobenium. Sed 1533. alia ſucceſſit Frobeniana, poſtremo quidem libro, et triceſimi pagina vltima, quam, quae eodem anno Auguſtae Vindelicorum prodiit, Mariangeli editio, minor; ſed Sigiſmundi Gelenii, viri doctiſſimi, opera incomparabili, et codi-

d) Ad Marcell. l. 22. c. 15. p. 339. *e*) Attamen G. I. VOSSIVS de hiſt. Lat. l. 2. c. 9. de Ammiano, qui multum Mariangeli Accurſii ſolicitudini debeat, emendatiores multo iudicat editiones eſſe quas Rob. Stephanus, Seb. Gryphius, et Lindenbrogius poſtea dederint.

codicis Hirsfeldensis accuratissimi beneficio, plurium lacunarum superata foeditate, auctior, et locis infinitis castigatior multo: quam CHIFFLETIVS inde faustam felicemque nominauit. Quandoquidem vero Gelenius totos haud raro addidit versus: itidem suspectus HENR. VALESIO *f*) factus est: vt haesitans, *quod si*, scriberet, *auctoritate exemplaris MS. ab eo praestitum est, nae illud exemplar ceteris omnibus nostris praestantius atque integrius fuit: si ex ingenio, audaciam eius nec laudo, nec vitupero.* Haec Sigismundi Gelenii editio iterata Basileae 1546. apud Hieronymum Frobenium. *Parisiis* 1544. 8. apud Robertum Stephanum. *Lugduni* 1552. 12. apud Sebastianum Gryphium. 1591. 8. *Francofurti* 1588. fol. apud Andreae Wecheli heredes, Claudium Marnium et Ioh. Aubrium, historiae Romanae scriptorum Latinorum corpore, opera Friderici Sylburgii, tomo altero p. 304. sqq.

§. LXVI.

Seculo post Christum natum decimo septimo, Ammianus Marcellinus ornatiori veste prodiit *Hamburgi* 1609. 4. ex bibliopolio Frobeniano, ad fidem MS. et veterum codicum recensitus et obseruationibus illustratus, ex bibliotheca Friderici Lindenbrogii. *Geneuae* 1609. et 1653. fol. corpori historiae Romanae insertus. *Hanouiae* 1611. fol. tomo altero historiae augustae scriptorum, cum notis Iani Gruteri, qui Ammianum primus in capita distinxit, et maxima solicitudine, ad fidem MS. codicum, emendauit. 1611. 12. ex emendatione Iani Gruteri. *Parisiis* 1636. 4. cum Henrici Valesii annotationibus. 1681. fol. Henrici fratre, Hadriano Valesio accurante, qui rogatus ab illustrissimo Colberto Ammianum Marcellinum cum vetu-

f) Obseru. ad Ammianum l. 22. c. 1.

Digitized by Google

vetuſtis Colbertinae bibliothecae codicibus de integro commiſit, ſuasque cum fratris auctioribus et Lindenbrogii notis adiecit: Claudii Chiffletii quoque libellum de vita Ammiani Marcellini, et ſtatu reip. Romanae ſub Conſtantino M. et eius filiis, praefixit, excerpta vero auctoris ignoti de Conſtantio Chloro, Conſtantino M. et aliis imperatoribus ſubiunxit. *Lugduni Batauorum* 1632. 12. ex officina Iohannis Maire, cum Marci Zuerii Boxhornii animaduerſionibus. g) 1693. fol. et 4. apud Petrum van der Aa, curante Iacobo Gronouio, cum Friderici Lindenbrogii, et Henrici Hadrianique Valeſiorum integris obſeruationibus et annotationibus, Chiffletii vita Ammiani et veteribus excerptis de geſtis Conſtantini et regum Italiae: qui et omnia denuo recognouit, ſuasque paſſim inſeruit notas, et neceſſariis ad Ammiani illuſtrationem antiquis nummis aliisque figuris exornari curauit.

§. LXVII.

Valentiniani II. Imperatoris temporibus floruit FLA-

g) Animaduerſiones Boxhornii certe non magni faciendae: quas ferme nouem foliolis incluſas, ex corrupto codice MS. variis lectionibus depromtis, aliisque ſubiunctis caſtigationibus, adornauit. Et quae res ſit, ipſe fatetur in Ammiani dedicatione: *animaduerſiones noſtras quod attinet, eas raptim omnes exarauimus. Ita enim mihi decretum eſt, nullo labore talibus inſudare, et quae memoriae tenor illibatus non ſuppeditat, illa nec inquirere. Temporis enim iactura grauiſſima eſt: et haec ſtudia non ſunt niſi interludia ſertarum occupationum.* Sic ergo variantes quoque codicis MS. lectiones Boxhornio potuit ſuppeditare memoria. Et ille nihil agendo potuit, aut voluit ſaltem, agere: quod longe maximum viris eruditiſſimis negotium faceſſit. Extat NICOL. AAGARDI, Profeſſoris Sorani, examen animaduerſionum Boxhornii ad Ammianum Marcellinum, Sorae 1640. 1654. 4.

VIVS VEGETIVS RENATVS. Vir illuſtris in veteribus libris nominatur, quod Comes Conſtantinopolitanus eſſet: vt RAPHAEL VOLATERRANVS *h*) memoriae prodidit. Illud quidem SCRIVERIO aliisque minus probatur: ſed NAVDAEVS *i*) manuſcriptorum meminit Vegetii codicum Peireſcianorum, quibus Volaterrani ſententia ſtabiliatur. Patria Romanum eſſe, PETRVS ANDLOVS affirmat. *k*) Chriſtianorum ſacris fuiſſe addictum, vel inde patet, quod militibus dicit *l*) per Deum, et Chriſtum, et Spiritum ſanctum eſſe iurandum, et per maieſtatem imperatoris, quae ſecundum Deum generi humano ſit diligenda et colenda.

§. LXVIII.

Scripſit de re militari libros V. ſiue, vt inſcribuntur, epitomen inſtitutorum rei militaris, ex commentariis Catonis, Celſi, Traiani, Hadriani et Frontini. Plurium diſerte meminit ipſe octauo capite libri primi, vnde ſimul eius inſtitutum apparet: *nos*, inquit, *diſciplinam militarem populi Romani debemus inquirere, qui ex paruis finibus imperium ſuum pene ſolis regionibus, et mundi ipſius fine diſtendit. Haec neceſſitas compulit, euolutis auctoribus, ea me hoc in opuſculo fideliſſime dicere, quae Cato ille Cenſorinus de diſciplina militari ſcripſit, m) quae Cornelius Celſus, quae Frontinus perſtringenda duxerunt, quae*

b) Commentatiorum vrbanorum l. 20. p. 737. *i*) Bibliographia militari. Conf. FABRICIVS biblioth. Latin. vol. 1. pag. 616. vol. 3. p. 132. Et in veteribus libris legitur: *Fl. Vegetii Renati viri illuſtris comitis ad Valentin.* *k*) De imperio Romano l. 2. c. 13. *l*) Lib. 2. c. 5. *m*) BOECLERVS bibliographia critica p. 579. notat, eum pauciora ex commentariis Catonis, plura ex principum, Auguſti, Traiani, et Hadriani, tum Frontini libris deſcripſiſſe.

Digitized by Google

quae Paternus diligentiſſimus iuris militaris aſſertor in libros redegit, quae Auguſti, et Traiani, Hadrianique conſtitutionibus cauta ſunt. Nihil enim mihi auctoritatis aſſumo: ſed horum, quos ſupra retuli, ea quae diſperſa ſunt, velut in ordinem et abbreuiationes, quae epitomata dicuntur, conſcribo. CASP. BARTHIVS *n*) librum Vegetii, qui hodie habetur, grandioris voluminis tantum exiſtimat eſſe compendium: forſan quia epitome in vetuſto codice vocatur: et Priſcianus nonnulla ex opere Vegetiano allegat, quae hodie non comparent. Et epitomen hanc eſſe epitomes, minime vero mihi videtur eſſe ſimile. Atque etiam FABRICIVS *o*) notat, Barthium coniectura ſaepius falli, et in olfaciendis vſque quaque epitomis facillimum eſſe, atque adeo in errores pronum. Libros de re militari ſuos Vegetius ad Valentinianum Auguſtum miſit: quod antiquis temporibus mos fuerit, bonarum artium ſtudia mandare literis, atque in libros redacta offerre principibus. Quia neque recte aliquid inchoetur, niſi poſt Deum fauerit imperator: neque quemquam magis deceat vel meliora ſcire, vel plura, quam principem: cuius doctrina omnibus poſſit prodeſſe ſubiectis. Eſſe vero imperatorem Valentinianum II. vel inde patet, quod diui Gratiani meminit, ad cuius aetatem vſque, ab vrbe condita, pedeſtris exercitus cataphrattis et galeis munitus fuerit. *p*) In omnibus ante Scriuerium *q*) editionibus antiquis non quinque, ſed quatuor habentur Vegetii de re militari libri, quorum vltimus duo continet, a capite triceſimo primo ſeparandos: vt illos etiam Scriue-

n) Aduerſ. l. 28. c. 11. *o*) Biblioth. Latin. vol. 1. p. 616. et vol. 3. pag. 132. *p*) Lib. 1. c. 20. *q*) Atqui etiam VOLATERRANVS l. 20. pag. 737. Vegetii de re militari libros V. recenſet.

rius meliorum codicum fide disiunxit. Et transitio satis euidens haec est: *praecepto maiestatis tuae, imperator inuicte, terrestris proelii rationibus absolutis, naualis belli residua, vt opinor, est portio.* Liber primus electionem edocet iuniorum, ex quibus locis, vel quales milites probandi sint, aut quibus armorum exercitiis imbuendi. Secundus veteris militiae continet morem, ad quam pedestris institui possit exercitus. Tertius omnia artium genera exponit, quae terrestri proelio necessaria videntur. Quartus vniuersas machinas enumerat, quibus vel oppugnentur, vel defendantur ciuitates. Quintus naualis belli praecepta subnectit.

§. LXIX.

Arguitur a viris doctis, quod sui ac superioris aeui instituta passim confuderit. *r*) Parum ergo praeclare SALMASIVS de Vegetio sentit: eumque confusorum hinc inde negotiorum ac temporum, summaeque negligentiae accusat. Sed alii aliter sentiunt, eumque defendunt quouis modo. Sunt Vegetii de re militari libri non solum vtiles, sed omnino necessarii. Saepius nec immerito Vegetius laudatur a LIPSIO, quia de re militari proprius et incomparabilis est scriptor. Methodo recta vtitur, et accurate omnia, quae ipsi videbantur notatu esse digna, comprehendit, adeo vt sequentibus seculis semper admirationi fuerit. BOECLERVS, *s*) Sallustii studiosum fuisse, opinatur. Nihil vero mihi videtur minus: quandoquidem ab eius instituto, charactere, et stilo immane quantum abhorret. Res, quas operibus suis complectitur,

r) Vid. LIPSIVS l. 1. dialogo 2. de militia Romana. SALMASIVS de re militari Roman. apud Graeuium thesauro antiq. Rom. tom. 10. *s*) Bibliographia critica p. 578.

Digitized by Google

tur, ſua laude nunquam deſtituentur: dictio nec plane horrida: ſed ego eam nemini ſuaſerim ad imitationem eſſe proponendam. Vtilis et docta de re militari commentatio, quod ſenectutis eſt vitium, ſtilo valde laborat, vbi veterum conceptas non retinet ſermonis formas.

§. LXX.

Prodiit primum Vegetius de re militari *Romae* 1478. 4. et 1494. 4. Seculo poſt Chriſtum natum decimo ſexto Vegetius de re militari prodiit *Pariſiis* 1523. 8. cum Frontino, Aeliano, et Modeſto de re militari. 1535. et 1553. fol. apud Chr. Wechelium ſimul editi ſunt Fl. Vegetii de re militari libri IV. Sexti Iulii Frontini de ſtrategematis libri IV. Aeliani de inſtruendis aciebus liber vnus. Modeſti de vocabulis rei militaris liber vnus. Item picturae bellicae CXX. paſſim Vegetio adiectae. *Coloniae* 1524. et 1532. 8. ex officina Eucharii Ceruicor. cum Frontini ſtrategematis, Aeliano de inſtruendis aciebus, et Modeſto de vocabulis rei militaris. 1580. 8. cum notis Franciſci Modii.

§. LXXI.

Decimo ſeptimo poſt Chriſtum natum ſeculo Vegetius de re militari prodiit *Lugduni Batau.* 1607. 4. cum Godeſchalci Stewechii commentariis, notisque Franciſci Modii. Addidit P. Scriuerius recenſita a ſe M. Porcii Catonis, ex libro de re militari, et L. Cincii Alimenti ex libris eiusdem argumenti fragmenta. Claudii Aeliani tacticam ex interpretatione Theodori Gazae Theſſalonicenſis. Polybii tractationem de militia et caſtrametatione Romanorum ex libro VI. hiſtoriarum, interprete Iano Laſcari Rhyndaceo. Hygini gromaticum, ſiue de caſtrametatione librum. Anonymi de rebus bellicis librum. Modeſti libellum de vocabulis rei militaris. Rufi leges

mili-

militares ex interpretatione Ioh. Leunclauii. Sexti Iulii Frontini ſtrategemata cum commentario Aggeni Vrbici in librum Frontini de qualitatibus agrorum, fragmentis legum agrariarum, et finium regundorum conſtitutionibus. 1633. 8. cum notis Petri Scriuerii. 1644. 12. cum Frontino etc. et P. Scriuerii caſtigationibus. *Veſaliae Cliuiorum* 1670. 8. cum Stewechii, Modii, et Scriuerii obſeruationibus.

§. LXXII.

Sub Theodoſio Magno imperatore magnum fuit non modo inter ſcriptores ſacros, verum etiam inter hiſtoricos AMBROSII, Mediolanenſis epiſcopi, nomen: qui variae eruditionis monumenta reliquit plurima. In his legitur vita et martyrium S. virginis Agnetis: *t*) quam et SVRIVS *v*) actis ſanctorum XXI. Ianuar. inſeruit; VOSSIVS *x*) autem genuinum Ambroſii ſermonem eſſe negat. Illius vero ſententiae, quam profert, ratio non tanti videtur. Scripſit Ambroſius porro martyrium S. Theodorae: *y*) quam SVRIVS *z*) XXVIII. Aprilis exhibet. Vitam ſanctorum martyrum Nazarii et Celſi, ab AMBROSIO *a*) deſcriptam, refert idem *b*) ad XII. Iunii; et vitas ſanctorum Geruaſii et Protaſii martyrum *c*) ad XIX. Iunii. *d*) Reliquit etiam Vitalis et Agricolae, ſanctorum martyrum, hiſtoriam: quorum corpora Bononiae inter Iudaeorum ſepul-

t) Epiſtol. l. 4. edition. Colonienſ. 1616. tom. 5. pag. 135. ſeqq. Confer. de virginibus ad Marcellinam ſororem lib. 1. tom. 4. pag. 818. *v*) De probatis ſanctorum hiſtoriis tomo 1. *x*) De hiſtoricis Latinis l. 3. c. 2. pag. 744. *y*) De virginibus lib. 2. operum edit. Colon. tom. 4. p. 223. *z*) Tomo 2. p. 995. ſeqq. *a*) Sermone 14. Operum tom. 5. p. 70. ſeq. *b*) SVRIVS de probatis ſanctorum hiſtoriis tom. 3. p. 708. ſeqq. *c*) Lib. 7. epiſt. 53. et 54. Oper. tom. 5. p. 154. ſeqq. *d*) Tom. 3. p. 807. ſeqq.

Digitized by Google

ſepulchra reperit. *e*) Sanctos ſermonibus plures alios celebrauit. Sic quoque hiſtoricos inter referendus eſt liber de obitu fratris ſui Satyri, *f*) et vtraque concio in obitu Valentiniani et Theodoſii Magni imperatorum. *g*) Nec ab re creditur Hegeſippi libros V. de bello iudaico et excidio Hieroſolymitano ex Graeca in Latinam linguam transtuliſſe. *h*)

§. LXXIII.

Sub Theodoſio M. et Honorio imperatore ſanctos non modo inter eccleſiae patres, verum etiam inter hiſtoricos illuſtris fuit S. HIERONYMVS Stridonenſis in Dalmatiae et Pannoniae confinio natus. Factus eſt presbyter ſeculo poſt Chriſtum natum quarto medio, vndetriginta annos natus: cum per triennium Romae, et quatuor annos in Syriae eremo verſatus eſſet. Reliquam omnem vitam poſtea Bethlehemi in ſolitudine, ieiuniis, vigiliis ac rigidiori religionis exercitio tranſegit: diemque obiit ſupremum CCCCXXII. nonagenario proximus. Reliquit inter eruditionis monumenta multa et varia *i*) etiam hiſtorica non pauca. Euſebii chronicon, quod ab orbe condito, ad ſua vſque tempora, res notatu maxime dignas deſignat, ex Graeco nonmodo Latinum fecit, multaque non omittenda inſeruit; verum etiam, vbi deſierat Euſebius continuauit: a vicennalibus ſcilicet Conſtantini M. Nicomediae factis, et anno ſequenti Romae editis, i. e. anno

e) Lib. 7. epiſt. 55. operum tom. 5. p. 156. *f*) Operum tom. 4. pag. 145. ſeqq. *g*) Operum tom. 5. pag. 51. ſeqq. *h*) Vid. BARTHIVS aduerſar. l. 46. c. 4. VOSSIVS de hiſt. Lat. l. 3. c. 2. p. 744. de hiſtor. Graecis l. 2. c. 14. p. 219. FABRICIVS biblioth. Latin. vol. 3. p. 440. *i*) De quibus eo capite agimus, quod ſcriptoribus ſacris deſtinatum.

anno Domini CCCXXX. olympiadis CCLXXVI. vltimo, ad obitum vſque Valentis imperatoris, i. e. annum Domini CCCLXXXI. *k*) quo Proſperi Aquitanici continuatio incipit. De inſtituto ſuo HIERONYMVS ipſe *l*) ita: *Graecorum fidem ſuo auctori aſſignent, et quae noua aſſeruimus, de aliis probatiſſimis viris libata cognoſcant. Sciendum etenim, me eſſe et interpretis, et ſcriptoris ex parte officio vſum: quia et Graeca fideliſſime expreſſi, et nonnulla, quae mihi intermiſſa videbantur, adieci, in Romana maxime hiſtoria, quam Euſebius, huius conditor libri, non tam ignoraſſe, vtpote eruditiſſimus, quam vt Graeca ſcribens parum ſuis neceſſariam perſtrinxiſſe mihi videtur. Itaque a Nino et Abraham vſque ad Troiae captiuitatem pura Graeca translatio eſt. A Troia vſque ad viceſimum Conſtantini annum nunc addita, nunc mixta ſunt plurima, quae de Tranquillo, et ceteris illuſtribus hiſtoricis curioſiſſime excerpſimus. A Conſtantini autem ſupradicto anno vſque ad conſulatum Auguſtorum Valentis VI. et Valentiniani iterum, totum meum eſt. Quo fine contentus, reliquum tempus Gratiani et Theodoſii latioris hiſtoriae ſtilo reſeruaui.* Sed quod extremo ſignificare voluit, de prolixiori rerum a Gratiano et Theodoſio geſtarum deſcriptione: eam vel non perfecit; vel perfecta ad poſteritatis non venit memoriam. Chronicon ſaepius cum Euſebii operibus prodiit: inter ſcripta Hieronymi vulgata raro, vel nunquam reperitur. Hiſtoricum Hieronymi opus alterum eſt de viris eccleſiae illuſtribus: quod ipſe illius

k) Meum ſequor exemplum, quod eſt in operibus EVSEBII, tomo altero, impreſſum *Baſileae* 1548. fol. per Henricum Petri. VOSSIVS de hiſtor. Lat. l. 2. c. 11. pag. 206. Hieronymum ſcribit ab an. Chriſti 317. ad an. 379. chronicon Euſebianum continuare.

l) Chronici Euſebiani ad Vincentium et Gallienum praefatione.

illius libelli fine *m*) XIV. Theodosii imperatoris anno perfeciſſe teſtatur. Iſtud quidem in omnibus extat huius doctoris, vel antiquiſſimis editionibus: ſed omnium accuratiſſime cum Graeca Sophronii verſione, et eruditiſſimis IOH. ALB. FABRICII, DES. ERASMI, MARIANI VICTORII, HENR. GRAVII, AVBERTI MIRAEI, WILH. ERN. TENTZELII, ERNESTI SALOMONIS CYPRIANI, et aliorum annotationibus, in eccleſiaſtica FABRICII bibliotheca legitur. Ante ſeparatim prodiit *Baſileae* 1539. 4. Eraſmo accurante. *Coloniae* 1580. 8. cum Gennadio, Iſidoro, Honorio, Sigeberto et Henrico de Gandauo, ex recenſione Suffridi Petri. *Helmſtadii* 1611. 4. ex editione Iohannis a Fuchte. 1700. 4. cum notis Miraei, Eraſmi, Victorii, Grauii, et editoris Erneſti Salomonis Cypriani. *Antuerpiae* 1639. fol. cum Gennadii, Iſidori, Ildefonſi, Honorii, Sigeberti et Henrici de Gandauo catalogis, notisque et auctario Auberti Miraei. AVGVSTINVS *n*) *epitaphium* eſſe inſcribendum arbitratur. HIERONYMVS *o*) vero illi reſpondet, *de illuſtribus viris*, vel proprie de ſcriptoribus eccleſiaſticis appellandum eſſe, licet a pleriſque emendatoribus imperitis *de auctoribus* dicatur inſcriptus. Alibi *p*) ipſe ſuum *de illuſtribus viris* librum citat. Rurſum: *q*) *ſcripſi*, inquit, *librum de illuſtribus viris, ab apoſtolis vſque ad noſtram aetatem, imitatus Tranquillum Graecumque Apollonium: et poſt catalogum plurimorum me quoque in calce voluminis quaſi abortiuum et minimum omnium Chriſtianorum poſui, vbi mihi neceſſe fuit*

m) HIERON. de viris illuſtribus cap. 135. *n*) Epiſt. ad Hieronymum 9. in noua edit. 40. *o*) Epiſt. ad Auguſtinum 89. nouae edit. 74. *p*) Aduerſus Iouinianum l. 1. Et præfat. commentarii in Ionam prophetam. *q*) Ad Deſiderium epiſt. 154.

vsque ad XIV. annum Theodosii principis quid scripserim, breuiter annotare. Et CASSIODORVS: *r*) *lege librum S. Hieronymi, vbi diuersos patres atque opuscula eorum breuiter et honorauit, et tetigit.* Vulgus S. Hieronymo etiam adscribere solet vitas patrum, quas X. libris comprehensas Heriberdus Rosweidus S. I. theologus secundo *Antuerpiae* typis Plantinianis 1628. cum annotationibus edidit. *s*) Sed notandum, libri primi Hieronymum vitas tantum scripsisse Pauli, primi eremitae, *t*) quae extat inter epistolas quinquagesima, et incipit: *inter multos saepe dubitatum est* etc. Auctor hanc suam esse, vbi labores enumerat suos, ipse agnoscit. *v*) Hilarionis item anachoretae vitam, *x*) quae inter epistolas quinquagesimum primum occupat locum, et incipit: *scripturus vitam beati Hilarionis.* Porro vitam Malchi, monachi captiui, *y*) quae inter epistolas est quinquagesima secunda, et incipit: *qui nauali proelio dimicaturi sunt.* Scripsit denique vitas Romanarum trium viduarum, Fabiolae, Paulae, ac Marcellae. Quae illi falso tribuantur, VOSSIVS *z*) examinat, qui omnino consulendus est.

§. LXXIV.

Eiusdem aetatis, atque Hieronymus, inter historicos celebris fuit RVFFINVS, *a*) Aquileiensis presbyter, primo

r) Instit. diuin. liter. c. 17. *s*) De quibus vid. AVB. MIRAEVS ad Hieronymi lib. de viris illustribus c. 135. apud FABRICIVM biblioth. eccles. p. 224. *t*) Apud SVRIVM de probatis sanctorum historiis tom. 1. d. 10. Ianuar. *v*) De viris illustribus c. 135. *x*) Ibid. Extat etiam apud SVRIVM de probatis sanctorum historiis tom. 5. Octobr. pag. 984. seqq. *y*) Ibid. Apud SVRIVM l. c. pag. 995. seqq. *z*) De historicis Latinis l. 2. c. 11. p. 207. *a*) Ab auctore incerto libelli de XII. scriptoribus

primo Hieronymi amicitia, deinde eius vel offensione, vel aemulatione clarior. Circa annum Domini CCCLXX. sacro baptismate tinctus, vitam amplexus est monasticam. Ita enim ipse anno CCCLXXXXIX. in diuum Hieronymum inuectiuarum libro primo ad Anastasium Pontificem Romanum scribit: b) *ego sicut et ipse, et omnes norunt, ante annos fere triginta in monasterio iam positus, per gratiam baptismi regeneratus, signaculum fidei consecutus sum per sanctos viros, Chromatium, Iouinum, et Eusebium, opinatissimos et probatissimos in ecclesia Dei episcopos, quorum alter tunc presbyter beatae memoriae Valeriani, alter archidiaconus, alius diaconus, simulque pater mihi et doctor symboli ac fidei fuit.* Aliquanto post Roma in Aegyptum cum Melania profectus est, vt, pro seculi consuetudine, solitudinem quaereret, ac fratrum in desertis instituta sequeretur. Eaque re S. HIERONYMO mirifice placuit, vt eum, quem ante habuerat studiorum sacrorum sodalem, ad se in Syriam, aut Palaestinam, scripta, humanitatis et amoris plena, epistola inuitaret. c) *Ruffine charissime*, scribit, *audio te Aegypti secreta penetrare, monachorum inuisere choros, et coelestem in terris circumire familiam. O! si mihi nunc Dominus I. C. vel Philippi ad eunuchum, vel Abacuc ad Danielem, translationem repente concederet: quam ego nunc tua arctis stringerem colla complexibus, quam illud os, quod mecum vel errauit aliquando, vel sapuit, impressis figerem labiis.*

ptoribus ecclesiasticis, qui Isidoro et Ildefonso sublici solet, apud FABRICIVM biblioth. eccles. pag. 69. praenomine addito *Tyrannius Ruffinus* vocatur.

b) Hieronymi operum tomo 4. pag. 138. editionis quae *Francofurti ad Moenum et Lipsiae* prodiit 1684. fol.

c) Epistola 41. operum tom. 1. p. 138. seq. editionis modo laudatae.

Hinc breui poſt cum Melania ſe in Palaeſtinam contulit, ac Hieroſolymis vltra viginti quinque annos commoratus eſt. Quam gratum illud HIERONYMO, ipſe etiam Florentio ſignificat: *d*) *quia frater Ruffinus, qui cum ſancta Melania ab Aegypto Hieroſolymam veniſſe narratur, indiuidua mihi germanitatis charitate connexus eſt: quaeſo vt epiſtolam meam huic epiſtolae tuae copulatam, ei reddere non graueris. Noli nos eius aeſtimare virtutibus. In illo conſpicies expreſſa ſanctitatis veſtigia. Ego cinis & viliſſima pars luti, etiam fauilla, dum vror, ſatis habeo, ſi ſplendorem morum illius imbecillitas oculorum meorum ferre ſuſtineat. Ille modo ſe lauit, et mundus eſt, et tanquam nix dealbatus: ego cunctis peccatorum ſordibus inquinatus* etc. Tot tantisque laudibus Ruffinum Hieronymus in coelum efferre legitur, et cum eo amicitiae arctiſſimo vinculo fuiſſe coniunctus. Tunc temporis quotquot ſacra loca viſuri vndique terrarum peregrini Hieroſolymam confluebant, Melaniae ſanctitatis nomine venerandae ac percelebris matronae hoſpitio vtebantur. Vnde HIERONYMVS ad Paulum ſcribit: *e*) *ſancta Melania noſtri temporis inter Chriſtianos vera nobilitas, quacum tibi Dominus, mihique concedat in die ſua habere partem,* etc. In chronico Euſebiano quoque mulieri virtutis eximiae teſtimonium perhibet. Anno CCCLXXIV. decimo Valentiniani et Valentis, ea nobiliſſima Romanorum matrona, Marcellini conſulis filia, calente adhuc mariti corpuſculo, necdum humato, duos perdidit filios. Hinc nomini Chriſtiano deuota, vnico ſuperſtiti filio, qui praetor vrbanus erat, omnes poſſeſſiones reliquit, ac, hieme iam

d) Epiſtola 5. operum tomo 1. pag. 34.
e) Epiſtola 25. operum tomo 1. p. 104. C.

Digitized by Google

iam ingruente, cum Ruffino primum in Aegypti deſerta, tandemque Hieroſolymam diſceſſit. Muliebris ſanctitatis comes atque alumnus, noſter Ruffinus ſacrarum literarum ſtudio ac pietatis cultu inprimis vitae tranquillitati ſtudebat. Cum linguae Graecae peritiſſimus eſſet: ſcriptoribus Graecis tam legendis, quam vertendis adiecit animum, atque inprimis operam inſtituit nauare Origeni: quem tanti fecit, vt eum aduerſus quoscunque oppugnatores defenderit. Hinc prima Hieronymi offenſio, qui Origenis aduerſarius omnium infenſiſſimus erat. Viri non ſatis poſſum mirari ingenium, aut quid ſanctitatibus interceſſerit, vt, amicitiae neglectis legibus, obtrectationum nullus eſſet modus, atque ſummis quod ante laudibus ornatum, conuiciis calumniisque perpetuis laceſſeretur. Maius oportet fuiſſe illius theologici odii argumentum, quam de Origine controuerſia. Licet enim diſſentire, quod vſu videmus quotidie venire, etiam illis, quos amplectimur, quibusque valde familiariter ſolemus vti. Poſſunt, imo debent, amici, ſi quae opinionum ſuboritur diſſenſio, ſine vlla animorum contentione inuicem diſcrepare. Procul vero a bonis abeſto mutua omnis obtrectatio. In Melaniam HIERONYMVS *f*) quoque non absque ſtomacho ad Cteſiphontem ſcribit: *Euagrius Ponticus Hyperborita ſcribit ad virgines, ſcribit ad monachos, ſcribit ad eam, cuius nomen nigredinis teſtatur perfidiae tenebras*: ad Melaniae nomen alludens, quod nigredinem Graece ſonat: vt non absque iniuria inſigni generis claritudinem morumque ſanctitatem, quam ipſe olim praedicauerat, quauis occaſione obfuſcaret. Ruffinum vbique redarguit, quod auſus ſit Gregorium Nazianzenum transferre,

f) Oper. tomo 2, pag. 170.

ferre, cum de bonis Graecis Latina faceret non bona. Et de hoc ad Pammachium ſcribit: g) *Amaſinios ac Rabirios noſtri temporis, qui de Graecis bonis Latina faciunt non bona, et homines eloquentiſſimos ipſi elingues transferunt, euangelico calces pede, hydramque et ſcorpium, iuxta fabulas poetarum, aduras cauterio, ſolea conteras, et Scilleos canes ac mortifera carmina ſirenarum ſurda aure pertranſeas.* Fuit autem Amaſis *h*) maximus praedo, qui furti accuſatus cauſſam ad deos deferebat, atque a diis etiam conuictus templa ſacrificiaque aſpernabatur. Rabirius, vt conſtat, perduellionis reus: quibuscum nefario contemtu Ruffinum componit. Alibi *i*) eum Sardanapalum vocat. Rurſum, *k*) Alpinum canem, grandem et corpulentum, qui calcibus magis poſſit ſaeuire, quam dentibus -- inſtar Cerberi ſpirituali percutiendum claua, vt aeterno cum ſuo magiſtro Plutone ſilentio conticeſcat. Omnibus eum conuiciis laceſſiuit epiſtola, ad Ruſticum monachum ſcripta: *l*) *teſtudineo Grunnius m*) *incedebat ad loquendum gradu, et per interualla quaedam vix pauca verba carpebat, vt eum putares ſingultire, non proloqui. Et tamen cum menſa poſita librorum expoſuiſſet ſtruem, adducto ſupercilio, contractisque naribus, ac fronte rugata, duobus digitulis concrepabat, hoc ſigno ad audiendum diſcipulos prouocans. Tum nugas meras fundere, et aduerſum ſingulos declamare -- intus Nero, foris*

g) Prooemio commentar. l. 2. in Oſeam. Oper. tom. 6. pag. 17. Confer. tom. 10. pag. 182. *h*) Apud HERODOTVM lib. 1. *i*) Comment. in Nahum c. 3. oper. tom. 6. pag. 141. *k*) Prooemio lib. 3. commentar. in Hieremiam. oper. tom. 5. pag. 245. *l*) Epiſt. 4. oper. tom. 1. pag. 31. *m*) A grunniendo, quae vox porcorum eſt, itemque faſtu turgidorum, qui verba trahunt ex imo gutture.

Digitized by Goo

foris Cato. Totus ambiguus, vt ex contrariis diuerſisque naturis vnum monſtrum nouamque beſtiam diceres eſſe compactam, iuxta illud poeticum, prima leo, poſtrema draco, media ipſa chimaera etc. Tantam inimicitiam S. AVGVSTINVS *n*) aequo non potuit ferre animo, qui ad Hieronymum ſcripſit: *neſcio quae ſcripta maledica ſuper tuo nomine ad Africam peruenisſe audiuimus. Accepimus tamen quod dignatus es mittere, illis reſpondens maledictis. Quo perlecto, fateor, multum dolui, inter tam charas familiaresque perſonas, cunctis pene eccleſiis notiſſimo amicitiae vinculo copulatas, tantum malum extitiſſe diſcordiae. - - Quoniam abundauit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum. - - Quis denique amicus non formidetur, quaſi futurus inimicus, ſi potuit inter Hieronymum et Ruffinum hoc, quod plangimus, exoriri? o miſera et miſeranda conditio! o infida voluntatibus amicorum ſcientia praeſentium, vbi nulla eſt praeſcientia futurorum!* Transactis in oriente XXV. annis, Ruffinus cum Melania Romam redire decreuit. Sic anno Domini CCCLXXXXVII. naue conſcenſa, Nolam venerunt, et amiciſſime a Paulino, illius vrbis epiſcopo excepti ſunt. Inde Romam reuerterunt. Antequam vero ex Palaeſtina proficiſcerentur cum Ruffino Hieronymus in gratiam rediit. *o*) At ſimulata et minime vera amicitia non potuit eſſe diuturna. Romae haud longe poſt Ruffinus ab ſe Latinam factam edidit apologiam Pamphili martyris pro Origene, *p*) adiecta huic verſioni ad Macarium epiſtola, qua euincere conabatur,

n) Epiſt. 93. apud Hieronymum, oper. tom. 2. p. 234.
o) Vid. epiſtola HIERONYMI ad Ruffinum 66. oper. tom. 2. p. 133.
p) Hieronymi oper. tom. 4. p. 115.

tur, opera Origenis vitiata et adulterata fuiſſe. Edidit quoque Latinam verſionem librorum de principiis, praefatione praemiſſa, qua Hieronymus ſe laeſum ſenſit. *q*) Suam ergo aduerſus Ruffinum apologiam vulgauit, *r*) Pammachio et Marcellino inſcriptam. Haec inter viros celeberrimos agitata controuerſia, magnos in vrbe Romana excitauit rumores. Attamen, quoad Syricius papa in viuis erat, ſua Ruffinus potuit tranquillitate perfrui, ac nihili fecit omnes eorum, qui a parte Hieronymi ſtabant, minas: imo etiam ab ſummo pontifice communionis accepit literas, quibus acceptis Aquileiam ſeceſſit. Syricii vero in pontificatu ſucceſſor Anaſtaſius, ſub finem ſeculi poſt Chriſtum natum quarti, huius controuerſiae cauſſa Ruffinum ad ſe citauit. Hic ratus, ſufficere, ſi apologia ſcripta *s*) ſemet a criminibus ſibi obiectis purgaret, vadimonium deſerit, cauſſaque non dicta ab Athanaſio Pontifice damnatur. Nihilominus ſacerdotalem Aquileiae dignitatem tuetur: *t*) vbi commoratus eſt, donec Italia Viſigothorum incurſionibus ac depopulationibus vaſtaretur, ac ipſe circa annum Domini CCCCIX. in Siciliam ſe recipere cogeretur: vbi anno ſequenti mortuus eſt. *v*)

§. LXXV.

Scripta Ruffini maximam partem ſunt theologica, vt 1) ſymbolum, quod in operibus Hieronymi *x*) legitur. 2) De

q) Ibid. p. 131. ſeqq. *r*) Oper. tom. 2. p. 153. ſeqq. *s*) Apud Hieronymum oper. tomo 4. p. 133. ſeqq. *t*) Forſan non inuito ATHANASIO, qui in ſententia de Ruffino, Hieronymi oper. tom. 4. p. 134. ad Hieroſolymorum epiſcopum ſcribit: *Illud te ſcire cupio, ita haberi a noſtris partibus alienum, vt quid agat, vbi ſit, nec ſcire cupiamus. Ipſe denique viderit, vbi poſſit abſolui.* *v*) Confer. DVPIN noua biblioth. eccleſiaſt. auctor. tomo 3. p. 255. et 263. *x*) Tomo 4. p. 69. ſeqq.

Digitized by G

2) De adulteratione librorum Origenis ad Macarium libellus ibidem legendus. 3) Vt et pro fide sua ad Anastasium, vrbis Romae episcopum, apologia. 4) In diuum Hieronymum inuectiuarum libri duo. Quae sequuntur, ex Graecis fecit Latina. 5) Recognitionum libros Clementis. 6) Sixti Pythagorici sententias: quas falso Sixto II. papae adscripserat. Et hanc illi fraudem Hieronymus passim obiicit. 7) Origenis libros de principiis: eiusdem in Genesin homilias septendecim: in Exodum duodecim homilias: in Leuiticum sedecim, in Numeros viginti octo, in Iosuam viginti sex, in librum Iudicum nouem, primam in libros Regum homiliam: in psalmos homilias nouem: commentarios in epistolam ad Romanos: Origenis denique epistolam, qua vitiatos et adulteratos suos libros esse queritur. 8) Pamphili apologiam pro Origine. 9) Gregorii Nazianzeni orationes. 10) Basilii constitutiones asceticas et quaedam alia. 11) Euagrii Pontici sententias et alia. Transtulerat etiam Ruffinus Pamphili librum aduersus mathematicos, et Ariani librum, quem martyris Theophili nomine vulgauerat. Vterque vero iniuria temporis periit. Post Norisium autem FABRICIVS *y*) arbitratur, Pamphili martyris sententias aduersus mathematicos Latine versas in illius apologetico pro Origine. Hic inprimis propter libros historicos commemorandus est. Et Latine vertit 12) omnia Iosephi opera, antiquitatum Iudaicarum libros viginti; de bello Iudaico libros septem; et duos aduersus Appionem libros. 13) Eusebii historiam ecclesiasticam, in nouem libros redactam: quibus 14) historiae ecclesiasticae addidit libros duos, ac filum historiae

y) Biblioth. Lat. vol. 3. p. 500.

duxit ad mortem vſque Theodoſii imperatoris. Hi libri chromatio Aquileienſi conſecrati ſunt eo tempore, quo Gothorum Rex Alaricus Italiam populabatur. z)

§. LXXVI.

Ruffinum HIERONYMVS, in chronico Euſebiano, inſignem monachum vocat, ac paſſim, vt ſupra vidimus, miris laudum effert praeconiis. GENNADIVS a) eum ait non minimam fuiſſe partem doctorum eccleſiae, qui in transferendo de Graeco in Latinum elegans ingenium habuerit; maximamque partem Graecorum bibliothecae Latinis exhibuerit. Quae totidem verbis HONORIVS AVGVSTODVNENSIS, b) ad Ruffini operam inter ſcriptores eccleſiaſticos commendandam, refert. IOH. TRITHEMIVS c) virum eloquentem vocat, et in diuinis ſcripturis valde eruditum, Graeco et Latino peritum eloquio, inter eccleſiaſticos doctores non paruae opinionis. CASSIANVS d) Chriſtianae philoſophiae virum appellat, haud contemnendam eccleſiaſticorum doctorum portionem. Sic Ruffinus ſemper, ob vtriusque linguae et hiſtoriarum non vulgarem peritiam magni fieri conſueuit. Cum Seuerus Sulpitius PONTIVM PAVLLINVM rogaſſet, vt participem ſe faceret eorum, quae de antiquis temporibus obſeruaſſet: negauit hic, eorum ſe intelligentem eſſe, Ruffinum autem, ceu multis partibus peritiorem, Sulpitio commendauit, et ita ſcripſit: e) *quod de me non habui, de fratris vnanimi opulentiore theſauro petiui; et ipſam annotationem, quam commonitorii vice miſe-*

z) Vid. ipſa RVFFINI ad Chromatium ſcripta praefatio. a) De viris illuſtribus c. 17. b) De ſcriptoribus eccleſiaſticis l. 2. c. 17. c) De ſcriptoribus eccleſiaſticis c. 102. d) De incarnat. l. 7. c. 17. e) Epiſtola 9.

Digitized by

miseras, literis meis inditam direxi ad Russinum presbyterum sanctae Melaniae, spirituali via comitem, vere sanctum, et pie doctum, et ob hoc intima mihi affectione coniunctum. Si ille has, quae merito te permouent, de annorum, siue regnorum, non congruente calculo, hiantis historiae caussas non ediderit; qui et scholasticis, et salutaribus literis, Graece iuxta ac Latine, diues est: vereor ne apud alium, in his regionibus, frustra requiramus.

§. LXXVII.

Laudat DVPINIVS *f*) Ruffini elegantiam suauemque perspicuitatem. *Quod si minus*, inquit, *accuratae sunt hae versiones, at certe elegantes sunt, blandaque perspicuitate lectorem suauiter trahunt.* Sed Latinitas est, quae et aliorum huius seculi scriptorum valde inquinata. Et ipse ad Chromatium scribit: *g*) *a quo ego opere cum excusare me vellem, vtpote inferior et impar, et qui in tam multis annis vsum Latini sermonis amiserim, considerauí, quod non absque aliquo apostolicae institutionis ordine nobis ista praeciperes.* Fuit Latinitas Hieronymi floridior: attamen aequabilius a Ruffino seruatur dicendi genus: qui minus, quam ille, luxuriat, et magis, vt ea ferebant tempora, perspicuitati studet. Sunt hi et simiiles, non ad facultatem bene dicendi comparandam, sed propter historias legendi: ad quam illustrandam, ipso etiam iudicante VOSSIO, *h*) noster multum sane contulit operae, et apud multos olim magno habitus est loco.

§. LXXVIII.

Russinum, quam Hieronymus, nemo laudibus or-

f) Noua bibliotheca ecclesiasticorum auctorum tom. 3. p. 256.
g) Praefatione historiae eccles. *h*) De historicis Latinis l. 2. c. 15. pag. 208.

nauit maioribus: nemo magis atro notauit carbone. Hinc oppido multi bonum, indicta cauſſa, damnarunt. ANASTASII, Romani epiſcopi, ad Hieroſolymorum epiſcopum, extat de Ruffino ſententia, *i*) quod Origenis errores omnes fecerit ſuos, totusque a partibus ſuis alienus ſit, adeo quidem, vt, vbi degeret, ne ſcire quidem cupiat. Atque etiam ex ea controuerſia in decreto GRATIANI *k*) legimus: *Ruffinus vir religioſus plurimos eccleſiaſtici operis edidit libros: nonnullas etiam ſcripturas interpretatus eſt: ſed quoniam beatus Hieronymus in aliquibus eum de arbitrii libertate notauit, illa ſentimus, quae praedictum beatum Hieronymum ſentire cognoſcimus: et non ſolum de Ruffino, ſed etiam de vniuerſis, quos vir ſaepius memoratus zelo Dei et fidei religione reprehendit.* Hoccine pudendum, ac pontificia ſanctitate minime dignum auctoritatis praeiudicium? Forſan meliori iure CASAVBONVS *l*) atque VOSSIVS *m*) fidem eius accuſant hiſtoricam: et futiliſſimum auctorem IOSEPHVS SCALIGER *n*) vocat.

§. LXXIX.

Nimiam ſibi in vertendo libertatem ſumſit, ac magis ſententiam auctorum, quam dictiones reddere ſtuduit: vt paraphraſes potius, quam verſiones ſcripſiſſe videatur. Multa pro lubitu, quod etiam ipſe fatetur, reſcidit, addidit, atque mutauit. Quod ad Ioſephi verſionem attinet, multis in locis ad inſaniam vſque inepta eſt: partim quod corruptiſſimos legit codices, partim quod iudicio critico deſtitutus, quicquid inuenire potuit, eo referre nul-

i) Hieronymi operibus tom. 4. p. 134. *k*) Parte prima, diſtinct. 15. c. 3. *l*) Ad apparat. annalium ſect. vlt. *m*) De hiſtoricis Latinis l. 2. c. 11. p. 208. *n*) Appendice operis de emendat. tempor.

Digitized by Google

nullus dubitauit. In Euſebii eccleſiaſtica hiſtoria ea libertate vſus eſt: vt ne paraphraſis quidem vere dicenda, ſed noua Ruffini commentatio, qua plurimum Euſebium exſcripſerit. Dimidium octaui libri omiſit: decimum vix attigit: ex duobus, octauo et nono, vnicum conflauit. Libro ſeptimo miraculorum Gregorii Thaumaturgi narrationem adiecit, quae nuſquam apud Euſebium extabat. Nono libro orationem adiecit martyris Luciani. Sexti et ſeptimi libri ordinem vel capita non nihil immutauit. Paſſim multa reperies vitia: ex. gr. illum ipſum Zachariam, de quo apud Lucam, turpiſſimo errore cum martyre Lugdunenſi confundit. Multa in eius compilatione aduerſus hiſtoriae fidem inueniuntur. Integros ſex annos Athanaſium delituiſſe comminiſcitur, poſt latam in ipſum Tyriorum ſententiam. In hiſtoria Athanaſii ordinem inuertit temporum. Gregorio Nazianzeno, vt et Baſilio paulo iniquior eſt. Falſo Hilarium excommunicatum aſſerit. Nec ſatis ordinem ſequitur temporum, vbi eum poſt concilium Mediolanenſe miſſum ſcribit in exilium. Sua tamen non prorſus defraudandus eſt laude, qui vtiliſſimam eccleſiae nauauit operam, dum omnium primus ſui temporis conſcripſit hiſtoriam, certoque ordine digeſſit.

§. LXXX.

Extant Euſebii hiſtoria eccleſiaſtica, Ruffino interprete, eiusque libri duo, quos ad eam continuandam nouem Euſebianis addidit, cum aliis hiſtoriae eccleſiaſticae ſcriptoribus *Baſileae* 1544. fol. ex officina Frobeniana, cum praefatione Beati Rhenani. Opera Ruffini *Lutetiae* 1580. fol. a Sonnio edita ſunt. Aſt duae inuectiuae, apologia ad Anaſtaſium, et epiſtola de adulteratis Ori-

Origenis libris, quae, vt ſupra notauimus, in Hieronymi operibus leguntur, in hac editione praetermiſſae ſunt.

§. LXXXI.

Theodoſii M. et filiorum Honorii et Arcadii Auguſtorum temporibus illuſtre non modo inter ſacros, verum etiam inter hiſtoricos ſcriptores, nomen habuit merito S. AVRELIVS AVGVSTINVS, Hipponenſis epiſcopus, de cuius vita et ſcriptis agemus ſuo loco pluribus. Scripſit vero inter alia multa, maximam partem theologici argumenti, *confeſſionum libros XIII.* quibus ipſe vitam ſuam coloribus ad viuum depingit natiuis. Vitia lectoribus iuxta et virtutes ſuas ob oculos ponit, et quam variis fuerit agitatus per varias aetates affectibus. Confeſſionum nomine hanc ſcribit hiſtoriam, ne laudum ſuarum videatur eſſe buccinator; ſed omnia referre ad ſummam Numinis gloriam, quod meditationibus ſacris et feruidis precibus ſaepius alloquitur. Hinc AVGVSTINVS ipſe: *o) confeſſionum mearum libri XIII, et de malis, et de bonis meis, Deum laudant iuſtum et bonum, atque in eum excitant humanum intellectum et affectum. Interim, quod ad me attinet, hoc in me egerunt, cum ſcriberentur, et agunt, cum leguntur.* Atqui, vt DVPINIVS *p)* recte iudicat, interdum cogitationes in hoc libro occurrunt paulo abſtractiores, et quae lectoris captum ſuperant, eloquentiam elegantiamque affectat nimis: vt maiorem ingenii ſagacitatem, quam animi, Chriſto deuoti, lenitatem ſimplicitatemque prae ſe ferre videatur. Hiſtoricus quoque eſt Auguſtini liber *de haereſibus*, quem anno CCCCXXVIII. Quodvultdei rogatu ſcri-

o) Retractationum l. 2. c. 6. *p)* Bibliotheca noua eccleſiaſticorum auctorum tomo 3. p. 295.

Digitized by

scripsit duabus partibus. Priori agit de haeresibus, quae a Christo ad sua vsque tempora natae, i. e. a Simonianis ad Pelagianos vsque, et haereses in vniuersum continet LXXXVIII. Parte posteriori examinat, quid ad haeresin constituendam requiratur. Omnium vero nobilissimum opus, historiam ferme complectens vniuersam, habemus libris XXII. *de ciuitate Dei*: cuius valde miror nullam plane a VOSSIO *q*) mentionem fieri. Opus istud Augustinus anno circiter post Christum natum CCCCXIII. post captam ab Alarico, Gothorum rege, vrbem Romam, aggressus est, eo potissimum consilio, vt querelas confutaret illorum ethnicorum, qui omnem vrbis calamitatem in Christianos, malam tot malorum caussam referre non dubitabant. Confecit tandem vtilissimam tractationem hanc anno CCCCXXVI. quarto ante obitum, quam merito absolutissimam dixeris, ac rerum insignium mira varietate distinctam. Duarum ciuitatum, Dei et mundi, origines et progressus enarrantur: a parte vero potiore totum opus de ciuitate Dei inscribitur. Libro I. ostendit, ethnicos falso, nec sine iniuria, tot calamitatum, quae obuenerint Romanae reip. culpam reiicere in Christianos. Extremo Romanorum mores in omnia flagitia, auaritiam, turpesque voluptates effusos describit. II. Morum dissolutionem demonstrat malorum omnium esse maximum. Et eam Romae semper obtinuisse, et ipso idolorum cultu fuisse excitatam. III. Ad ipsa Troianae obsidionis tempora ascendit, ac ordine summa rerum cacumina tangens, aduersam depingit Romanorum fortunam: vnde pateat, immerito reiici tot malorum caussam in Chri-

q) De historicis Latinis l. 2. c. 13. init.

Chriſtianos. IV. Imperium Romanum docet in tantam magnitudinem creuiſſe non propter Deorum cultum: neque gloriam ac poteſtatem eius vel omnibus ſimul, vel vni cuidam Deorum ſigillatim tribuendam. Partum eſſe imperium vi potius et armis, quam iuſtitia et pietate: latrocinium eſſe verius, quam felix et bene ordinata reſp. Chriſtum vero, quem pia mente colant, ſolum regnorum datorem et diſtributorem eſſe. V. Rem perſequitur eandem. Et imperiorum magnitudinem oſtendit nec caſu eſſe, nec ab aſtrorum influxu, aut ſiderum vario concurſu dependere. Poſtea in tot victoriarum cauſſas inquirit: quas Romanos putat probitati ceterisque virtutibus referre acceptas. VI. Ethnicorum theologiam μυθικὴν et πολιτικὴν ridiculam eſſe docet. VII. Pergit profanae theologiae abſurditatem commonſtrare, et Deos maiores iſtorum ſelectosque indignos eſſe, qui Dii appellentur: ſolum vero Chriſtianorum Deum ſapientiſſime et potentiſſime regere mundum. VIII. Theologiam naturalem impugnat. Et omnes philoſophos inter ſtatuit principem eſſe Platonem, qui verum agnouerit Deum. IX. Agit de bonis et malis daemonibus. X. De angelorum cultu. XI. Duarum ciuitatum originem repetit, ex angelorum duplici genere. Agit de mundo viſibili, quem mundus inviſibilis angelorum ſequitur. XII. Bonorum et malorum diſcrimen ait non eſſe ab illorum natura, ſed a voluntate: cum quicquid a Deo creatum ſit optimum, ſuoque genere perfectum. Agit porro de hominis creatione et lapſu. XIII. Fuſius de lapſu primi hominis diſputat: quem mors animae et corporis fuerit ſecuta, peccati poena. XIV. Pergit agere de lapſu hominis eiusque triſtibus effectis. XV. Hiſtoriam a mundi principio ad diluuium vſque deducit. XVI. Hiſtoriam a Noacho ad Abra-

Digitized by Google

Abrahamum, et porro ad reges Iſraelis perſequitur. XVII. Regum et prophetarum hiſtorias curſim pertractat. XVIII. Hiſtoriam exhibet praecipuarum monarchiarum, earumque tempora cum ſacris conciliare ſtudet. Nec fabuloſa praeterit atque Sibyllarum oracula. Imperii Iudaici, in ruinam vergentis, pertexit hiſtoriam ad Chriſti natiuitatem. Hanc proxime ſequuntur, Iudaeorum diſperſio, eccleſiae fundatio, peſecutiones et haereſes. XIX. De finibus agit vtriusque ciuitatis. XX. Deſcribit futurum iudicium, mundi reſtaurationem, reſurrectionem, coeleſtemque Hieruſalem. XXI. Agit de fine ciuitatis terrenae, ſuppliciis daemonum ac damnatorum. XXII. De beatitudine, qua ſancti gaudeant in aeternum. Statim a prima artis typographicae origine prodierunt Auguſtini libri de ciuitate Dei 1467. fol. ſine typographi et loci indicio. *Romae* 1468. fol. per Conradum Sweinheim et Arnoldum Pannartz. 1474. fol. per Vldarium Gallum Almannum et Simonem Nicolai de Luca. *Venetiis* 1470. fol. per Iohannem et Vindelinum de Spira. 1475. fol. per Nicol. Ienſon. *Moguntiae* 1475. fol. per Petrum Schoefer. *Neapoli* 1477. fol. per Matthiam Morauum. *Baſileae* 1479. fol. per Michaelem Wenkler, cum commentariis Thomae Valois, et Nicolai Triueth, Iacobi de Paſſauant, et Franciſci de Maironis. *Lugduni* 1520. fol. cum iisdem commentariis. Vt longa ſerie taceam editiones alias, prodierunt ſeparatim libri de ciuitate Dei *Hamburgi* et *Francofurti* 1661. 4. cum Ioh. Ludouici Viuis et Leonhardi Coquei commentariis vtiliſſimis, duobus voluminibus.

§. LXXXII.

PAVLINVS presbyter S. Ambroſii Mediolanenſis epiſcopi miniſter et, vt hodie loquimur, ſecretarius, vel amanuenſis fuit. Poſtea presbyter factus, petente S. Auguſtino,

guſtino, ad eum vitam S. Ambroſii, magiſtri ſui, ſcripſit. Hoc enim initio opuſculi teſtatur ipſe: hortaris, venerabilis pater Auguſtine, vt ſicut beati viri Athanaſius epiſcopus, et Hieronymus presbyter ſtilo proſecuti ſunt vitas ſanctorum -- ſic etiam ego beati Ambroſii, epiſcopi Mediolanenſium eccleſiae, meo proſequar ſtilo. Sunt, qui Paulinum hunc cum alio eiusdem nominis Nolano epiſcopo confundunt: quem errorem etiam apud SIGEBERTVM GEMBLACENSEM *r*) deprehendo. ISIDORVS HISPALENSIS VERO, *s*) et HONORIVS AVGVSTODVNENSIS *t*) illos probe diſtinguunt: quibuscum VOSSIVS *v*) omnino conferendus eſt. Vtplurimum haec vita cum S. Ambroſii operibus coniungitur. Extat quoque apud SVRIVM quarto Aprilis, ſiue de probatis ſanctorum hiſtoriis tomo ſecundo pag. 526. ſeqq.

§. LXXXIII.

Honorii Auguſti imperatoris temporibus extremis floruit PAVLVS OROSIVS, gente Hiſpanus, Tarraconenſis presbyter. *x*) Ab Hiſpanis ſcriptoribus, quos NIC. ANTONIVS *y*) et PETRVS BAELIVS *z*) refellunt, fruſtra eremitis Auguſtinianis, vel Legionenſibus epiſcopis adſcribitur. Etiam cum presbyter eſſet, miro flagrabat literis ſacris proficiendi deſiderio: adeo quidem vt nullis pepercerit laboribus, nullis ſumtibus, atque fama D. Auguſtini excitatus, longo itinere ſuperato, doctrinam eius in

r) De ſcriptoribus eccleſiaſticis c. 14. *s*) De ſcript. eccleſ. c. 4. *t*) De ſcript. eccleſ. l. 3. c. 4. *v*) De hiſtoricis Latinis l. 2. c. 13. p. 215. *x*) OROS. l. 7. c. 22. *Aedes, ſigna miſeriarum, et nominum indicia ſeruantes: ex quibus nos quoque in Hiſpania Tarraconem noſtram ad conſolationem miſeriae recentis oſtendimus.* *y*) Biblioth. Hiſpan. vet. l. 3. c. 1. *z*) In Lexico.

Digitized by Google

in Africa expetierit. A. C. CCCCXIII. eccleſiae quaſi Legatus ad Auguſtinum, Hipponenſem epiſcopum, venit: vt eius doctrina aduerſus haereſes inſtrueretur, atque doctior tandem reuerſurus domum, inprimis tunc temporis in Hiſpania gliſcentibus Priſcillaniſtarum erroribus obuiam ire poſſet. Virum commendatiſſimum Auguſtinus amplectitur, docet, et per tempus aliquod in ſinu quaſi fouet. Deinde eum, vt melioribus imbueretur, maxime doctrinam de anima perdiſceret, ad D. Hieronymum, Bethlehemi in Palaeſtina degentem, mittit, ac illi tanto eccleſiae doctori de meliori nota commendat, ſcribens inter alia: a) *ecce venit ad me religioſus iuuenis, catholica pace frater, aetate filius, honore compresbyter, noſter Oroſius, vigil ingenio, paratus eloquio, flagrans ſtudio, vtile vas in domo domini eſſe deſiderans, ad refellendas falſas pernicioſasque doctrinas, quae animas Hiſpanorum multo infelicius, quam corpora barbaricus gladius, trucidarunt. Nam inde ad nos vſque ab oceani littore, properauit, fama excitus, quod a me poſſet de his, quae ſcire vellet, quicquid vellet, audire. Neque vllum cepit aduentus ſui fructum. Primo, ne de me multum famae crederet: deinde docui hominem, quod potui: quod autem non potui, vnde diſcere poſſet, admonui, atque vt ad te iret, hortatus ſum. Qua in re conſilium, vel praeceptum meum cum libenter et obedienter acciperet, rogaui eum, vt abs te veniens, per nos, ad propria remearet.* etc. Ad Hieronymum venit anno CCCCXIV. perhumaniter accipitur, atque cum inſigni voluptate animi doctorem eum, de anima differentem audit, vt ſuper grauibus eum quaeſtionibus conſulere inſtituerat. Hic dum apud Hie-

 ronymum

a) AVGVSTIN, libro de ratione animae ad D. Hieronymum.

ronymum Bethlehemi latet, ab ſacerdotibus Palaeſtinis Hieroſolymam euocatur: vbi ab vniuerſis referre iuſſus, quid de haereſi, quam Coeleſtius et Pelagius ſeminaſſent, in Africa actum ſit, rem illis omnem fideliter expoſuit: poſtea, intromiſſo Pelagio, cauſſam diſceptare debuit, quam Iohannes, Hieroſolymitanus epiſcopus, et Pelagii amicus, vt ſuam ſuſceperat. Multis vtrinque agitatis, tandem conuenit, vt Innocentius, vrbis epiſcopus, de iſtis conſuleretur, ac interea temporis Pelagius a ſpargenda ſententia ſua deſiſteret: illi vero etiam, qui Pelagium oppugnaſſent, ab inſultatione conuicti Iohannis abſtinerent. XLVII. diebus poſt, primo encaeniorum die, cum Oroſius de more ad obſequium Iohannis accurriſſet: ille pro ſalute hoc ſolum ingeſſit, nihil ſibi negotii eſſe cum homine blaſphemo: eum enim in Hieroſolymitano conuentu dixiſſe, ne quidem cum adiutorio Dei implere quemquam poſſe legem diuinam. Magna tum certe erat epiſcopi Hieroſolymitani auctoritas: et apologiam Oroſius ad Palaeſtinos ſacerdotes ſcribere debebat: vt ab iſta calumnia ſe purgaret. Ea Pelagianum dogma accurate refellit, et quid in concione Hieroſolymitana fuerit actum ita exponit, vt illos ipſos, qui coram diſputationi interfuiſſent, teſtes conſtituat. *b*) Cum Hieroſolymis reuertiſſet, in occidentem ſecum attulit S. Stephani protomartyris reliquias, tunc primum inuentas. *c*) Lucianus enim presbyter quidam, et vir ſanctus, a Deo reuelatum accepit locum ſepulchri et reliquiarum S. Stephani martyris primi: quam reuelationem ipſe ad omnium eccleſiarum perſonas Graece ſcripſit. *d*) Auitus autem presbyter, homo

b) Vid. VOSSIVS hiſtoriae Pelagianae lib. 1. cap. 17. *c*) GENNADIVS de viris illuſtribus c. 39. *d*) GENNADIVS l. c. cap. 46.

Digitized by Google

homo genere Hiſpanus, reuelationem iſtam Latine reddidit, ſuaque addita epiſtola per Oroſium occidentalibus communicauit. *e)* Scripſit vero ea epiſtola AVITVS ad Palconium, epiſcopum Braccarenſem: *f)* *quamobrem miſi vobis per ſanctum filium et compresbyterum meum Oroſium reliquias* etc. Inuentae ſunt reliquiae iſtae CCCCXV. *g)* In Africam redux, incertum quo anno prope Carthaginem deceſſit, Romae vero ſepultus eſt in templo Euſebii, ad trophaea Marii. *h)*

§. LXXXIV.

Scripſit aduerſus paganos, quos vocant, *hiſtoriarum libros ſeptem*, ad D. Aurelium Auguſtinum, ab orbe condito, vſque ad annum Chriſti CCCCXVII. Scilicet cum Roma, Honorio imperante, ab Alarico, Gothorum rege, expugnata eſſet; pagani, omnium calamitatum cauſſas in Chriſtianos conferentes, defectum reip. Romanae affirmabant a neglecto deorum cultu et religione Chriſtiana venire. Circa annum CCCCXIII. ad Auguſtinum ex Hiſpania venit Oroſius, iuuenis vir doctus, et hiſtoriarum inprimis peritus. Hunc rogat Auguſtinus, vt inde ab orbe condito omnium regionem vel eadem, vel magis triſtia fata fuiſſe demonſtraret, ac impiorum vel querelis, vel calumniis reſponderet. Hos ergo aduerſus paganos hiſtoriarum libros quadriennio poſt abſolutos Auguſtino dicauit: eumque libri primi exordio ita allocutus eſt: *praeceptis tuis parui, beatiſſime pater Augu-*

e) Idem cap. 47. *f)* Luciani narrationi praemiſſa. *g)* Conſulatur vetus chronicon a THEODORICO RVINARTO editum in hiſtoria perſecutionis Vandalicae pag. 113. *h)* Vid. VOLATERRANVS antropologia, ſiue commentar. vrbanorum l. 18. p. 649. Pl. confer. DAN. GVIL. MOLLERVS, qui de Oroſio diſputationem circularem edidit Altdorfii 1689. 4.

Auguſtine, atque vtinam tam efficaciter, quam libenter -- Praeceperas mihi, vti aduerſus vaniloquam prauitatem eorum, qui alieni a ciuitate Dei, ex locorum agreſtium compitis et pagis pagani vocantur, ſiue gentiles: quia terrena ſapiunt, qui cum futura non quaerant, praeterita autem aut obliuiſcantur, aut neſciant, praeſentia tantum tempora, veluti malis extra ſolitum infeſtatiſſima, ob hoc ſolum, quod creditur Chriſtus, et colitur Deus, idola autem minus coluntur, infamant. Praeceperas ergo, vt ex omnibus, quae haberi ad praeſens poſſunt, hiſtoriarum atque annalium libris, quaecunque aut bellis grauia, aut corrupta morbis, aut fame triſtia, aut terrarum motibus terribilia, aut inundationibus aquarum inſolita, aut eruptionibus ignium metuenda, aut ictibus fulminum plagisque grandinum ſaeua, vel etiam parricidiis flagitiisque miſera, per tranſacta retro ſecula reperiſſem, ordinato breuiter voluminis textu explicarem etc. Opere autem extremo: *i) Explicui, adiuuante Chriſto, ſecundum tuum praeceptum, beatiſſime pater Auguſtine, ab initio mundi, vſque in praeſentem diem, hoc eſt per annos VM. DCXVIII. cupiditates et punitiones hominum peccatorum, conflictationes ſeculi et iudicia Dei, quam breuiſſime et quam ſimpliciſſime potui.* Idem fere argumentum e Graecis ſcriptoribus IVSTINVS, *k)* e Latinis TERTVLLIANVS, *l)* CYPRIANVS, *m)* ARNOBIVS, *n)* AMBROSIVS, *o)* PRVDENTIVS, *p)* et ipſe AVGVSTINVS libris de ciuitate Dei pertractarunt. Sed quam diligentiſſime Oroſius in hoc opere perſe-

i) Lib. 7. c. 43. *k)* Quaeſt. 126. ad orthodoxos. *l)* Apologetici c. 40. et l. 1. ad Nationes c. 9. *m)* Ad Demetrianum. *n)* Lib. 1. init. *o)* Contra Symmachum epiſt. 31. ad Valentinianum imper. *p)* Contra Symmachum l. 2. verſ. 916. ſeqq.

Digitized by Google

perſecutus eſt, per inductionem omnium temporum demonſtrans, indignam hanc paganorum eſſe calumniam, a quibus Chriſti nomen tanquam lues aliqua illorum temporum probris grauabatur. *q*) Semper a condito mundo ad ea vſque tempora in omnibus regionibus calamitates, et rerum viciſſitudines fuiſſe. Potius Chriſtianorum ſupplicationibus et gratiae diuinae acceptum referendum, quod peccatis vndique commaculata adhuc perſiſteret res Romana: vt, pace et tranquillitate recuperata, ſaluti conſulere queant.

§. LXXXV.

Scripſit praeterea 1) *commonitorium* ad Auguſtinum de Priſcillianiſtarum et Origeniſtarum erroribus: *r*) quo eum impenſe rogauit, vt eloquii ſui rore plagae iſti Hiſpanicae remedium afferret. 2) *Apologeticum contra Pelagianos, de arbitrii libertate.* *s*) Quid de libris *ad Marcellinum* ſtatuendum, pluribus nos GERH. IOH. VOSSIVS *t*) edocet. Pluribus IOH. ALB. FABRICIVS *v*) conſulendus eſt. *Commentarius in Cantica*, TRITHEMIO *x*) et aliis memoratus, neque Oroſii eſt, neque, vt VOSSIVS *y*) ſuſpicabatur, Origenis, ſed Honorii, vti forte etiam

q) Conſer. OROSIVS l. 7. c. 37. et GENNADIVS de viris illuſtribus c. 39. *r*) Ea occaſione Auguſtinus ad Oroſium ſcripſit contra Priſcillianiſtas et Origeniſtas: cui libro Oroſii commonitorium praemitti ſolet. *s*) De quo conſulendus eſt G. I. VOSSIVS hiſtoriae Pelagianae l. 1. c. 17. Extat magna bibliotheca patrum *Coloniae* 1618. tom. 15. p. 5. *t*) L. c. Item de hiſtoricis Latinis p. 218. *v*) Biblioth. Latin. vol. 3. pag. 538. Biblioth. mediae et infimae Latinitatis l. 14. p. 522. ſeq. *x*) De ſcript. eccleſ. c. 121. Et SIXTVS SENENSIS Biblioth. ſanctae l. 4. p. 359. *y*) Hiſt. Pelag. l. 1. c. 17. Sed errorem ipſe correxit de hiſt. Lat. l. 2. c. 14. p. 218.

etiam Honorii eſt liber de viris illuſtribus, quem MS. Cantabrigiae in Bibl. S. Benedicti ſub Oroſii nomine Iameſius reperit. A. VALERIO ANDREA z) Oroſio etiam tribuitur liber *de ratione animae*, et *epiſtolarum volumen* ad Auguſtinum et diuerſos. Quae totidem verbis TRITHEMIVS *a*) quoque indicat: ſed nuſquam hodie reperiuntur. Inter S. Auguſtini opera *b*) legitur *dialogus LXV. quaeſtionum* Oroſii percontantis et Auguſtini reſpondentis, neutri certe illorum adſcribendus. Neque Oroſii ſunt, quae illi tribuuntur, *quaeſtiones de trinitate et aliis S. Scripturae locis, ad Auguſtinum.* De aliis FABRICIVS bibliotheca mediae et infimae Latinitatis *c*) iudicat. Hiſtorica ſolum hic nobis deſcribenda veniunt, quae ſine dubio viri occupatio nobiliſſima fuerunt.

§. LXXXVI.

Codices quidam Oroſii MSti, teſte CANGIO, *d*) ſunt *de ormeſta mundi contra paganos.* TRITHEMIVS *e*) et GESNERVS *f*) appellant *de hormeſta mundi chronicam.* Nec dubium, quin idem liber a BALAEO *g*) ſignetur, vbi Alphredum Magnum, regem Anglorum doctiſſimum, inter alia notat *hormeſtam Pauli Oroſii* in Anglicam linguam transtuliſſe. Sed cur liber iſte *hormeſta* dicitur, quae vox neque Latina, neque Graeca eſt? Proxime quidem accedit ad ὁρμευτὴς, quae vox, HESYCHIO teſte, piſcatorem ſignificat. Nihil vero piſcatori cum chronico. VOSSIVS *h*) ergo ſibi perſuadet, ſcribi potius oportere *Oroſii hormathus.* Eſt enim ὁρμαθὸς catena, vel ſeries.

Vnde

z) In catalogo ſcriptorum Hiſpaniae. *a*) De ſcript. eccleſ. c. 121. *b*) Tom. 6. edit. Bened. in appendice pag. 487. *c*) Lib. 14. p. 525. *d*) Gloſſar. in *hormeſta* et *ormeſta*. *e*) De ſcriptor. eccleſ. c. 121. *f*) Bibliothecae l. 1. *g*) In ſcriptoribus Britannicis cent. 2. c. 26. *h*) Hiſtoriae Pelagianae l. 1, c. 17. p. 63.

Digitized by Google

Vnde prouerbium ὁρμαθὸς κακῶν, ſeries malorum. Et chronicon nihil aliud eſt, quam catenata temporum ſeries. Alibi *i*) nec ſibi hoc commentum placere ait Potius cenſet, dominum libri in frontiſpicio eius, vt fieri ſolet, nomen ſuum adſcripſiſſe: quod *Hormiſta*, aut ſimile fuerit. Iſtud vero poſtea inſcriptionis factum eſſe partem ab imperito librario. Vel, quod in primis placet, dicendum, *hormeſta* corruptum eſſe ex *hominum miſeria*: quae voces non integrae, ſed compendio quodam literarum fuerint exaratae, vt in veteribus MStis crebro fieri ſolet. Nec defuere, qui opus illud *de mundi miſeria*, et *de miſeria hominum* inſcriptum legiſſe teſtati ſunt. Qui quidem titulus cum inſtituto auctoris, et libri argumento ſatis conuenit. BONIFACIVS *k*) ſcriptum putat eſſe *ormeſta*, pro *or. meſta*. i. e. *orbis moeſtitia*; ſeu potius, *Or. m. iſta*. i. e. *Oroſii mundi hiſtoria*. Vulgo enim conſtat notarios ita per literarum compendia, breuitatis et celeritatis cauſſa, ſcripſiſſe. ECCARDVS *l*) deriuat ab Gothico *armen*, miſereri, velut *armwiſt*, ſiue *ormiſt*, miſeria. FRISCHIVS *m*) interpretatur *Horoſii moeſta*. GVNDLINGIVS *n*) *Oreſtes* ſcriptum fuiſſe defendit, veluti longa tragoedia. Aliorum ſententias collegit FABRICIVS, *o*) qui ipſe HEVMANNI V. C. coniecturam amplectitur, nomen eſſe ſcriptoris, vt dictus ſit *Paulus Hormisdas Oroſius*.

i) De hiſtoricis Latinis l. 2. c. 14. p. 217. *k*) De XL. Romanae hiſtoriae ſcriptoribus c. 31. p. 58. *l*) Diſſert. inſerta tomo primo biblioth. hiſt. theol. Bremenſis 1718. 8. tom. 1. faſc 3. p 325. *m*) Miſcellaneis Berolinenſibus tom. 3. p. 311. *n*) In Gundlingianis part. 25. pag. 440. *o*) Annot. ad Trithem. de ſcript. eccleſ. c. 121. Bibliotheca eccleſ. p. 4. Bibliotheca mediae et infimae Latinitatis l. 14. pag. 520. ſeq. Biblioth. Lat. vol. 3. pag. 537.

Digitized by Google

fius. p) Sed fallitur, eam quoque mentem fuiſſe olim VOSSII, qui, vt ſupra vidimus, non libri auctoris, ſed poſſeſſoris cuiuscunque nomen in apice ſcriptum fuiſſe arbitratur. Taedet vero cum eodem VOSSIO *q)* nos pluribus inſiſtere rei tam incertae, et voci plane nihili: quam neque ſcriptores veteres, neque melioris aeui codices agnoſcunt.

§. LXXXVII.

Eſt profecto ſcriptor non plane inutilis, *r)* vt ſuo tempore, vel ex Auguſtini et Hieronymi conſuetudine, fuit non exiguae auctoritatis. GENNADIVS *s)* et HONORIVS *t)* virum vocant eloquentem et hiſtoriarum cognitorem. TRITHEMIVS *v)* virum in diuinis ſcripturis eruditum, et in ſecularibus literis peritiſſimum, vita et conuerſatione clariſſimum; vita et doctrina illuſtrem. SIXTVS SENENSIS *x)* virum in ſecularibus ac diuinis literis eruditiſſimum. LVDOVICVS THIBOVST *y)* Pauli Oroſii merita ſummis laudibus euehere ſtudet: qui, etſi conflictationes generis humani, cupiditates, et varios calamitatum euentus ſe ſcripturum pollicetur, nihilo tamen ſecius perpetuae hiſtoriae ſeriem ab orbe condito ad memoriam ſuorum temporum ſumma cum fide ſit complexus. Neque, ſecundum illius opinionem, eloquentiae

p) Confer. Acta erud. Lipſ. tom. 10. ſuppl. p. 263. HEVMANNI V. C. programma quo Paulo Oroſio tertium nomen Hormiſtae reſtituitur prodiit Goettingae 1732. *q)* De hiſt. Lat. l. c. 14. pag. 217. Confer. BOECLERVS bibliographia critica pag. 182. *r)* Sunt enim in eo quaedam vix alibi reperiunda. *s)* De viris illuſtribus c. 39. *t)* De ſcriptoribus eccleſiaſticis l. 2. c. 39. *v)* De ſcriptoribus eccleſiaſticis c. 121. *x)* Bibliothecae ſanctae l. 4. p. 359. *y)* Epiſtola nuncupatoria ad Ludouicum et Andream Guillardum praemiſſa Oroſii editioni Pariſienſi 1510. 4.

Digitized by

tiae laudibus caruit, cuius perſpicua breuitas, ſucculentiore rerum narratione concinnata, grauibus quidem ſententiis cumulatiſſima, et inuitabili diſtincta varietate ſplendeſcit effulgetque, atque adeo impellit lectorem: vt vix exiſtimet tantum dicendi artificium in hoc corpuſculo contineri. Deinde, poſtquam demonſtrauit, maiorem in exiguo corpore regnare virtutem, teſtatur *de prudentia noſtri hiſtoriographi, qui in hoc ſuo breui opere res tot retroactis ſeculis geſtas ampliter deſcribit, breuitatem neque obſcuram, neque ieiunam obſeruans: ſed quae quanto ſuppreſſior eſt, tanto eſt prudentior et luculentior.* Commendat denique adoleſcentibus ſuis praeſtantiſſimum hoc opus: vnde multum iucunditatis, multum emolumenti, nec minus beatitudinis reportare poſſint. *Opus*, inquit, *eſt non minus frugiferum, quam voluptificum.* Ita quoque IOH. CAESARIVS z) virum in lectione hiſtoriarum exercitatiſſimum de meliori nota commendat. *Aggreſſus*, inquit, *hiſtorias conſcribere per libros VII. ab origine mundi exorſus, collectis vndique, vt eſt veriſimile, annalibus, adiutusque proculdubio, quos ante ſe habuit, hiſtoricis minime vulgaribus. Eos ipſos libros ſeptem in opus redegit, profecto vt non inelegans, ita nec ceteris hiſtoriarum ſcriptoribus longe poſtponendum: quin eisdem in hoc fortaſſis praeferendum, quod vbique auctor ipſe in toto opere illo ſuo cum rerum geſtarum narratione temporum annorumque collationem ſupputationemque coniunxit.* Atque ita ſibi perſuadent multi, Paulum Oroſium in iis ponendum eſſe, qui vniuerſali hiſtoriae animum adiecerunt. Nec alienus eſt ab ea ſententia ANDREAS SCHOTTVS, *a*) qui

z) Epiſtola nuncupatoria ad Georgium a Seina, praemiſſa Oroſii editioni Colonienſi 1536. 8. *a*) Epiſt. ad Petr. Cholin, praemiſſa Oroſii editioni Moguntinae 1615. 8.

qui *Orcheſtram* putat inſcriptum eſſe hoc opuſculum, ceu theatrum rerum geſtarum : et hiſtoriarum lectionem ab eo auſpicandam eſſe arbitratur. Sed hi nimis profecto liberaliter iudicant de conciſo libello, eoque ex ſingulari occaſione, ad certum ſcopum ac hypotheſin ex variis, ſine iudicio hiſtorico, relato. *b*) Hiſtoriam cum ex aliis ſcriptoribus Latinis, tum ex Iuſtino inprimis collegit: quem non tam ſequitur, quam aſſidue exſcripſit: ſuaque ipſius Iuſtini furta fecit. *c*) Hinc ne hiſtorici quidem nomine dignum cenſet SIGONIVS. *d*) *Paulus*, inquit, *Oroſius Hiſpanus, indignus hiſtorici nomine, nonnulla ex Eutropio et Floro excerpta collegit. Primae illi partes in religione Chriſtiana laudandae, veterumque ſuperſtitione explodenda.* Scriptores Graecos non legit : imo literarum Graecarum expers plane fuit. In temporum ratione fallitur ſaepius : vt ex illis patet, quae in eo vnus SCALIGER *e*) caſtigauit. Vulgares vtplurimum ſequitur opiniones, ſine iudicio hiſtorico. Tantumque abeſt, vt omnia, ſecundum leges hiſtoricorum, ad veritatis trutinam expendere inſtituat. Ex. gr. memoriae prodidit, *f*) Druſum a Tiberio, manifeſtis veneni ſignis, extinctum fuiſſe: quam vulgi opinionem TACITVS *g*) refellit. Vbi IVST. LIPSIVS *h*) annotat : *me non valde mouent eiusmodi ſcriptores, legitimae hiſtoriae (dicam iratis quorundam*

b) Vid. BOECLERVS bibliographia critica pag. 182. SCHVRZFLEISCHIVS notitia ſcriptorum librorumque varii argumenti part. 3. pag. 11. *c*) Confer. BERNEGGERVS ad Iuſtinum. SCHOTTVS praefatione editionis ſuae. BOECLERVS bibliographia critica p. 182. *d*) Iudicio de hiſtoricis, qui res Romanas ſcripſerunt c. 31. *e*) In animaduerſionibus Euſebianis. *f*) Hiſt. l. 7. c. 4. *g*) Annal. l. 4. c. 11. *h*) Comment. ad Tacit. annal. p. 193.

Digitized by Google

dam auribus) *dehoneſtamenta.* Poſtea *i*) vbi de hiſtoriae magno hiatu queritur: *malum*, inquit, *tuum, Corneli, fatum! non paginae aliquot, ſed libri hic perierunt, quibus geſta fere triennii continebantur. - - Adeo bonis illis patribus cura otiumque fuit deſcribere Oroſios et Vopiſcos, et huiusmodi quiſquilias, prae tuo* (Taciti) *auro.* De maximo terrae, memoria mortalium motu, qui Tiberii Caeſaris principatu extitit, XII. vrbibus Aſiae vna nocte proſtratis *k*) annotat: *l*) *bonum Oroſium quam fugit ratio, qui hunc tremorem terrae ad tempus refert mortui noſtri Seruatoris! quod nos quidem ſcimus totis quatuordecim annis poſterius fuiſſe. Scilicet egebant hoc fuco ſacrae literae.* CASAVBONVS *m*) illi quoque parum fidei tribuit, et Baronium illius auctoritate fretum, atque erroris incautum accuſat: *Oroſium, ex quo multa - - deſcribit, ſcriptorem alioquin optimum, et zelo domus Dei plenum, ſi niniae facilitatis in talibus credendis poſtulauerimus; non deerunt viri praeſtantiſſimi, quorum exemplo factum tueamur: non rationes validiſſimae, quibus ſanctum virum ταχυπειθίας, et niniae credulitatis, reum peragamus. Taceo rerum Romanarum ignorationem aliquando mirificam: etiam Baronio teſte non ſemel.* DVPIN: *n*) Hormeſtus Oroſii inſcriptus *liber quaedam eſt quaſi vniuerſalis hiſtoria, in ſeptem diſtributa partes, quae ſua non videtur vtilitate carere. Non inelegans illa equi-*

i) Ad lib. 5. annal. comment. p. 232. Alios Oroſii errores notat pag. 20. paſſim. *k*) Apud TACITVM annal. l. 2. c. 47. init. Cuius etiam meminit PLINIVS hiſt. natur. *l*) Ad Tacit. l. 2. annal. comment. pag 107. *m*) De rebus ſacris et eccleſiaſticis aduerſus Baronium exercit. 1. c. 12. extr. pag. 85. *n*) Bibliotheca noua eccleſiaſt. auct. tom. 3. pag. 286. Confer. REIMMANNVS biblioth. Reimmann. part. 1, pag. 369. ſeq.

equidem, at certe parum accurata, minusque ſecundum hiſtoriae fidem. Multa quippe in ea turpiter auctor peccauit, tum aduerſus hiſtoricam veritatem, tum etiam aduerſus chronologicas rationes. Graecos ſcriptores non videtur legiſſe auctor, nimiumque credule, et ſine vllo examine, quae ad rem ſuam facere videntur, admittit. SCHVRZFLEISCHIVS *o)* contra Andr. Schottum diſputat, qui aſſerere voluit, Oroſium eſſe hiſtoricum vniuerſalem; eumque docet, cum certo inſtituto ſeruiret, ab illo vniuerſali ſcribendae hiſtoriae officio deflexiſſe. Eum Auguſtinus quidem monuit, vt hiſtoriam vniuerſalem ſcriberet: ſed aliud eſt monere, aliud facere. Et veteres eccleſiae patres ſibi perſuaſerunt, hiſtoriam vniuerſalem eſſe, quam quis a condito mundo, ad ſua vſque tempora, in illuſtrioribus aliquot monarchiis deducit.

§. LXXXVIII.

Editio hiſtoriarum Oroſii antiquiſſima eſt *Auguſtana* 1471. fol. per Ioh. Schüsler. Quam ſequitur *Vicentina* 1475. fol. per Hermannum de Colonia. *p)* *Veneta* 1483. fol. opera et expenſis Octauiani Scoti Modoetienſis. 1484. fol. per Erhardum Ratdolt Auguſtenſem. 1499. fol. per Chriſtophorum de Penſis. 1500. fol. expenſis Bernardini Veneti de Vitalibus. *Baſileenſis* fol. ſine anni notatione, apud Leonhardum Baſileenſem, ab Aenea recenſita: in cuius voluminis calce leguntur verſus:

Vt ipſe titulus margine in primo docet,
Oroſio mihi nomen eſt.
Librariorum quidquid erroris fuit
Exemit Aeneas mihi;

Meque

o) Notitia ſcriptorum part. 3. pag. 11.

p) Confer. Leipziger gelehrte Zeitungen 1738. p. 324.

Digitized by Google

Meque imprimendum tradidit non alteri,
Leonarde, quam ſoli tibi;
Leonarde, nomen huius artis et decus,
Tuaeque laus Baſileae.
Quod ſi ſitum orbis, ſique noſtra ad tempora,
Ab orbis ipſa origine,
Quisquam tumultus, bellaque, et caedes velit,
Cladesque noſſe, me legat.

§. LXXXIX.

Seculo poſt Chriſtum natum decimo ſexto Oroſii hiſtoria prodiit *Pariſiis* 1510. 4. per Iohannem Barbier. Ludouicus Thibouſt Pariſienſis epiſtola, quam praemiſit, ad Ludouicum et Andream Guillardum, adoleſcentes patritios, docet operi annotatiunculas chartatim in marginibus adſcripſiſſe, et earum compoſuiſſe literarium indicem: vt illis argumenta occurrerent ſcitu patentiora, hoc vero fierent faciliora repertu. *q)* Eadem editio recuſa eſt ibidem 1517. 4. Rurſum 1524. et 1534. fol. apud Iohannem Paruum, typis Petri Vidouaei, edente Sebaſtiano Mengino. Haec ibidem recuſa 1574. 1583. fol. in Renati Laurentii de la Barre hiſtoria veterum patrum Chriſtiana. *Coloniae* 1526. fol. apud Eucharium Ceruicornum, cum praefatione Gerardi Bolſuinge Reckelinchuſenſis. 1536. 8. ex officina Eucharii, impenſa et aere M. Godefridi Hittorpii, ciuis Colonienſis, accurante Iohanne Caeſario. 1542. 8. apud Iaſparem Genepaeum. 1561. 1574. et 1582. 8. cum notis Franciſci Fabricii Marcodurani.

§. XC.

q) Eſt mihi editio haec ſemper ad manus: quam FABRICIVS biblioth. Lat. vol. 3. p. 536. et biblioth. mediae et infimae Latinit. l. 14. pag. 517. ex legato Perizoniano in bibliotheca Leidenſi laudat aſſeruari.

§. XC.

Seculo poſt Chriſtum natum decimo ſeptimo Oroſii hiſtoria prodiit *Moguntiae* 1615. 8. accurante Andrea Schotto, vbi caput primum libri primi auctius e MSto Geneuenſi, et praeter Fabricii notas et emendationes Schotti, caſtigationes Lud. Lautii, presbyteri Gandenſis, volumini praemiſſae, habentur. *Coloniae Agrippinae* 1618. fol. magna bibliotheca veterum patrum et antiquorum ſcriptorum eccleſiaſticorum, tomi quinti parte prima, num. 7. *Francofurti* 1650. fol. in Ioh. Philippi Vorburgii volumine tertio hiſtoriarum pag. 491.

§. XCI.

Seculo, quo viuimus, poſt Chriſtum natum duodeuiceſimo prodierunt *Lugduni Batauorum* 1738. 4. Pauli Oroſii, presbyteri Hiſpani, aduerſus Paganos, hiſtoriarum libri ſeptem, vt et apologeticus contra Pelagium de arbitrii libertate. Ad fidem MSt. et praeſertim cod. Longob. antiquiſſimi bibliothecae Florentinae Mediceae S. Laurentii, adiectis integris notis Franc. Fabricii Marcodurani, et Lud. Lautii, recenſuit, ſuisque animaduerſionibus, nummisque antiquis plurimis illuſtrauit Sigebertus Hauercampus. r)

§. XCII.

Q. IVLIVS HILARIO Latine chronicon ſcripſit, ſiue de mundi duratione libellum, primum a Petro Pithoeo, deinde magna bibliotheca veterum patrum et antiquorum ſcriptorum eccleſiaſticorum, tomi quinti parte prima n. 5. euulgatum. Scripſiſſe dicitur Caeſario et Attico COSS. hoc eſt an. poſt Chriſtum natum CCCXCVII. Sed

r) Vid. Leipziger gelehrte Zeitungen 1738. p. 324. Tübinger gelehrte Zeitungen 1738. p. 494.

Digitized by Google

Sed ex antiquis nemo illius mentionem fecit. Dicit Hilario in eo de mundi duratione libello, se quoque librum de die paschatis scripsisse, qui hodie, quantum mihi quidem innotuit, nullibi reperitur.

§. XCIII.

Arcadii et Honorii Augustorum temporibus floruit inter historicos SVLPICIVS SEVERVS, qui et inuerso ordine saepius *Seuerus Sulpicius* nominatur. *s*) Quantum quidem constat, in Gallia Aquitanica est natus: *t*) de patria vero ciuitate nihil compertum habemus. Sunt, qui eum ex Nitiobrigibus fuisse dicant, propterea quod *Phoebadium* (perperam vulgo *Faegadius* legitur) ciuem

s) GENNADIVS de viris illustribus c. 19. HONORIVS Augustodunensis de script. eccles. l. 2. c. 19. et TRITHEMIVS de script. eccles. c. 113. vno ore, alius ex alio, dicunt: *Seuerus presbyter, cognomento Sulpicius, ex Aquitanica prouincia* etc. *Sulpicium* quoque cognominatum GREG TVRONENSIS de miraculis S. Martini c. 1. et histor. Franc. l. 10. c. 31. diserte ait. Quos et alii VOSSIVS, ALSTEDIVS, CAVE, MORHOFIVS, SCHMIDIVS, DVPIN, aliique sequuntur. Enimuero saepius vsu venit, vt praenomen cognomini postponatur: quod FRANC. SYLVIVS progymnasmatum cent. 2. c. 46. pluribus demonstratum iuit. Et sole clarius patet, quod *Sulpicius* praenomen, more veterum Romanorum recepto, *Seuerus* autem cognomen fuerit. Semet etiam ipse in epistolae ad Aurelium Diaconum, ad Bassulam socrum, forsan et aliarum inscriptionibus *Sulpicium Seuerum* nominat. Fauet huic sententiae GISELINVS Seueri vita, quam editioni Antuerpiensi praemisit, eamque pluribus comprobare studet. Atqui etiam *Seuerum Posthumianum* dici, nemini facile persuadebit.

t) Nam ipse dialogo 1. c. 20. Aquitanum se esse profitetur. confer. GENNADIVS de viris illustr. c. 19. HONORIVS Augustodunensis de script. eccles. l. 2. c. 19. TRITHEMIVS de script. eccles. c. 113.

ſuum agnoſcat, *v*) qui Agenni fuit epiſcopus in Nitiobrigibus. Atqui Seuerus ita non in Aquitanica, ſed in Narbonenſi Gallia fuiſſet natus. Sunt enim Nitiobriges populi Narbonenſis Galliae, Ruthenis vicini: hodie Montem Peſſulanum vocant. *x*) Et cauſſae poſſunt eſſe plures, quod amoris plena vox *noſter* Phoebadio addita fuerit. VICTOR GISELINVS *y*) ſibi perſuadet, ex epiſtola quadam Paulini, qua ſibi gratulatur occaſionem contrahendi cum Sulpicio amicitiam, eum non longe ab Hebromago, vel ipſa Toloſa, vel loco huic vrbi proximo, ſibique patrio vixiſſe. Nec magis locus ille, vbi tunc temporis Sulpicius vixit, eius videtur fuiſſe patrius: quam alius quiuis, vbi ex quacunque alia degere potuit. Vixit maxime Eluſone, *z*) vel Primuliaci, *a*) vel Toloſae: vbi eum habitaſſe, ex ipſius SEVERI epiſtola ad ſocrum Baſſulam coniicere licet. PAVLINVS *b*) meminit baſilicae, a Seuero apud Primuliacum conditae. Quoquo ſe res habeat modo, Seuerus noſter in Aquitania nobili genere natus, *c*) et elegantioribus literis ab ineunte aetate imbutus fuit: vt ſplendorem familiae ipſa virtute gloriaque ſua augeret. Ad literarum ſtudia liberalius formanda

v) Sacrae hiſt. l. 2. c. 44. *Noſter Phoebadius* vocatur, quia fuit epiſcopus Aginni Nitiobrigum. Conferatur HIERONYMVS de viris illuſtribus c. 108. et MIRAEVS ſchol. ad Gennad. apud Fabricium biblioth. eccleſ. p. 13. *x*) *Montpellier*, vid. CAR. STEPHANI dictionn. hiſtor. geogr. poet. p. 1437. ABR. ORTELII theſaur. geogr. v. Nitiobriges. *y*) Seueri vita, quam editioni Antuerpienſi praemiſit. *z*) Vt PAVLINVS habet epiſt. 6. Fuit autem *Eluſo*, vel *Eluſio*, hodie *Lauſun*, vrbs inter Narbonem et Toloſam, in Gallia Narbonenſi. *a*) PAVLINVS epiſt. 11. et 12 Primuliacum non longe diſtabat ab Eluſone, vbi Seuerus maxime degebat. *b*) Epiſt. 12. *c*) Quod CAVEVS hiſt. liter. eccleſ. ſec. IV. docet.

Digitized by Google

da magiſtris vſus eſt optumis, ac pro ingenii felicitate ſatis mature iucundos percepit fructus diſciplinae: vt longe poſt ſe relinquens, quotquot fuerunt, aequales, eloquentiae palmam acciperet, ac rhetoricam ipſe doceret. Neque minus illi fauebat fortuna: vt praediuitem, ac omnibus decoratam animi dotibus, virginem ex conſulari familia in matrimonium duceret. Ad ſocrum Baſſulam quae ſcripſit, legi merentur. Et BALAEVS *d*) eum ex Britanna coniuge Leporium ſuſcepiſſe affirmat. In familiam vxoris cum GISELINO *e*) non inquirimus. Conſtat, amoris et coniugii vinculum non diuturnum fuiſſe, et immatura vxoris morte vſque adeo noſtrum contriſtatum, vt omnibus mundi voluptatibus atque deliciis renuncians totum vitae genus mutaret, facundiam relinqueret ſecularem, atque in ſolitudine rebus ſacris vacare conſtitueret. Hinc PAVLINVS epiſtolis ſuis eum ſummis euehit laudibus, eumque nunc tandem dicit veram felicitatis viam ingreſſum fuiſſe. Neque ſolum in illius Paulini Nolenſis, *f*) verum etiam in Martini Turonenſis Epiſcopi, *g*) notitiam venit, et liberalius literis ſacris imbutus fuit: vt in primis virum ſanctorum ea conſuetudine clarus haberetur, *h*) quinto ineunte poſt Chriſtum natum ſeculo: cum et Hieronymus et Rufinus florerent. Sed fallitur BARONIVS, *i*) qui Gennadium Sulpicii aequalem facit: cum hic annis ante Gennadium LXX. aut

d) In appendice de Leperio. *e*) Seueri vita. *f*) Teſtantur de Pontii Paulini amicitia eius XIV. ad Sulpicium epiſtolae, quae inter L. nobis relictas legi poſſunt in biblioth. patrum tom. 6. p. 163. et orthodoxogr. tom. 2. p. 75. *g*) Quod ſatis clare patet ex Martini vita, quam Sulpicius noſter proſa, et Paulinus Petricorius ligata oratione conſcripſerunt. *h*) GENNADIVS de viris illuſtr. c. 19. *i*) Annal. tom. 5. ad ann. 431.

pluribus vixerit: vt G. I. VOSSIVS *k*) ſatis clare demonſtrat. Anno Chriſti CCCCI. presbyter factus eſt Primuliacenſis: *l*) atque munus illud vsque ad vltimum vitae tempus retinuit: vt presbyter a GENNADIO, HONORIO, et TRITHEMIO *m*) vocatur. Fruſtra ergo P. FABER *n*) monachum fuiſſe aſſerit. Neque, vt ſupra diximus, ſolum Primuliaci, verum etiam Eluſone, Toloſae, et alibi commoratus eſt. At falluntur longe turpius, qui eum aiunt epiſcopum quoque Bituricenſem fuiſſe: *o*) noſtrum enim presbyterum et S. Martini diſcipulum cum alio confundunt eiusdem nominis Bituricenſi epiſcopo, qui martyrologio Romano XXIX. Ianuar. adſcriptus, ſecundo Matiſconenſi concilio interfuit, Gregorii Turonenſis aetate, qui ſuam illi de ſeptem dormientibus hiſtoriam dicauit. *p*) Sic ſane patet noſtrum confundi cum Sulpicio Seuero, viceſimo ſeptimo Bituricenſi epiſcopo, qui longe poſt ſexto demum floruit ſeculo, ſub cuius finem obiit: cum noſter ſub initium ſeculi quinti, vt ſupra diximus, factus ſit presbyter. Ab omni faſtu et ambitione alienus, cum ante principatum in eloquentia tenuerit, ſe totum ſanctitatis ac coeleſtis doctrinae ſtudio dedit: atque adeo Chriſti praecepta ſalutaria Ciceronianae facundiae ac literis politioribus longe praetulit. Inter amicos

k) De hiſtor. Latinis l. 2. c. 12. pag. 210. *l*) Vid. GVIL. CAVEVS hiſt. lit. eccleſ. ſcript. ſec. 4. *m*) L. c. *n*) Opuſculis poſtumis, ſchediaſmate de Dionyſio Areopagita. *o*) Vt VICTOR GISELINVS Seueri vita. CAR. SIGONIVS, PETR. GALESINVS, et alii. *p*) Pl. confer. 106. SCALIGER proleg. lib. de emendat. temporum. BARONIVS ad ann. 431. P. FABER l. c. G. I. VOSSIVS de hiſt. Lat. l. 2. c. 12. AVB. MIRAEVS ſchol. ad Gennad. c. 19. apud FABRICIVM bibliotheca eccleſ. p. 14.

Digitized

cos Seueri HIERONYMVS fuit, qui eum notat *q*) in chiliaſtarum haereſi fuiſſe, et regnum millenare futurum ſtatuiſſe. Et GENNADIVS *r*) auctor eſt, quod in ſenectute a Pelagianis deceptus, et agnoſcens loquacitatis culpam, ſilentium vſque ad mortem tenuerit: vt peccatum, quod loquendo contraxerat, tacendo poenitens emendaret. Hoc quidem GVIBERTVS Gemblacenſis Abbas falſum exiſtimat. DVPINIVS vero *s*) Gennadii teſtimonium, vtpote magni ponderis, hac in re non temere repudiandum putat: et Sulpicium vſque ad annum Chriſti CCCCXX. vixiſſe arbitratur. *t*)

§. XCIV.

Scripſit hiſtoriae ſacrae libros duo, ab orbe condito, vſque ad annum Chriſti CCCC. ſiue ad conſulatum Stiliconis et Aureliani. *Res*, ipſe inquit, *v*) *a mundi exordio ſacris literis editas breuiter conſtringere, et cum diſtinctione temporum vſque ad noſtram memoriam carptim dicere aggreſſus ſum: multis id a me ſtudioſe efflagitantibus, qui diuina, compendioſa lectione, cognoſcere properabant. Quorum ego voluntatem ſecutus, non peperci labo-*

q) Comment. in Ezech. c. 36. *r*) De viris illuſtribus c. 19. apud FABRICIVM biblioth. eccleſ. p. 13. Quamuis hunc locum ab aliena manu Gennadio aſſutum IOH. CLERICVS bibl. ſelectae tom. 20. p. 330. exiſtimauerit: is tamen in omnibus libris MStis reperitur. Sequitur eum quoque TRITHEMIVS de ſcript. eccleſ. c. 113. *s*) Eccleſiaſticorum auctorum bibliotheca noua tom. 3. p. 265. *t*) Vitam Sulpicii Seueri ſcripſit VICTOR GISELINVS, quam editioni Antuerpienſi praemiſit. DANIEL GVIL. MOLLERVS diſſert. Altdorfii 1686. 4. Auctor notarum ad modum Ioh. Minellii editioni Lipſienſi 1711. praemiſſam. CHRISTIANVS BREITHAVPT diſſ. de ſtilo Sulpicii Seueri Halae Sax. 1713. *v*) Sacrae hiſtoriae l. 1. init.

pluribus vixerit: vt G. I. VOSSIVS *k*) ſatis clare demonſtrat. Anno Chriſti CCCCI. presbyter factus eſt Primuliacenſis: *l*) atque munus illud vsque ad vltimum vitae tempus retinuit: vt presbyter a GENNADIO, HONORIO, et TRITHEMIO *m*) vocatur. Fruſtra ergo P. FABER *n*) monachum fuiſſe aſſerit. Neque, vt ſupra diximus, ſolum Primuliaci, verum etiam Eluſone, Toloſae, et alibi commoratus eſt. At falluntur longe turpius, qui eum aiunt epiſcopum quoque Bituricenſem fuiſſe: *o*) noſtrum enim presbyterum et S. Martini diſcipulum cum alio confundunt eiusdem nominis Bituricenſi epiſcopo, qui martyrologio Romano XXIX. Ianuar. adſcriptus, ſecundo Matiſconenſi concilio interfuit, Gregorii Turonenſis aetate, qui ſuam illi de ſeptem dormientibus hiſtoriam dicauit. *p*) Sic ſane patet noſtrum confundi cum Sulpicio Seuero, viceſimo ſeptimo Bituricenſi epiſcopo, qui longe poſt ſexto demum floruit ſeculo, ſub cuius finem obiit: cum noſter ſub initium ſeculi quinti, vt ſupra diximus, factus ſit presbyter. Ab omni faſtu et ambitione alienus, cum ante principatum in eloquentia tenuerit, ſe totum ſanctitatis ac coeleſtis doctrinae ſtudio dedit: atque adeo Chriſti praecepta ſalutaria Ciceronianae facundiae ac literis politioribus longe praetulit. Inter amicos

k) De hiſtor. Latinis l. 2. c. 12. pag. 210. *l*) Vid. GVIL. CAVEVS hiſt. lit. eccleſ. ſcript. ſec. 4. *m*) L. c. *n*) Opuſculis poſtumis, ſchediaſmate de Dionyſio Areopagita. *o*) Vt VICTOR GISELINVS Seueri vita. CAR. SIGONIVS, PETR. GALESINVS, et alii. *p*) Pl. confer. IOS. SCALIGER proleg. lib. de emendat. temporum. BARONIVS ad ann. 431. P. FABER l. c. G. I. VOSSIVS de hiſt. Lat. l. 2. c. 12. AVB. MIRAEVS ſchol. ad Gennad. c. 19. apud FABRICIVM bibliotheca eccleſ. p. 14.

Digitized by Google

cos Seueri HIERONYMVS fuit, qui eum notat *q*) in chiliaſtarum haereſi fuiſſe, et regnum millenare futurum ſtatuiſſe. Et GENNADIVS *r*) auctor eſt, quod in ſenectute a Pelagianis deceptus, et agnoſcens loquacitatis culpam, ſilentium vſque ad mortem tenuerit: vt peccatum, quod loquendo contraxerat, tacendo poenitens emendaret. Hoc quidem GVIBERTVS Gemblacenſis Abbas falſum exiſtimat. DVPINIVS vero *s*) Gennadii teſtimonium, vtpote magni ponderis, hac in re non temere repudiandum putat: et Sulpicium vſque ad annum Chriſti CCCCXX. vixiſſe arbitratur. *t*)

§. XCIV.

Scripſit hiſtoriae ſacrae libros duo, ab orbe condito, vſque ad annum Chriſti CCCC. ſiue ad conſulatum Stiliconis et Aureliani. *Res*, ipſe inquit, *v*) *a mundi exordio ſacris literis editas breuiter conſtringere, et cum diſtinctione temporum vſque ad noſtram memoriam carptim dicere aggreſſus ſum: multis id a me ſtudioſe efflagitantibus, qui diuina, compendioſa lectione, cognoſcere properabant. Quorum ego voluntatem ſecutus, non peperci labo-*

q) Comment. in Ezech. c. 36. *r*) De viris illuſtribus c. 19. apud FABRICIVM biblioth. eccleſ. p. 13. Quamuis hunc locum ab aliena manu Gennadio aſſutum IOH. CLERICVS bibl. ſelectae tom. 20. p. 330. exiſtimauerit: is tamen in omnibus libris MStis reperitur. Sequitur eum quoque TRITHEMIVS de ſcript. eccleſ. c. 113. *s*) Eccleſiaſticorum auctorum bibliotheca noua tom. 3. p. 265. *t*) Vitam Sulpicii Seueri ſcripſit VICTOR GISELINVS, quam editioni Antuerpienſi praemiſit. DANIEL GVIL. MOLLERVS diſſert. Altdorfii 1686. 4. Auctor notarum ad modum Ioh. Minellii editioni Lipſienſi 1711. praemiſſam. CHRISTIANVS BREITHAVPT diſſ. de ſtilo Sulpicii Seueri Halae Sax. 1713. *v*) Sacrae hiſtoriae l. 1. init.

labori meo, quin ea, quae permultis voluminibus perſcripta continebantur, duobus libellis concluderem: ita breuitati ſtudens, vt pene nihil geſtis ſubduxerim. Hanc magni ſemper fecerunt viri ſuis meritis in orbe literato illuſtres. Praeter hiſtoriam ſacram, Seueri opus praecipuum, edidit quoque vitam S. Martini, Turonenſis epiſcopi, quo familiariter vſus eſt, et tres epiſtolas, ad eius laudem pertinentes: quarum vna eſt aduerſus aemulos B. Martini, altera de obitu et apparitione illius: tertia exponit, quomodo B. Martinus ex hac vita ad immortalitatem tranſierit. Scripſit et alias epiſtolas, quarum pars a GENNADIO *x*) memorata periit; pars ſeparatim a Dacherio et Baluzio in lucem protracta. Dialogi forma, Poſtumianus et Gallus narrant multa de monachis in oriente, de diſſidiis, quae inter iſtos, cum in Aegypto, tum in palaeſtina fuerint, de Origenis libris: cum in Alexandrina ſynodo fuerit decretum, cautius eſſe legendos. Quam ille rem ſumma cum moderatione et prudentia diiudicat. Extremum inter vtrumque ſeruat modum: nec Origenem in omnibus excuſandum putat: nec Alexandrini epiſcopi ſaeuitiam in Origenis defenſores approbat. Eccleſiae vicem dolet, quae adeo leui de cauſſa, tantis procellis concuteretur. Hieronymum ita laudat, vt eius tamen agendi modum minime commendare videatur.

§. XCV.

Maximae inter ſuos auctoritatis fuit. SENNADIVS *y*) eum vocat virum genere et literis nobilem, et paupertatis atque humilitatis amore conſpicuum: HONORIVS *z*) quoque virum genere et literis nobilem: et TRITHEMIVS

x) De viris illuſtr. c. 19. *y*) De viris illuſtribus c. 19. *z*) De ſcriptoribus eccleſ. l. 2. c. 19.

Digitized by Google

MIVS *a*) virum genere et literis nobilem, et paupertatis atque humilitatis amore conſpicuum. AVGVSTINI elogio *b*) vir fuit doctrina et ſapientia pollens: quem IDACIVS *c*) quoque virum ſummum vocat. Et ſummis hodie placet criticis. Ios. SCALIGER *d*) eum vocat ſcriptorum eccleſiaſticorum puriſſimum. Alibi *e*) dignum iudicat, qui vel eo nomine legatur, quod ſupra ſeculi ſui captum locutus ſit Latine. BARTHIVS *f*) *elegantia*, inquit, *Romani ſermonis vix quiſquam Chriſtianus auctor extat praeferendus Seuero Sulpicio, vt eum legens videatur ſtantis reip. ſenatorem aliquem de diuinis rebus diſſerentem, audire.* Et Celeberr. WALCHIO *g*) adhuc videtur vnus ex ſcriptoribus Chriſtianis alumnis ſtili, et vſui ſcholarum commendandus. Augentur Seueri laudes, ſi quando illius hiſtoriae ſacrae vitam Martini adiungimus, cum dialogis et epiſtolis: quibus inſigni ſermonis ornatu, et minime contemnenda eloquentia, legentium allicit animos: vt libenter illi condonent credulitatem in miraculis recenſendis nimiam, quae a Martino geſta dicuntur.

§. XCVI.

Enimuero vt nihil omnino omnibus numeris poteſt eſſe abſolutum atque perfectum, errores hinc inde non paucos in hiſtoria ſacra committit chronologicos. Ille noſter quidem terſus politusque ſcriptor, et Salluſtii aemulus, veteris ac noui inſtrumenti hiſtoriam omnem, a mundi exordio, ab Adamo ad Chriſtum, Seruatorem no-

a) De ſcript. eccleſ. c. 113. *b*) Epiſt. 205. *c*) Chronici initio. *d*) De emend. temporum proleg. pag. 23. *e*) Epiſt. 305. *f*) Aduerſar. l. 12. c. 18. *g*) Hiſtoria critica Lat. linguae c. 10. §. 4. p. 428.

noſtrum, et porro eius ſanctorumque apoſtolorum res geſtas, ex ſacris codicibus conſtrinxit, easque ad ſua vſque tempora i. e. ad finem ſeculi poſt Chriſtum natum quarti, quodam quaſi breuiario deduxit: vtplurimum vero, erroris incautus, in temporum notandis rationibus, LXX. interpretes ſequitur, quae procul dubio, inſigni cura et ſolicitudine, ad Hebraeum diuinae veritatis fontem reuocandae ſunt. Nec raro in rebus ipſis erratum. Veteribus enim chronicorum libris nimium tribuit: et coecos quam lubentiſſime ſecutus eſt duces. Falli ſe facile paſſus eſt: vt falleret alios. Ingenuus quidem et veritatis quam maxime ſtudioſus vbique ſine affectibus apparere cupit. Viribus autem iudicii non adeo multum valet. Miraculis hinc nimium tribuit: atque fabellis mirum in modum delectatus eſt. Sic non veretur aſſerere, poſt Chriſtum aſcendentem, veſtigia illius in oliuarum monte conſpecta nullo modo aboleri potuiſſe. Neronem ſibi perſuadet Antichriſtum fuiſſe. Et angelos credidit cum feminis rem habuiſſe. Nec pari omnia fide, nec pari omnia ſtudio recenſet. *b*) Sunt alia, quae pontificiis non placent. Ex. gr. Sacerdotes, qui habent poſſeſſiones, dominici praecepti, quondam Leuitis dati, immemores eſſe. Eccleſiam auro non ſtrui, ſed deſtrui. Coniugium ad veniam pertinere, virginitatem ad gloriam, fornicationem ad poenam. *i*).

§. XCVII.

Quod ad Sulpicii ſtilum attinet, pro temporis ratione,

b) Confer. ipſe DVPINIVS eccleſiaſticorum auctorum biblioth. noua tom. 3. pag. 265. *i*) Vid. BELLARMINVS de ſcript. eccleſ. an. 420. pag. 140. et, qui eum verbotenus exſcripſit, GERHARDVS patrologia pag. 408. ſeqq.

Digitized by Google

tione, elegans et facilis est: adeo quidem, vt cum ceteris huius seculi scriptoribus de modestia et dictionis nitore haud difficulter contendere possit. Tersa et concinna verborum complexio ita placuit IOS. SCALIGERO, *k*) vt eum habuerit ecclesiasticorum scriptorem purissimum. MORHOFIVS *l*) scriptorem vocat, qui elegantia Latinitatis suam aetatem plane superet. In primis Sallustium imitari conatus est, eiusque breuitatem in rebus gestis recensendis vbique exprimere. Hinc Christianus Sallustius a BARTHIO *m*) nominatur. Attamen amputatas sententias, et verba praeter exspectationem cadentia, velut proprium quoddam Sallustio reliquit. Eumque sententies magis exprimi in altero Sulpicianae historiae libello: vbi purioris linguae et exquisitae orationis studiosior esse videtur: cum in priori saepe aliquid adhibuerit, in quo eum sequi non sine ratione veremur. Neque hoc dissimulandum est, quod verba saepius et loquendi modos, ecclesiasticis scriptoribus peculiares, multis in locis inserserit: quos facillime dictionibus Latinis et elegantioribus exprimere potuisset. Attamen, vt ipsa eius tulit aetas, elegantiae studio, cui a teneris fuerat deditus, linguae politioris seruandae optimus fere inter sui temporis patres fuisse deprehenditur. ERASMVS: *n*) *est ille quidem et melior, et iucundior, et dilucidior, et illaboratior Hilario: sed phrasis Gallam fuisse declarat. Non deest pie-*

k) Emend. temp. *l*) Polyhist. liter. l. 4. c. 14. §. 80. Lib. de legendis, imitandis et excerpendis auctoribus p. 54. *m*) Aduers. l. 49. c. 4. conf. VOSSIVS de hist. Latin. l. 2. c. 12. Et HORCLERVS bibliograph. critica p. 209. istud sacrae historiae compendium affirmat scriptum esse Sallustiano stilo non infeliciter. *n*) Ciceroniano pag. 86. apud HALLBAVERVM collectione de imitatione oratoria.

tas: ſed abeſt vis et grauitas: et eſt floridum dicendi genus magis, quam neruoſum. At WALCHIVS *o)* V. CL. *quod ad ſtilum Seueri Sulpicii attinet, ille breuis eſt, quo genere imitatur fere Salluſtium, et humilis, item perſpicuus, et ſi pauca exceperis, purus: vt iuuentuti lectio illius multum debeat commendari.* Agnoſcit tamen obuenire in eo paſſim Hebraiſmos, Graeciſmos, et voces eccleſiaſticae Latinitatis. Quo refert vocem *ethnicus: p)* Enoch ob *iuſtitiam translatus* a Deo; *q)* *ſignum* pro miraculo; *r)* nomen adiectiuum *eremus; s)* *ſanctificare; t)* *propheta, prophetia, et prophetare, u)* ſimilia. Et SCHVRZFLEISCHIVS: *x)* *Sulpicius Seuerus eſt egregius ſcriptor, et legendus ob ſtilum. Perſecutionem giebt er per vexationem. Scripſit ſtilum Laconicum, elegantem, et plane ad exemplum moris Salluſtiani.* Sic ſane praeſtat, ſi adeo placet, legere Salluſtium: vt ex ipſis fontibus ſtilum formare diſcas, ſine erroris periculo. Bonus ille noſter quidem ſcriptor, ſed qui, vel propter aetatis vitia, cum veteribus et optimae notae ſermonis Latini auctoribus haudquaquam componendus eſſe videtur.

§. XCVIII.

Hiſtoriae ſacrae libros duos ex MSto bibliothecae Hildeſienſis codice primum edidit M. Flacius *Baſileae* 1556. 8. apud Oporinum. *y)* Prodierunt deinde *Bononiae* 1561. 1581. 8. cum notis Caroli Sigonii. *Romae* 1564. fol. cum notis Petri Galeſinii. *Antuerpiae* 1574. 8. apud Plantinum,

o) Hiſt. crit. Lat. linguae p. 428. *p)* Lib. 1. c. 1. n. 4. *q)* Lib. 1. c. 2. n. 5. *r)* Lib. 1. c. 14. n. 2. *s)* L. 1. c. 15. n. 3. *t)* L. 1. c. 17. n. 5. *u)* L. 1. c. 47. n. 3. L. 2. c. 3. n. 9. *x)* Notitia ſcriptorum part. 3. pag. 34. *y)* Matthias Flacius Illyricus nomen ſuum primis tantum literis M. F. indicauit.

Digitized by

num, accurante Victore Giſelino, qui ſcholia Galeſinii retulit, ac emendatum denuo illuſtratumque Sulpicium, adiecta chronologia, edidit. *Coloniae* 1575. 12. 1600. 8. *Francofurti* 1593. fol. apud Wechel. heredes, cum aliis eiusdem, et Caroli Sigonii notis. *Franckerae* 1594. 8. apud Aegidium Radaeum.

§. XCIX.

Seculo poſt Chriſtum natum decimo ſeptimo Seueri hiſtoria ſacra et alia prodierunt *Hanouiae* 1602. 8. cum notis Caroli Sigonii. *Arnhemii* 1607. 8. cum Iohannis Druſii commentario. *Franekerae* 1607. 8. cum notis Druſii. *Amſtelodami* 1635. 1656. 12. apud Elzeuir. *Pariſiis* 1556. et 1667. 12. cum notis Henrici Merceri. *Lugduni Batauorum* 1626. 8. ex officina Bonauenturae et Abrahami Elzeuir. hiſtoria Sulpicii ſacra, cum continuatione ex Ioh. Sleidano. 1635. 12. 1647. 1654. et 1665. 8. Sulpicii opera omnia prodierunt, cum lectiſſimis variorum commentariis, accurante Georgio Hornio. Neque tamen adeo praeclare hac ſua editione Hornium eſſe meritum: ſed plurima aut male poſuiſſe, aut omiſiſſe SAM. BOCHARTVS peculiari diſſertatione oſtendit: cuius dum COLOMESIVS z) meminit, et ſimul epiſtolas aliquot Sulpicii, a Dacherio et Baluzio editas, nulli adhuc editioni operum illius illatas refert, optat, vt noua illius editio a viro quodam docto ſuſcipiatur. *Franekerae* 1664. fol. Chriſtianus Schotanus vaſtum opus in ſacram Seueri hiſtoriam, ſub titulo bibliotheeae ſacrae, conſcripſit, a)

z) Biblioth. ſelect. pag. 99. ſeqq. confer. MORHOFIVS polyh. litter. l. 4. c. 14. n. 20. a) Laudat eam CAVEVS, quod mire Sulpicium illuſtret atque illius errores emendet. Confer. NEV acceſſ. ad relection. hiemales Whearl p. 222.

Berolini 1668. 12. cum notis Ioh. Vorſtii prodierunt omnia Seueri opera. *Abone* 1669. 8. cum notis Ioh. Gezelii. *Coloniae Agripp.* 1618. fol. magna bibliotheca veterum patrum et antiquorum ſcriptorum eccleſiaſticorum, tomi quinti parte prima n. 4.

§. C.

Seculo poſt Chriſtum natum duodeuiceſimo Sulpicius Seuerus prodiit *Tiguri* 1708. 8. accurante Ioh. Caſp. Hofmeiſtero. *Lipſiae* 1703. 12. Ioh. Vorſtii. 1709. 8. apud Thomam Fritſchium, ex Ioh. Vorſtii editione. Accedunt ſeptem epiſtolae a Baluzio et Dacherio pridem vulgatae, et breuibus Ioh. Clerici notis illuſtratae. 1711. 12. cum notis ad modum Ioh. Minellii, *b*) apud Ioh. Lud. Gleditſchium et M. G. Weidmannum.

§. CI.

Eiusdem aetatis alius eſt inter hiſtoricos celebris SEVERVS, Minoris inſulae Balearis epiſcopus, qui Aſclepiodoro et Mariniano COSS. i. e. anno poſt Chriſtum natum CCCCXXIII. circularem ad omnes eccleſias epiſtolam miſit *de Iudaeorum in ea inſula conuerſione, ac de miraculis ibidem factis ad reliquias S. Stephani*, quas Paulus Oroſius, vt paulo ſuperius vidimus, ex Palaeſtina primus in occidentem intulerat, et quia in Hiſpaniam, a Gothis obſeſſam non poterat transmittere, in Minorca inſula reliquerat. Epiſtolam hanc Baronius ad annum CCCCXVIII. ex Vaticana bibliotheca edidit. Pluribus conſulantur AVBERTVS MIRAEVS, *c*) VOSSIVS, *d*) DV PIN, *e*) et alii.

§. CII.

b) Quas, niſi me fallunt omnia, WEINICHIO referimus acceptas.
c) Auctario de ſcriptoribus eccleſiaſticis c 72. *d*) De hiſtoricis Latinis l. 1. c. 14. pag 110. *e*) Noua bibliotheca eccleſ. auct. tom. 3. pag. 288.

Digitized by Google

§. CII.

Temporibus iisdem vixit AVITVS presbyter Bracarienſis in Hiſpania, quem MARIANA *f*) ſcribit natum eſſe Tarracone, et *Abuadium* vocat *Auitum*. GENNADIO teſte, *g*) e Graeco Luciani, presbyteri Hieroſolymitani, Latine vertit *narrationem de inuentione ſepulchri et reliquiarum corporis S. Stephani*, martyris primi: et epiſtolam praemiſit ad Palconium, epiſcopum Braccarenſem, cui reliquias anno CCCCXVI. per Oroſium miſit. Exhibent narrationem illam ex Auiti verſione Latina SVRIVS de probatis ſanctorum hiſtoriis, *h*) BARONIVS in annalibus, *i*) COMBEFISIVS in bibliotheca concionatoria, *k*) editores Auguſtini Louanienſes, *l*) et Benedictini monachi. *m*) Pl. de eo conſulendi ſunt VOSSIVS, *n*) DV PIN, *o*) FABRICIVS, *p*) alii.

§. CIII.

Honorio imperante, et Roma ab Alarico iam capta, RVTILIVS CLAVDIVS NVMATIANVS Gallus floruit, qui omnibus functus honoribus, tribunus militum, conſul (ſuffectus ſcilicet) vrbi et praetorio praefectus fuit. Praefecturae modo tempore expleto, cum ex vrbe in Galliam ad agros auitos proficiſceretur, ac inde rediret Romam, veterum multorum exemplo, ad Venerium Rufum, ſuum in praefectura vrbana ſucceſſorem, *duo itineraria* carmine elegiaco ſcripſit; illa quidem dictionis genere, ſupra aetatem, qua poeta vixit, elegante, ſed quae odium Chriſtianae ac Iudaicae religionis non ferendum ſpirant. Plura de eo ſuperius inter poetas notauimus.

f) De rebus Hiſpaniae l. 4. c. 20. extr. *g*) De viris illuſtribus c. 47. *h*) Tomo 4. Auguſti d. 3. *i*) Ad ann. 415. *k*) T. 7. pag. 573. *l*) Aug. oper. tom. 10. *m*) Ad calcem tomi 7. *n*) De hiſt. Lat. l. 2. c. 14. extr. *o*) Noua Bibl. eccleſ. auctor. tom. 3. p. 287. *p*) Bibl. med. et infim. Lat. l. 1. p. 404. ſeq.

CAPUT

CAPVT IX.

De vegetae ſenectutis ſcriptoribus philoſophicis et medicis.

§. 1.

Otio perditis malisque philoſophia aduerſatur. 2. *Matheſis quare veteribus ſuſpecta.* 3. *Inter Platonicos Apuleius floruit.* 4. *Cum aliis non confundendus.* 5. *Scripſit multa Graece et Latine.* 6. *Quae extant, ordine recenſentur.* 7. *Vitia.* 8. *Encomia.* 9. *Eruditio.* 10. *Stilus.* 11. 12. 13. *Editiones notantur.* 14. *Inter ſcriptores rei agrariae celebres Siculus Flaccus et Aggenus Vrbicus.* 15. *Sammonicus philoſophica et medica carminibus deſcripſit.* 16. *Cenſorini vita.* 17. *Scripta.* 18. *Merita.* 19. *Stilus.* 20. 21. *Editiones deſcribuntur.* 22. *Firmici Materni vita.* 23. *Scripta.* 24. *Merita.* 25. *Stilus.* 26. 27. *Editiones recenſentur.* 28. *Macrobius.* 29. *Inter medicos Coelius Aurelianus.* 30. *Iulius Auſonius.* 31. *Marcellus.* 32. *Vegetius* et 33. *Alii laudantur.*

§. 1.

Vetus circumfertur Pacuuii verſus, quem Macedo philoſophus, prae foribus omnium templorum ſcribi debere, cenſebat: *ego odi homines ignaua opera, philoſopha ſententia.* Id genus hominum EPICTETVS *a*) ſcite vocat philoſophos ἀνευ τῦ πράτ̃ειν, μέχρι τῦ λέγειν; SENECA *b*) *cathedrarios*, quia verbis atque in cathedra, non re et facto in vita philoſophantur: quorum certe vbiuis locorum vberrima ſeges hodieque efflorescit. Sed Antoninus Pius imperator ſalaria otioſis neque de rep. bene meren-

a) Apud A. GELLIVM noct. Attic. l. 17. c. 19.
b) De breuit. vitae c. 10.

Digitized by Google

merentibus ſubtraxit: qui, *nihil eſſe ſordidius, imo crudelius, quam ſi remp. ii arroderent, qui nihil in eam ſuo labore conferrent*, profecto ſapienter et ad rem accommodate palam profiteri conſueuit. *c*) Inter omnes imperatores, qui hac hominum aetate rebus praefuerunt Romanorum, M. Antoninus maxime fuit Stoicorum diſciplinae deditus, et ipſe *Philoſophi* nomen promeruit: ſuis etiam ad ſeipſum libris, ſapientiae plenis, immortalem nominis famam gloriamque minime vulgarem adhuc tenet. Cum itaque orbis componatur totus regis ad exemplum: nemini adeo poteſt mirum videri, oppido multos hoc tempore fuiſſe, qui tota animi contentione ſe philoſophiae ſtudio teneri fingerent; ad gratiam videlicet ac maiorem principis beneuolentiam captandam. Sed prudentiſſimus imperator mera mendicabula hominesque inutiles, qui nihil prorſus philoſophorum, praeter barbam et pallium, adhuc oſtentauerant, ſtipendiis ſalariisque priuauit: illis vero, qui recte philoſophari et reip. vtiles eſſe videbantur, perquam gratioſus alimenta et ornamenta conſtituit. Antoninus Caracallus philoſophos, qui Ariſtotelici ſunt nominati, tanto perſecutus eſt odio, vt omnes Ariſtotelis libros comburere voluerit. Eorum hinc ſodalitates atque commoda, quae Alexandriae habebant, ſuſtulit, eos criminatus, quod Ariſtoteles cauſſa mortis fuiſſet Alexandro Magno. *d*) Cum principes artium profeſſoribus immunitates et honoraria decernerent: philoſophi acriter fuerunt ſemper reiecti. *e*) Et

c) Vid. IVL. CAPITOLINVS Ant. Pio c. 7. *d*) Vid. XIPHILINVS ex Dione in Antonino Caracallo. *e*) Vid. FRANC. BALDVINVS Conſtantino M. pag. edit. Gundlingianae 128. ſqq.

Et VLPIANVS iam tum octauo libro de omnibus tribunalibus scripsit, vt est in pandectas relatum, vbi de extraordinariis cognitionibus agitur: praesidem prouinciae de mercedibus ius dicere solere, sed praeceptoribus tantum studiorum liberalium; philosophis non dicere: non quia non religiosa res sit philosophia, sed quod hoc primum profiteri eos oporteat, mercenariam se operam spernere. *f*) Hinc et Valens imperator parui facit philosophos, quibus philosophiam ipsam opponit: eamque ad excusationem munerum personalium non admittit, turpe ratus esse, vt patriae functiones ferre non possit, qui etiam fortunae vim se ferre profiteatur. *g*)

§. II.

Mathesin pro astrologia apotelesmatica et iudiciaria, mathematicos autem pro astrologis passim hac aetate ac deinceps poni, vulgo notissimum est. *h*) Sic Iulius Firmicus Maternus suis matheseos libris nihil aliud tractat, quam scientiam, quae ex astris fatorum vias ostendit, ab Aegyptiis primum excultam: sicut apud Chaldaeos quoque illa vaticinandi fides eluxit. *i*) Vanitatis et impiae superstitionis haec scientia plena est, adeo quidem, vt iam tum imperatorum edictis, *k*) et bonorum omnium sen-

f) §. 4. L. 1. D. de extraordinariis cognitionibus. *An et philosophi professorum numero sint? et non putem. Non quia non religiosa res est: sed quia hoc primum profiteri eos oportet, mercenariam operam spernere.* *g*) Pl. confer. PETRVS GREGORIVS THOLOSANVS de rep. 698. Syntagmate iuris vniuersi l. 18. c. 7. §. 10. pag. 354. *h*) Vid. SVICERVS in voc. μαθηματικὸς. *i*) Confer. AMMIANVS MARCELLINVS l. 22. c. vlt. l. 23. c. 6. *k*) Codicis Iustinianei l. 9. tit. 18. Confer. BABROTTVS ad tit. 10. lib. 16. Cod. Theodosiani de paganis. MICH. PICCARTVS obseru. polit. decad. 12. c. 7.

Digitized by Google

ſententia, ars mathematica damnabilis fuerit interdicta omnino. Hinc etiam FIRMICVS *l*) de imperatoris fato quicquam reſpondere prohibet: non quod ſolum imperatorem crederet eſſe ἀστέρων κρείττονα, aut ſupra aſtra: ſed quod vetitum eſſet lege, et capitali ſupplicio cautum, τῶν τι ὧν ὁ νόμος μανθάνειν. Attamen, quod IOH. PICVS Mirandulae Comes *m*) etiam probe notauit, apud ipſum MATERNVM legitur, fuiſſe tum principes illiteratos et curioſos, et rerum, quas promittebant, appetentiſſimos, eosque adductos facile, vt crederent, vt profeſſores fouerent, et praemiis ſtudia haec quotidie magis et magis excitarent. Atqui, etiam auctore optimo comite, cauendum inprimis, ne qua nobis ad fidem irrepant aſtrologi, mentita magnis auctoribus volumina perſcribentes, quod eſt illis cum omni ſuperſtitione commune. Nam quoniam quae produntur ab his ratione confirmari non poſſunt, ſiue ipſi illa vera credunt, ſiue credi volunt ab aliis, libros huiusmodi fabularum viris clariſſimis et antiquiſſimis inſcribunt, et fidem errori ſuo de fictis auctoribus aucupantur. *n*) Vtrum apoteleſmaticae locus ſit aliquis inter ſcientias philoſopho dignas, praeſertim Chriſtiano, G. I. VOSSIVS *o*) diſputat.

§. III.

Platonicos inter philoſophos erat LVCIVS *p*) APVLEIVS,

l) Mathem. l. 1. c. vlt. *m*) In aſtrologiam l. 1. oper. pag. 419. *n*) Confer, academica de annis climactericis diſſertatio noſtra, *o*) De ſcientiis mathematicis cap. 38. pag. 208. ſeqq.

p) *Lucii* praenomen, vt ſpurium, reſpuit ELMENHORSTIVS ad Apuleium, et SALMASIVS commentario inchoato ad Arnobium, vbi ſuſpicatur, Graecorum more, Agellium et Apuleium praenominibus abſtinuiſſe. At ſemetipſum metamorph. l. 2. edit.

LEIVS, Madaurenſis Afer, *q*) illuſtri genere natus. Patrem habuit Theſeum, principe loco duumviralem, cunctisque honoribus perfunctum; *r*) matrem Saluiam, *s*) a philoſophorum principe, Plutarcho Cheronenſi, et Sexto philoſopho, nepote eius, quem Antoninus philoſophus imperator audiuit, genus ducentem. *t*) Quo fuerit natus anno, certo quidem non conſtat: Hadriano tamen imperante primum videtur orbis vidiſſe lucem. Hoc nouimus, eum ſub Antonino Pio Diuisque fratribus M. Antonino philoſopho et L. Aurelio Vero, praeſertim floruiſſe. Meminit enim Lolliani Auiti, viri conſularis, *v*) qui, Antonino philoſopho imperante, praeſes fuit Bithyniae, et Heluii Pertinacis quoque vixit aetate. *x*) Etiam Lol-

edit. Elmenhorſt. Francof. pag. 115. p. 117. *Lucium* vocat: *dum amenti ſimilis*, inquit, *accelero veſtigium, age inquam, o Luci, euigila et tecum eſto.* Et l. 11. p. 264. *Iſidis magnae prouidentia gaudens Lucius, de ſua fortuna triumphat.* Sic paſſim.

q) *Madaura* fuit Africae vrbs florentiſſima in Numidiae Gaetuliaeque confinio, poſt Syphacem et Maſſiniſſam populi Romani colonia. Hinc ſemetipſum profitetur *ſeminumidam et ſemigaetulum* eſſe. Apolog. pag. edit. Elmenhorſt. 289. Et *Madaurenſis Platonicus* a CASSIODORO de dialectica, AVGVSTINO de ciuitate Dei l. 8. c. 11. SIDONIO l. 9. ep. 13. CAROLO M. de non adorandis imaginibus l. 3. et aliis vocatur. Et ipſe APVLEIVS de habitudine doctrinarum l. 3. ſiue de ſyllogiſmo categorico p. 30. *ſi pro Apuleio dicas philoſophum Platonicum Madaurenſem.*

r) APVL. metamorph. l. 1. p. 112. Apologia p. 289. *s*) Metamorph. l. 2. p. 115. *t*) Metamorph. l. 1. init. p. 103. IVLIVS CAPITOLINVS M. Antonino philoſopho c. 3. *v*) Apologia pag. 289. Confer. faſti conſulares A. V. 896. *x*) Vid. IVLIVS CAPITOLINVS Pertinace imperatore c. 1. L. 3. D. de decurionibus l. 59. tit. 2. confer. COLVII vita Apul.

Lollii Vrbici fecit mentionem, *y*) qui vrbis tunc erat praefectus, et per quem, legatum ſuum, Antoninus Pius olim Britannos debellarat. *z*) Et Scipionem Orphitum, Africae praeſidem alloquitur: *a*) qui praefectus vrbis eiusdem imperatoris, Antonini Pii, et poſt eum Antonini Philoſophi temporibus, quamuis inter illos haberetur, qui cum Fauſtina conſueuerint, ad ſummos tamen honores promotus eſt. *b*) Neque dubitamus, cum Q. Nonio Priſco eum conſulem fuiſſe anno ab V. C. DCCCCI. *c*) cum Pudente A.V. DCCCCXVIII. cum Maximo DCCCCXXIV. et cum Vettio Rufo DCCCCXXX. *d*) Scribunt etiam iurisconſulti his conſulibus, M. Antonino imperante, ſenatusconſultum eſſe factum, quod Orphitianum dici ſoleat, de matris inteſtatae hereditate ad ſolum filium atque filiam deferenda. *e*) Ad Apuleium noſtrum vt reuertamur, ab adoleſcentia bonarum artium ſtudio addictiſſimus fuit: et primis quidem annis Carthaginem habuit ſtudiorum ſedem atque magiſtram. Hinc ad Carthaginienſes, *ſum vobis*, dixit, *f*) *nec lare alienus, nec pueritia inuiſitatus, nec magiſtris peregrinus, nec ſecta incognitus, nec voce inauditus, nec libris illectus improbatusue. Ita mihi et patria in concilio Africae: enimuero et pueritia apud vos.* Inferius paulo: *g*) *ego vobis mercedem, Carthaginienſes, vbique gentium dependo pro diſciplinis, quas in pueritia ſum apud vos adeptus. Vbique enim me veſtrae ciuitatis alumnum fero: vbique*

y) Apologia pag. 274. *z*) IVL. CAPITOLINVS Antonino Pio c. 5. *a*) Florid. p. 357. et 358. *b*) Vid. IVLIVS CAPITOLINVS Antonino Pio c. 8. et Antonino Philoſopho c. 29. *c*) Vid. faſti conſulares h. a. *d*) Iidem his annis. *e*) Hinc Codicis l. 6. tit. 56. eſt ad SC. Orphitianum. Digeſtorum item l. 38. tit. 17. et inſtit. l. 3. tit. 4. *f*) Florid. p. 359. *g*) Ibid. p. 361.

vos omnimodis laudibus celebro: veſtras diſciplinas ſtudioſius percolo: veſtras opes glorioſius praedico: veſtros etiam Deos religioſius veneror. Deinde ſtudiorum gratia Athenas profectus eſt: vbi poeticae, geometriae, muſicae, dialecticae, atque inprimis Platonicae philoſophiae ſedulam nauauit operam. *h*) Hinc et ſacrorum pleraque initia, et varios ritus atque ceremonias hauſit: *i*) totamque, vt magicis artibus imbueretur, Theſſaliam peragrauit. *k*) Ex Graecia Romam ſtudiorum cauſſa venit, linguae Romanae ignarus: quam labore improbo certe, vtpote nullo praeeunte magiſtro, addidicit. Iuris etiam Romani peritiam ſibi comparauit: vt munus obierit aduocati, cauſſasque forenſes egerit. *l*) In Africam redux magiae et ſacrorum optime gnarus ſacerdotium ſuſcipit. Nam et ſacerdotem Africae prouinciae munera edidiſſe, et venatores veſtiuiſſe, AVGVSTINVS teſtatur: *m*) qui cum aliis ſcriptoribus eccleſiaſticis eum quoque Apollonio Tyaneo et aliis magni nominis annumerant magis, quos veſana ſuperſtitio miraculorum praeſtantia Chriſto ſuperiores crediderit. *n*) Et circa id tempus Carthagine, ex ampliſſimi ordinis decreto, ſtatua illi ex aere poſita eſt. *o*) Effigiem Apuleii aere deſcriptam GRONOVIVS antiquitatum Graecarum theſauro *p*) elegantem exhibet.

Facies

b) Metamorph. l. 1. p. 113. Florid. p. 359. et 363. *i*) Apolog. p. 309. *k*) Metamorph. l. 1. p. 103. l. 2. init. pag. 114. 117. l. 3. p. 137. *l*) Metamorph. l. 1. exord. p. 102. *m*) Epiſt. 2. fol. 16. *n*) AVGVSTIN. epiſt. 49. fol. 132. MARCELLINVS apud eund. epiſt. 5. HIERONYMVS pſalm. 81. LACTANTIVS diuinarum inſtit. l. 5. c. 3. *o*) Metamorph. l. 3. pag. 134. *p*) Volum. 3. Apuleii effigies cum ramo lauri exſtat in nummo apud ANDREAM MORELLVM in ſpecimine rei numariae antiquae tab. 2. p. 45. IACOBVS GRONOVIVS autem philoſophi noſtri

Facies erat illi satis formosa, non enormis proceritas, succulenta gracilitas, temperatus rubor, flauum et inaffectatum capillitium, oculi caesii et vigiles. Neque adeo mirum, quod iuuenem, nec corpore, nec animo, nec fortuna contemnendum Pudentilla, diuitiis quam aetatis flore excellentior matrona, vltro sibi maritum expetierit. *q*) Fuerat illi patrimonium quidem satis amplum: sed maximam istius partem liberalibus studiis ac longis variisque peregrinationibus consumsit: adeo vestem aliquando ipsam distrahere debuit: vt parem sacrorum impensis summam corraderet. *r*) Oeam cum veniisset, quae Africae vrbs est, *s*) Pudentillam vxorem duxit, quae sestertium quadragies possidebat. Mox apud Cl. Maximum, Africae proconsulem, ab Sicinio Aemyliano artium magicarum accusabatur: quod et Pudentillam, prouectioris aetatis feminam, post longam viduitatem, cum floris iam esset extincti sexagenariae proxima, incantationibus suis, lucri caussa, in amorem pellexisset, ac Pontianum priuignum suum e medio sustulisset. Quamobrem luculenta semet oratione defendit. *t*) Amicos laudat, praeter alios, Seuerianum, Africae proconsulem, eiusque filium Honorinum, legatum, Strabonem Aemylianum Numantinum, V. C. condiscipulum suum, Clementem poetam, qui res gestas Alexandri M. versibus descripsit, Scipionem Orphitum, Scribonium Laetum, Lollianum Auitum, Iulium Persium, Quintianum et Faustinum, cui de mundo libellum dedicare voluit. Neque silentio praetermittendum nostro Pudentillam coniugem, vtut vetu-

nostri vultum ex numismate aereo thesauri Christinae Aug. Sued. Reginae edidit fol. nnnn.

q) Metamorph. l. 2. pag. 115. *r*) Metamorph. l. 11, pag. 278.
s) Hodie *Tripolis*. *t*) Vid. APVLEII apologia tota.

vetulam atque praediuitem, legenti aut meditanti, candelabrum tenuiſſe. *v*) Pluribus conferantur Apuleii vitae a BEROALDO, ELMENHORSTIO, COLVIO et BAYLIO *x*) conſcriptae.

§. IV.

Apuleios fuiſſe plures, veterum monumenta ſatis vbique locorum teſtantur. *y*) Lucii Apuleii SVETONIVS *z*) meminit; alius eiusdem nominis fabri tignarii SPONIVS. *a*) L. Apuleius apud PLVTARCHVM *b*) accuſauit Camillum. Diuerſi Romae fuerunt conſules. *c*) Neque cum noſtro Apuleius Celſus medicus confundendus eſt, neque Apuleius Minutianus grammaticus. L. Apuleii Madaurenſis Platonici philoſophi noſtri ex veteribus mentionem fecerunt SEVERVS Imperator, *d*) PALLADIVS, *e*) MACROBIVS, *f*) LACTANTIVS, *g*) HIERONYMVS, *h*) AVGVSTINVS, *i*) SIDONIVS APOLLINARIS, *k*) AVR. CASSIODORVS, *l*) PRISCIANVS, *m*) FVLGENTIVS, *n*) ISIDORVS, *o*) alii. §. V.

v) Vt SIDONIVS APOLLINARIS ad Heſperium l. 2. epiſt. 10. ſcripſit: *ſisque oppido meminens, quod olim Martia Hortenſio, Terentia Tullio, Calpurnia Plinio, Pudentilla Apuleio, Ruſtitiana Symmacho, legentibus meditantibusque candelas et candelabra tenuerunt.* *x*) Dictionaire hiſtorique et critique v. Apulée tome 1. p. 270. ſeqq. *y*) Vid. index proprior. nominum inſcript. Gruter. ALDVS de orthographia 46. FABRICIVS biblioth. Lat. vol. 1. p. 514. ſeq. *z*) De illuſtr. grammat. c. 3. *a*) Miſc. p. 60. *b*) Camillo. *c*) Vid. faſti conſulares A. V. 725. 734. 764. *d*) Ad ſenatum epiſtola apud IVL. CAPITOL. Clodio Albino c. 12. *e*) De re ruſtica l. 1. *f*) Somn. Scip. l. 1. c. 1. *g*) Diu. Inſtit. l. 5. c. 3. *h*) Pſ. 81. *i*) Epiſt. 4. 5. 49. de ciuit. Dei l. 4. c. 11. l. 8. c. 11. l. 8. c. 19. l. 10. c. 27. l. 12. c. 10. l. 28. c. 18. *k*) Ad Heſperium l. 2. ep. 10. ad Claudianum l. 4. ep. 3. *l*) De dialectica. *m*) L. 10. *n*) De priſco ſermone. Mythologiarum l. 3. de Pſyche. *o*) Origin. l. 2.

Digitized by Google

§. V.

Vtraque lingua, Graeca et Latina, vt AVGVSTINVS habet, *p*) Apuleius Afer extitit Platonicus nobilis. Scripſit enim multa Graece, multa Latine, multa oratione proſa, multa verſibus, *q*) quorum bona pars temporum iniuria, aut hominum incuria barbarorum periit. Sunt autem libri eius perditi, quorum nomina tantum et fragmenta quaedam e veterum grammaticorum recenſione ad nos peruenerunt, ſequentes: Carmina varia, inter quae multa amatoria epigrammata, *r*) et epiſtolae, ludicrorum libri verſibus itidem ſcripti, *s*) de prouerbiis, *t*) de arboribus, *v*) de numeris, *x*) de republica, *y*) conuiuales quaeſtiones, *z*) medicinales quaeſtiones, *a*) naturales quaeſtiones, *b*) carmen in Orphitum, *c*) de piſcibus, *d*) Hermagoras prior et poſterior, *e*) diſſertatio de Aeſculapio, *f*) Phaedo Platonis conuerſus, *g*) hiſtoriarum epitome, *h*) de muſica, *i*) hymnus et dialogus in Aeſculapium, *k*) oratio pro ſtatua ſibi Oeae locanda, *l*) libri alii, quos enumerare longum eſt.

§. VI.

Quae extant eius opera, ordine in Francofurtana Elmen-

p) De ciuit. Dei l. 8. c. 11. *q*) Vt ipſe teſtatur Florid. p. 347. *r*) Vid. AVSONIVS ad Paulinum edyll. 13. APVLEIVS apolog. pag. 278. *s*) Apolog. p. 276. extr. *t*) CHARISIVS l. 2. *v*) SERVIVS Georg. l. 2. *x*) CASSIODORVS de arithmetica, et ISIDORVS orig. l. 3. c. 2. *y*) FVLGENTIVS de priſco ſermone. *z*) MACROBIVS ſaturn. l. 7. c. 3. et ſomnio Scipion. l. 1. c. 2. *a*) PRISCIANVS l 6. *b*) Apolog. p. 297. extr. *c*) Florid. pag. 358. *d*) Apolog. pag. 299. *e*) PRISCIANVS l. 4. et 6. *f*) Apolog. p. 310. *g*) SIDONIVS l. 2. epiſt. 9. *h*) Florid. p. 347. *i*) CASSIOD. de muſica. *k*) Florid. p. 361. Apolog. p. 310. *l*) Apolog. p. 389.

menhorſtii editione ſeruato, haec ſunt. 1) *De habitudine doctrinarum et natiuitate Platonis philoſophi* liber I. qui eſt *de philoſophia naturali*. *m*) Liber II. *de philoſophia morali*: cuius pleraque e Platonis libris de legibus et rep. petita ſunt. *n*) Liber III. περὶ ἑρμηνείας, ſiue *de ſyllogiſmo categorico*, *o*) quem poſt apologiam demum alii reponunt. 2) *De Deo Socratis* liber vnus, *p*) quo diſſerit, ex quo genere numinum Socrates habuerit adiunctum et familiarem quaſi Deum, a quo admoneri conſueuerit, vt deſiſteret ab agendo, quod non feliciter euenturum. Dicit vero ſatis aperte illum daemonem fuiſſe, non Deum: diligenti diſputatione Platonis de Deorum ſublimitate, hominum humilitate, ac daemonum mediocritate ſententiam pertractans. Hinc AVGVSTINVS *q*) hanc ſiue extemporalem orationem, ſiue librum monet potius *de daemone Socratis* inſcribendum fuiſſe: vti PLVTARCHVS quoque libellum περὶ τοῦ Σωκράτους δαιμονίου edidit. FABRICIVS *r*) autem erudite ſatis demonſtrat, genium Deum naturae cuiusque hominis a veteribus appellatum fuiſſe: ac daemonibus animisque tributum paſſim nomen Deorum, perinde vt daemonum Diis. Seorſim prodiit libellus *Lugduni Batau.* 1588. 8. apud Raphelengium.

m) In aliis philoſophicorum eſt liber ſecundus *de dogmate Platonis*, eius decreta breui epitome complectens. *n*) Editionibus aliis inſcribitur philoſophicorum liber tertius *de philoſophia*. *o*) Libellus in aliis *de philoſophia rationali* inſcriptus primum ex Franciſci Nanſii codice anno 1588. a Petro Coluio in lucem protractus eſt: cuius partem duntaxat anno 1588. 4. Iohannes Sichardus in opere vulgauit, cui index: *diſciplinarum liberalium orbis*. *p*) Qui in aliis philoſophicorum eſt liber quartus. *q*) De ciuitate Dei l. 8. c. 14. *r*) Bibliothecae Graecae l. 4. c. 11. n. 93. et Biblioth. Lat. vol. 1. p. 519.

Digitized by Google

gium. *Parisiis* 1624. 12. cum notis Iosiae Merceri. 1698. 12. cum versione Gallica et notis non contemnendis. Subiectus etiam est priori Heinsianae editioni dissertationum Maximi Tyrii *Lugd. Batau.* 1607. 8. 3) *De mundo* liber singularis, *s*) ad Faustinum filium, qui naturalem continet philosophiam, pene totus ex libro Aristotelis de mundo. 4) *Hermetis Trismegisti de natura Deorum ad Asclepium allocuta, Apuleio Madaurensi Platonico interprete.* *t*) Quem quidem libellum Apuleio WOWERIVS, COLVIVS, et ELMENHORSTIVS abrogant, propter siccam et exsanguem orationem, et quod nihil prorsus habeat simile cum Apuleiana vbertate ac laetitia. *v*) Nisi vero alia obstant, haec ratio certe parui momenti esse videtur. Nihil enim Apuleio ipso eloquentiam iactante Latinam ineptius reperiri potest, qui nullibi sibi similis, et quam maxime in elocutione varius, passim dicendi genus nouum assumere non veretur. 5) *Metamorphoseon, seu fabularum Milesiarum de asino libri XI.* *x*) Quibus Lucianum sophistam imitatur, Graece

s) Qui in aliis philosophicorum est primus. *t*) Dialogus hic Trismegisti, antiquissimi philosophi, veste Latina indutus, vtpote valde suspectus, ab aliis ad calcem reiicitur operum.

v) COLVIVS in vita Apulei extr. *non bene illi*, inquit, *de stilo filoque orationis Apuleianae iudicare videntur, qui abeo Asclepium Hermetis Trismegisti e Graeco in Latinum conuersum volunt, interque eius scripta numerare et excudere non dubitant: cum eo dialogo, quantum ad verba, et ad phrases, vix quidquam in tota lingua Latina extet ineptius.*

x) Vulgo perperam inscribuntur *de asino aureo.* Quem errorem genuit non intellectum illorum elogium, qui asinum Apulei, h. e. lusum eius de asino, ob suauem et ingeniosam orationis formam, aureum appellarunt. Asinum hunc CASP. BARTHIVS

simili fere argumento scribentem: quam ob rem et fabulam hanc Graecanicam vocat. Semet ingenii fortunaeque periclitandae gratia fingit cum aliquot sociis in Thessaliam profectum. Ibi a saga, quod in auem cuperet, in asinum esse mutatum: attamen pristinum sensum retinuisse. Multa se passum, multa vero etiam laboribus et aerumnis didicisse: vt plane hoc commento mores hominum variosque euentus notaret. Denique post rerum vicissitudines plurimas, lunae auxiliatricis ope, rosas de manu Aegyptii sacerdotis acceptas deuorauit, ac pristino hominum consortio restitutus est, magnisque religionibus initiatus. Meminit huius fabulae Seuerus imperator in literis ad senatum publicis de Clodio Albino: y) *maior fuit dolor, quod illum pro literato laudandum plerique duxistis: cum ille naeniis quibusdam anilibus occupatus inter Milesias Punicas Apuleii sui et ludicra literaria consenesceret.* Seorsim editi sunt, vt vulgo inscribuntur, aurei de asino libri cum amplissimo Philippi Beroaldi commentario *Venetiis* 1504. fol. *Parisiis* 1510. 4. 1512. fol. et 1536. 8. apud Simonem Colineum. *Goudae* 1650. 8. cum notis I. Pricaei. 6) *Apologia*, siue oratio de magia pro se apud Claudium Maximum, Africae proconsulem, dicta: z) cum Sicinius Aemilianus eum non vnius flagitii, sed magiae praesertim accusarit. Quoniam Apuleius ipse testatur, sibi ad defendendum tres, vel quinque sum-

THIVS aduersar. l. §1. c. 11. obseruat satyricon esse perpetuum, quo magica deliria, sacrificulorum scelera, adulterorum crimina, furum et latronum impunitae factiones palam differantur.

y) Apud IVLIVM CAPITOLINVM Clodio Albino c. 12.

z) AVGVSTINVS de ciuitate Dei l. 8. c. 19. *Apuleii philosophi Platonici copiosissima et disertissima extat oratio, qua crimen artium magicarum a se esse alienum defendit.*

Digitized by Google

ſummum integros fuiſſe dies: haud ab re Scipio Gentilis ſuſpicatur, aliam fuiſſe orationem, quam dixit coram iudice Apuleius, aliamque hanc apologiam magis elaboratam, quam poſtea edidit. Tantoque magis falluntur, qui ſibi perſuadent duas apologia iſta orationes comprehendi. *a*) Separatim edita eſt 1594. 4. ex officina Commelini, cum Iſaaci Caſauboni notis. *Lugduni Batau.* 1607. 8. cum Ioh. Meurſii caſtigationibus. *Hanou.* 1607. 8. cum iisdem Meurſii caſtigationibus et inſigni Scipionis Gentilis commentario. *Pariſiis* 1635. 4. cum praeſtantissimis Ioh. Pricaei animaduerſionibus. 7) *Florida* *b*) orationum continent excerpta, quae, quod generis ſint demonſtratiui, florum inſtar, doctrina varia, et multiplici rerum cognitione delectent. Separatim prodiere *Argentorati* 1516. 4. *Pariſiis* 1518. 4. apud Ioh. Badium Aſcenſium, ex Ioh. Pyrrhi Englabermei caſtigatione. 8) Ἀνεχόμενος ex Menandro, Iambici ſunt verſus laſciui, quorum primus *amare liceat, ſi potiri non licet.* Sed Elmenhorſtio viſum eſt, recentioris Itali eſſe foetum. Primus vna cum aliis veterum aliquot eiusdem fere argumenti epigrammatis Claudius Binetus vulgauit. Poſtea Ianus Douſa pater ſuis ad Petronium praecidaneis l. 3. c. 7. illuſtrauit. Habes poemation iſtud quoque ad calcem Priapeorum cum Scioppii notis.

§. VII.

Plures omni tempore fuerunt, qui noſtrum de non vno vitio accuſarunt. Secundum AVSONIVM *c*) fuit in vita philoſophus, in epigrammatis amator, in praeceptis omnibus ſeuerus, in epiſtolis ad Caerelliam petulans.

a) Confer. FABRICIVS Biblioth. Lat. vol. I. p. 518. *b*) Aliquot editionibus in IV. libros diuiſa ſunt. *c*) Edyllio 13.

MELANCHTHON dicebat, *d*) Apuleium rudere cum asino suo. LAVR. quoque VALLA *e*) nihil egregii audet profiteri de Apuleio, in eo praesertim opere, cuius nomen est de asino aureo: cuius sermonem si quis imitetur, non tam auree loqui, quam nonnihil rudere videatur. HADRIANVS Cardinalis: *f*) *quis*, inquit, *ferat non tam Apuleium, qui vt mali aedificii dominus se architectum non adhibuisse, ita literas sine praeceptore coluisse gloriatur, quam aliquos esse, qui malint foetores et quisquilias eius colligere, quam verborum floribus perfectissimae Ciceronis aetatis, quam signauimus inhaerere?* DEMPSTERVS *g*) ineptam prorsus ait dictionem eius esse rebus eruditis. CAVSSINVS *h*) eleganti quidem fatetur et faceto ingenio fuisse: sed eo non potest ferre quam maxime abusum, non modo insolentiori Musis stilo, verum et ipsius argumenti nouitate. Auctorem hinc vtique cautae lectionis esse, et periculosae imitationis, maxime quod abundet dulcibus vitiis. BISCIOLA *i*) in Apuleii asino aureo nihil reperire potuit, nisi orationis et sententiarum quasi rude ferrum et impolitum.

§. VIII.

Suos tamen etiam Apuleius amatores inuenit: vt eum pro satis Latino et ipsius Plauti imitatore venditent. Neque PHILIPPVS BEROALDVS Bononiensis, qui auctorem hunc prolixo commentario illustrauit, asserere non veritus est, Musas Apuleii sermone locuturas, si Latine

d) In encomio eloquentiae. *e*) In errores Antonii Raudensis annotationibus ad Iohannem Lucinam, Alfonsi Regis secretarium, p. m. 44. *f*) De sermone Latino p. 11. seq. *g*) Elencho scriptorum paralipom. ad Rosinum praefixo. *h*) Parallel. l. 3. c. 14. *i*) Hor. subseciu. tom. 1. l. 20. c. 16.

Digitized by Google

tine loqui vellent. *k)* GADDIVS quoque *l)* istius stilo nimis fauet, sibique persuadet, figuras illi quasdam, epitheta, et huius generis alia, condonari facile posse: quia non dogmata religionis, aut arcana politices, aut historiam grauem scribere constituerit. Tanto vero illi minus condonandum, quod, vt BEROALDVS *m)* obseruat, suos concinnauit libellos, vt euidenter edoceret, quanta eloquentia Latiali homo Afer, quanta elegantia, quanta rerum verborumque copia praeditus esset. Multo vero magis mirandum, post renatas bonas literas tam perditi saporis et proiectae castitatis fuisse non paucos, qui seculo post Christum XVI. ineunte, neglectis melioribus Latinae linguae monumentis, curiosi magis, quam eruditi, vnice Apuleium sequi et aemulari studuerunt. *n)* Neque ego satis intelligere possum, quid sit, quod VOLATERRANVS *o)* eum habeat omnigenae virum eloquentiae, qui eam veterum castam virginem mirum quantum commaculauit, imo vitiauit vsque adeo, vt nihil prorsus in ea dignitatis aut elegantiae appareat. Nam, vt ipse Volaterranus obseruat, *diuersam ab antiquis ingressus viam, nouum dicendi genus assumsit: in verbis nouus, in sententiis creber, in translationibus audax, in inuen-*

k) Propter hunc praeposterum Apuleii imitandi amorem, FRANC. FLORIDVS SABINVS in Beroaldum acriter inuchitur: vitiosissimum scribendi genus ex Apuleio, Martiano, Capella, Sidonio et similibus, primum suis temporibus exclasse, et in multas Europae partes, e quibus vndique ad eum confluxerint auditores; ita diffudisse, vt plurima adhuc supersint eius vestigia, nec penitus deleri possint. Pl. confer. MORHOFIVS polyh. liter. l. 4. c. 14. §. 3. *l)* Scriptorum non eccles. tom. 1. p 33. *m)* Asini aurei prolog. de scriptoris intentione et consilio. *n)* Vid. HADRIANVS Cardinalis de sermone Latino p. 11. *o)* Commentariorum vrbanorum l. 13. p. 484.

inuentione acutus, in elocutione varius. Et eruditiſſimus WERENFELSIVS *p*) obſeruat, quamuis in Apuleio ſint oppido multa orationis meteora: ſcriptorem iſtum in omnium manibus tamen eſſe, et a multis amari adeo: vt, ſi quis eum reprehenderet, illum inuidiae nefariae lethali plaga percuſſum eſſe, clamarent. Nec ipſe dicere quicquam audet: quod LIPSIVS ipſe *q*) ſtilum eius aduerſus iſtos de Arpinati ſchola inueſtes pueros, ita eleganter Ciceronis cultores vocat, aſſerere non veretur. Alibi: *r*) *ſtilum* Apuleii, inquit, *ineptum eſſe volunt: fatebor in parte (nec enim aſperitatem illam et horrorem quaeſitae dictionis vſque quaque excuſo) ſed tamen docte ineptum, et e quo multa bona ſelectaque hauriat bonae ſelectaeque mentis lector.* Nullius vero plane ſaporis HIERON. REGIVM *s*) fuiſſe oportet, qui auctorem diſertiſſimum vocat, et eximia eruditione conſpicuum. Multa vocabula a Graecis Latine pronunciata ita traduxiſſe, vt tanquam Latina moneta percuſſa a nemine cultioris litteraturae

p) De meteoris orationis, opuſc. p. 620. *q*) Epiſt. quaeſt. l. 2. epiſt. 22. *Ego vero*, inquit, *Apuleii lectionem abhorrendam non cenſeo, quicquid iſti de Arpinati ſchola inueſtes pueri dicant. Ciceronem admirantur? laudo. Et ſcilicet nos eo modo non ſcripſimus, aut ſcribere nunc, ſi res ferat, non poſſimus. Sed non hoc agitur, et vt dem illis ad eloquentiam Ciceronem vnicum eſſe: intelligere et ſapere tamen eſt a multis. Quamquam illum ipſum Apuleii ſtilum quod contemnunt, vellem parcius. Et eamus ab iſtis diſcipulis ad iudices ex lege Pompeia triginta annorum, tumidus fortaſſe, vegrandis, et affectatae elegantiae ſcriptor eſt: at certe doctus literas et mores veteres, et in ſermone ipſo Plauti inprimis imitator. Itaque ille neſcio quis rhetoriſta, qui rudere illum dixit, non loqui, probet prius de Plauto, et credam de Apuleio.* *r*) Elect. l. 2. c. 22. *s*) De lingua Lat. comment. 1. praeceptione 16.

Digitized by Google

teraturae reſpuantur. IOH. BRANTIVS *t*) Stilum Apuleii eo argumento putat valde decorum et bonum eſſe, et mirum in modum aequalem: quae magna profecto in ſcriptione virtus. In eo ſibi perſuadet *v*) nulla verba eſſe, niſi antiqua, et a bonis auctoribus, qui nunc non exſtent, deſumta: quibus tamen, pro moribus huius ſeculi, non omnibus liceat vti. Ipſe C. BARTHIVS *x*) ſcriptorem vocat verborum et ſtili eruditiſſimum; proprietatis Latinae ſcriptorem optimum; ſcriptorem proprietatis amantiſſimum, veteres vereque Latinos ſecutum, vtut phraſi durior ſit, verbis tamen bene Latinis vti. Et CASAVBONVS *y*) *digna*, inquit, *vox Apuleio* inuidere *pro* non videre, *vt* inuiſus *pro* non viſus *apud M. Tullium*. *Si quis propter huiusmodi voces faſtidiendam putet huius eruditiſſimi ſcriptoris orationem, eum ego cenſeo, quid ſit Latine ſcire, prorſus ignorare. Nam certum eſt, optimos quosque Latinitatis auctores plerisque compoſitis cum* re, *et* in, *et* ex *multifariam vti ſolitos.* Laudum aliarum buccinatores CHR. DAVMIVS recenſet elegantiſſimo libello de cauſſis amiſſarum quarundam Latinae linguae radicum: *z*) vt iudicia demonſtraret etiam virorum hodie doctiſſimorum iudicia de veteribus ſcriptoribus quam maxime diſcrepantia eſſe.

§. IX.

De eruditione nemo dubitat, niſi qui forſan indoctus eſt ipſe, et exquiſitum nihil intelligit. Vnde BOECLERVS

t) Ad Apulei. p. 37. *v*) Ibid. p. 53. *x*) Aduerſ. l. 24. c. 1. col. 1170. l. 55. c. 2. l. 7. c. 12. col. 334. *y*) In Apolog. Apuleii. *z*) Cap. 27. Apud IOH. GEORG. GRAEVIVM collectione diſſertationum rariſſimarum hiſtorico-philologicarum pag. 516. ſeq.

Digitized by Google

CLERVS *a*) miratur, adhuc oſtendiſſe neminem, quam eruditus fuerit Apuleius, quantumque ex Graecis traheret: cum in hoc ſcriptore plus antiquae Latinitatis et reconditae philoſophiae reperiatur, quam vulgo cognitum ſit. Abundat certe myſteriis Platonicis, ille artibus quoque magicis imbutus: vt fabulis etiam ſolidior doctrina et profunda eruditio ſubeſſe videatur. Theologiam Apuleii CHRISTIANVS FALSTERVS in cogitationibus variis philologicis *b*) exponit.

§. X.

Dictio Apuleii ſatis monſtroſa et vere Africana eſt, quae tumidum ac ineptum videtur prae ſe ferre ſermonis characterem. Semet enim fatetur ipſe Latinas ignorare literas, et Quiritium ſermonem labore improbo, nulloque praeeunte magiſtro, in ipſa vrbe didiciſſe.

- - *In vrbe Latia*, inquit, *c*)
Aduena ſtudiorum, Quiritium indigenum
Sermonem, aerumnabili labore, nullo
Magiſtro praeeunte, aggreſſus excolui.
Et ecce praefamur veniam, ſi quid
Exotici atque forenſis ſermonis rudis
Locutor offendero. Iam haec equidem ipſa
Vocis immutatio deſultoriae
Scientiae ſtilo, quem acceſſimus,
Reſpondet. - - -

Attamen faſtu et vanitate plenus vbique maxima affectatione loquaculus eloquentiam prae ſe tulit, ſuamque ſuadam

a) Sec. IV. pag. 186. et bibliographia critica p. 460. ſeq. confer. eiusd. comment. de ſcriptoribus p. 59. *b*) Quae prodierunt Flensburgi 1719. 8. pag. 37. - 43. *c*) Metamorph. l. 1. prol. edit. Francof. Elmenhorſt. p. 102.

Digitized by Google

dam ipſe, non ſine lectoris faſtidio commendauit. *De eloquentia*, inquit, *d) ſi qua mihi fuiſſet, neque mirum, neque inuidioſum deberet videri, ſi ab ineunte aeuo vnis ſtudiis literarum ex ſummis viribus deditus, omnibus aliis ſpretis voluptatibus, ad hoc aeui, haud ſciam anne ſuper omnes homines impenſo labore, diuque noctuque, cum deſpectu et diſpendio bonae valetudinis, eam quaeſiſſem. - - Sane quidem ſi verum eſt, quod Statium Caecilium in ſuis poematibus ſcripſiſſe dicunt, innocentiam eloquentiam eſſe. Ego vero profiteor iſta ratione, ac prae me fero, nemini omnium de eloquentia conceſſurum. Quis enim me hoc quidem pacto eloquentior viuat? quippe qui nihil vnquam cogitaui, quod eloqui non auderem. Eundem me aio facundiſſimum eſſe.* Sic certe in meteoris vbique haeret, quae terribilia ſatis Africa hoc tempore produxit. Vnde non orationis dignitas, verum potius ſummum dedecus oritur: vt multis eruditiſſimus WERENFELSIVS diſſertatione de meteoris orationis demonſtrat. *e)* Ecquid exordio magnificentius de aſino, quem plumbeum, aut ferreum praeſtat, quam aureum dici: vt fabulam te auſpicari crederes, quam hodie Romanenſem vocamus: *f) Et ego tibi ſermone iſto Mileſio varias fabulas conſeram, auresque tuas beneuolas lepido ſuſurro permulceam: modo ſi papyrum Aegyptia argutia Nilotici calami inſcriptam non ſpreueris inſpicere.* Vbi quot verba poſuit, toties prope a vera dicendi regula deflexit. Nam et epithetis pluribus, quam par eſt, vtitur: et in iis poetica miſcet, vt *aures bibulas*; et quid cogebat eum rem potius circumloqui, quam recto exprimere modo, cum *argutiam*

d) Apolog. p. 276. *e*) Opuſc. p. 595. ſeqq. *f*) APVLEIVS metamorphoſ. l. 1. init.

Nilotici calami pro *calamo* dixit? Tale et illud eſt de aſino libri tertii exordium: *commodum punicantibus phaleris Aurora roſeum quatiens lacertum coelum inequitabat: et me ſecurae quieti reuulſum nox diei reddidit*, etc. Quibus profecto nihil frigidius, nihil ineptius dici potuit. Sunt tamen, quibus mirifice talia placent, vt ea imitari et vbique locorum protrudere ſuauius multo arbitrentur eſſe, quam optimum quodque et ſaniſſimum ſequi: in iſtis rati poſitum eſſe ipſum eloquentiae apicem. Apuleii autem oratio paſſim vbique his vitiis laborare videtur: *g*) vt oratorem ſe oſtendat ſophiſmatibus et amplificandi quacunque ratione exercitatum. Quammaxime κακόζηλος fuit, et pridem obſoleta vocabula, praeterquam quod ratio ferat, inſigni cum oſtentatione et proſtitutae eloquentiae inani ac ſtolida affectatione, in vſum reuocare ſtuduit. Si quis alius hic certe nouitatis ſtudioſus praeter loquendi rectam conſuetudinem vocum atque dictionum fingendarum ſibi licentiam ſumſit: vt doctis non immerito nouum dicendi genus introduxiſſe videatur. De ſemet tamen ſcribere non veretur, *h*) res pauciſſimis cognitas, Graece et Latine, propriis et elegantibus vocabulis conſcripſiſſe. Plusquam poeticis translationibus gaudet, ac minime ferenda, pro veteris elegantiae ſeruandae cura et ſolicitudine, audacia vtitur. Hinc MELANCHTHONIS *i*) querelae: *quoties abſurdis ac ineptis metaphoris ſermonem obſcurant? Quis enim Apuleium et huius ſimias ferat? Sed recte Apuleius, qui, cum aſinum repraeſentaret, rudere potius, quam loqui maluit.* Pari modo vt MICHAEL MEANDER: *k*) *Apuleii Afri*, inquit, *aſinus ille aureus, libris*

g) Vid. AVGVST. BVCHNERVS de commutata ratione dicendi p. 51. 166. 232. ſeq. 575. ſeq. *h*) Apolog. p. 199. *i*) In eloquentiae encomio. *k*) Praefat. in apocrypha S. Iacobi.

libris XI. celebratus, orationis genere, et argumento, et voci aſininae congruo, vbi rugitum potius, ſeu boatum infernalem te audire putes, quam hominis vocem: adeo diſcrepat oratio a puritate Latina etc. Durae et indecorae metaphorae plena ſunt omnia. Neque enim Africani hoc tempore ſcriptores, qui ſingularem prae ſe ferebant eloquentiam, conſiderarunt, plura poetis in hoc genere, quam oratoribus et illis, qui charactere vtuntur ſoluto, fuiſſe conceſſa, neque confundendas vtrorumque ideas. Atqui etiam aliud eſt poetice, aliud monſtroſe loqui: aliud diuina proferre ac coeleſtia, aliud nubes et inania captare: quod μετεωρίζειν vocant, vt LONGINVS *l*) μετέωρα, turgida et inflata in oratione, τοῖς ὑψίλοις, ſublimibus opponit. Nam vere ſublimem ac generoſam orationem coeleſti naturae reſpondere ſignificat, quae pura, lucida, et quadam tranquilla maieſtate eſt: turgidam contra, elatamque inepte, cum illa regione aeris componit, quae nubibus tenditur, et nimbis pluuiisque laborat, in quibus plurimum taedii ac moleſtiarum ineſt. *m*) Tota Apuleii oratio affectata et declamatoria eſt. Sic illa v. gr. Antigenidae tibicinis commendatio: *n*) *Tibicen quidam fuit Antigenidas, omnis voculae melleus modulator, et idem omnimodis peritus modificator.* Haec tolerari vtcunque poſſunt. Sed quae ſequuntur: *ſeu tu velles Aeolium ſimplex, ſeu Aſium varium, ſeu Lydium querulum, ſeu Phrygium religioſum, ſeu Dorium bellicoſum;* plane inepta et ſcholaſtica ſunt, et ad oſtentationem comparata: vt pinguem inflatamque orationem magis, quam grandem et admirandam efficiunt. Nihil ergo eſt, quod praeclare

l) Περὶ ὕψους p. 40. *m*) Confer. WERENFELSII eruditiſſima de meteoris orationis diſſertatio. *n*) Florid. pag. 342.

de ſtilo iſto ſentire, aut cuiquam ad imitationem proponere poſſimus.

§. XI.

Apulei editio omnium prima eſt *Romana* 1469. fol. in domo Petri de Maximis, curante Cardinali Beſſarione. Addita eſt Alcionii epitome diſciplinarum Platonis. Hanc editionem principem Caſaubonus arbitratur correctorum manus non expertam, ac proinde minus corruptam eſſe. Eam ſecuta eſt altera 1472. fol. *Veneta* 1473. 1483. et 1493. fol. *Vincentina* 1488. et 1498. fol.

§. XII.

Sequenti ſeculo poſt Chriſtum natum decimo ſexto Apulei opera prodierunt *Venetiis* 1501. fol. cum Beroaldi commentariis. 1521. 8. apud Aldum, vna cum Alcioni introductione in Platonem. *Florentiae* 1512. 8. apud Iuntam. 1522. 8. per Bernhardum Philomathem Piſanem. *Pariſiis* 1510. 8. apud Ioh. Paruum. 1512. fol. per magiſtrum Iohannem Philippum aſinus Apulei aureus cum ampliſſimo Philippi Beroaldi commentario editus eſt, *o*) cuius ſub finem endecaſyllabon:

I dextro

o) BOECLERVS quidem bibliographia critica p. 460. Beroaldi ſingularem in Apuleio exornando induſtriam laudat: DAVMIVS vero de cauſſis amiſſarum quarundam Latinae linguae radicum c. 20. apud GRAEVIVM collect. diſſertationum rariſſimarum hiſtorico philologicarum pag. 493. iſtis annumerat criticis maximum bonis ſcriptoribus intulerint damnum. CLAVDIVS VERDERIVS in cenſura auctorum pag. 158. apud MORHOFIVM polyhiſt. liter. l. 4. c. 14. §. 3. *Philip. Beroaldus vir dictionariis quibusdam addictus fuit, e quibus ſua eruit omnia: ſegniſſimus in Apuleium oſcitat. Huius ſi vellem errata omnia perſequi, magni voluminis liber emittendus eſſet.* Sed raro illius viri cenſura, quod ſaepius alibi demonſtratum fuit, ſincera eſſe ſolet.

Digitized by Google

I dextro pede, ſidere et ſecundo
Felix Pannoniam petas, Aſelle,
Te non aſpera ſaxa, non viarum
Scruppi, flumina, ceſpites, lacunae,
Cliuorum ſalebroſa, ſenticeta
Delaſſent: iter hoc laborioſum
Transcurras ſine claudicatione.
Commentaria noſtra ſarcinasque
Perfer nauiter, offerasque munus
Petro pontifici pio eloquenti,
Quo nihil doctius elegantiusque,
Quo nihil ſanctius eſt benigniusque.
Is te comiter obuioque greſſu
Gratanter capiet, ſtatim refectum
Vnguento, ambroſia, toro fouebit.
Tunc molli ſatur educatione
Fies delicium tui patroni,
Guſtabisque roſas, eris Toroſus
Splendens, floridus aureusque Aſellus.
I dextro pede, ſidere et ſecundo
Felix Pannoniam petas, Aſelle.

Opera quoque omnia lucem Pariſiis viderunt 1524. 8. apud Robertum Stephanum. 1536. 8. apud Sim. Colinaeum. 1585. 8. apud Henricum Stephanum. 1594. 4. Iſ. Caſaubonus apologiam Apuleii commentario illuſtrauit. *Antuerpiae* 1568. 8. apud Plantinum prodierunt Godeſchalci Stewechii in Apuleii opera omnia quaeſtiones et coniecturae. Acceſſerunt quoque aliorum doctorum virorum in eundem ſcriptorem emendationes. *Lugduni Batauorum* 1588. 8. apud Raphelengium, cum notis vberioribus Petri Coluii Brugenſis: cuius viri iuuenis ſingularia fuerunt fata. Nam mulae periit ictus calce: vt pretium

tium a mula referret laborum, in Apuleii aſinum impenſorum. Haec enim de Coluio in codice ſuo Marquardus Freherus annotauit: p) *hic doctus iuuenis, qui etiam militiam experiri volens cum Principe Anhaltino Bernhardo vt interpres caſtra Gallica Anno MDXCI. ſecutus eſt, cum incaute aliis adequitauit, crus ipſi a calcitrante equo vicino* (mula potius vicina) *fractum eſt. Ipſe delatus in oppidum Normandiae Granuillae, ibidem extinctus et XXVI. Decembris ſepultus eſt.* Luſit hinc in eum IANVS DOVSA epigrammate:

Auctor mula necis, iuuenem quae calce peremit.
Heu ſcelus! heu dira beſtia caede nocens!
I nunc Luci aſino natiuum redde nitorem:
Nata aſino rumpat quo tibi mula caput.

1594. 12. apud Franciſcum Raphelengium, ex Bonauenturae Vulcanii caſtigatione: cuius opera tandem aſinus ille in roſas incidit, et homo patriae ſibique redditus fuiſſe videtur. *Baſileae* 1533. 8. apud Henricum Petri 1560. 8. cum Marci Hopperi praefatione, et Philippi Beroaldi in metamorphoſin commentario. 1597. 8. tribus voluminibus, ex officina Sebaſtiani Henr. Petri, cum Beroaldi in metamorphoſin commentario, et Godeſchalci Stewechi in Apuleii opera integra quaeſtionibus et coniecturis, emendationibus item e Lipſii, Modii, et aliorum ſcriptis.

§. XIII.

Decimo ſeptimo poſt Chriſtum natum ſeculo Apuleii opera prodierunt *Pariſiis* 1601. 12. ex Bonauenturae Vulcanii recenſione. 1688. 4. duobus voluminibus, in vſum Delphini, a Iuliano Florido illuſtrata, et indice omnium verborum aucta. *Lugduni* 1614. 8. duobus volu-

p) Teſte FABRICIO biblioth. Latin. volum. 3. p. 38.

Digitized by Google

voluminibus, cum Beroaldi in metamorphoſin commentario, Stewechii caſtigationibus, Caſauboni ſcholiis in apologiam, Ioh. Pyrrhi variis lectionibus, F. Roaldi et Iani Gruteri ſuſpicionibus, et Caſpari Scioppii ſymbolis criticis. *Amſtelodami* 1624. forma minori, apud Guiliel. Caeſium, ex recenſione Petri Scriuerii. 1628. minori forma ex Bonauenturae Vulcanii caſtigatione. *Lugduni Batau.* 1610. 12. ex officina Plantiniana Raphelengii, ad Bonauenturae Vulcanii, Petri Coluii, et aliorum editiones, recognita et emendata. 1624. 12. ex recenſione Petri Scriuerii. *Hamburgi* 1606. 12. apud Frobenium, cum Ioh. Wowerii notis. *Baſileae* 1620. 8. tribus voluminibus, cum Beroaldi in aſinum aureum commentariis, Stewechii in opera omnia quaeſtionibus et coniecturis, nec non emendationibus e Lipſii, Modii, et aliorum ſcriptis. Occurrit etiam in hac editione Aſclepius, et liber de medicaminibus herbarum. *Francofurti* 1621. 8. ex officina Wecheliana, eximiam Apuleii editionem Geroerhardus Elmenhorſtius curauit, ex MStis et veteribus codicibus recenſuit, librumque emendationum et indices abſolutiſſimos adiecit, vna cum Ioh. Rutgerſii, Erycii Puteani, et Ioh. Brantzii in Apuleium ſpicilegiis ad Elmenhorſtium; Cornelii Martini quoque ad eundem animaduerſionibus in Apuleii librum περὶ ἑρμηνείας. Cum Elmenhorſtius huic editioni eſſet immortuus, Iohannes Loccenius eam ad finem perduxit.

§. XIV.

Pertinent huc quoque rei agrariae ſcriptores, SICVLVS FLACCVS, qui de conditionibus agrorum ſcripſit. BARTHIVS *q*) autem putat, epitomen eius tantum hodie haberi,

q) Aduerſar. l. 19. c. 5.

haberi, ac ſatis patere, quod epitomator Chriſtianus fuerit. Nihil iſtorum quidem GOESIO *r*) arridet: ſed ipſe nihil etiam proferre poteſt, quod ethnicum fuiſſe probet. Non ante Domitianum vixit ille Siculus Flaccus: huius enim imperatoris edicti meminit. Neque ante Neruam floruiſſe RIGALTIO videtur. Si Goeſio credimus, libri inſcriptio fuit de conditionibus agrorum Italiae: ex eo vero nihil aliud hodie ſupereſt, quam operis initium, idque lacerum. Habentur etiam eiusdem Flacci nomina agrorum et limitum. AGGENVS VRBICVS ſcripſit in Iulium Frontinum commentarium, libris duobus, et de controuerſiis agrorum. GOESIO *s*) ante Theodoſii M. vel etiam ante Antonini Pii tempora vixiſſe videtur: quia meminit curae circa loca ſacra, et litium de aede Mineruae motarum: ſed et controuerſiae inter ICtos et agrimenſores, quam ab Antonino Pio deciſam eſſe conſtet, quemadmodum templa idolorum Theodoſius diruit. *t*) De Chriſtianiſmo huius auctoris nihil affirmare licet. Aggenum de controuerſiis primum Rigaltius vulgauit. Ad Frontinum commentarios primus edidit Ioh. Sichardus ad calcem codicis Theodoſiani *Baſileae* 1528. fol. apud Henr. Petri. Vterque Flaccus et Aggenus legitur in auctoribus legibusque rei agrariae, ſiue finium regundorum, Ioh. Tilii, Meldenſium epiſcopi, hortatu primum editis, et ad Palatinum codicem caſtigatis mutua opera Petri Gallandii, Petri Caſtellani, Aemari Ranconeti, et Adriani Turnebi, *Pariſiis* 1554. 4. Emendatiores cum obſeruationibus et gloſſis agrimenſoriis edidit Nicolaus Rigaltius *Pariſiis*

r) Recentiori librorum de re agraria editori. *s*) Notis p. 147. et 197. *t*) De controuerſiis agrorum vide etiam CVIACIVM obſeruat. l. 10. c. 2.

visiis 1613. 4. Denique Guilielmus Goesius nouam legum et scriptorum rei agrariae editionem procurauit *Amstelodami* 1674. 4. cui praeter obseruationes et glossas Rigaltii suas notas et indices addidit. Siculum Flaccum de conditionibus agrorum cum emendationibus et notis suis, in quibus plurimum a Goesio recedit, Ioh. Conradus Schwartzius V. C. separatim *Coburgi* 1711. 4. edidit.

§. XV.

Septimii Seueri eiusque filii Caracallae imperio floruit SERENVS SAMMONICVS, qui permulta scripsit, atque in his de rebus reconditis, quarum ex libro quinto MACROBIVS *v*) carmen seruauit Deorum antiquo ritu euocandorum, atque aliud vrbium, numinibus iam euocatis, exercituumque deuouendorum. Ex omnibus soli *de medicina* libri carmine heroico conscripti ad nos peruenerunt. De illis vero iam supra poetas inter facta est mentio. *x*)

§. XVI.

CENSORINVS quis fuerit, mecum forsan omnes se fatebuntur ignorare: quandoquidem eius nominis plures fuerunt; et vulgo constat, qui censores fuerunt, censorios, *y*) aut censorinos dictos, vt consulares, qui consules fuerunt. Ad Martium Censorinum, vt demonstraret, nihil esse, quod homines magis posset reddere immortales, quam poetarum carmina, HORATIVS scripsit: *z*)

Donarem paternas grataque commodus,
Censorine, meis aera sodalibus: etc.

v) Saturn. l. 3. c. 9. *x*) Pl. confer. GLANDORP. p. 788. KEVCHENIVS in notis ad Serenum p. 68. BARTHOLINVS in poët. med. p. 116. 120. BARTHIVS in 9. Theb. Papin. pag 1058. *y*) De Catone Censorio vid. PLVTARCHVS. *z*) Carmin. l. 4. ode 8.

PLVTARCHVS: *a*) *Martiorum familia Romae complures ex patriciis illuſtres edidit viros. Ex quibus etiam Martius Caius nomine nepos extitit, qui poſt Tullum regnauit Hoſtilium. Martii quoque fuere Publius et Quintius, qui maximum pulcherrimumque Romae aquaeductum fecere. Itemque Cenſorinus, quem Romanus populus cenſorem ſecundo creauit: quo ſuadente legem decretumque tulere, ne cui bis eundem ambire magiſtratum liceret.* Cenſorini alius SENECA rhetor *b*) meminit. Ad Cenſorinum ſcripſit SYMMACHVS. *c*) Atque triginta tyrannorum vnus Cenſorinus fuit, qui cum grauiſſime ſe gereret, neque a militibus, ob diſciplinam cenſoriam ferri poſſet, ab his ipſis, a quibus factus fuerat imperator, interemtus eſt. Eius familia, Cenſorinorum nomine frequentata: cuius pars Thracias, odio rerum Romanarum, pars Bithyniam petiit. *d*) Ad hanc ergo philoſophum et grammaticum noſtrum mallem referre, quam ad vltimam gentem Martiam, in qua multi cenſorini fuerunt. *e*) Dubio ille procul Romanus fuit: quod ipſe haud obſcure indicat, vbi Romam agnoſcit patriam ſibi cum Q. Caerellio communem. *Itaque, vt ſecula*, inquit, *f*) *poſſim percurrere, et hoc noſtrum praeſens deſignare, omiſſis aureis argenteisque, et hoc genus*

a) Marci Coriolani vita init. *b*) Praefat. 3. excerpt. controu. *c*) Lib. 8. epiſt. 27. *d*) Vid. TREBELLIVS POLLIO triginta tyrannis c. 33. *e*) Vt VOSSIO videtur, de hiſt. Latin. l. 2. c. 3. pag. 178. Et ALDO MANVTIO de Cenſorino iudicio, quod eius libello de die natali praemiſit. *Qua*, inquit, *familia natus, quoque praenomine vſus ſit, affirmare non audeo. Tantum dicam, me interdum ſuſpicari, ex Marcia eum familia fuiſſe, quoniam Cenſorini cognomine vtebatur. Etſi hoc ſtet, Caii potius praenomine, huic familiae vſitato, quam alio vſum eſſe, affirmarim.* *f*) CENSORINVS de die natali c. 4. extr.

genus poeticis, a conditu vrbis Romae, patriae noſtrae communis, exordiar. Et tenui fortuna fuiſſe, libelli prooemium his verbis teſtatur: *quoniam quisque non quanto plura poſſidet, ſed quanto pauciora optat, tanto eſt locupletior: opes tibi in animo maximae, et eae quidem, quae non modo bona generis humani praecedunt, ſed quae ad deorum immortalium aeternitatem penitus accedant. - - Quare, cum dona pretioſa neque tibi per animi virtutem deſint, nec mihi per rei tenuitatem ſuperſint: quodcunque hoc libri eſt, meis opibus comparatum, natalitii titulo tibi miſi.* Nec obſcurum eſt, quando ſcripſerit, ex ipſius de temporibus ſuis annotatione. Floruit autem maxime ſub Maximino et Gordiano imperatoribus: et ſcripſit libellum de die natali anno poſt C. N. CCXXXVIII. qui eſt primus Gordiani imperatoris, aut, ſi FVNCCIVM ſequamur, *g*) anno Chriſti CCXLI. Temporis notatio prima haec eſt: *h*) *quoniam ciuile Romanorum ſeculum C. annis tranſigitur, ſcire licet in X. ſeculo et primum natalem tuum fuiſſe, et hodiernum eſſe.* Tractatione vero ſequenti *i*) ipſum indicat annum: *nunc apud eos* (Graecos) *CCLIV. olympias numeratur, eiusque annus hic ſecundus*, qui eſt ab V. C. nongenteſimus nonageſimus, quo imperatores Balbinus et Pupienus fuerunt, conſules Vlpius et Pontianus. Et omnium clariſſime ipſos etiam conſules nominat: *k*) *hic annus, cuius velut index et titulus quidam eſt Vlpii et Pontiani conſulatus, ab olympiade prima M. eſt, et XIV. ex diebus dumtaxat aeſtiuis, quibus agon Olympicus celebratur. A Roma autem condita CMXCI. et quidem ex Pa-*

 rilibus,

g) Chronolog. fol. 103. *h*) De die natali c. 5. extr. *i*) l. c. cap. 6. *k*) Cap. 8. Confer, Faſti conſulares, et FVNCCIVS chronol. fol. 103.

vilibus, vnde vrbis anni numerantur. A faſtis conſularibus ergo diſcrepat anno tantum vnico, vbi CMXC. notatur.

§. XVII.

Scripſit vtiliſſimum et variae doctrinae et ingenii luminibus illuſtrem libellum *de die natali*, *l*) ſiue de humana origine, ad Q. Caerellium, ordinis equeſtris virum, quem virtutis non minus, quam pecuniarum diuitem, atque adeo vere diuitem, prooemio vocat: alibi *m*) officiis municipalibus functum, honore ſacerdotii in principibus ciuitatis ſuae conſpicuum, ordinis etiam equeſtris dignitate gradum prouincialium ſupergreſſum, non modo ſine reprehenſione et inuidia ſemper fuiſſe; verum etiam omnium omnino amorem cum maxima gloria conſecutum eſſe. Ordine, quem ALDVS MANVTIVS, *n*) Pauli filius, Aldi nepos, editione Veneta ſeruat, poſt prooemium Cap. 1. de Genio et Lare agit. 2. Varias opiniones veterum philoſophorum de generatione proponit. 3. De generatione hominum, et eorum ſemine. 4. Quid primum in infante *o*) formetur. 5. De ſeculo. 6. De annis maioribus. 7. De annis vertentibus. 8. De annis Romanis. 9. De menſibus. 10. De diebus. 11. De temporibus ad pariendum aptis. Vbi inſeruntur rationes Chaldaeorum de tempore partus. De circulo Zodiaci, et de aſpectibus. Opiniones Pythagoricae de partu. De Muſica. Pythagorae opinio de partu. De ſpatio terrae, et ſiderum diſtantia. 12. Proponuntur diſtinctiones aetatum hominis, ſecundum opiniones multorum. 13. De naturali inſti-

l) Hanc enim libelli inſcriptionem, eius prooemio, ipſe ſcribit eſſe: quoniam liber de die natali inſcribitur, a votis auſpicia ſumantur. *m*) Cap. 4. *n*) Aldum Mannuccium ſe vocat editione Veneta 1581. *o*) Sic foetum vocat in vtero.

Digitized by Google

inſtitutione. 14. De coeli poſitione. 15. De ſtellis et planetis. 16. De terra. 17. De geometria. 18. De figuris. 19. De poſtulatis. 20. De muſica. 21. De rhythmo. 22. De modulatione. 23. De metris et pedibus. 24. De legitimis numeris. 25. De numeris ſimplicibus. Patet inde, varia ad hunc libellum fuiſſe traducta, quae vix eo pertinere videantur. Conſtat enim et eum grammatica ſcripſiſſe non pauca. Ita libri *de accentibus* fit mentio apud CASSIODORVM, et PRISCIANVM, *p*) qui et noſtrum libro primo doctiſſimum artis grammaticae vocat. Et Cenſorino adſcriptum *de metris* fragmentum, inter veteres grammaticos vulgo recenſeri ſolet. *q*) Et hoc pridem ab LVDOVICO CARRIONE, accuratiſſima eius editione, eſt obſeruatum, qui capita poſtrema de phyſicae, geometriae, et poeticae elementis, vtpote aliena reſecauit, eaque auctiora ex MS. edita ſeparatim libro de die natali, ceu fragmentum incerti ſcriptoris, ſubiecit. *r*) Nec VOSSIO *s*) fragmentum iſtud Cenſorini eſſe videtur: cum pleraque, quae eo continentur, etiam ipſo de die natali libello tradantur. *Saltem*, addit, *ſi diuerſo opere repetere illa fuiſſet animus Cenſorino, alterutro dixiſſet, eadem de re alibi quoque ſe egiſſe.* Atqui traiectionis non habuit rationem: et Cenſorini omnino eſſe poteſt, verum ex alio illius ſcripto deſumtum. *t*)

§. XVIII.

Laudat Cenſorinum noſtrum non modo CASSIODORVS *v*) atque PRISCIANVS, *x*) quorum paulo ante facta

p) Lib. 14. *q*) Extat fragmentum illud apud HELIAM PVTSCHIVM grammaticae Latinae auctoribus antiquis pag. 2723. ſeqq. *r*) Edit. Pariſ. 1583. 8. *s*) De hiſt. Lat. l. 2. c. 3. p. 179. *t*) Confer. BARTHIVS Aduerſ. l. 54. c. 25. *v*) Lib. de muſica, et de geometria. *x*) Lib. 14.

facta est mentio, verum et SIDONIVS APOLLINARIS, *y*) qui eum de die natali illustre volumen confecisse testatur. Libellum VOSSIVS *z*) pereruditum vocat, chronologis praecipue vtilissimum: quippe quo in rebus gentilium potissimas aeras egregie connectat. Cui sententiae MORHOFIVS quoque subscripsit, *a*) et CL. WALCHIVS. *b*)

§. XIX.

Stilus Censorini, pro aetatis ratione, satis comtus est: sed vitia tamen senectute in dies magis degenerantis Latinae linguae dissimulare nequit. Infra mediocritatem se continet, neque altius, quam viribus par est, adspirare videtur. Imo BARTHIVS *c*) nimiam dictionis in eo simplicitatem notat. Et ipse *d*) fatetur, quasdam se tantum ex philologorum commentariis quaestiunculas delegisse, quae congestae possent aliquale volumen efficere; nec facere quicquam docendi studio, aut ostentandi voto. Verbis insolentibus inter alia Censorinus vtitur sequentibus: *collatus* pro colloquio. *e*) *Concordabilis*. *f*) *Membrari* pro membris exornari. *g*) *Infans* foetus in vtero. *h*) *Inaudibile* quod audiri nequit. *i*) *Concinere melodiam*. *k*) *Hirquitallire* hircum olere. Vnde *hirquitalli*. *l*) *Diluuio*, diluuionis, pro diluuium, diluuii. *m*) *Exigneſcere* et

y) Epistola ad Polemium, quae carminum libro inserta, num. 13. *z*) De hist. Lat. l. 2. c. 3. p. 179. *a*) Polyh. lit. l. 4. c. 14. §. 5. *b*) Historia critica Lat. linguae c. 1. p. 80. *c*) Aduers. l. 18. c. 14. *d*) CENSORINVS de die natali prooemio. *e*) De die natali prooemio. *f*) Cap. 11. de musica. *g*) Cap. 11. Pythagorae opinione de partu. *h*) Ibid. *i*) Cap. 11. de spatio terrae, et siderum distantia. *k*) Ibid. *l*) Cap. 4. *m*) Cap. 6. *cuius anni hiems summa est* κατακλυσμὸς, *quam nostri diluuionem vocant*. Ita quoque *diluuio Asiae* apud TERTVLLIANVM de anima c. 46.

Digitized by Google

et *exaquescere*. *n*) Atqui etiam TVLLIVS, *o*) *ad extremum*, inquit, *omnis mundus ignescet*. Censorino adscribunt quoque verbum *inenuntiabile*: *p*) Sed locus ille non in omnibus codicibus exprimitur eodem modo. In aliis: *plerique praeterea incomprehensibile quiddam et inenuntiabile esse existimauerunt*. In Veneta editione apud Aldum: *q*) *plerique praeterea incomprehensibilem quidem et innumerabilem esse existimauerunt*. Eo recensente, non nouum fingente vocabulum, ab veteribus Romanis mensium quatuor maiores pleni, ceteri sex *cani* vocabantur. *r*) Ita quoque *regifugium*, dies quo Tarquinii reges profugerunt Roma. *s*) Eoque teste solum, *t*) *pro quadrante diei, qui annum verum suppleturus videbatur*, institutum, *vt, peracto quadriennii circuitu, dies vnus, vbi mensis quondam solebat, post Terminalia interkalaretur: quod nunc* Bissextum *vocatur*. Hinc ISIDORVS: *v*) *Bissextus est post annos quatuor vnus dies adiectus. Crescit enim per singulos annos quarta pars assis, i. e. duodecim horae. At vbi quarto anno assem compleuerit, bisextilem annum facit. Dictus autem bisextus, quia bis sexies ductus assem facit, quod est vnus dies*. Nonas *septimanas*, et *quinctanas* vocat, *x*) quae in septimum, aut quintum mensis diem incidunt. *Horaria* vocat horologia *y*) quorum nomen non minus annis CCC. Romae fuerit ignoratum: quod diem pariter atque noctem in quatuor partes distribuerint.

§. XX.

n) Ibid. *o*) De natura Deorum l. 2. c. 46. *p*) Cap. 7. *q*) Venetiis 1581. 8. *r*) Cap. 8. *s*) Ibid. Confer. FESTVS v. *Regifugium*. *t*) Cap. 8. *v*) Orig. l. 6. c. 17. *x*) Cap. 8. Confer. MACROBIVS Saturnal. l. 1. c. 14. *y*) Cap. 10.

§. XX.

Antiquiſſima procul dubio eſt Cenſorini *Mediolanenſis* editio. z) Deinde prodiit *Pariſiis* 1519. fol. ſubiectus Macrobio, cum Ioh. Riuii praefatione. 1583. 8. ex Lud. Carrionis recenſione. *Baſileae* 1528. 4. ex officina Ioh. Bebelii, Ioh. Sichardus librum edidit, qui inſcribitur diſciplinarum liberalium orbis: et complectitur Conſentii grammaticam inſtitutionem, Caſſiodori compendium rhetoricae et dialecticae, Apuleii de ſyllogiſmo categorico libellum, alii, tandemque Cenſorini de die natali opuſculum. *Venetiis* 1528. 8. apud Aldum. 1581. 8. apud Aldum Pauli Manutii filium, Aldi nepotem, ab illo emendatus et notis illuſtratus. *Pictauis* 1568. 4. cum Solino ex emendatione Eliae Vineti. *Lugduni* 1593. 8. ex recenſione Lud. Carrionis. *Roſtochii* 1579. 8.

§. XXI.

Seculo poſt Chriſtum natum Decimo Septimo Cenſorinus prodiit *Lugduni* 1603. 8. ex recenſione Lud. Carrionis. *Hamburgi* 1614. 4. Henricus Lindenbrogius ex Carrionis et Roſtochienſi editione recenſitum variis locis emendauit, ac notis illuſtrauit doctiſſimis. *Louanii* 1628. 4. curante Erycio Puteano. *Lugduni Batau.* 1642. 8. cum notis Lindenbrogii. *Cantabrig.* 1695. 8. cum notis Lindenbrogii, Nunneſii et aliorum. Nuperrime *Altorfii* 1741. 8. octo foliis Cenſorinus de die natali prodiit ex recenſione Andr. Goetzii.

§. XXII.

Conſtantini M. et filiorum Auguſtorum temporibus *a*) floruit

z) Cuius meminit LVD. CARRIO emendationum l. 2. c. 15.

a) Fallitur VOLATERRANVS antropologia, ſiue commentariorum

floruit IVLIVS *b*) FIRMICVS MATERNVS V. C. *c*) Natione fuit Siculus, profeſſione cauſſarum patronus: et fori ſtudio inſignem comparauit ſibi nominis famam. *d*) Sed impia i. e. iudiciaria aſtrologia imbutus, et profanae ſuperſtitioni deditus, etiam ſenex ſub Conſtantino Magno imperatore de illa ſcribere coepit, circa annum Domini CCCXXXVI. illius qui fuit extremus, et Optatio Paulinoque conſulibus notandus, ſub quorum magiſtratu ſo-

rum vrbanorum l. 16. p. 593. qui Iulium Firmicum Maternum Auguſti tempore affirmat nobilem mathematicum fuiſſe, et tractatu in prognoſtica genethliaca elegante illorum temporum eloquentiam retuliſſe. Atqui ille libro primo extremo de Conſtantino M. Conſtantii filio, loquitur, et opus ſuum Lolliano inſcripſit, qui, iuniore Conſtantio imperante, conſul deſignatus eſt.

b) Sunt, qui *Villium* vocant *Firmicum*, nec ſine veteris codicis fide. GYRALDVS de poetarum hiſtoria l. 3. p. 155. *Iulius Firmicus non indiligens aſtrologiae ſcriptor, Villius potius a nonnullis nominatur, idque ex eius peruetuſto codice, et antiquo ſaxo, eius nomine inſcripto, antiquarii quidam adſtruere conantur.* Et IOH. GLANDORPIVS in onomaſtico p. 905. vbi plures Villicos recenſet: *Q. Villius Firmicus pro Iulio nuncupatur a quibusdam nobilis ille aſtrologus.*

c) Has literas putem eſſe legendas *Vir Clariſſimus*: quamuis non negem, ab aliis et recte lectionem defendi *Vir Conſularis*. Firmicus ille quidem conſul nunquam fuit, neque prouinciam rexit conſulari poteſtate. Tales autem prouinciarum adminiſtratores atque praefecti *conſulares viri* tunc temporis nominabantur. vid. PANCIROLVS notitia imperii c. 156. Attamen etiam ita nominabantur alii de rep. bene meriti, velut quodam titulo honorario: licet nullum vnquam magiſtratum geſſiſſent. vid. IACOB. GOTHOFREDVS in notitia dignitatum codicis Theodoſiani. Eoque ſenſu Firmicum virum conſularem eſſe vocatum, IOH. CLERICVS defendit tom. 2. bibliothecae ſelectae p. 227. et IOH. ALB. FABRICIVS biblioth. Lat. vol. 1. p. 562.

d) Id enim ipſe teſtatur in limine tertii et quarti librorum.

lis illa contigit eclipsis, quam FIRMICVS *e*) ait nouissime accidisse. Eaque dum scriberet, erroribus profanae religionis fuisse detentum, et diuinorum oraculorum plane ignarum, cum ex aliis locis, tum ex eo satis patet, *f*) quo genituram mundi ab Aesculapio et Anubio traditam ita refellit: *nec enim mundus certum diem habuit ortus sui, nec aliquid interfuit eo tempore, quo mundus, diuinae mentis ac prouidi numinis ratione formatus est: nec eo vsque se intentio potuit humanae fragilitatis extendere, vt origines mundi facili posset ratione concipere, aut explicare.* Eum vero perhibent moribus fuisse probis: vt Numen aeternum, illius tandem misertum, senem ex illis paganae superstitionis tenebris ereptum diuina veritatis et euangelii luce fuerit dignatum collustrare. Eumque affirmant postea, incomparabili Christianae veritatis propagandae flagrantem desiderio, de errore profanarum religionum ad Constantium et Constantem Augustos pium, eruditum atque disertum scripsisse libellum: quo grauiter fuerit imperatores hortatus, vt ethnicam superstitionem funditus extirparent. Eaque iam receptior est inter eruditos sententia, auctorem esse vnum eundemque qui laudatum hunc, atque octo matheseon libros conscripserit. Sed videbimus suo loco, vbi scriptores sacros recensere studebimus.

§. XXIII.

Extant eius *libri octo matheseos*, *g*) siue de vi ac potestatibus

e) Lib. 1. c. 2. *f*) Lib. 3. c. 2. *g*) Error hinc emendandus NOECLERI bibliographia critica p. 557. qui septem illi tribuit libros astronomicorum. Sequitur vero editiones antiquissimas, quibus, qui liber est primus, prooemium inscribitur, secundus vocatur primus, qui et sigillatim ab auctore vocatur *institutionis*

Digitized by

teſtatibus ſtellarum, ex Aegyptiorum et Babyloniorum doctrina, ad Mauortium Lollianum, Aſiae proconſulem, qui, vt faſti conſulares teſtantur, anno poſt Chriſtum natum CCCLV. magiſtratum iniit, cum Conſtantius, Conſtantini M. filius, Auguſtus rerum ſolus potiretur. Ipſius etiam Lolliani proconſulis genituram exhibet. *h*) Sub initium libri ſeptimi grauiſſima formula Lollianum adiurat, eamque illi rurſum libro octauo extremo in memoriam vocat, ne myſteria iſtius artis cuiquam indigno diuulget. Primus liber eſt fere apologeticus, et verſatur vtcunque in refellendis iis, quae contra aſtrologiam vulgo obiici ſolent. Ex reliquis ſeptem, ad totidem ſtellarum errantium ordinem numerumque compoſitis, proximi tres libri praecepta et ſententias aſtrologicas complectuntur, atque tirones primis illius diſciplinae inſtitutionibus erudire videntur. Quatuor vero poſterioribus, quorum argumenta libro quarto extremo indicantur, partilia apoteleſmata ſphaeraque Barbarica, ſiue Chaldaica et Aegyptiaca exponuntur. Multa, ſibi forſan perſuaſerit aliquis, ex Manilio tradita: is vero ne quidem ad Firmici manus peruenifſe videtur. *i*) Negat certe, auctores Latinos ſecutum fuiſſe: ſe potius profitetur noui operis diſciplinam Romanis hominibus tradere: quod praeter Frontonem, qui in apoteleſmaticis *k*) Hipparchi anti-

tionis liber. Secundus hinc pro tertio, atque ita deinceps. Confer. FABRICIVS biblioth. Lat. vol. 3. p. 95.

h) Lib. 1. c. 52. *i*) Vid. SALMASIVS de annis climactericis p. 587. Rem multis Graecis et omnibus Romanis incognitam tradere ait lib. 7. Et tamen illorum pleraque etiam Latinus poeta Manilius expoſuerat. *k*) *Apoteleſma* philoſophis eſt effectus ex certis cauſſis prouenieus: mathematicis vero praeſertim eſt omne id, quod coelum in hora natali efficit.

ſcia *l*) ſecutus, et Iulium Caeſarem, *m*) principemque ac decus Romanae eloquentiae M. Tullium, qui Aratum Latinis verſibus reddiderunt, nullus pene Latinorum de hac arte ſcripſiſſet. Illa vero prae ſe fert Firmicus omnia, quae Aeſculapio Mercurius Anubiusque tradiderunt, quae Petoſiris explicauit et Necepſo, quae Abraham, Orpheus et Critodemus ediderunt, ceterique omnes huius artis antiſtites: perlecta pariter atque collecta, et contrariis ſententiarum diuerſitatibus comparata, in his libris a ſe perſcripta eſſe: vt quicquid diuini veteres ex Aegyptiis adytis pertuliſſent, ad Tarpeiae arcis templa perferret. Libro ſexto occurrit genitura, ſiue thema natalitium Oedipi, Paridis, Therſitae, Demoſthenis, Hermodori, Homeri, Platonis, Pindari, Archilochi, et Archimedis. Sed figurae, quae in vulgatis libris appoſitae ſunt, vel nullae, vel tam imperite efformatae ſunt, vt vſui eſſe nequeant. De imperatoris fato quicquam reſpondere prohibet. *n*) Id enim ſub graui poena legibus interdictum fuit. *Caue*, inquit, *ne quando de ſtatu reip. vel de vita Romani imperatoris aliquid interroganti reſpondeas. Non enim oportet, nec licet, vt de ſtatu reip. aliquid nefaria curioſitate dicamus. Sed et ſceleratus, atque omni animaduerſione dignus eſt, ſi quis interrogatus de fato dixerit imperatoris,*

l) *Antiſcia* vocantur ſigna, quae a punctis aequinoctialibus aequaliter diſtant, eadem iubentia et obedientia. Hic vero Hipparchi antiſcia ſecutus Fronto, totam coeli rationem in globo aut ſyſtemate Hipparchi propoſitam conſectatus fuiſſe videtur.

m) Caeſares male confundit. Eſt autem, qui Aratea phaenomena interpretatus eſt, non Iulius ille Dictator, ſed Caeſar Germanicus. Conf. comment. de vitili aetate L. L. part. 1. p. 119. et 291. FIRMICVS MATERN. mathem. l. 2. prooem. et l. 8. c. 5.

n) Lib. 1. c. vlt. Confer. G. I. VOSSIVS de ſcientiis mathematicis c. 37. §. 12. p. 207.

Digitized Google

ris, quia nihil nec dicere poterit, nec inuenire. Scire enim te conuenit, quod et aruſpices quotiescunque a priuatis interrogati de ſtatu imperatoris fuerint, et quaerenti reſpondere voluerint, exta ſemper, quae ad hoc deſtinata fuerant, venarum ordines inuoluta confuſione conturbent. Sed nec aliquis mathematicus verum aliquid de fato imperatoris definire poterit: ſolus enim imperator ſtellarum non ſubiacet curſibus; et ſolus eſt, in cuius fato ſtellae decernendi non habent poteſtatem. Cum enim fuerit totius orbis imperator et dominus: fatum eius Dei ſummi iudicio gubernatur. Alia quoque maximam partem mathematica ſcripſit, quae temporum iniuria interiere. Teſtis enim eſt ipſe, *o*) quod libro ſingulari ad Murinum de domino geniturae et chronocratore ſpecialiter dixerit. Alibi *p*) pollicetur, ſe his abſolutis, aliis XII. voluminibus Lolliano cetera ſecreta aſtrologica intimaturum. Et libri de fine vitae, a ſe ſcripti meminit. *q*) In limine libri octaui, *aliud*, inquit, *mihi tempus ad explicandum myriogeneſin reſeruaui.* Rurſum: *r*) *hunc locum* (morborum et ſaniitatis) *diuinus ille Necepſo, vt remedia valetudini inueniret, diligentiſſime quidem, vt diuinum tanti viri potuit ingenium, manifeſtis tractatibus explicauit. Huius ego libri interpretationem, alio tibi tempore, Mauorti, decus noſtrum, intimare curabo.*

§. XXIV.

Auctor, in arte ſua non omni defraudandus laude, BOECLERO *s*) valde eſt eruditus, qui ſubinde excurſiones et digreſſiones politicas faciat. Nec omnino eius laudes ab antiquis, et illis ignorantur, qui ad eius aetatem pro-

o) Lib. 4. c. 14. *p*) Lib. 5. c. 1. extr. *q*) Lib. 7. c. 6.
r) Lib. 8, c. 3. *s*) Bibliographia critica p. 557.

proxime accedunt. SIDONIVS profecto APOLLINARIS: *t*) *nam ita, vt sic dixerim, his membris philosophiae claret, vt videatur mihi Iulium Firmicum, Sammonicum, Iulianum Vertacum, Fullonium Saturninum, in libris matheseos peritissimos conditores, absque interprete, ingenio tantum suffragante, didicisse.* Nihil quidem certi aut praeclari licet vsquam in ea arte reperire: qui tamen eius non plane ignari sunt, Firmicum etiam accusant, ipsum astrologiae et mathematicarum disciplinarum non satis fuisse peritum: sed aliorum scriptorum fidem secutum in errores haud raro incidisse. Quod saepius praesertim SCALIGER *v*) atque SALMASIVS *x*) indicarunt. IOH. PICVS, Mirandulae Comes, *y*) Maternum quidem nostrum vocat curiosissimum astrologiae inuestigatorem: sed tamen eum passim grauissimorum errorum arguit. *Diuinaculi nostri*, inquit, *z*) *gradus istos aequales esse dixerunt virtute et potestate, quam supina ignorantia nemo non cognoscit, vt ab aequalitate, quae sole illos peragrante dierum noctiumque contingit, ad virtutis aequalitatem se transtulerint. Sed accusare prae omnibus Maternum libet, istius erroris propagatorem, quamquam vt ignorantissimo totius mathematicae venia condonanda est. Is Ptolemaeum ait summam decretorum autisciis tribuere. Nec miror. Nam cum totum Maternum euoluerim diligenter, nusquam lecti a se Ptolemaei mihi fecit indicium.* Eum apertae accusat malae fidei. *a*) Cum Plotinus, homo primae in Platonica familia auctoritatis, primum

t) Epistola ad Pontium Leontium, quae carmini 22. praefixa est. *v*) Comment. in Manilium passim. *x*) De annis climactericis passim. *y*) In astrologiam l. 5. c. 5. operum p. 557. *z*) In astrologiam l. 6. c. 12. oper. pag. 604. *a*) In astrolog. l. 2. oper. p. 416.

Digitized by Google

mum aſtrologiae diligentem operam dediſſet, tandem vero artis vanitatem falſitatemque deprehendens, omnem aſtrologis abrogaſſet fidem, ac libro de ſtellarum efficientia aſſeuerate aſtrologorum dogmata confutaſſet: Maternus, id aegre ferens, multa de illius morte mentitus eſt, quaſi de eo poenas ſumſerit fatum. Sed illa falſiſſima eſſe, ex Porphirio ipſo, Plotini diſcipulo, facile intelligitur, qui et genus morbi, quo deceſſit, et cauſſam, et cur Roma diſceſſerit plane fideliterque deſcribit. Rurſum: *b*) *quid memorem Maternum, et in rudimentis arithmeticae ſic hallucinantem, vt ſcribat etc. Mitto alia multa, in quibus cum ſemper multae loquentiae, exiguae ſemper ſapientiae hominem deprehendes.* Sic quoque ſatis frigide Firmicum laudat huius ſcientiae peritiſſimus, HIERONYMVS CARDANVS, *c*) vbi, commendato Ptolomaeo, ſubiungit: *quare dico, cauendum eſſe ab omnibus aliis libris; niſi quis velit legere commentaria Haly, et Firmicum ob linguae candorem et memoriam vetuſtatis.*

§. XXV.

Stilus eſt pro ratione temporis, et argumenti difficultate, ſatis elegans atque Romanus: adeo quidem vt VOLATERRANVS *d*) eum non dubitauerit Auguſti adſcribere temporibus, quorum eloquentiam illi referre videtur. Etiam in eo HIERONYMVS CARDANVS *e*) linguae candorem commendat. BRIOSIVS vero *f*) et linguam

b) Loc. cit. p. 422. *c*) In quartum Ptolomaei, contextu 74. Confer. G. I. VOSSIVS de ſcientiis mathematicis c. 37. §. 12.
d) Anthropologia, ſiue comment. vrbanorum l. 16. pag. 793.
e) In quartum Ptolomaei contextu 74. *f*) Epiſt. pag. 232. Confer. FABRICIVS biblioth. Lat. vol. 3. p. 93.

guam et doctrinam desiderat. Neque vero, inquit, qui de matheſi loquitur, aut ſcribit, illico peritiſſimus in hac arte cenſeri debet. Ipſe auctor, de quo quaeſtio, ſic ingenue ad Lollianum; *Tibi promiſſa reddimus orantes, ac veniam poſtulantes, ne in iſtis libris pondus et perfectae gratiam orationis requiras: neue tractatus maximi, aut graues firmaeque ſententiae doctrinaeue et eloquentiae monumenta tuo iudicio requirantur. In nobis tenue eſt ingenium, et ſermo ſubtilis, et quod vere fatendum eſt, mathesis permodica.* Addere potuit, et permodica linguae Graecae Latinaeque cognitio. Reuera enim multis in locis non tam philoſophatur et diſſerit, quam ludit et ſomniat. Exempla addit Graecorum auctorum male intellectorum. Ad eloquentiam vero quod attinet Latinam, quis, inquit, amans verae Latinitatis cum eo vſurpare velit, *horoſcopare, ferarum manſuetarios, cardinaliter, quieſcentiam* pro quiete; *intimare alicui*, pro ſignificare, *partiliter*, pro per partes, *concordiale*, pro ſociale, *caballarius*, pro eques, *ſermonem ſubtilem*, pro ſtilo tenui, *computum*, pro computatione, id genus alia.

§. XXVI.

Solum quod extat Iulii Firmici Materni matheſeos opus, quod ex Scythia h. e. Turcici imperatoris regia Conſtantinopoli Peſcennius Franciſcus Niger primus in Italiam attulit, et cardinali Hippolyto Eſtenſi dicauit, lucem vidit publicam *Venetiis* 1497. fol. per Simonem Biuilaquam Papienſem. 1499. fol. apud Aldum, vna cum Manilio, Arato, eiusque interpretibus, Germanico Caeſare, M. Tullio Cicerone, et Graecis ſcholiis Theonis atque Procli ſphaera.

§. XXVII.

Seculo poſt Chriſtum natum decimo ſexto repetita Aldina

Digitized by Google

Aldina editio *Venetiis* 1501. fol. Iulii Firmici Materni aſtronomicorum libri octo integri et emendati, ex Sciticis oris ad nos nuper allati; Marci Manilii aſtronomicorum libri quinque; Arati phaenomena, Germanico Caeſare interprete, cum commentariis et imaginibus; Arati eiusdem phaenomenon fragmentum M. T. Cicerone interprete; Arati eiusdem phaenomena Ruffo Feſto Auieno paraphraſte; Arati eiusdem phaenomena Graece; Procli ſphaera Graece, eademque Thoma Linacro interprete. *Baſileae* 1533. fol. apud Iohannem Heruagium, cum ceteris aſtrologis, Claudii Ptolemaei apoteleſmaton libris quatuor, eiusdem de inerrantium ſtellarum ſignificationibus libro vno et centiloquio, Hermetis, Bethem, Almanſoris, Zahelis, Meſſahalah et Omar opuſculis aſtrologicis, Marci item Manilii poetae aſtronoicon libris quinque, ex recenſione Nicolai Pruckneri. Atque inde ſaepius Firmici noſtri mathematica vna cum Manilio, et Ptolemaei aſtrologicis prodierunt.

§. XXVIII.

Suum inter philoſophos etiam locum meretur MACROBIVS, Vir conſularis et illuſtris, Theodoſii iunioris Auguſti ſacri cubiculi praefectus: qui commentariorum libris duobus in ſomnium Scipionis multa Platonicae philoſophiae capita illuſtrat. Septem quoque Saturnaliorum libris, quibusdam quaſi aduerſariis, aut colloquiis inter conuiuas, non ſolum grammatica, hiſtorica et antiquaria, verum etiam philoſophica multa tractat. Sic certe non iniucundis dapibus res proponit miſcellaneas, quae illi ad bonas literas et varia ſtudioſae iuuentutis commoda pertinere videbantur. A. Gellium maxime imitatus eſt: cuius fur et ſimia dici meruit, quod ex illius noctibus Atticis plurima in commentarios ſuos trans-

tulit, Gellii nomine diſſimulato. Vir alioqui ſua laude non defraudandus, de quo pluribus differendi fuit occaſio: cum de grammaticis ageremus.

§. XXIX.

Sub finem alterius poſt Chriſtum natum ſeculi, Septimio Seuero imperante, arte medica illuſtris fuit COELIVS AVRELIANVS, *g*) Sicca Veneria oriundus, quod Numidiae in Africa non ignobile oppidum. Is methodicorum ſectae fuerat addictus, qui omnium generum morbis certa quadam methodo mederi ſolebant. Quod inde coniiciunt, quia Themiſonis, Theſſali, atque inprimis Sorani, quem principem vocat et ducem ſuum, dogmata plurimum repetit, illuſtrat, et ſi quando peccarunt, emendare inſtituit. Hinc et *Soranus* vocatur *Latinus*, quod Graeca Sorani monumenta Latine ſuis libris reddidiſſe creditur. Sic et aliorum Graecorum vetuſtiſſimorum, vt in ſectas abierant, doctrinas quam diligentiſſime conquiſiuit, recenſuit, digeſſit, ac liberius excuſſit. Sed de re medica magis, quam de Latinae linguae genio et proprietate ſolicitus, barbariſmos vbique et ſoloeciſmos cumulauit. Scriptoribus Latinis raro vtitur. Neque Celſi vnquam, aut Plinii mentionem facit: neque ex Graecis Galenum ipſum nominat: quod is infenſus Methodicorum eſſet hoſtis, quibus Coelius quammaxime fauebat. Fallitur ergo G. I. VOSSIVS *h*) qui propterea Coelium Aurelianum Siccenſem Traiani et Hadriani Auguſtorum temporibus fuiſſe iudicat: quia Sorani meminerit, Galeni non item; eum minime neglecturus, niſi maior eſſet natu:

g) ADR. IVNIVS tom. 4. Lamp. Grureri p. 457. et VALER. CHIMENTELLVS de honore Biſellii p. 130. perperam eum *L. Coelium Arrianum* vocant. *h*) De philoſophia c. 12. §. 16. p. 98.

Digitized by Google

natus laudare enim illos consueuisse, ex quibus profecerit. THOMAS REINESIVS *i*) contra eum seculo quinto vixisse arbitratur, cum linguae Latinae puritas gentium aliarum idiotismus et Hunnorum Gothorumque barbarie plane decoxisset. Ipsa vero linguae corruptio non longius, quam ab ipso auctore petenda, qui Afer, et Graecorum detentus difficilioribus monumentis, nihil minus, quam linguae Latinae castitatem seruare studuit: vtut, secundum plurimorum sententiam, secundo post Christum natum seculo extremo vixerit: cum et hodie, inprimis ambitioso florente literarum elegantiorum studio, medicos reperiamus non paucos, ab ea Latinae linguae elegantia et recta dicendi consuetudine alieniſſimos. Vt seculum ferebat, et genius patriae, stilo vsus est grandi, vel tumido potius, implexo, difficili, irregulari, semisoloeco, et saepius ad tautologias vsque luxuriante. Vix vnquam sibi satis cauere potest modo ab archaismis, modo a peregrinis et recens nuper inuentis vocabulis, Graecorum vbique affectator et interpres de vero linguae genio parum solicitus, et fingendi nimium indulgens licentiae. Scripsit praeter alia Graecarum epistolarum librum ad Praetextatum, adiutoriorum medicaminum, muliebrium passionum, et de febribus libros, responsiones, de chirurgia, salutaria praecepta, problemata, quae temporum iniuria periere. *k*) Extant hodie solum eius celerum, siue acutarum passionum libri III. et tardarum, siue chronicarum passionum libri V. Hos primum edidit Theobaldus Fettichius Wormatiensis *Basileae* 1529. fol. Illos Ioh. Guinterius Andernacus *Parisiis* 1533. 8. Vtrumque Coe-

i) Var. lect. l. 3. c. 17. et 18. *k*) Vid. MERCKLINVS Lind. renou. FABRICIVS biblioth. Lat. vol. 1, p. 862. seqq. vol. 3, p. 866. seqq.

lii opus, ad fidem codicis MS. emendatum, et notis illuſtratum, Iacobus Dalechampius *Lugduni* 1579. 8. Extant quoque in Aldi medicis antiquis *Venetiis* 1547. fol. omnium vero elegantiſſime prodierunt *Amſtelodami* 1709. 4. cura Theodor. Ianſ. ab Almeloueen, qui cum ſuas, tum aliorum et Ioh. Conradi Ammanni, lexicon item Coelianum, et indices locupletiſſimos adiecit.

§. XXX.

Iuliani, Iouiani et Valentiniani I. Auguſtorum temporibus floruit medicus et philoſophus incomparabilis, IVLIVS AVSONIVS, ſummi poetae pater, Burdegalenſis Gallus. Is tantum arte medica profecit: vt principum virorum peregre ſaepius etiam curaret morbos: ac merito paſſim locorum ſibi maximam doctrinae et experientiae laudem compararet. Hinc ipſe Valentinianus ſenior imperator, vt valetudini conſuleret ſuae, in palatium vocauit Auſonium, et illi, quod virum cognouerit multi conſilii, praefecturam Illyrici vltro obtulit: cui dexteritate ac fide ſingulari praefuit, et nihilo ſecius perexit mederi aegrotantibus. Vxorem habuit vnicam, Aemiliam Aeoniam: ex quo matrimonio quatuor liberos ſuſcepit, Aemiliam Melaniam, Decium Magnum Auſonium, Iuliam Dryadiam, et Auitianum. Aemilia Melania infans obiit. D. Magnus Auſonius ad inſigne ornamentum familiae laurum poeticam et Rom. conſulatum meruit. Dryadia Pompeio Maximo rhetori nupſit, eiusque poſt immaturam mortem vidua ad ſexageſimum vſque annum vixit. Auitianus, vix dum pubertatem egreſſus, magnae ſpei iuuenis, neque poenitentibus in arte medica profectibus, inter media parentum vota vitam cum morte commutauit. Felix ea prole pater, et domi nobilis medicus, in qua arte primas tum obtinebant homines in palatio notiſſimi,

Digitized by Googl

tiſſimi, Siburrus, Eutropius, et Iulius Auſonius, cum ſuauiſſima thori ſocia triginta ſex annos ſine vlla animi laeſione vixit. Mortuus tandem eſt nonagenario maior, omnibus et membris, et ſenſibus integer, tantaque apud Aquitanos fama, vt ſeptem eum ſapientibus praeſtare contenderent. Eius ſententia in omnium ore verſabatur: *beatum eſſe, non qui habet, quae cupit, ſed qui non cupit, quae non habet.* Suique ciues de eo iactabant: *quemadmodum Auſonius neminem ſibi propoſuit imitandum: ita Auſonium nemo nunc imitari poteſt.* Eloquentiae parum ſtuduit, ac ita ſemet defendere conſueuit: *ſatius eſſe, ſi moribus antiquorum prudentum viueremus, quam ſi eorum tantum lingua et arte loqueremur.* Libros de arte medica reliquit, quibus VINDICIANVS et MARCELLVS EMPIRICVS operis ſui praefatione plurimum ſe adiutum fuiſſe teſtatur. *l*) Memoriam eius his verſibus magni parentis maior filius AVSONIVS poeta *m*) conſeruauit:

Primus in his pater Auſonius, quem ponere primum,
Etſi cunctetur filius, ordo iubet.
Cura Dei, placidae functus quod honore ſenectae,
Vndecies binas vixit olympiadas.
Omnia, quae voluit, qui proſpera vidit, et idem,
Optauit quicquid, contigit, vt voluit.
Non quia fatorum nimia indulgentia: ſed quod
Tam moderata illi vota fuere viro.
Quem ſua contendit ſeptem ſapientibus aetas:
Quorum doctrinam moribus excoluit:

Viue-

l) Pl. confer. IOSEPHVS SCALIGER Auſonianarum lectionum l. 2. c. vlt. VOSSIVS de philoſophia c. 12. p. 103. FABRICIVS biblioth. Lat. vol. 1. p. 582. ſeq. *m*) Parentalium c. 2.

Viueret vt potius, quam diceret arte ſophorum.
Quamquam et facundo non rudis ingenio
Praeditus, et vitas hominum ratione medendi
Porrigere, et fatis amplificare moras.
Inde et perfunctae manet haec reuerentia vitae,
Aetas noſtra illi quod dedit hunc titulum.
Vt nullum Auſonius, quem ſectaretur, habebat:
Sic nullum, qui ſe nunc imitetur, habet.

Pluribus epicedio parentem commendat, *n*) vbi in primis notandi ſunt verſus:

Nomine ego Auſonius non vltimus arte medendi:
Et mea ſi noſſes tempora, primus eram.
Obtuli opem cunctis poſcentibus artis inemtae,
Officiumque meum cum pietate fuit.

§. XXXI.

Quarto poſt Chriſtum natum ſeculo medio floruit MARCELLVS Burdegalenſis, medicus, vt vulgo audit, *empiricus. o*) Nam et ipſe Marcellus in praefatione affirmat, ſe remedia collegiſſe, etiam per ruſticos ac plebeios homines experimentis comprobata. Fuit Theodoſii Magni imperatoris archiater. Hinc in titulo epiſtolae ad filios vocatur *vir inluſter ex magno officio Theodoſii ſenioris. p*) Scripſit librum medicamentorum ad filios ſuos, qui hodie exſtat. Multa ex Scribonio ad verbum tradidit. Et ipſe profitetur, ſe diligenti lectione ſcrutatum veteres artis medicae auctores Latinos, vtrumque Plinium, Apuleium, Celſum, Apollinarem, Deſignatianum, et

n) Edyllio 2. *o*) De triplici genere medicorum apud veteres, dogmaticis ſiue rationalibus, empiricis, et methodicis vide CELSVM in praefat. *p*) Vitioſe VOSSIVS de poetis Lat. pag. 56. extr. *vir illuſtris ex magiſtro officior, Theodoſii imper.*

Digitized by Google

et alios: aliquot tempore ſibi propiores viros, illuſtres honoribus, ciues atque maiores ſuos, Siburium, Eutropium, et Auſonium. Addit vero etiam ab agreſtibus et plebeiis, vt ipſe monuit, remedia fortuita et ſimplicia. Vnde mirum nemini videri debet, ſuperſtitioſa paſſim occurrere multa: vt quod verſus ſuadentur Graeci, contra faucium dolores, collo ſuſpendendi. *q*) Chriſtianum fuiſſe vel inde patet, quod contra lienis dolores commendat herbam ſalutarem, i. e. ſpinam albam, qua Chriſtus coronatus eſt. *r*) Iſchiadicis ſuadet herbam britannicam legere praecantatis his verbis: *terram tenco, herbam lego, in nomine Chriſti proſit, ad quod te colligo.* *s*) Librum hunc in lucem protraxit tandem Ianus Cornarius medicus *Baſileae* 1536. fol. vna cum Aetii libris de contracta ex veteribus medicina, ab ſe in Latinam linguam translatis. Sed qui MStas apud Iſaacum Voſſium *t*) Marcelli membranas, literis ſcriptas quadratis, et DCCC. annorum aetatem excedentes, conſuluerunt, varie ſcriptorem illum a Cornario interpolatum eſſe conqueruntur. Inter epiſtolas, quae Marcelli libro praemittuntur, Hippocratis ad Maecenatem, ſic falſo inſcripta, *Antonii* forſan eſt *Muſae*. Quae Celſi nomine ibidem occurrit ad Caium Iulium Calliſtum, *Scribonio Largo* tribuenda eſt. Et carmen, quod ad calcem libri extat, clauſula videtur eſſe poematis, quod *Serenus Sammonicus* de medicina ſcripſit. Prodiit deinde *Venetiis* 1547. fol. apud Aldum, cum medicis

q) Cap. 15. 29. 21. 28. et vltimo. *r*) Cap. 23. *s*) Cap. 25.
t) MANGETVS bibliotheca medicorum l. 12. p. 259. v. *Marcellus*, Gerh. Ioh. Voſſium ſubſtituit. Confer. FABRICIVS bibl. Lat. vol. 3. p. 863.

dicis antiquis. *Lutetiae* 1565. fol. apud Henricum Stephanum, inter medicos principes, tomo primo.

§. XXXII.

Extant etiam, VEGETII nomine, artis veterinariae, ſeu mulomedicinae libri IV. quem falſo DANIEL GEORGIVS MORHOFIVS, *v*) GEORG. MATTHIAS KOENIG *x*) et alii, eundem credit fuiſſe auctorem, qui de re militari ſcripſit: hic enim, vt alia taceamus, vocatur Publius Vegetius; ille autem Flauius Vegetius Renatus, qui ordinis primi Romanus parum de re medica videtur ſolicitus fuiſſe: aut argumentum tractare perſona ſua indignum. Primum editi ſunt *Baſileae* 1528. 4. per Ioh. Fabrum Emmeum typographum Iuliacenſem: deinde codicum plurium ope caſtigati a Ioh. Sambuco ibid. 1574. 4. Sed omnium elegantiſſime nuper *Lipſiae* 1735. 4. cum rei ruſticae ſcriptoribus, cura Ioh. Matthiae Geſneri, V. Cl. et Profeſſoris Goettingenſis.

§. XXXIII.

Medicos plures huius aeui qui noſcere cupit IOH. GERARDVM VOSSIVM de philoſophia libro ſingulari, *y*) et CASTELLANI vitas medicorum *z*) conſulat. Reſtant nobis in eccleſiae ſanctis patribus perluſtranda maiora, quae, tanquam potiorem vegetae ſenectutis partem, primo loco pertractare debuiſſemus. Eoque nunc citato properamus gradu.

v) Polyhiſt. liter. l. 4. c. 14. §. 13. de legendis, imitandis, et excerpendis auctoribus p. 55. *x*) Bibliotheca vetere et noua p. 834. *y*) Cap. 12. §. 15. ſeqq. p. 98. ſeqq. *z*) Apud GRONOVIVM antiquit. Graecar. theſauro volum. 10. p. 887. ſeqq.

CAP. X.

CAPVT X.

De ſcriptoribus, vegetam L. L. ſenectutem illuſtrantibus, ſacris.

§. 1.

Scriptores Chriſto deuoti, quos vulgo eccleſiaſticos vocamus, ſub Conſtantino Magno liberius agere coeperunt. 2. *Tertulliani vita.* 3. *Scripta.* 4. *Montana haereſis.* 5. *Auctoritas.* 6. *Stilus.* 7. 8. 9. *Editiones recenſentur.* 10. *Minucii Felicis vita.* 11. *Scripta.* 12. *Merita.* 13. *Stilus.* 14. 15. 16. *Editiones deſcribuntur.* 17. *Cornelii I. Romanae eccleſiae epiſcopi vita.* 18. *Scripta recenſentur.* 19. *Cypriani vita.* 20. *Scripta.* 21. *Auctoritas.* 22. *Naeui.* 23. *Stilus.* 24. 25. 26. 27. *Editiones enarrantur.* 28. *Arnobii vita.* 29. *Scripta.* 30. *Non genuina.* 31. *Merita.* 32. *Naeui.* 33. *Stilus.* 34. 35. *Editiones deſcribuntur.* 36. *Lactantii vita.* 37. *Scripta.* 38. *Eruditio.* 39. *Naeui.* 40. *Stilus.* 41. 42. 43. 44. *Editiones enumerantur.* 45. *Materni vita.* 46. *Scripta.* 47. *Merita.* 48. *Editiones perluſtrantur.* 49. *Hilarii vita.* 50. *Scripta.* 51. *Auctoritas.* 52. *Naeui.* 53. *Stilus.* 54. 55. *Editiones recenſentur.* 56. *Optati vita.* 57. *Scripta.* 58. *Auctoritas.* 59. *Naeui.* 60. *Stilus.* 61. 62. 63. *Editiones indicantur.* 64. *Philaſtrii vita.* 65. *Scripta.* 66. *Auctoritas.* 67. *Vitia.* 68. *Stilus.* 69. *Editiones notantur.* 70. *Ambroſii vita.* 71. *Opera.* 72. *Auctoritas.* 73. *Vitia.* 74. *Stilus.* 75. 76. 77. *Editiones notantur.* 78. *Hieronymi vita.* 79. *Opera.* 80. *Auctoritas.* 81. *Vitia.* 82. *Eruditio.* 83. *Eloquentia.* 84. *Stilus.* 85-88. *Editiones commemorantur.* 89. *Auguſtini vita.* 90. *Opera.* 91. *Auctoritas.* 92. *Merita.* 93. *Stilus.* 94-97. *Editio-*

nes recenſentur. 98. *Euodius.* 99. *Sulpicius Seuerus.* 100. *Et qui huc referendi eſſent, laudantur.*

§. I.

Qui fuerit ante Conſtantinum Magnum Chriſtianae religionis ſtatus, teſtis fide digniſſimus LACTANTIVS eſt: *a*) ex quo intelligimus, quantae molis fuerit, et moliri, et efficere, quod optimus ille princeps non aggreſſus eſt modo, verum etiam omni cura, opera et induſtria perfecit. Sanioris doctrinae veritas ſuſpicioſiſſimis temporibus iſtis contemtui fuit doctis, et odio indoctis. Omnes obſtrepuere atque interceſſerunt, ne eam audirent ſonantem: oculos etiam ſuos oppreſſerunt, ne quid luminis, quod offerebatur, forte fortuna viderent. Miſere vbique locorum affecta et peſſundata iacuit non modo a multitudine et conſenſu prope omnium gentium, ſed etiam auctoritate praeſtantium quocunque laudis genere virum. Cum, diſceptatione ſublata, res quam crudeliſſime vi et armis gereretur, multique innocentes interficerentur homines: rhetores atque philoſophi, temporibus ſeruientes et imperantium ingeniis, laudarunt hanc quaſi pietatem et prudentiam principum ſuorum, qui anili et impia ſuperſtitione prohibita, vetuſtam patrum religionem et ſacra Deorum tuerentur. Declamarunt in pertinacem et inſanam (vt vocabatur) Chriſtianorum ferociam. In hoc errore totus fuit terrarum orbis, vt viros bonos et iuſtos, tanquam malos et impios, perſequerentur. Placuit ſola vetuſtatis auctoritas, quam ita amplectebantur et fouebant: vt in eam inquirere, ſcelus nefandum haberetur. Conſtantinus vero Magnus tandem edictis pluribus populum Chriſtianum libertate dona-

a) Diuinarum inſtitutionum l. 1. c. 1. l. 5. c. 1. l. 2. c. 10. et 7.

Digitized by Google

donauit, et omnes, vbi vbi eſſent, ab extremis vſque orbis terrarum finibus, ad ſaniorem doctrinam, et veri Dei cultum inuitauit. Quam longe lateque Romanum patebat imperium, Chriſto Seuatori deuotos omni et periculo, et metu liberauit: et prodiens e Britannia Europam non modo vniuerſam ad ipſum vſque Byzantium, extinctis quibusque tyrannidis et ſaeuitiae reliquiis, beneficium iſtud ſuum circumtulit; verum et Africam, et Aſiam, eadem clementia recreauit. Indiam quoque ipſam permouit, vt Chriſtiana eſſe vellet. Et cum in Perſide audiret, quosdam adhuc Chriſtianos propter religionem male haberi: nihil non fecit, vt iis opitularetur, ſcriptisque literis ſaeuum illum vel regem, vel ſatrapam ad humanitatem et beneuolentiam erga inſontes ac miſeros reuocaret. In imperio autem ſuo, ne forte ſua Chriſtianis ſaluberrima edicta fierent irrita, inprimis etiam hoc curauit, vt reip. adminiſtrandae, et iudiciis regendis, et prouinciarum gubernationi magiſtratus praeficerentur, qui et viri boni eſſent, et vera pietate imbuti. Leges vulgo conſtabat in haec vſque tempora ab Romanorum tyrannis fuiſſe latas, vt Chriſtiani ab omnibus publicis honoribus arcerentur: reip. vero ii demum praeeſſent, qui hoſtes erant illorum. Suſtulit igitur hanc quoque tyrannidem. Ac THEODORITO teſte *b*) nihil fuit illi antiquius, quam viros pietate inſignes, et Chriſtiana doctrina probe inſtructos, publicis praeficere muneribus: neque paſſus eſt, vt alii remp. regerent, quam qui poteſtatem ſuam ad religionis defenſionem conferrent. Quod ad ipſius eccleſiae miniſtros attinet, eorum ordinem, antea bene iam conſtitutum, multis beneficiis et priuilegiis

b) Hiſt. eccleſ. l. 1.

auxit atque ornauit: nihil vero conuelli, aut mutari, aut in aliam formam conuerti paſſus eſt. Metropolitas, qu ſingularum prouinciarum epiſcopis praeeſſent, creari, eorumque fines deſcribi; et quod in hoc genere ad ordinem et diſciplinam eccleſiaſticam videbatur vtile, ſecundum concilii Nicaeni decreta quam accuratiſſime conſtitui voluit.

§. II.

Operae pretium eſt, hac Latinae linguae vegeta ſenectute obſeruare, quomodo, praeter iſtas hactenus perluſtratas variarum artium diſciplinas, gentium ſeruatori Chriſto deuoti coetus ſanctioris patres inſtituerint res ſacras tractare. Rei vtique nouae noua vtcunque vocabula imponenda fuerunt a ſcriptoribus illis elegantiae Latinae minime curioſis, quibus vna religionis et gloriae diuinae propagatio curae cordique fuit: vt, non obuiis vbique vocabulis, aut fingerent notioribus ſignificationes proximas, aut Graeca Latinitate donarent, aut alia inflecterent oraculis ſuis aptiora, quorum ciuitatem vtut caſtae nunquam approbarint aures, temporis ſucceſſu tamen, vtpote ſignificantiores et aliquo modo neceſſariae vſu tandem receptae fuerunt. Agmen ducit Q. SEPTIMIVS FLORENS TERTVLLIANVS, Carthaginienſis Afer, *c*) haud infima gente natus, patre centurione, vt HIERONYMVS habet, *d*) proconſulari: non quod ipſe proconſulari eſſet dignitate, ſed

c) Teſtis TERTVLLIANVS ipſe de pallio c. 2. et in apologetico c. 9. vbi patriae meminit militiae, de illa Carthaginis proconſulari verba faciens. *d*) De viris illuſtribus c. 53. Ita quoque EVSEBIVS chron. Seueri anno 16. *Tertullianus Afer, centurionis Proconſularis filius, omnium eccleſiarum ſermone celebratur.*

Digitized by Google

ſed quod ſtipendia meruerit centurio ille ſub Proconſule, qui Africae prouinciae, cuius caput erat Carthago, praeeſſet. Ab ineunte aetate literis imbutus eſt ſimul atque profana religione: quod ipſe fatetur *e*) aſſeclas gentis alloquens ſuperſtitioſae, *veſtrûm etiam fuimus; Chriſtiani non naſcuntur homines, ſed fiunt.* Alibi *f*) ſe ait ſpectaculis adfuiſſe, et vitae partem in libidine conſumſiſſe. Quo tempore vero, aut qua occaſione, ſuum Chriſto dederit nomen, profecto non conſtat. Oraculi reſponſo, aut viſione, ſacra mutaſſe, ipſe etiam DV PIN *g*) fabulam ſapere oſtendit. Neque videtur ante conuerſionem ſuam in matrimonium duxiſſe coniugem Chriſtianam, ipſius quoque libris celebratam, neque vxoris ſuaſionibus ad meliorem rediiſſe frugem, quod certe alicubi in ſuis monumentis memoriae tradidiſſet. At vero ſimilius eſſe videtur, matrimonium a ſacro mox iniiſſe lauacro, et ſuos iam aetate prouectum, paulo antequam in Montaniſtarum errores incideret, ad coniugem ſcripſiſſe libellos: qui formam teſtamenti quandam prae ſe ferunt, eaque continent, quae poſt fata demum fieri a femina ſibi coniunctiſſima velit. Eam enim priori ad continentiam, poſt obitum mariti ſeruandam hortatur. Non ergo, vt fabulantur, ad eam, ſe viuente, inuitam adſtrinxit. Poſteriori liquido demonſtrat, continentiam in viduitate conandum eſſe feminis ſeruare, quam in matrimonio oſtendere nequeant. Cum ad caſtra primum tranſiiſſet Chriſtianorum, vt vir doctiſſimus erat ac probe literis imbutus ſacris, presbyter factus eſt, non Romanae, vt vulgo creditur, ſed Carthaginienſis eccleſiae, qua eum conſtat ferme

e) In apologetico. *f*) De ſpectaculis, et de carnis reſurrectione c. 19. et 59. *g*) Noua bibliotheca auctorum eccleſ. tom. 2. p. 169.

ferme ſemper degiſſe. *h*) Cum in eccleſia catholica presbyter XL. annos prope manſiſſet, tertio ineunte ſeculo Montani haereſin amplexus eſt. Defectionis cauſſam HIERONYMVS *i*) innuit, eccleſiae Romanae clericorum inuidiam et contumelias: ſed qua demum ratione offenſus adeo fuerit certo non liquet. Sunt, qui memoriae prodiderunt, eum, quod Victori, aut Zephyrino in epiſcopatu Romano fuerit poſthabitus, inuidia deſciuiſſe. *k*) PAMELIVS *l*) factum aſſeuerat indignatione, quod Carthaginienſem epiſcopatum, quem ambierit, obtinere non potuiſſet. Alii alias ſomniarunt rei latentis rationes vero haudquaquam ſimiles. Inprimis mihi DV PINII *m*) ſententia placet, Montaniſtarum ſectae auſteritatem eius ingenio ardenti et ſeuero, quo in omnia extra modum ferri conſueuerit, valde congruam fuiſſe: vt in catholicos exarſerit, eamque eccleſiam iniuriis proſciderit, donec ipſe ad ea ſibi iucundiora Montani caſtra tranſierit. Sic ergo extra communionem eccleſiae longaeuus annisque decrepitus diem obiit ſupremum, et in gratiam cum catholicis nunquam rediit: quod affirmare quidam nullo veterum teſtimonio conati fuerunt. Maxime floruit imperante Septimio Seuero, et Antonino Baſſiano Caracalla, ſub finem ſecundi, et initium tertii poſt Chriſtum natum ſeculi: et, HIERONYMO *n*) teſte, ad ſummam ſenectutem peruenit. *o*) Sunt qui eum circa A. Chriſti CCV.

h) Quod pluribus DV PIN demonſtrat biblioth. noua eccleſ. auctor. p. 170. *i*) De viris illuſtr. c. 53. TERTVLLIANVS ipſe lib. contra Praxeam c. 1. defectionis cauſſam affirmat eſſe paracleti, quem acceperit, notitiam. *k*) Vid. BARONIVS ad a. 201. §. 10. et TILLEMONTIVS memorab. hiſt. eccleſ. tom. 3. p. 215. 664. ſeq. *l*) Tertulliani vita. *m*) Bibl. noua auctor. eccleſ. pag. 137. *n*) De viris illuſtr. c. 53. *o*) Pl. confer. PALMERIVS

Digitized by Google

CCV. in Montaniſtarum ſectam prolapſum, et circa annum CCXX. vita defunctum eſſe velint. Scriptor coetus Chriſtiani facer confundendus non eſt cum illo Tertullo conſule, neque cum Tertulliano martyre, aut Bononienſi epiſcopo, aut alio, de quibus in actis ſanctorum agitur. *p*) Diuerſus etiam eſt a Tertuliano ICto, cuius in legum libris quaedam fragmenta habemus. *q*) Quamuis etiam noſter, EVSEBIO teſte, *r*) et legum, et inſtitutionum Romanarum fuerit peritiſſimus, et inter Chriſtianos ſcriptores valde clarus: et ſcripta eius translationibus ex iure deſumtis CVIACIVS *s*) confertiſſimos eſſe obſeruarit. Inde noſtrum PAMELIVS *t*) non veretur affirmare aduocatum fuiſſe, prorſus nulla, praeterquam Trithemii, ſcriptoris recentiſſimi, auctoritate.

§. III.

RIVS Tertulliani vita. BEATVS RHENANVS Tertull. vita. Magdeb. Cent. 3. p. 71-87. 185. et 235. OSIANDER hiſt. eccleſ. cent. 3. p. 8. ſeqq. SCHOPFFIVS academia Chriſti p. 42. ſeqq. SIXTVS SENENSIS bibliotheca ſancta pag. 381. ANDR. RIVETVS critici ſacri l. 2. c. 9. Oper. tom. 2. p. 1091. ſeq. KONIGII bibliotheca vetus et noua v. Tertull. p. 796. P. ALLIXIVS diſſert. de vita et ſcriptis Tertulliani. GERHARDI patrologia p. 109. ſqq. BELLARMINVS de ſcript. eccleſ. p. 50. ſeqq. DV PIN biblioth. noua auct. eccleſ. tom. 1. p. 126. ſeqq. CAVE, ITTIGIVS, Alii.

p) Vid. FABRICII bibliotheca eccleſiaſtica ad Hieron. de viris illuſtr. p. 124. et biblioth. Lat. volum. 3. p. 347. *q*) Teſtibus enim legum digeſtis, quaeſtionum ſcripſit libros octo, de caſtrenſi peculio vnum. De quo quidem haud incelebri ICto alibi fuerit diſſerendi occaſio. *r*) Hiſt. eccleſ. l. 2. c. 2. NICEPHORVS eum quoque l. 2. hiſt. eccleſ. c. 8. virum vocat inſignem, accurataque legum et actorum Romanorum peritia clarum.
s) Obſeru. l. 7. obſ. 2. *t*) Tertulliani vita.

§. III.

Scripſit volumina multa ante et poſt ſuſceptos Montani errores, quorum pars magna temporum iniuria periit, et quaedam HIERONYMI *v*) aetate iam tum deſiderabantur. Sic certe *librum de Aaronis veſtibus* reperire nunquam potuit. *x*) Librorum *de animae ſumminiſſione*, *de ſuperſtitione ſeculi*, *de carne et anima* titulos RIGALTIVS in antiquiſſimo codice Agobardino reperit. Libri *de ſpe fidelium* HIERONYMVS *y*) meminit; ſex item librorum *de eccſtaſi z*) *de animalibus mundis et immundis*, *de circumciſione*, *de virginitate*. *a*) Librum *de paradiſo* TERTVLLIANVS ipſe commendat. *b*) Operum Tertulliani, quae ſuperſunt, in Baſilienſi Frobeniana editione ſeries haec eſt: 1. de patientia. 2. de carne Chriſti. 3. de reſurrectione carnis. 4. de praeſcriptionibus aduerſus haereticos. 5. aduerſus Iudaeos. 6. aduerſus Marcionem libri V. 7. aduerſus Hermagonem liber vnus. 8. aduerſus Valentinianos. 9. aduerſus Praxean. 10. de corona militis. 11. ad martyres. 12. de poenitentia. 13. de virginibus velandis. 14. de habitu muliebri. 15. de cultu feminarum. 16. ad vxorem ſuam libri duo. 17. de fuga in perſecutione. 18. ad Scapulam. 19. de exhortatione caſtitatis. 20. de monogamia. 21. de pallio. 22. de trinitate. 23. de teſtimonio animae. 24. de anima. 25. de ſpectaculis. 26. de baptiſmo. 27. contra Gnoſticos ſcorpiacum. 28. de idololatria. 29. de pudicitia. 30. de ieiunio aduerſus Pſychicos. 31. de cibis Iudaicis epiſtola. 32. de oratione. 33. apologeticus aduerſus gentes. Ex his libris HIERONYMVS *c*) dicit

v) De viris illuſtr. c. 53. extr. *x*) HIERON. epiſt. 128. extr. *y*) De viris illuſtr. c. 18. extr. *z*) L. c. c. 53. *a*) Paſſim in epiſtolis. *b*) De anima c. 55. pag. edit. Baſil. 685. c) De viris illuſtribus c. 53.

Digitized by

dicit contra eccleſiam a Tertulliano iam tum haeretico ſcriptos eſſe de fuga in perſecutione, de exhortatione caſtitatis, de monogamia, de pudicitia, de ieiunio: quibus et BELLARMINVS *d*) librum addit de cruce. Suppoſiti ſunt de trinitate liber, atque de cibis Iudaicis epiſtola. Nam in illo Sabelliana haereſis nominatim refutatur: Sabellius autem poſt illa Tertulliani tempora tandem haereſeos ſuae ſemina ſparſit. In epiſtola vero de cibis Iudaicis ſtilus reliquis Tertulliani operibus non reſpondet. Atqui nec ipſe ſibi vbique eſt ſimilis. Certe quidem nullibi non vitiis ſcatet, quae orationem quam maxime videntur deformare, duritie, obſcuritate, haudquaquam decori ornatus affectatione: aliis atque aliis operibus tamen ſibimet ipſi magis indulget. Ita ſecundum DVPINII *e*) ſententiam, *clarior et liquidior eſt, ſed minus elegans in libris polemicis; obſcurior et durior in locis communibus, vt in libro de pallio, quod vnum eſt ex antiquitatis operibus obſcuriſſimis. Liber de poenitentia omnium eſt elegantiſſimus. Eius opera pulcherrima et vtiliſſima ſunt apologeticus, praeſcriptiones, libri de poenitentia, baptiſmo, oratione, et hortationes ad patientiam et martyrium.*

§. IV.

Propter Montanam haereſin omnem prope apud veteres auctoritatem amiſit. Ita S. HILARIVS *f*) librum eius de oratione volumen ait eſſe aptiſſimum, ſed conſequentem errorem auctoris detraxiſſe ſcriptis probabilibus auctoritatem. S. AVGVSTINVS *g*) eum ſignificat tandem Cataphrygibus terga vertiſſe, nouamque ſectam, quae Ter-

d) De ſcriptoribus eccleſ. p. 51. *e*) Bibliotheca noua auct. eccleſiaſt. tom. 1. p. 165. extr. *f*) In can. 5. Matthaei. *g*) De haereſibus n. 86.

Tertullianiſtarum appellata ſit, inſtituiſſe, iam tum vero temporibus ſuis plane extinctam. Naeui et errores ſunt plurimi, ſed quos illi condonare facile poſſumus: quandoquidem religionis fudamentum non euertunt, aut viae ſalutis auerſantur. Primo contra eccleſiam conatur probare, poteſtatem ei non eſſe remittendi fornicatorum et adulterorum peccata: et cum homines in ea crimina poſt baptiſmum ſunt lapſi; eos non poſſe ad communionem eccleſiae admitti, quamuis egerint poenitentiam. *h*) Secundo, vt adulterium, ſic abſolute damnat ſecundas nuptias. *i*) Tertio, immoderata laudat Montaniſtarum ieiunia, qui plures ſeruare ſolerent quadrageſimas, ſtationum obſeruarent ieiunia, velut ex praecepto, ad veſperam vſque producerent; ſolo per ieiunia veſcerentur pane et fruſtibus, ac meram potarent aquam. *k*) Quarto, catholicos vocat pſychicos, et nuſquam non de Montano vatibusque eius honorifice loquitur, eos credens S. Spiritu afflatos eſſe, ad conſtituendam perfectiorem diſciplinam. Sed probe obſeruandum, notante etiam DVPINIO, *l*) quod ad fidei normam et praecipua religionis dogmata attinet, Tertulliano et primis Montaniſtis cum eccleſia catholica conueniſſe. TERTVLLIANVS etiam ipſe, *m*) excepta, ait, fidei norma immutabili, et inuiolabili, mores reformari et mutari poſſe. Quinto, veram caſtitatem et innocentiam vitae a Paraclito, Montani miniſterio, praeſtitam eſſe, qui homines diſciplinam docuerit multo perfectiorem ea, quam ab apoſtolis acceperant. Iuſtitiam in cunabulis fuiſſe eo tempore, quod vulgo dicitur naturae. Legem et prophetas infantiam eius

h) Libro de pudicitia. *i*) Libro de monogamia, et exhortatione ad caſtitatem. *k*) Libro de ieiuniis. *l*) Biblioth. noua auctor. eccleſ. tom. 1. p. 164. *m*) Libro de velandis virginibus.

Digitized by Google

eius fuisse, euangelium adolescentiam: at perfectionem occurrisse tantam in Spiritus S. institutionibus, qui per Montanum locutus sit. Neque adeo Tertullianus, neque Montanus, aut primi eius discipuli, credebant, vt vulgo aiunt, Montanum esse Spiritum S. sed a Sp. S. fuisse afflatum, et missum, vt ecclesiae disciplinam reformaret atque perficeret. Neque id praerogatiuae Montano tantum tribuebant, verum et pluribus eius discipulis, feminis etiam. Et inter ipsos opinabantur esse non paucos, qui diuinis gauderent reuelationibus, et futura praedicerent. Hi vehementer aliquando agitabantur, et in extasim rapiebantur, omnino vt obtinere videmus hodienum istos homunciones inter, qui vulgo *pietistae* vocantur. Sexto, fugere persecutionis tempore, vetitum esse, cum sibi, tum aliis persuadet. Alia ne tanti quidem videntur esse momenti. Neque hinc immerito MALEBRANCHIVS *n*) eum iudicat virum omni quidem doctrina excultum, sed plus memoria, quam iudicio pollere; acri magis et vasto ingenio. quam acri et vasta mente: omnia cum fanaticis communia habere. Eo certe, quod Montani eiusque vatum visiones veneratus est, euincitur, quam debili fuerit iuditio. *Acies illa ingenii*, pergit, *impetus, de leuibus afflatus, mentem effraenatam non obscure denotant. Quot in eius hyperbolis et figuris motus abnormes? Quot rationes splendidae ac magnificae, quae suo duntaxat splendore probant, et persuadent solum mentem stupefaciendo atque perstringendo?* Idemque variis illius exemplis probat.

n) De inuestiganda veritate l. 2. c. 3. Pl. confer. ANDREAS RIVETVS critici sacri l. 2. c. 9. et 10. operum tomo 2. pag. 1091. seq.

gitized by Google

§. V.

Acre et vehemens in eo HIERONYMVS *o*) ingenium praedicat, ſimul atque teſtatur, Cyprianum tanti eum feciſſe, vt nullum diem absque illius lectione praetermitteret, ſuoque ſaepius diceret anagnoſtae, quem notarium vocat, *da magiſtrum*. *p*) Tantoque magis mirandum ne ſemel quidem in Cypriani ſcriptis, quae extant, Tertullianum citari: licet HIERONYMVS *q*) etiam alibi teſtetur, Cypriani ſcriptis probari, quod Tertulliano magiſtro vſus fuerit. Ipſe HIERONYMVS *r*) illius ſcriptis tantum tribuit, vt cunctam ſeculi diſciplinam obtinuiſſe videantur. Et libro de viris illuſtribus *s*) Tertulliani adeo fauet ingegenio: vt eius propemodum excuſet in Montani factionem prolapſum, in clericorum inuidiam atque contumelias culpam proiiciens. Multa ſcilicet iam tum antiquitas veneranda cognouit eum ſcientia et eruditione repletum fuiſſe, quam data quauis occaſione oſtendat. In ſatyra excellebat: ſales vrbani et mordaces erant. Aduerſarios dextre impugnabat, imo et iſtos obruere ſtudebat rationum inter ſe cohaerentium multitudine. Vbi ratiociniis nihil perſuadendum, ſplendida ratione dicendi tamen, vel inuitis, conſenſum extorquere videbatur. Et bene BALZACIVS *t*) *Tertullianum*, inquit, *exſpectо, quem in lucem emittis, vt me patientiam, quam tradit doceat. -- Cum eo auctore in gratiam rediiſſem tua praefatione,*

o) De viris illuſtribus c. 53. Confer. Hieronymi vita, apud SVRIVM vitis ſanctorum Septembr. pag. 495. *p*) Pro *da magiſtrum* codex Gemblacenſis tantum habet *magiſtrum*: quod SVPERIDO ſuperuacuum videtur. vid. FABRICII bibliotheca eccleſiaſtica p. 125. *q*) Epiſt. 65. Confer. ANG. POLITIANVS. l. 4. epiſt. 5. *r*) Epiſt. tom. 3. ad Magnum fol. 149. *s*) Cap. 53. *t*) Epiſt. ad Rigaltium 2. lib. 5.

Digitized b

fatione, ſi eum fuiſſem odio proſecutus, et ſi eius dictione dictione dura, et eius ſeculi vitiis ab eo legendo fuiſſem deterritus. Verum iam diu eſt, quod eum magni facio, et quamuis ſpinis ſit obſitus et triſtis, mihi non videtur iucundus. In eius ſcriptis nigrum illud, de quo vetus poeta canit, mihi occurrit lumen, et eius aeque me iuuat obſcurita-, etc. Sequentibus vero quae monet, de formis loquendi Africanis, quod ſua non careant amabilitate, palati noſtri non ſunt: quamuis ſua cuique facile patiamur eſſe pulchra; neque de guſtibus videatur eſſe diſputandum. Quicquid etiam ferro fuerit fabrefactum; ferreum eſt, atque adeo cum auro nequaquam meretur componi. Valeat Sophonisbe cum eloquentia ſua: quae Ciceronianas nunquam poterit aequare virtutes, aut ingenia obſcurare literis elegantioribus imbuta. Hoc illi quidem concedimus vltro, nec habita elegantiarum aut dictionis ratione, ſimul omnia eius ſcripta vtiliſſima eſſe, et hiſtoriam inprimis horum temporum atque ritus eccleſiaſticos plurimum illuſtrare. Nec habita, quotquot in eo reperiuntur, errorum atque inprimis moleſtae grauitatis ratione, Aegidius Cannartus Tertullianum vnice dilexit, ac memoriae integrum mandauit. *v*)

§. VI.

Summam vero ſtili duritiem ne ſui quidem ſeculi homines aequo animo ferre potuerunt. LACTANTIVS: *x*) *Septimius*, inquit, *Tertullianus fuit omni genere literarum peritus, ſed in eloquendo parum facilis, et minus comtus, et multum obſcurus fuit. Ergo ne hic quidem ſatis*

v) Vid. MIRAEVS biblioth. eccleſ. P. 2. p. 211. IOH. HENR. A SELDEN miſcellaneorum part. 2. pag. 156. *x*) Diuinarum inſtit. l. 5. c. 1. n. 23.

satis celebritatis inuenit. Haud immerito tria notat vitia, Africanis vulgo scriptoribus communia, quammaxime vero in libris Tertulliani conspicua, quo nihil durius, nihil obscurius, nihil minus comtum. Difficultatem BOECLERVS *y*) deriuat cum ex genere scribendi Africano; omnes enim scribere non sine tumore et molestia, quae stili vitia Tertullianus, vir doctissimus, subterfugere non potuerit: tum ex formulis iuris, cuius fuerit peritissimus: vt adeo hunc nemo intelligere possit, qui non etiam illas formulas intelligat. *Suis*, inquit, *z*) *vtitur quibusdam appellationibus ICtus, suis medicus, suis theologus, architectus, geographus, et sic deinceps. Qualibus dictionibus non nisi tempestiue et congruenter in eleganti contextu vtendum est: quamquam alii hic liberius agant; sicut ex. gr. Tertullianus in omnibus suis operibus frequenter ICtorum ore loquitur.* MORHOFIVS *a*) ordinem quoque desiderat, non solum dictionis et ingenii elegantias: vtut eum agnouerit omni eruditionis genere tinctum fuisse. ERASMO iudice *b*) Tertullianus prudens sciensque obscurauit malis verbis bonas sententias, vel ipso durior Apuleio. Neque intellectu is facilis, aut iucundus potest esse cuiquam, qui longe sibi maximam in vocabulis et dictionibus innouandis licentiam sumsit. Rerum expositiones vtplurimum sunt affectatae et inflatae. Sublimitatem petit minime decenti modo, et, praeter consuetudinem dicendi, locutionibus hyperbolicis ac vitiis suae genti communibus, ipsa grandiori forma impeditus, misere tandem in meteoris haeret. *c*) In omnibus prope effer-

y) Bibliographia critica p. 721. *z*) L. c. p. 722. *a*) Polyh. liter. l. 4. c. 14. §. 4. *b*) In Ciceroniano p. 152. *c*) Vid. WERENFELSIVS V. C. docta dissertatione de meteoris orationis, opusc. p. 620.

Digitized by Google

efferueſcit, et effertur tempore haudquaquam opportuno, et figuris minime conuenientibus ſcatet. Orationis formam alibi videtur affectare Laconicam: vt validas aduerſariis obiiceret dictiones, atque tot ſententiis, quot verbis, ad omnes conuincendos, vteretur. Sumamus ex. gr. de pallio libellum, quem doctrina vir excellens quidam perluſtrando indignabundus abiecit dixitque *ſi non vis intelligi non debes legi.* Cum Tertullianus veterum Chriſtianorum ſimplicitatem imitaretur, togaque reiecta pallio veſtiretur: a nonnemine fuit inconſtantiae accuſatus. Et quoniam Graecorum erat pallium, vt Romanorum toga: Chriſtiani autem, vulgo frugalitatis ſtudioſi, veſtem hanc ſumebant ſimpliciorem et philoſophicam: conuicio quaſi vocabantur *Graeci*, et *impoſtores* ab iniectione pallii, quod ſuper tunicam imponebant. Indignum neque ferendum hoc cum illi videretur conuicium: ſcripſit apologiam pallii; neque adeo mirandum, ſi veſtem mutarit, quando hic totus orbis mutationi ſit obnoxius, tempora, ſtellae, coelum, mare, terra, regna, populi, beſtiae, pauus, ſerpens, camaeleon, etiam ipſe homo. Pallium veſtem auguſtam eſſe, ſuper omnes exuuias et peplos, ſuperque omnes apices et titulos, poſtquam Chriſtianam ſapientiam, quae vaniſſimis ſuperſtitionibus renunciat, primum veſtire coepit. Omnibus, quaſcunque vaſtiſſima, totumque mundum complectens, imaginatio excogitare poterat, mutationibus, ad ſuam mutationem palliandam, propoſitis; rebusque coaceruatis, quae vtcunque de pallio dici poſſunt magnifice: iſtud tandem ipſum loquens introducit, ſub finem: *d) ego nihil foro, nihil*

d) Operum pag. 594. ſeq. edit. Baſil. 1562.

nihil campo, nihil curiae debeo: nihil officio aduigilo, nulla roſtra praeoccupo, nulla praetoria obſeruo, cancellos non adoro, ſubſellia non contundo, iura non conturbo, cauſſas non elatro, non iudico, non milito, non regno, ſeceſſi de populo. Imo vnicum negotium mihi eſt, nec aliud nunc curo, quam ne curem. Vita meliore magis in ſeceſſu fruare, quam in promtu. Sed ignaua infamique ſc. patriae, et imperio reique publicae viuendum eſt. Erat olim iſta ſententia. Nemo ali naſcitur, moriturus ſibi. Certe cum ad Epicuros et Zenonas ventum eſt, ſapientes vocas, totum quietis magiſterium, qui eam ſummae atque vnicae voluptatis nomine conſeruauere. Tamen propemodum mihi quoque licebit in publicum prodeſſe. Soleo de qualibet margine vel ara medicinas moribus dicere, quae felicius publicis rebus, et ciuitatibus, et imperiis bonas valetudines conferent, quam tuae operae. Quippe ſi pergam ad acuta tecum, plus togae laeſere remp. quam loricae. Atquin nullis vitiis adulor, nullis veternis parco, nulli impetigini adulor, adigo cauterem ambitioni, qua M. Tullius quingentis millibus non vnum arbem citri emit, qua bis tantum Aſinius Gallus pro menſa eiusdem Mauritaniae numerat. Hem quantis facultatibus aeſtimauere ligneas maculas! Item qua lances centenarii ponderis Sulla molitur. Vereor ſane ne parua ſit iſta trutina, cum Druſillanus, et quidem ſeruus Claudii, quingenariam promulſidem aedificat, ſupraſcriptis fortaſſe menſis neceſſariem: cui ſi officina exſtructa eſt, debuit et triclinium. Immergo aeque ſcalpellum acerbitati ei qua Vedius Pollio ſeruos murenis inuadendos obiectabat. Noua ſcilicet ſaeuitia delectatio terrenae beſtiae et edentulae, et exunguis et excornis: de piſcibus placuit feras cogere, vtique ſtatim coquendis, vt in viſceribus earum aliquid de ſeruorum ſuorum corporibus

bus et ipſe guſtaret. Praecidam gulam, qua Hortenſius orator primus pauum cibi cauſſa potuit occidere: qua Aufidius Lurco primus ſagina corpora vitiauit, et coactis alimentis in adulterium prouexit ſaporem: qua Àſinius Celer muli vnius obſonium VI. M. HS. detulit: qua Aeſopus hiſtrio ex auibus eiusdem pretioſitatis, vt canoris et loquacibus quibusque centum millium patinam confiſcauit: qua filius eius poſt tale pulpamentum potuit aliquid ſumtuoſius eſurire. Margarita nanque vel ipſo nomine pretioſa debauſit, credo ne mendicius patre coenaſſet. Taceo Neroues, et Apicios, et Rufos. Dabo catharticum impuritati Scauri, et aleae Curii, et vinolentiae Antonii. Et memento iſtos interim ex multis togatos fuiſſe, quales apud pallium haud facile. Has purulentias ciuitatis quis eliciet, et exuaporabit, ni ſermo palliatus? Sermone, inquit, me ſuaſiſti medicamine ſapientiſſimo. Verum et ſi eloquium quieſcat, aut infantia ſubductum, aut verecundia retentum, nam et elingua philoſophia vita contenta eſt, ipſe habitus ſonat. Sic denique auditur philoſophus, dum videtur. De occurſu meo vitia ſuffundo. Quis non aemulum ſuum cum videt, patitur? Quis oculis in eum poteſt, in quem mentibus non poteſt? Grande pallii beneficium eſt, ſub cuius recogitatu improbi mores vel erubeſcunt. Viderit nunc philoſophia, quid proſit. Nec enim ſola mecum eſt. Habeo et alias artes in publico vtiles. De meo veſtiuntur, et primus informator literarum, et primus edomator vocis, et primus numerorum harenarius, et grammaticus, et rhetor, et ſophiſta, et medicus, et poeta, et qui muſicam pulſat, et qui ſtellarem coniectat, et qui volaticam ſpectat. Omnis liberalitas ſtudiorum quatuor meis angulis tegitur. Plane poſt Romanos equites. Verum et cerdones, et omnis gladiatorum ignominia togata

by Google

producitur. Haec nimirum indignitas erit, a toga ad pallium. Hoccine multa eſt et magnifica facere verba, nulla ſubiecta ſententia: quod recte Tullio eſt inſanire? Nihil ad rem appoſite et conuenienter, aut ad perſuadendum commode dicit: dummodo ſuam iactitet vanam loquentiam, ſplendido eloquentiae nomine, quam neque concinna ſtili caſtitas, neque perſpicuitas, neque ornatus dignitasue commendat. Sic ſane aſtra petit, affectata ſublimitate obſcurat omnia, ac turpiter ſemetipſum in meteoris confundit. Auſterus magis, quam acutus, nullibi non pingue quiddam et Africanum ſonat: et omnium minime propter ſtilum legendus eſſe videtur.

§. VII.

Tertulliani opera omnium primus in lucem emiſit Beatus Rhenanus *Baſileae* 1521. fol. cum argumentis et annotationibus, libris quibusque praemiſſis, quas DVPINIVS *e*) tanti fecit: vt nemo illi ad auctorem hunc intelligendum eo vtilius inſudaſſe videretur. Etiam a RIGALTIO obſeruatum eſt, Rhenano nihil ad opus perficiendum, praeter MStorum copiam, defuiſſe. Hanc ſecutae ſunt editiones aliae 1525. 1528. 1536. 1539. fol. cum Rhenani argumentis et annotationibus. 1550. et 1562. fol. apud Frobenium, accurante Sigiſmundo Gelenio, cum Rhenani argumentis et annotationibus: tractatus vero quidam ex Anglo MSto ſunt a Gelenio emendati. *Pariſiis* 1545. apud Guillardum. 1566. 8. duobus voluminibus, apud Andream Wechelum, cum integris Rhenani ſcholiis, et apologetici integra paraphraſi, quam Franciſcus Zephyrus ſcripſit. 1580. fol. vna cum Arnobio, ex recenſione Renati Laurentii de la Barre. 1583. fol. apud

e) Biblioth. noua auct. eccleſ. tom. 1. p. 166.

apud Sonnium, cum nouis Iacobi Pamelii commentariis. 1598. fol. cum notis Pamelii, emendationibus Latini Latinii, et Ioh. Merceri in librum de pallio notis. *Romae* 1584. fol. cum emendationibus Latini Latinii. *Antuerpiae* 1579. et 1584. fol. apud Plantinum cum nouo Iacobi Pamelii Brugenſis commentario. *Franeckerae* 1597. fol. cum notis Rhenani, Pamelii, et Franciſci Iunii. *Heidelbergae* 1596. et 1599. fol. apud Commelinum, cum nouis Pamelii commentariis. *Genevae* 1597. fol. cum notis Pamelii.

§. VIII.

Decimo ſeptimo poſt Chriſtum natum ſeculo Tertulliani opera prodierunt *Genevae* 1601. et 1607. fol. cum notis Pamelii. *Heidelbergae* 1609. fol. apud Commelinum, cum notis Pamelii. *Pariſiis* 1608. et 1616. fol. cum Iacobi Pamelii, Latini Latinii, et Ioh. Mercerii notis. 1624. et 1630. fol. cum perpetuo Ioh. Ludouici de la Cerda commentario. 1634. et 1641. fol. cum Nicolai Rigaltii notis, indicibus, et ſermonis Africani gloſſario. 1635. fol. notae Rhenani, Pamelii, Latini, cum Gabr. Albaſpinaei, Ioh. Wowerii, et in librum de pallio Edm. Richerii, Theod. Marcilii, et Ioh. Mercerii obſeruationibus, ad paginas Rigaltianae editionis accommodatae. 1646. 1648. et 1650. fol. 3. volum. cum prolixis Georgii Ambianatis Capuccinii obſeruationibus, *f*) 1658. fol. 3. volum. cum Caroli Morelli, Auguſtiniani eremitae, commentariis. *g*) 1663. fol. curante Philippo Priorio, cum

f) *Tertullianus* inſcribitur *redivivus*. RIGALTIVS vero negat redivivum dici poſſe, qui ſub horrendis vaegrandium commentariorum ſarcinis obrutus atque contritus. Conf. FABRICIVS B. L. v. 3. p. 350. *g*) Monſtroſam editionem operum inſcriptio

integris Rigaltii, ſelectis Pamelii, Cerdae, aliorum, et ipſius Priorii notis. 1675. fol. ad vetuſtiſſimorum exemplarium fidem ſedulo emendata diligentia Nic. Rigaltii I. C. cum eiusdem annotationibus integris et variorum commentariis ſeorſim antea editis. Accedunt Nouatiani tractatus de trinitate et cibis iudaicis cum notis vt in edit. Pamelii. *Coloniae* 1617. fol cum notis Pamelii. *Francofurti* 1627. fol. cum notis Rhenani, Pamelii, et Franciſci Iunii. *Tiguri* 1657. fol. cum Pamelii comment. *Rothomagi* 1662. fol. cum iisdem Pamelii notis. *Antuerpiae* 1682. fol. cura Pamelii.

§. IX.

Duodeuiceſimo poſt Chriſtum natum ſeculo Tertulliani opera omnia in lucem prodierunt *Venetiis* 1701. fol. cum ſelectis variorum notis, ad voluminis calcem reiectis. 1708. 4. ſex tomis, cum Michaelis Viuieni commentariis.

§. X.

Tertulliano proximus aetate eſt MARCVS MINVCIVS FELIX, cauſſarum clarus Romae patronus. Id enim non modo LACTANTIVS *h*) et HIERONYMVS *i*) teſtantur, verum et ipſe innuit dialogi exordio, vbi per ferias ait nihil ſibi muneris in curia fuiſſe. *k*) Neque ſolum illuſtres inter iureconſultos et oratores ſui temporis excellentis-

ptio prodit, *omniloquium Tertullianeum*: de qua BOECLERVS bibliographia critica p. 712. *mirum, quod charta et typi perdantur hiſce nugis.*

b) Diuinar. Inſtit. l. 5. c. 1. *i*) De viris illuſtribus c. 58. et epiſtola ad Magnum. *k*) Edit. Ouzellianae p. 10. *fame et ad vindemium feriae iudiciarium curam relaxauerant. Nam id temporis, poſt aeſtiuum diem, in temperiem ſemet autumnitas dirigebat.*

lentiſſimos referendus, ſed et ſtrenuus fuit Chriſtianae religionis aſſertor, doctrina, virtute et pietate conſpicuus. Afrum fuiſſe FRANC. BALDVINVS ſuſpicatur: quod Frontonis Cirtenſis (fuit autem *Cirta* Numidiae ciuitas nobiliſſima *l*) ita meminit, vt in Africa verſatum ſe eſſe ſignificet: dictionem quoque exprimit Africanam. Frontonem iſtum ſuſpicatur Cornelium rhetorem, M. Antonini Philoſophi praeceptorem, cui imperator multum detulit, atque ſtatuam in ſenatu petiit. *m*) Ex eius oratoria ſchola accepimus prodiiſſe Militonem, qui ad Chriſtianorum defenſionem eloquentiam ſuam conuertit: vt quod illis impius praeceptor probrum aſperſerat maledicendo, bonus diſcipulus reſpondendo abſtergeret. Seculo poſt Chriſtum natum ineunte tertio floruit, Septimio Seuero imperante. Quamuis enim, quo tempore vixerit, ab antiquis diſerte non dicatur: HIERONYMVS tamen libro de viris illuſtribus, *n*) quo temporum ſeruat ordinem, eum Tertullianum inter atque Cyprianum locat. A Cypriano in libro de vanis idolis Minutii verba non vno loco exſcripta ſunt. Et Minucius a Tertulliano non pauca deſumſit: quo quidem aetate paulo iunior, ſed proximus tamen illi fuiſſe videtur. Accurate profecto eadem crimina de infanticidio, Thyeſtaeis epulis, promiſcua libidine, et cultu capitis aſinini et ſimilia, quibus refellendis in apologetico Tertullianus occupatur, eodem ordine, iisdemque haud raro verbis exequitur. Crimina vero iſta velut noua temporibus vt maxime illis frequenti et aſſiduo conuicio Chriſtianis obiiciebantur. Initio ſe paganum fuiſſe, ac aetate iam prouecta Chriſtianorum caſtra ſecutum, ipſe haud obſcure innuit: vbi *ſic ſolus*, inquit,

l) Prolegom. in Minucii Felicis Octauium. *m*) IVLIVS CAPITOLINVS M. Antonino philoſopho c. 2. *n*) Cap. 58.

quit, o) *in amoribus conſcius ipſe, ſocius in erroribus: et cum, diſcuſſa caligine, de tenebrarum profundo in lucem ſapientiae et veritatis emergerem etc.* Poſtea: p) *quanquam tibi, Marce frater, de quo cum maxime quaerimus non ſit ambiguum; vtpote cum diligenter in vtroque viuendi genere verſatus repudiaris alterum, alterum comprobaris.* Rurſum: *quantum autem vitium ſit de incognitis et inexploratis iudicare, quod facitis, nobis ipſis poenitentibus credite. Et nos enim idem fuimus, et eadem vobiscum quondam adhuc coeci et hebetes ſentiebamus.* Vbi ergo ARNOBIVS q) gloriatur, et oratores, et iurisconſultos, magnis ingeniis praeditos, ad eccleſiam tranſiiſſe: vix dubitare poſſumus, eum, cum id ſcriberet, de Minucio ſuo cogitaſſe. Cum Chriſto ſuum dederit nomen, foro tamen ſe non videtur abdicaſſe. Nam feriae vindemiarum illi ab ſtrepitu forenſi otium et Octauii ſcribendi occaſionem dederunt. Quod tanto magis mirandum, cum ipſius nominis Chriſtiani confeſſio ad damnationem ſufficeret, imo Chriſtianis eſſet interdictum foro, quibus praetor neutiquam ius poſtulandi dabat, ſuſpicioſiſſimis temporibus, in tam profano et virtuti tam inimico foro cauſſidicum pium et Chriſto deuotum ſubſiſtere potuiſſe. Facies erat tunc temporis Romani imperii triſtiſſima, et confuſio inſignis: vt omne malorum genus inundaſſe videretur. Orbis concuſſus et permixtus bellis, incendiis, fluctibus, terrae motu, ciuitatum ruinis, gentium multarum atque regionum excidiis, denique malorum extremis fame et peſte confectus. Principes ergo et vulgus conclamitabat, omnia haec mala Chriſtianis referenda eſſe accepta, eorundemque expianda ſanguine. Hinc, TERTVL-

o) Edit. Ouzel. pag. 6. p) Pag. 29. q) Aduerſus gentes l. 1.

TVLLIANO teſte, ſi Tiberis aſcendit in arua, ſi coelum ſtetit, ſi terra mouit, ſi fames, ſi lues, ſtatim *Chriſtianos ad leones* acclamatur. Noua eſt Viri Summe Reuerendi, D. CHRISTOPH. AVGVSTI HEVMANNI, Fautoris noſtri, ſententia, r) qui communem, vt ipſi videtur, fabulam, Minucium Felicem patronum cauſſarum forenſem fuiſſe, multis confutare ſtudet: locumque LACTANTII s) *Minucius Felix non ignobilis inter cauſidicos loci fuit*, ſuſpicatur, legendum eſſe, *inter cauſidicos eccleſiae.*

§. XI.

Scripſit Minucius Felix *Octauium* ſiue de Chriſtianae religionis veritate dialogum, quo Marcus ipſe libelli auctor iudicis, ſeu arbitri officio fungitur, Caecilius Natalis ethnici et Octauius Ianuarius Chriſtiani perſonam ſuſtinent colloquentes. Quaeſtio, de qua diſputant, grauis eſt, verane, an falſa Chriſtianorum religio. Contentionis occaſio fuit, quod, cum in litore Oſtienſi ambularent, ab Octauio Chriſtiano reprehenſus fuit Caecilius ethnicus, qui occurrens Serapidis idolo, ſe iſtud colere ſignificabat. Fremit inde, ac valde irritatus ſuam defendit ſuperſtitionem, et grauiter in Chriſtianorum religionem inuehitur. Omnia incerta eſſe et dubia. Chriſtianis maxime ignaris ac rudibus temerarium eſſe, opiniones ſuas pro veritatibus fouere. Cum nulla mundus regatur prouidentia, ſingulis dubiis, religionem praeſtare ſequi maiorum. Romanum imperium ea conditum et auctum. Auſpicia nunquam impune ſpreta. Pronunciatas

r) Parergis Gottingenſibus tom. I. l. I. diſſert. 10. s) Diuin. inſtit. l. 5. c. 1. n. 22. Confer. HEVMANNI V. C. eruditiſſimae obſeruationes pag. 413. edit. Gottingenſis 1736. 8.

Digitized by Google

quit, *o*) *in amoribus conſcius ipſe, ſocius in erroribus: et cum, diſcuſſa caligine, de tenebrarum profundo in lucem ſapientiae et veritatis emergerem etc.* Poſtea: *p*) *quanquam tibi, Marce frater, de quo cum maxime quaerimus non ſit ambiguum; vtpote cum diligenter in vtroque viuendi genere verſatus repudiaris alterum, alterum comprobaris.* Rurſum: *quantum autem vitium ſit de incognitis et inexploratis iudicare, quod facitis, nobis ipſis poenitentibus credite. Et nos enim idem fuimus, et eadem vobiscum quondam adhuc coeci et hebetes ſentiebamus.* Vbi ergo ARNOBIVS *q*) gloriatur, et oratores, et iurisconſultos, magnis ingeniis praeditos, ad eccleſiam tranſiiſſe: vix dubitare poſſumus, eum, cum id ſcriberet, de Minucio ſuo cogitaſſe. Cum Chriſto ſuum dederit nomen, foro tamen ſe non videtur abdicaſſe. Nam feriae vindemiarum illi ab ſtrepitu forenſi otium et Octauii ſcribendi occaſionem dederunt. Quod tanto magis mirandum, cum ipſius nominis Chriſtiani confeſſio ad damnationem ſufficeret, imo Chriſtianis eſſet interdictum foro, quibus praetor neutiquam ius poſtulandi dabat, ſuſpicioſiſſimis temporibus, in tam profano et virtuti tam inimico foro cauſſidicum pium et Chriſto deuotum ſubſiſtere potuiſſe. Facies erat tunc temporis Romani imperii triſtiſſima, et confuſio inſignis: vt omne malorum genus inundaſſe videretur. Orbis concuſſus et permixtus bellis, incendiis, fluctibus, terrae motu, ciuitatum ruinis, gentium multarum atque regionum excidiis, denique malorum extremis fame et peſte confectus. Principes ergo et vulgus conclamitabat, omnia haec mala Chriſtianis referenda eſſe accepta, eorundemque expianda ſanguine. Hinc, TERTVL-

o) Edit. Ouzel. pag. 6. *p*) Pag. 29. *q*) Aduerſus gentes l. 1.

Digitized by Google

TVLLIANO teſte, ſi Tiberis aſcendit in arua, ſi coelum ſtetit, ſi terra mouit, ſi fames, ſi lues, ſtatim *Chriſtianos ad leones* acclamatur. Noua eſt Viri Summe Reuerendi, D. CHRISTOPH. AVGVSTI HEVMANNI, Fautoris noſtri, ſententia, r) qui communem, vt ipſi videtur, fabulam, Minucium Felicem patronum cauſſarum forenſem fuiſſe, multis confutare ſtudet: locumque LACTANTII s) *Minucius Felix non ignobilis inter cauſidicos loci fuit*, ſuſpicatur, legendum eſſe, *inter cauſidicos eccleſiae.*

§. XI.

Scripſit Minucius Felix *Octauium* ſiue de Chriſtianae religionis veritate dialogum, quo Marcus ipſe libelli auctor iudicis, ſeu arbitri officio fungitur, Caecilius Natalis ethnici et Octauius Ianuarius Chriſtiani perſonam ſuſtinent colloquentes. Quaeſtio, de qua diſputant, grauis eſt, verane, an falſa Chriſtianorum religio. Contentionis occaſio fuit, quod, cum in litore Oſtienſi ambularent, ab Octauio Chriſtiano reprehenſus fuit Caecilius ethnicus, qui occurrens Serapidis idolo, ſe iſtud colere ſignificabat. Fremit inde, ac valde irritatus ſuam defendit ſuperſtitionem, et grauiter in Chriſtianorum religionem inuehitur. Omnia incerta eſſe et dubia. Chriſtianis maxime ignaris ac rudibus temerarium eſſe, opiniones ſuas pro veritatibus fouere. Cum nulla mundus regatur prouidentia, ſingulis dubiis, religionem praeſtare ſequi maiorum. Romanum imperium ea conditum et auctum. Auſpicia nunquam impune ſpreta. Pronunciatas

r) Parergis Gottingenſibus tom. I. l. I. diſſert. 10. s) Diuin. inſtit. l. 5. c. I. n. 22. Confer. HEVMANNI V. C. eruditiſſimae obſeruationes pag. 413. edit. Gottingenſis 1736. 8.

ciatas ſemper ab oraculis res futuras. Chriſtianos adorare aſininum caput, ac turpia quaeque: crimina cumulare, vagas libidines, inceſta, infanticidia: nimio ſe inuicem proſequi amore: nec videre, nec oſtendere, quem colant, Deum. Iudaeis nihil profuiſſe, hunc Deum adoraſſe. Vanam Chriſtianorum ſpem eſſe ridendam. Reſurrectionem, inferos et paradiſum poetarum redolere figmenta. Conditionem eorum eſſe miſeram, plerosque inopes, ignaros, morbis obnoxios, ſuppliciis et cruci expoſitos. Vnde pateat, Deum ipſorum aut non poſſe, aut non velle eos ſubleuare. Romanos, a Chriſtianorum Deo alienos, non modo potentes eſſe, et terrarum dominos, ſed et omnibus gaudiis perfundi, quibus Chriſtiani abſtineant. Singulas Octauius reſumit Caecilii rationes, et illis ita reſpondet, vt conuiciorum atque errorum vanitate diſcuſſa, veritas diuina triumphare videatur. Poſtquam ſingulis obiectionibus reſponſum, victus Caecilius, arbitri, inquit, ſententiam non exſpecto. Aeque victores ſumus. De me triumphat Octauius. Ego vero de errore triumpho. Deo igitur me ſubiicio, agnoſco prouidentiam, et Chriſtianorum religionem, in quorum me nunc pono numero, ſolam fateor docere veritatem. Chriſtianus videri poteſt, non poteſt eſſe miſer. *t*) Diu hic ſiue libellus, ſiue dialogus, falſo creditus dictusque eſt Arnobii octauus liber aduerſus gentes, et vna cum ſeptem eius veris Arnobii libris editus eſt, donec FRANCISCVS

t) Caecilius idem fatetur, ſe, poſtquam intellexit, quid non ſit vera religio, deſiderare accuratiorem cognitionem et inſtitutionem religionis verae. Eam vero catecheſin MINVCIVS ſcribit in diem ſequentem relectam fuiſſe. Sed tanto magis dolendum, alteram hanc ſcholam, quae Minuciani libri melior et maior pars fuiſſet, vel non extare, vel editam non eſſe.

Digitized by

CISCVS BALDVINVS, Iurisprudentiae politioris inſtaurator errorem animaduerteret vulgarem, et Octauium hunc Minucio Felici, vero auctori vindicatum, ſeorſim Heidelbergae ſexageſimo ſupra milleſimum quingenteſimum anno ederet, ſuaque docta illi adiungeret prolegomena. Ecquid potuit eſſe clarius HIERONYMI *v*) teſtimonio: *Minucius Felix, Romae inſignis cauſſidicus, ſcripſit dialogum Chriſtiani et ethnici diſputantium, qui Octauius inſcribitur.* Accedit LACTANTIVS, *x*) qui Minucii Felicis Octauium, atque ex eo verba citat: vt alius libello non ſit quaerendus auctor. *y*) Qui olim illi falſo tributus liber de fato, *z*) vel contra mathematicos, hodie non extat. Et iam tum HIERONYMO erat valde ſuſpectus, qui *et alius*, inquit, *a*) *ſub nomine eius fertur de fato, vel contra mathematicos, qui cum ſit et ipſe diſerti hominis, non mihi videtur cum ſuperioris libri ſtilo conuenire.* Alibi: *b*) *Minucius Felix, cauſſidicus Romani fori, in libro, cui titulus Octauius eſt, et in altero contra mathematicos, ſi tamen inſcriptio non mentitur auctorem, quid gentilium ſcripturarum dimiſit intactum?* Hunc ergo BALDVINVS tanto magis dolet, cum eius fuerit vnicus καὶ γνήσιος, illi fuiſſe ſurreptum, et alteri non domino iniuſte adſcriptum: vt et plagio, et partu ſuppoſito iniuria duplex ſit facta Minucio.

§. XII.

Opuſculum ſane eruditum, neruoſum, ac praeſtan-

v) De viris illuſtribus c. 58. Confer. eiusdem epiſtola ad Magnum, oratorem Romanum. *x*) Diuin. inſtit. l. 1. c. 11. et l. 5. c. 1. *y*) Pl. vid. BALDVINI prolegomena init. *z*) Ipſe quidem MINVCIVS, cum pauca de fato dixiſſet, ſubiungit: *ac de fato ſatis, vel ſi pauca pro tempore, diſputaturi alias et uberius, et plenius.* *a*) De viris illuſtr. c. 58. *b*) Epiſtola ad Magnum.

tia doctrinae non ſatis admirandum. Ipſa dialogi forma antiquum ac ſatis politum refert ſcribendi morem: ac omnium hiſtoriarum memoriam repraeſentat. Ex eo ergo breui dialogo patet, quod LACTANTIVS *c*) obſeruat, quam idoneus veritatis aſſertor eſſe potuiſſet, ſi ſe totum ad id ſtudium contuliſſet. Enim vero ingenii ab rebus alienis ac ſtrepitu forenſi ſeſe relaxantis potius eſt foetus praecox, quam aſſiduo labore compoſitum opus. Res leuiter tantum perſtringit, non perſcrutatur. Sufficit illi oſtendiſſe, quam ineptae ſint ethnicorum ſententiae. De Chriſtianorum doctrina cum explicanda, tum probanda accuratius cogitare non potuit. Sed immerito videtur DVPINIO *d*) in myſteriis non valde eruditus, et animam vna cum corpore morituram credidiſſe. Satis clara ipſius MINVCII *e*) ſunt verba: *quis tam ſtultus aut brutus eſt, vt audeat repugnare, hominem a Deo, vt primum potuiſſe fingi, ita poſſe denuo reformari? nihil eſſe poſt obitum, et ante ortum nihil fuiſſe: ſicut de nihilo naſci licuit, ita de nihilo licere reparari? - - Corpus omne, ſiue areſcit in puluerem, ſiue in humorem ſoluitur, vel in cinerem comprimitur, vel in nidorem tenuatur, ſubducitur nobis; ſed Deo, elementorum cuſtodi, reſeruatur.* Ne verbulo quidem animae ſeparatae meminit, cuius ſtatum deſcribere non fuerat opus. Ecquis inde putaret, eum credidiſſe, futurum vt anima cum corpore moriatur?

§. XIII.

Genere vtitur dicendi Africano, quale Tertullianus, Cyprianus, Arnobius, eorumque ſimiles ſectantur. Dictio arguta, vehemens, acris. Stilus preſſus, denſus, et

c) Diuin. inſtitut. l. 5. c. 1. *d*) Eccleſiaſticorum auctorum bibliotheca noua tom. 1. p. 188. ſeq. *e*) Edit. Ouzel. p. 326.

et crebris exultans ſententiis. Fruſtra in eo quidem verum quaeſieris Latinae linguae nitorem ac naturalem pulchritudinem: pro communi tamen eius ſeculi conſuetudine non contemnendus eſt, quandoquidem tumor ille Africanus placet. Secundum DVPINIVM, *f*) *dialogus non inelegans, exquiſita verba, vocabula excogitata, gratus lepos, rationes dilucidae, valde doctus.* Secundum MORHOFIVM *g*) Minucii Felicis *Octauius, i. e. dialogus de vanitate idololatriae, et veritate religionis Chriſtianae, ſtilo ſatis pro illorum temporum ratione terſo atque puro compoſitus, nec minus ingenioſe.* Secundum WALCHIVM V. C. *h*) *ſtilus ornatior quidem eſt, quam Tertulliani; in comparationem tamen Lactantii euehi non poteſt.* Alibi: *i*) *quod ad ſtilum*, inquit, *Minucii Felicis attinet, humilis eſt, et proprius dialogis: purus tamen, paucis excerptis, quae Latinitatem eccleſiaſticam, raram, et minus caſtam ſapiunt.* e. gr. *adſtrangulatus, carnales oculi, cautela, inrotare, intererrare, meditantur* paſſiue, *multiuira*, et *vniuira*, pro muliere multorum virorum, aut vnius viri, *notaculum* pro ſigno etc.

§. XIV.

Aliquoties iam editus fuerat hic Minucii dialogus, antequam extare crederetur: prodiit enim, vt ſupra monui, cum Arnobio ſemper, cuius octauus habebatur aduerſus gentes liber. Scilicet Fauſtus Sabaeus Brixianus eum primus ex peruetuſto codice Vaticano in lucem protraxit, ac tota reclamante antiquitate, velut recens inuentum Arnobii libellum, ſeptem eius ſubiecit libris *Romae*

f) Eccleſ. auctorum bibliotheca noua tomo. 1. p. 188. *g*) Polyhiſt. liter. l. 4. c. 14. §. 9. *h*) Hiſtoria critica Lat. linguae c. 1. p. 78. *i*) Cap. 10. p. 424.

mae 1542. fol. Principem ſecutae ſunt *Baſilienſes* 1546. et 1560. ex Sigismundi Gelenii recenſione. Sed errorem tandem animaduertit, ac ſeparatim Minucii Felicis Octauium cum doctiſſimis prolegominibus Franciſcus Balduinus edidit *Heidelbergae* 1560. 8. Viginti et tribus poſt annis Fuluius Vrſinus, Petri Ciacconii ſchedis adiutus, ſiue Balduini editionem non vidiſſet, *k*) ſiue eam ſibi arrogaret animaduerſionem, Minucii librum ab Arnobii operibus ſeiunxit, ac ſe id vnum obſeruaſſe gloriatus eſt, *Romae* 1583. 4.

§. XV.

Seculo poſt Chriſtum natum decimo ſeptimo Minucii Felicis Octauius prodiit *Baſileae* 1603. 8. cum eruditis Ioh. Woweri notis, addito S. Cypriani libro de vanitate idolorum. *Hanouiae* 1603. 8. cum notis Geuerh. Elmenhorſtii. *l*) *Francofurti* 1610. 8. Franciſci Balduini. *Pariſiis* 1605. 8. cum notis Deſiderii Heraldi. et 1613. 4. cum Tertulliani apologetico. 1615. 4. cum Arnobio. 1643. et 1645. 4. accurante Nicolao Rigaltio, cum Iulii Firmici Materni libro de errore profanarum religionum. 1666. fol. per Philippum Priorium, cum Cypriano, Arnobio, Firmico et Commodiano. *Hamburgi* 1612. fol. cum notis Elmenhorſtii. *Coloniae Agrippinae* 1618. fol. magna bibliotheca veterum patrum et antiquorum ſcriptorum eccleſiaſticorum tomo tertio. n. 1. *Lugduni Batauorum* 1645. 12. cum Cypriano de idolorum vanitate et Wowerii Firmico. 1652. 4. et 1672. 8. ex officina Ha-

k) Nec Morilloni, nec HADRIANI IVNII meminit, qui prſdem animaduerſorum l. 3. c. 1. obſeruauit, eſſe librum ſingularem alterius ſcriptoris, non, vt priores editiones venditauerant, octauum Arnobii. *l*) Elmenhorſtii editionem BORCLERVS omnibus aliis praefert bibliographia critica p. 723.

Hackiana, cum integris omnium notis et commentariis, nouaque recenſione Iacobi Ouzelii, cuius et accedunt animaduerſiones, inſuper Iohannis Meurſii notae, et liber Iulii Firmici Materni de errore profanarum religionum. Editione hac ſatis nitida inuenies poſt editoris praefationes, Franciſci Balduini et Ioh. Meurſii prolegomena integras et eruditiſſimas obſeruationes Woweri, Elmenhorſtii, Rigaltii, Heraldi, Meurſii, et ipſius Ouzelii. De Ouzelio vero MORHOFIVS *m*) ſcribit: *ille plagiarius eſt, cui corniculae iam dudum plumae ſunt euulſae: vt patet ex commentario, quem in Caii inſtitutiones ſcripſit, et qui pene totus ex Hier. Aleandri commentario deſumtus eſt.* Attamen fallitur ille magnus polyhiſtor Minucium Lugduni Batauorum 1672. 8. cum ſelectis variorum notis prodiiſſe. *Oxoniae* 1678. cum notis Nicolai Rigaltii. *Halae Sax.* 1699. 8. cum notis Chriſtophori Cellarii.

§. XVI.

Duodeuiceſimo poſt Chriſtum natum ſeculo Minucii Felicis Octauius prodiit *Cantabrigiae* 1707. 8. cum notis Rigaltii et ſelectis variorum, nouisque Ioannis Dauies. 1711. 8. ex ſecunda Ioh. Dauiſii recenſione, cum variorum notis, addito Commodiano. *Lugduni Batauorum* 1709. 8. cum integris Wowerii, Elmenhorſtii, Heraldi, et Rigaltii notis, aliorumque hinc inde collectis, edente Iacobo Gronouio, qui emendationes et explicationes ſuas, tum libellum S. Cypriani, qui Minucii veſtigiis inſiſtit, de idolorum vanitate, et Firmicum de errore profanarum religionum adiecit.

§. XVII.

Sub Decio imperatore, vel tyranno, circa annum Chri-

m) Polyhiſt. liter. l. 4. c. 14. §. 9.

Christi CCL. vicesimus secundus floruit Romanus episcopus, CORNELIVS I. Is Romae natus, patre Castino, et optimis literis ab ineunte aetate imbutus, eruditionis simul atque pietatis fama coepit inter omnes celebrari, et ecclesiae patriae, tunc temporis misere afflictae, praefici: cum Decius tyrannus rerum potiretur. Fabula est, quam et PLATINA, *n*) et conciliorum collector, *o*) memoriae prodiderunt, Cornelium, Romanae ecclesiae episcopum, Lucinae diuitis ac piae matronae rogatu, corpora Petri et Pauli, sanctorum apostolorum, ex suis tumulis, vbi viderentur minus esse tuta, III. Kal. Iulii noctu leuasse: vt Paulum Lucina in praediolo suo, iuxta viam Hostiensem, collocaret, eo loco, vbi olim interfectus fuerat: Petrum vero ipse ad eum locum referret, vbi crucis martyrium subierat, in templo Apollinis, ad montis aurei radices. Fuerunt haec certe suspiciosissima Christianorum tempora: quibus miserandum in modum extrinsecus tyrannis, intrinsecus schismata ecclesiam lacerabant. Decius ex Pannonia, Philippis interfectis, imperium inuasit, omnesque odio et plagis persecutus est, qui cum istis, vel religione, vel obsequio, coniuncti fuerant. Sic miseri et insontes Christiani vbique locorum male habebantur, oborta, quam in ecclesia numerant, septima persecutione. Anno CCL. post Christum natum XIII. Kalendas Februarii Fabianus, episcopus Romanus, martyrium subiit: et cum sedes Romana vno amplius anno vacasset, Cornelius illi noster surrogatus est. Contra quem Nouatianus, a paucis, sectatoribus ipsius, electus, schisma conflauit, longe omnium Christianis, sub

n) Vitis pontificum, vbi de Cornelio agit p. m. 67. seq.

o) Tomo 1. p. 220.

Digitized by Google

ſub Decii iugo et laniena gementibus, triſtiſſimum. Veniens ex Africa, Nouatus epiſcopus, qui multum ſibi ſuos inter auctoritatis arrogabat, cum Nouatiano ſe coniungit, eumque in Romana, vt Nicoſtratum in Africana eccleſia epiſcopum conſtituit. Cornelius, cum ſanioribus eccleſiae doctoribus, ea Deciana perſecutione atrociſſima Chriſtum ſeruatorem abnegantes, et ſerio reſipiſcentes arbitrabatur recipiendos eſſe. Nouatus contra cum ſuis, vt homines religioſiſſimi eſſe viderentur, atque ſanctitatem prae ſe ferrent inſignem, adeo ſemel lapſos, vtut vellent ad meliorem redire frugem, perpetuo excludendos aiebat. Ea rerum perturbatione, quod calumniarum nullus eſſet finis, Cornelius Centumcellas, obſcurum in Hetruſco littore oppidum, in exilium mittitur. Atqui etiam hic fidus oppreſſarum, et vndiquaque ab lupis rapacibus agitatarum ouium paſtor, cui ſalus inprimis hominum curae cordique fuit, ſi quando cruciatibus olim fuerint ad periuria cultumque idolorum adactae, factum deplorantes, atque flagranti ſalutis deſiderio ad miſericordiam Dei confugientes, immenſa numinis gratia conſolatus eſt, et in eccleſiae communionem recepit. Id quod Nouatianis ſudes in oculis: qui virum bonum laceſſere, et omni conuiciorum genere cumulare non verebantur, et quod illegitima ratione ad epiſcopatum adſpiraſſet. Eum vero Cyprianus ſtrenue contra omnes criminationes epiſtolis ſuis defendit: qui Carthaginienſis epiſcopus multa quoque a Nouatianis perpeſſus eſt. Hic tandem haereſeos diuerſis damnatur ſynodis: et frequens Cyprianum inter atque Cornelium fuit literarum commercium. *p*) *At*, inquit

p) Extant Cypriani ad Cornelium octo, et huius ad illum duae epiſtolae in Cypriani operibus.

inquit PLATINA, *q*) *vbi Decius intellexit, Cornelium literas a Cypriano accepiſſe, eum a Centumcellis Romam perduci iubet, quem ita in Telluris templo, adſtante vrbis praefecto, alloquitur: ſic, inquit, obſtinate vitam ducere inſtituiſti, vt neque Deos cures, neque praecepta, vel minas principum timeas, et contra remp. literas accipias ac mittas? Huic Cornelius: de laudibus Chriſti, de ratione redimentorum animorum, non de imminutione imperii literas accepi, et reddidi. Tum Decius iratus ſanctiſſimum virum plumbatis caedi, genus id flagelli eſt, atque deinceps ad templum Martis duci iubet, vt ſimulacrum eius adoraret: id ſi facere abnueret, poena capitali afficeretur. At vir ſanctus dum ad ſupplicium duceretur, omnia bona ſua Stephano archidiacono commiſit. Poſt hoc vero III. nonas Maii obtruncatur. Huius corpus beata Lucina vna cum quibusdam clericis noctu ſepeliuit in arenario praedii ſui, via Appia, non longe a coemiterio Caliſti.* Damaſi haec omnia dicit niti teſtimonio, quem maluit audire, quam alios, temporis rationem accuratius ſubducentes Vtrique coaeuus S. HIERONYMVS *r*) Cornelium, Romanae vrbis epiſcopum, diſerte ait, eccleſiam rexiſſe annis duobus, ſub Gallo et Voluſiano; cui ob Chriſtum martyrio coronato ſucceſſerit Lucius. EVSEBIVS vero, *s*) vbi Lucii ſucceſſoris meminit, Cornelium, teſtatur, ad tres annos Romae epiſcopatum tenuiſſe, id tempus, quo ſedes a Fabiani martyrio vacauit, Cornelio, vt videtur, tribuens. Ipſe PLATINA *t*) fatetur, annis

q) De vitis pontificum, vbi de Cornelio, pontifice XXII. p. m. 68. Videantur et LVCAS OSIANDER hiſt. eccleſ. cent. 3. l. 3. c. 8. pag. 60. ſeq. et IOH. PVNCCIVS comment. in chronologiam ſuam l. 6. ad ann. 257. *r*) De vitis illuſtribus c. 66. *s*) Hiſt. eccleſ. l. 7. c. 2. *t*) L. c.

Digitized by

nis duobus, menſibus duobus, tribusque diebus ſediſſe. Coepit autem eccleſiae praeeſſe paulo ante Decii obitum, IV. nonas Iunii anno Chriſti CCLI. quo Gallus pater, et Voluſianus filius, rerum potiebantur. Et ſacro munere functus eſt ad vſque XVIII. kalend. Octobris CCLII. quo dicitur ab aliquibus Centumcellis in exilio obiiſſe. *v*) Memoria eius recolitur in martyrologio Romano XIV. Septembris.

§. XVIII.

Teſte HIERONYMO, *x*) ſcripſit epiſtolam ad Fabium, Antiochenae eccleſiae epiſcopum, de ſynodo Romana, Italica, Africana: et aliam de Nouatiano, et de his qui lapſi ſunt: tertiam de geſtis ſynodi: quartam ad eundem Fabium valde prolixam, et Nouatianae haereſeos cauſſas et anathema continentem. Quarum et HONORIVS Auguſtodunenſis, *y*) et IOH. TRITHEMIVS *z*) mentionem facit. Hic vero etiam plures ait de rebus eccleſiaſticis ad Cyprianum, Carthaginienſem epiſcopum, et alios ſcripſiſſe. Extant hodie inter Cyprianas Cornelii epiſtolae duae, et vnius *a*) fragmenta quaedam prolixa apud EVSEBIVM. *b*) Quatuor Cornelii epiſtolae

v) Vid. IOH. PEARSONII annales Cyprianici ad illos annos. FABRICIVS ad Hieronymi libellum de viris illuſtr. c. 66 bibliotheca eccleſiaſticae pag. 148. At ſui non memor FABRICIVS bibliotheca mediae et infimae Latinitatis lib. 3. pag. 1208. Cornelium, inquit, A. 251. Fabiano datum in epiſcopatu Romano ſucceſſorem: deinde, in Decii perſecutione, poſt paullo plusquam anni ſpatium, pro Chriſto obiiſſe martyrium. *x*) De viris illuſtribus c. 66. *y*) De ſcriptoribus eccleſiaſticis l. 1. c. 67. *z*) De ſcript. eccleſ. c. 40. *a*) Quam HIERONYMVS l. c. notat eſſe quartam ad Fabium, et Nouatianae haereſeos cauſſas et anathema continere. *b*) Hiſt. eccleſ. l. 6. c. 43.

conciliorum tomis insertae sunt: quarum duae priores, nugarum plenae, haud immerito creduntur illi suppositae fuisse. De reliquis duabus, ad Cyprianum scriptis, nemo dubitat Legitur *prima* conciliorum tomo primo: *c*) qua pseudo-Cornelius corporum S. vtriusque apostoli, Petri et Pauli translationem exponit: omnesque Christianos hortatur, vt eo beneficio gaudeant, atque Deum summis euehant laudibus. Deinde queritur de Nouato haeretico. Attamen laetatur quosdam ex Nouatianis ad ecclesiae communionem rediisse. Suadet denique, vt, reductis ad frugem meliorem haereticis, ecclesiae concordia seruetur. Epistola *altera*, quae ad Rufum scripta, et Cornelio, Romano episcopo, aflicta, itidem primo conciliorum tomo *d*) legitur. Ea satis barbara, insulsa, et a stilo Cornelii aliena, auctor superstitiosus ab summis sacerdotibus negat iuramentum, nisi pro recta fide, exigendum esse: et omni modo ecclesiasticam tyrannidem stabilire conatur. *Tertia* neruosior longe et elegantior conciliorum tomo primo, *e*) qua Cornelius Cypriano significat, Maximum presbyterum, Vrbanum, Sidonium aliosque aliquandiu a Nouato deceptos, resipuisse, errorem esse confessos, atque adeo solemni ritu, multis applaudentibus, in ecclesiae communionem receptos. Continuo sequitur epistola ad Cyprianum *quarta*, *f*) qua Cornelius dolet, Nouati haeresin, extinctam prope, iam reuiuiscere ac serpere latius. Nicostratum a Nouato ordinatum perfide et hominum priuatorum et ecclesiae bona rapuisse. Improbum quoque describit Euaristi, sectae Nouatianae episcopi, ingenium: vt id genus homines cauere possit. *g*) §. XIX.

c) Pag. 223. *d*) Pag. 224. *e*) Pag. 226. *f*) L. c. pag. 227.
g) Editiones aliae videantur apud FABRICIVM bibliothecae mediae et infimae Latinitatis l. 3. p. 1208. seq.

Digitized by Google

§. XIX.

CAECILIVS CYPRIANVS, natione Afer, patria, vt creditur, Carthaginienſis, parentibus obſcuris ſed opulentis natus, quoad Chriſtianorum non eſſet initiatus ſacris, artem rhetoricam magno cum applauſu in Africa docuit: ſuisque hilaris et laetus ſtuduit indulgere voluptatibus: et cauſſis forenſibus voluit magis quam diſciplina ſcholaſtica detineri. *h*) Circa annum CCXLVI. vſu familiari et conſuetudine Caecilii presbyteri, cuius nomen ipſe poſtea aſſumſit, Ieſum, mundi ſeruatorem, agnouit: atque inprimis aſſidua Ionae prophetae lectione, cuius ille ipſi exponebat ſenſum, pene tractus eſt ad ſalutiferam veritatis cognitionem: vt extemplo gentilium valediceret ſuperſtitioni, et, ſanctiſſimo tinctus lauacro, caſtra ſequeretur Chriſtianorum. Ea mentis conuerſione, quicquid illi fuerat diuitiarum, pauperibus diſtribuit. Anno ſequenti CCXLVII. presbyter, et CCXLVIII. epiſcopus Carthaginienſis eccleſiae factus eſt: eamque prouinciam multis atque egregiis virtutibus ornauit. Mox eum tanta valere intellexerunt auctoritate: vt fuerint, qui eum Hiſpaniae quoque et orientis totius eccleſiis praefuiſſe dixerint, *i*) eumque catholicum vocarint Chriſtianorum epiſcopum. Vir fuit, vt eius ſcripta teſtantur eruditus, facundus, facilis atque humanus: grauis item ac liberalis: vt fratres exciperet ſatis benigne; pro viribus auxilio eſſet oppreſſis; cauſſas ageret fortiter; et aequo animo ferret vtramque fortunam. Inſigni vbique vſus eſt prudentia: ne quid temere, aut auare agere videretur.

h) Vid. CYPRIANI liber ad Donatum, non longe ab initio.

i) Ita NAZIANZENVS in ſermone de laudibus Cypriani ſcribit, eum totius orientis et Hiſpaniae eccleſiis praeſediſſe.

Digitized by Google

deretur. Eaque circumſpectione rerum eccleſiaſticarum adminiſtrationem non ſuo vnius arbitrio, ſed multorum, quos in concilium vocare conſueuit, ſeniorum accommodauit ſuffragiis; atque adeo tot ſapientum conſiliis expedire ſtuduit omnia feliciter. Et hoc Cypriani exemplo inprimis AVGVSTINVS *k*) commendat, illius verbis, quae ex epiſtola ad Quintinum ſcripta, deſumſit: *noſtra non pertinaciter amemus, ſed quae aliquando a fratribus et collegis noſtris vtiliter et ſalubriter ſuggeruntur, ipſi potius amplectamur.* Oratione et ſcriptis non ſolum gentilem ſuperſtitionem, Iudaeorum peruicaciam, Nouatianorum deliria, et quorumuis Chriſtiani nominis hoſtium malam mentem magno fortique animo oppugnauit: ſed omnino omnes etiam ad virtutis ſtudium fugamque peccatorum excitauit: ac omnibus numeris abſolutam eccleſiaſtici doctoris dignitatem prae ſe tulit. Quamprimum eſſet ſalutari doctrina imbutus, librum ſcripſit ad Donatum, cui mox inuitus in epiſcopatu ſucceſſit. Breui etiam poſt de idolorum vanitate librum edidiſſe videtur. Cum rerum ſumma penes Philippum Arabem eſſet, qui Chriſtianis mirifice fauebat, inpune in principum virorum vitia cultusque idolorum profanos inuehere poterat. Sed Decius cum illi ſuccederet tyrannus, et inſigni crudelitate in omnia eccleſiae Chriſtianae membra ſaeuiret: anno CCL. ille in capitis verſabatur periculo, ad leones deducendus: ſed fuga Caeſaris ſemet ſubtraxit furori; et publice proſcriptus bonorum tantum fecit iacturam. Atqui etiam ſuis, quoad in exilio erat, conſililo et opera ſubuenire non deſtitit: et triginta adhuc ſuperſtites ad illos ſcripſit epiſtolas: quibus inter alias cruentiſſimae perſecutionis

k) Lib. 2. de baptiſmo contra Donatiſtas.

Digitized by Google

secutionis cauſſas interna eccleſiae mala refert: *l*) atque ſuam ſuorumque calamitatem deplorat. Aiunt, eum, quod in Deciana perſecutione ab inſana plebecula ad necem quaereretur, peculiari Numinis aeterni monitu, latebras quaeſiuiſſe: atque etiam poſt ea tempora frequentibus confortatum illuminationibus: vt ouium ſuarum ſedulam curam agere potuiſſet. Deferueſcente perſecutione, anno CCLI. ad eccleſiam ſuae fidei commendatam redit: ſubortamque inuenit grauem de lapſorum receptione controuerſiam; Nouato lapſis redeuntibus gratiam denegante; Feliciſſimo Presbytero contra ceterisque factioſis lapſos, praeuia nulla poenitentiae diſciplina, recipientibus. Congregauit ergo Carthagine ſynodum eodem anno contra Nouatum: qua, Cypriano praeſide, patres decreuerunt, in perſecutione quadam lapſos, ſi redierint ad meliorem frugem, recipiendos eſſe. Anno CCLII. ſynodus altera Carthaginienſis menſe Maio conuocanda fuit, atque damnandus Feliciſſimus presbyter, qui contra decretum ſynodi lapſos, nec publica poenitentiae praeuia cenſura, voluit recipiendos eſſe. *m*) Aliquot poſt menſibus eccleſia fame et peſte miſere afflicta epiſcopo ſuum de mortalitate libellum conſcribendi anſam dedit. Controuerſia illi deinde nata eſt cum Stephano Romano epiſcopo de anabaptiſmo: cum enim Cyprianus aliquot ſynodis anno CCLV. et ſequenti Carthagine habitis, communi patrum conſenſu, ſtatuiſſet, omnes illos, qui fuerint ab haereticis baptiſati, rebaptiſandos eſſe: Stephanus contra docuit, ſolam orationem et manuum impoſitionem ſufficere. Hinc tantum ſchiſma Romanas inter atque Africanas eccleſias, vt communione

ſeſe

l) Vid. CYPRIANI epiſt. 11. *m*) Vid. CYPRIANI epiſt. 43. 45. 55. 57. 59.

ſeſe viderentur vtrinque arcere. Vtut ſublati fuerint etiam tandem animorum motus: in ſua tamen perſtiterunt ſententia. Anno CCLVII. ſaeuiente in Chriſtianos Valeriano imperatore, Cyprianus coram Aſpaſio proconſule in Africa confeſſionis ac fidei rationem reddere iuſſus, atque in exilium Curubas Zeugitanae prouinciae patria et epiſcopali ſede pulſus eſt. Diuinitus autem per ſomnium monitus, fore vt ſequenti anno martyrii acciperet coronam, mox Paterno proconſule Africano id ipſi concedente, ad eccleſiam Carthaginienſem miſere afflictam reuertitur: et in horto a Paterni ſucceſſore prehenſus rapitur curru ab apparitoribus ad ſupplicium: eaque animi conſtantia et magnitudine cum idolis ſacrificare nollet, XVIII. Kal. Octobris CCLVIII. gladio, cui quam lubentiſſime ſubmiſit ceruicem percuſſus eſt. Lapſu memoriae I. A. FABRICIVS *n*) Cyprianum ſcribit in perſecutione Deciana alacriter pro Chriſto martyrium ſubiiſſe. *o*)

§. XX.

Scripta eius circumferuntur plurima, quae tribus tomis,

n) Biblioth. mediae et infimae Latinitatis lib. 3. pag. 1252.

o) De vita et obitu Cypriani conſulendi ſunt PONTIVS DIACONVS in eius vita, quam ſigillatim deſcripſit. PRVDENTIVS periſtephanon ſ. de coronis hymno 5. HIERONYMVS de ſcriptoribus eccleſiaſticis cap. 67. cum variorum animaduerſionibus, apud FABRICIVM bibliotheca eccleſiaſtica pag. 150. ſeqq. TRITHEMIVS de ſcriptoribus eccleſiaſticis cap. 41. apud Fabricium l. c. pag. 13. HONORIVS c. 68. ibid. pag. 77. IOH. PEARSONIVS annalibus Cyprianicis. CAVE hiſt. liter. p. 87. ſeq. Hiſt. eccleſ. Magdeb. cent. 3. p. 242. OSIANDER cent. 3. p. 46. 82. paſſim. SCHOPFLIVS academia l. C. p. 44. BELLARMINVS de ſcriptoribus eccleſiaſticis p. m. 60. SIXTVS SENENSIS, DV PIN, ſcriptores cum veteres, tum recentiores alii.

tomis, valde mediocribus, ordine ſequenti, cum annotationibus IAC. PAMELII Pariſiis 1643. fol. prodierunt. Tomo primo continentur LXXXIII. epiſtolae: quarum priores quadraginta fuerunt ſtatim a baptiſmo; ſequentes ad duodeſexageſimam ſub Cornelii et Lucii pontificatu; ad ſexageſimam vero ſextam tranquillioris eccleſiae variis temporibus conſcriptae. Sequentes ad ſextam et ſeptuageſimam ſub Stephani pontificatu agitatam de baptizandis haereticis controuerſiam exponunt. Reliquae in exilio et ſub finem vitae fuerunt conſcriptae. *p*) Vulgata et Manutii editione illas Cypriani epiſtolas quinque libris, ordine, quo exaratae fuerunt, turbato diſpoſitas reperimus. Tomo altero Cypriani continentur libri 1. de diſciplina et habitu virginum. 2. de lapſis. 3. de vnitate eccleſiae catholicae, vulgo de ſimplicitate praelatorum. 4. de oratione dominica. 5. ad Demetrianum. 6. de idolorum vanitate. 7. de mortalitate. 8. de opere et eleemoſynis. 9. de bono patientiae. 10. de zelo et liuore. 11. ad Fortunatum de exhortatione martyrii. 12. ad Quirinum teſtimoniorum contra Iudaeos libri tres. 13. concilium Carthaginienſe de baptizandis haereticis. Tomo tertio opera habentur vulgo perperam Cypriano adſcripta. 1. de ſpectaculis. 2. de diſciplina et bono pudicitiae. 3. de laude martyrii ad Moyſen, et Maximum, et ceteros confeſſores. 4. ad Nouatianum, quod lapſis ſpes veniae non ſit neganda. 5. ad Cornelium papam de cardinalibus operibus Chriſti. 6. de natiuitate Chriſti. 7. de ratio-

p) Cypriani epiſtolae ad hiſtoriam huius ſeculi, et res Chriſtianas illuſtrandas plurimum faciunt: ideoque magni ab omnibus merito fiunt; et inprimis literarum ſacrarum ſtudioſae iuuentuti de meliori nota commendantur.

ratione circumcisionis. 8. de stella et magis, ac innocentium nece. 9. de baptismo Christi, et manifestatione trinitatis. 10. de ieiunio et tentationibus Christi. 11. de caena domini, et prima institutione omnia consummantis sacramenti. 12. de ablutione pedum. 13. de vnctione crismatis et aliis sacramentis. 14. de passione Christi. 15. de resurrectione Christi. 16. de ascensione Christi. 17. de sancto spiritu. 18. de aleatoribus. 19. de montibus Sina et Sion contra Iudaeos, *q*) 20. carmen, Genesis. 21. carmen, Sodoma. 22. carmen, ad Senatorem apostatam. 23. hymnus de pascha domini. 24. oratio pro martyribus. 25. oratio, quam Cyprianus dixit in die passionis suae. 26. de singularitate clericorum, Origenis secundum quosdam. *r*) 27. in symbolum apostolorum Rufini Aquileiensis expositio. *s*) 28. ad Virgilium Celsi in altercationem Iasonis et Papisci praefatio, de iudaica incredulitate. 29. aduersus Iudaeos, qui insecuti sunt Christum. 30. de reuelatione capitis beati Iohannis baptistae. *t*) 31. ad Fortunatum de duplici martyrio. *v*) 32. de

q) Liber diuerso a Cypriani stilo scriptus. *r*) Cypriani certe non est, ab cuius stilo totus quantus est iste liber alienus, ac barbaris vocibus scatet: quales sunt, inordinaliter, contubernalitas, mulcedo, passibilitas, sexcentae aliae, nusquam apud Cyprianum obuiae. *s*) Ruffini etiam nomine inter S. Hieronymi opera habetur. *t*) Cypriani esse non potest: facit enim huius libri auctor multo recentiorum Athanasii et Cyrilli, Theodosii item imperatoris et Pipini Regis Francorum mentionem. Et ipsa capitis illius reuelatio, si NICEPHORO l. 12. c. 49. credimus, sub Theodosio, annis adeoque plus centum post Cypriani obitum contigit. *v*) Meminit Diocletiani et Maximiani imperatorum, qui post Cypriani martyrium imperare coeperunt: imo et Caesarei belli, quod magis miserum contra Turcas, mentionem facit.

Digitized by Google

32. de duodecim abuſionibus ſeculi. *x*) 33. diſpoſitio caenae.

§. XXI.

Magna Cypriani viuentis atque mortui reuerentia fuit. GREGORIVS NAZIANZENVS eum diſerta oratione laudauit. Idemque PETRVS CHRYSOLOGVS vno, MAXIMVS duobus, et AVGVSTINVS quinque ſermonibus praeſtiterunt. Memoriam eius recolebat Carthaginienſis eccleſia XVIII. kal. Octobris. *y*) Conueniebant autem noctu fideles, atque praeeuntibus clericis ſacrae ſcripturae intelligendae operam dabant. *z*) Imo tanta olim fuit eius veneratio, vt ad ſepulchrum eius funderent preces. Vnde Poſtumianus: *a*) *libuit animo adire Carthaginem, loca viſitare ſanctorum, et praecipue ad ſepulchrum Cypriani martyris adorare.* Et templa in eius honorem exſtruxiſſe legimus. Diſerte Procopius: *b*) *Cyprianum*, inquit, *virum ſanctiſſimum Carthaginienſes vniuerſi praecipuo honore venerantur; conſtructaque in eius honorem magnificentiſſima eccleſia extra vrbem ad littus maris, tum in reliquis eum religioſe colunt, tum feſtum diem quotannis agunt, quem Cypriana appellant. Atque hinc nautae tempeſtatem quandam, eodem nomine, quo*

 diem

x) Sacrae ſcripturae verſionem citat, quam S. Hieronymus reliquit: vt neque Cypriani, neque Auguſtini, cui et liber iſte adſcribitur, eſſe poſſit. *y*) Quod diſcimus ex illius eccleſiae calendario, quod MABILLONIVS primum edidit analectorum tomo 3. p. 398. ſeqq. *z*) AVGVSTINVS epiſt. 120. ad Honoratum: *hunc pſalmum LXXII. nocte, qua illuceſcebat ſolemnitas beatiſſimi Cypriani, per miniſterium noſtrum expoſitum, lege et diligenter aduerte.* *a*) Apud SVLPITIVM SEVERVM dialogo primo. Confer. AVGVSTINVS confeſſ. l. 5. c. 8. *b*) Apud EVAGRIVM hiſt. eccleſ. l. 4. c. 16.

diem feſtum, vocare ſoliti ſunt, propterea quod ea tempeſtas eo potiſſimum tempore ingruere conſueuit, quo Afri feſtum illum diem perpetuo celebrare ſolent.

§. XXII.

Iam tum eccleſiae patres in eo notarunt naeuos minime vulgares, quibus ſuam, alioqui Chriſto deuotam, commaculauit doctrinam. Publicos poenitentiae actus ſatisfactiones vocat. Nec infrequens illi dicendi forma: dominus noſtra ſatisfactione placandus eſt. Liberi arbitrii amplectitur idolum, cui nimium tribuit: ac bonis operibus totum quantum adſcribit ſalutis recuperandae modum. Aquae conſecrationem in baptiſmo, et vnctionem poſt baptiſmum ſuperſtitioſe requirit. Repetendum quoque voluit eſſe baptiſmum eorum, qui ab haereticis in nomine Dei patris, filii, et Sp. S. baptiſati fuerunt; et qui ex lapſis ad eccleſiam Chriſto deuotam reuerti voluerunt: vnde notandum inter Cyprianum atque Stephanum, Romanum epiſcopum, et inter Africanos, qui Cyprianum ſequebantur, aliosque illorum aſſeclas, qui oratione praemiſſa et manuum impoſitione recipiendos eſſe putabant, ſchiſma Chriſto fidelium ortum fuiſſe notauimus. Nec ab re S. AVGVSTINVS: *c*) *ego*, inquit, *literas Cypriani non vt canonicas habeo: ſed eas ex canonicis conſidero: et quod in iis diuinarum ſcripturarum auctoritati conuenit, cum laude eius accipio: quod autem non congruit, cum pace eius reſpuo.* Eodem libro eum ſequenti ornat encomio: *Cypriani laudem ego conſequi non valeo, eius multis literis mea ſcripta non comparo, eius ingenium diligo, eius ore delector, eius charitatem miror, eius martyrium veneror. Non accipio, quod de bapti-*

c) Contra Creſconium Grammaticum l. 2. c. 32.

baptizandis haereticis et ſchiſmaticis ſenſit. Forſan et pontificii malam eius poterunt accuſare fidem, quod translationem cauſſarum eccleſiaſticarum ab aliis iudiciis ad ſedem et eccleſiam Romanam aperte condemnauerit: *d*) et primatum Petri plane ſubuerterit. *e*)

§. XXIII.

Stilus Cypriani mollior aliquanto eſſe videtur, et elegantior longe, quam Tertulliani: vtut communis locus fuerit vtrique natalis; et diu multumque noſter haeſerit in Tertulliani lectione, cuius fautor fuerat tantus, vt in plerisque ſequeretur eum, *f*) nullumque ſine eo tranſigeret diem: quem vt plurimum conſueuerat ſuum vocare magiſtrum. Tanta vero Cypriani eloquentia fuit: tantisque paraſangis Tertullianum antecellit: vt LACTANTIVS quoque *g*) illum hoc tempore fateatur vnum praecipuum, et maxime clarum extitiſſe: quoniam et magnam ſibi gloriam ex artis oratoriae profeſſione quaeſiuiſſet, et admodum multa conſcripſiſſet in ſuo genere miranda. *Erat enim*, diſerte pergit, *ingenio facili, copioſo, ſuaui, et, quae ſermonis maxima eſt virtus, aperto: vt diſcernere nequeas, vtrumne ornatior in eloquendo, an facilior in explicando, an potentior in perſuadendo fuerit.* Idemque HIERONYMVS ſentit, *h*) vbi *Cyprianus*, inquit, *quod idola dii non ſint, qua breuitate, qua hiſtoriarum omnium ſcientia, quorum verborum et ſenſuum ſplendore perſtrinxit?* Alibi: *i*) *in tantam gloriam venit eloquentiae, vt oratoriam quoque doceret Carthagine.*

d) Epiſt. 55. et 68. *e*) Libro de vnitate eccleſiae. Pl. confer. ANDREAS RIVETVS criticl ſacri l. 2. c. 14. et 15. operum tom. 2. p. 1095. ſeq. *f*) Neque enim, quae legit in eo, comprobauit omnia. *g*) Diuin. inſtit. l. 5. c. 1. *h*) Epiſt. ad Magnum. *i*) Ionae cap. 3.

Digitized by Google

Idem: *k*) *Huius*, inquit, *ingenii ſuperfluum eſt indicem texere, cum ſole clariora ſint eius opera.* Quae quidem verba de perſpicuo dicendi genere interpretanda non ſunt: ſed vulgo notiſſima Cypriani opera eſſe ſcribit, vt ſuperfluum ſit, illorum ſigillatim meminiſſe: quorum magna vbique commendatio. Ita AVGVSTINVS: *l*) *commoneo et multum exhortor, vt beati Cypriani librum, quem ſcripſit de oratione dominica, diligenter legatis, et quantum nos dominus adiuuerit, intelligatis, memoriaeque mandetis.* Et ipſe HIERONYMVS: *m*) *Cypriani opuſcula ſemper in manu teneat.* Alibi: *n*) *legas de virginitate beati Cypriani volumen egregium.* Eiusque magni rurſum facit eloquentiam: *o*) *Beatus Cyprianus inſtar fontis puriſſimi dulcis incedit et placidus.*

§. XXIV.

Prodierunt Cypriani opera *Spirae* 1471. fol. Inprimis a Iac. Pamelio laudantur editio vetus *Pariſienſis* ante Eraſmi recognitionem apud Guilielmum Remboldum, qui primus epiſtolas in libros diſtinxit: et vetuſtiſſima omnium editio, ſine nomine typographi, aut oppidi, quantum appareat, ſtatim poſt inuentam artem typographicam excuſa, multo Eraſmi editione caſtigatior.

§. XXV.

Seculo poſt Chriſtum natum decimo ſexto Cypriani opera ſunt edita *Pariſiis* 1512, 1541. fol. apud Arnulphum Langelier 1564 et 1574. fol. editiones Guilielmi Morelii prae ceteris auctiores et bene recognitae. *Baſileae*

k) De viris illuſtribus cap. 67. *l*) De gratia et libero arbitrio. *m*) Ad Laetam t. 1. de filia. *n*) Ad Euſtochium de cuſtodia virginitatis t. 1. *o*) Epiſt. ad Paulinum de inſtitutione monachi t. 1. De ſtilo Cypriani etiam eruditae ſunt AVGVSTINI obſeruationes quarto de doctrina chriſtiana cap. 14. et 31.

Digitized by Google

ſileae 1520. 1525. 1540. 1549. et 1558. fol. apud Frobenium cum Deſ. Eraſmi Roterodami notis. *Lugduni* 1528. et 1537. et 1549. 8. apud Sebaſtianum Gryphium. *Antuerpiae* 1541. 8. ex Eraſmi editione. 1568. et 1589. cum annotationibus Iacobi Pamelii. *Coloniae* 1520. apud Hieronem Alopacium. et 1544. 1549. editio Henr. Grauii ex officina Quintiliana. *Romae* 1563. typis Aldinis, e vetuſtiſſimis codicibus, quorum vnus nongentorum fere annorum Veronenſis erat eccleſiae, editio ſuperioribus ceteris omnibus multo caſtigatior, et quinto epiſtolarum libro auctior. Sunt vero etiam, qui tum Cypriani libros, ingenti crimine falſi, a praefectis typographiae Vaticanae, corruptos fuiſſe iudicarunt. *Venetiis* 1547. 8.

§. XXVI.

Decimo ſeptimo ſeculo Cyprianus prodiit *Pariſiis* 1603. 1616. 1626. 1643. et 1644. fol. cum annotationibus Iacobi Pamelii. Rurſum 1648. et 1666. fol. cum Rigaltii notis. *Oxonii* 1682. fol. prodierunt Cypriani opera correcta ad MStos codices, qui ſumma cura allegantur, recognita et illuſtrata a Iohanne Fell, Epiſcopo Oxonienſi. Accedunt Iohannis Pearſonii annales Cyprianici. Eadem Felli editio deinde impreſſa quoque eſt *Bremae* 1690. fol. recognita et illuſtrata per Iohannem Oxonienſem Epiſcopum. Accedunt annales Cyprianici per Iohannem Ceſtrienſem. *Amſtelodami* 1699. fol. His editionibus etiam Dodwelli diſſertationes Cyprianicae accedunt.

§. XXVII.

Duodeuiceſimo, quo viuimus, ſeculo *Pariſiis* 1727. fol. lucem vidit ſplendida et accurata operum Cypriani editio, quam collatis editionibus et codicibus MStis plusquam triginta adornauerat, notisque inſtructam ad praela para-

parauerat Stephanus Baluzius: ſed poſt eum, V. kal. Sextilis MDCCXVIII. vita defunctum, Prudentius Maranus, ordinis S. Benedicti monachus perfecit, atque doctiſſima de vita et doctrina S. Cypriani prolegomena praemiſit. Eadem editio repetita eſt *Venetiis* 1728. fol.

§. XXVIII.

Sub finem tertii, et initium quarti poſt Chriſtum natum ſeculi, ſub Diocletiano principe ARNOBIVS floruit. Nam ipſe *p*) *trecenti ſunt*, inquit, *anni ferme, minus vel plus aliquid, ex quo coepimus eſſe Chriſtiani, et terrarum in orbe cenſeri.* Rurſum: *q*) *ante quadringentos annos religio, inquitis, veſtra non fuit.* Longius paulo temporis ponit ſpatium, quo Chriſtianum nequidem fuerit auditum nomen. Nec vitio laborat ille locus, vt ſunt, qui legere malunt, *ante trecentos annos.* Sufficit alium ex alio illuſtrari: vnde patet, Arnobium aduerſus gentes ſcripſiſſe, Diocletiano imperante, trecentis circiter poſt natum Seruatorem annis. *r*) Rhetoricam ante docebat Siccae, quae vrbs fuit Numidiae florentiſſima. *s*) Neque dubium eſt, ipſum Africanum fuiſſe, ac profanae ſuperſtitioni addictum quammaxime religionem Chriſtianam odiſſe: donec diuina ductus bonitate, veritatem agnouerit, et ſacra ſibi ſaluberrima amplexus fuerit. *Venerabar*, ipſe inquit, *t*) *o caecitas! nuper ſimulacra modo ex fornacibus promta, in incudibus deos et ex malleis fabricatos, elephantorum oſſa, picturas, veternoſis in arboribus taenias: ſi quando conſpexeram lubricatum lapidem,*

p) ARNOBIVS aduerſus gentes l. 1. Elmenhorſtianae edit. Hamb. fol. 1610. pag. 5. *q*) Lib. 2. pag. 55. *r*) Confer. ELMENHORSTII obſeruationes in Arnobii lib. 1. pag. 8. *s*) HIERONYMVS de viris illuſtribus c. 79. et chron. Conſtantini anno 20. *t*) Aduerſus gentes lib. 1. p. 13.

dem, et ex oliui vnguine ordinatum, tanquam ineſſet vis praeſens, adulabar, affabar, et beneficia poſcebam nihil ſentiente de trunco; et eos ipſos diuos quos eſſe mihi perſuaſeram, afficiebam contumeliis grauibus. - - Nunc doctore tanto in vias veritatis inductus, omnia iſta, quae ſint, ſcio: digna de dignis ſentio: contumeliam nomini nullam facio diuino. etc. Docta ſuperſtitione tam inuiſus Chriſtianis fuit: vt epiſcopi transeuntem ad ſua ſacra recipere nollent, rati, noxiam ſibi quammaxime iſtius ſimulationem eſſe futuram, cuius ante nouerint in Chriſtianos odium Vatiniano vehementius fuiſſe. Vt ergo ab epiſcopis facilius in numero fidelium haberetur, eorundemque ſacris initiandus, ſanctorum communionem obtineret: aduerſus gentes, a quarum ſuperſtitione defecerat, quam acerrime ſcripſit, et religionem contra defendit Chriſtianam. Qui quidem libri tanquam obſides fuerunt, propter quos gratiam baptiſmi obtinuit: cum publice teſtaretur, quanta cum inductione animi et veritatis conuictione, paganorum valedixerit idolis, et ſacra Chriſtianorum amplexus fuerit. *v*) Cum maximo omnium applauſu in Africa, et eius quidem florentiſſima vrbe, Siccae rhetoricam doceret, in optimo ſtudioſae iuuentutis flore, quam declamationibus exercebat, Lactantium Firmianum habuit, magno excellentique ingenio et

v) Ea de re HIERONYMVS, chronico Euſebiano, Conſtantini anno 20. *Arnobius in Africa rhetor clarus habetur, qui cum in ciuitate Siccae ad declamandum iuuenes erudiret, et adhuc ethnicus ad credulitatem ſomniis compelleretur, neque ab epiſcopis impetraret fidem, quam ſemper impugnauerat: elucubrauit aduerſus priſtinam religionem luculentiſſimos libros, et tandem veluti quibusdam obſidibus pietatis foedus impetrauit.* (*De Veg. L. L. Sen.*)

et eloquio diſcipulum, magiſtrum longe olim ſuperaturum. *x*) Secundum AVBERTVM MIRAEVM, *y*) ſcripſit anno V. C. ML. qui annus, ex Varronis calculo, in Chriſti annum CCXCVII. incidit. *z*) Ita quoque IOH. MEVRSIVS *a*) obſeruat, annumque ſaltem ſupergreditur vnum, Chriſti notans CCXCVIII.

§. XXIX.

Scripſit, qui extant, *diſputationum aduerſus gentes libros ſeptem*, *b*) quibus ethnicorum falſas opiniones dextere refellit, ac praecipua Chriſtianae religionis capita adſtruere ſtudet. Sed, quod iam tum HIERONYMVS *c*) notauit, inaequalis et nimius eſt, et absque operis ſui partitione confuſus. *Libro primo* ea conuellit, quae gentes vtplurimum conſueuerint bacchari, poſtquam in mundo coeperit eſſe gens Chriſtiana, terrarum orbem periiſſe, pluribus malis affectum eſſe genus humanum etc. Hanc ergo opinionem demonſtrat nullo fundamento niti; ante natum Chriſtum fuiſſe peſtes, fames, bella; nihil eius aduentu mutatum: tantumque abeſſe, vt miſeriarum ſit auctor, qui longe maxima hominibus attulerit bona. *Secundo*

x) Vid. HIERONYMVS tom. 2. epiſt. 84. ad Magnum oratorem Romanum, et lib. de viris illuſtribus c. 80. init. confer. SIXTVS SENENSIS bibliothecae ſanctae l. 4. pag. 248. *y*) Obſeru. ad Hieronymi lib. de viris illuſtribus c. 79. apud FABRICIVM bibliotheca eccleſiaſtica p. 165. *z*) Ex calculo PVNCCII chronolog. fol. 106. in annum Chriſti CCC. *a*) Apud GERHART. ELMENHORSTIVM obſeruat. in Arnob. l. 1. edit. Hamb. 1610. fol. pag. 8. *b*) Neque ſatis circumſpecte illis olim conati ſunt adiungere octauum, qui Minucii Felicis Octauius erat. Nam et HIERONYMVS tom. 2. epiſt. 84. ad Magnum oratorem Romanum ſcribit: *ſeptem libros aduerſus gentes Arnobius edidit, totidemque diſcipulus eius Lactantius.* *c*) Epiſtola ad Paulinum de inſtitutione monach. tom. 1. ep. 13.

Digitized by

cundo libro oſtendit, immerito Chriſtum eiusque diſcipulos iniuria affici, qui neminem laeſerint. Gentes nulla habere principia, ſecundum quae veram a falſa religione diſcernere queant. Maiorem Chriſto adhibendam eſſe fidem, quam omnibus philoſophis, propter multa, quae in vulgus ediderit, miracula. Communem ipſis atque iſtorum philoſophis doctrinam de immortalitate animae, corporum reſurrectione, et inferorum cruciatibus. *Tertio*, *quarto*, *et quinto* libris theologiam refutat gentilium, et indicat cauſſas, quod eam Chriſtiani non amplectantur. *Sexto et ſeptimo* libro Chriſtianos probat agere ſapienter, quod templa, ſtatuas, imagines et ſacrificia non habeant. Nec ſapientum ſibi quemquam perſuadere, Deum habitare in templis, ſtatuas eſſe Deos, hoſtiarum immolatione, thuris ſuffitu, aut vini effuſione Deum recte coli.

§. XXX.

Extant etiam ſub Arnobii nomine breuia in pſalmos Dauidis commentaria: ſed recentioris cuiusdam Arnobii eſſe videntur. *d*) Neque ſatis conſtat, cuiusnam Arnobii, an alius auctoris ſint annotationes in varios euangelii locos, quae nullius momenti cum vulgo habeantur, vlteriori diſquiſitione noſtra non indigent. Commentaria in pſalmos edita ſunt *Argentinae* 1512. 4. cum Eraſmi commentario in pſalmum ſecundum. *Coloniae* 1532. 8. *Baſileae* 1537. 8. *Pariſiis* 1639. ex Laur. de la Barre recenſione, cum annotationibus Arnobii ad quaedam

d) Illum enim vixiſſe oportet poſt concilium Chalcedonenſe: cum de Pelagianis et Praedeſtinatianis mentionem faciat. Pl. conferatur ANDR. RIVETVS critici ſacri l. 2. c. 17. Oper. tom. 2. p. 1098. et SIXTVS SENENSIS biblioth. ſanctae l. 4. p. 248. ſeq. et IOH. HENR. BOECLERVS bibliographia critica p. 714.

euangeliſtarum loca, poſt editionem Gilberti Cognati *Baſil.* 1543. 8. Extant quoque annotationes in euangelia *Coloniae Agripp.* 1618. fol. magna biblioth. patrum tomo 15. n. 10. et Arnobii conflictus catholici cum Serapione tomi quinti parte tertia n. 2.

§. XXXI.

Propter hiſtorias et antiquitates ſacras opuſculum lectu iucundiſſimum et omnino neceſſarium eſt: *e*) vt auro carius merito magni faciant iſtud huius aeui monumentum ſalutari doctrinae ab homine recens conuerſo et ſapiente dicatum. Sunt bona ſemper mixta malis. Nec ab re HIERONYMVS ad Tranquillum *f*) ſcribit: *ego Originem propter eruditionem ſic interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, Nouatum, Arnobium, Apollinarium, et nonnullos eccleſiaſticos ſcriptores, Graecos pariter et Latinos: vt bona eorum eligamus, vitemusque contraria.*

§. XXXII.

Errores et naeui, qui ſacris literis aduerſantur, aliunde contracti, Arnobio facile condonantur, qui Chriſtianae religionis doctrina, cum diſputationes ſuas ſcriberet, non fuit plene doctus. Ecquis vitio illi vertere poterit, cum DVPINIO, *g*) in ſacris gentilium refellendis potiorem fuiſſe, quam in Chriſtianorum doctrina defendenda; ſolertiorem in oſtendenda Gentiliſmi ſtultitia, quam in demonſtranda Chriſtianiſmi veritate? In eo enim conueniunt nuper conuerſi omnes, vt priſtina religione ſua pleni, defectus ac vanitatem eius cognoſcant melius, quam

e) Vnde VOSSIVS de analogia l. 1. c. 9. Arnobium eccleſiaſticorum ſcriptorum Varronem vocat. *f*) Tom. 1. epiſt. 76. *g*) Eccleſiaſticorum auctorum bibliotheca noua tomo 1. p. 318.

Digitized by Google

quam illius principia et excellentiam, cui ſe modo conſecrarunt. Ubi ait: *h*) *cum iraſci populis Chriſtianis auguſtiſſimos illos aſſeueratis Deos, ita non aduertitis, non videtis, affectus quam turpes, quam indecoras numinibus attribuatis infamias. Quid eſt enim aliud iraſci, quam infanire, quam furere, quam in vltionis libidinem ferri* etc. videtur illorum ſequi philoſophorum opinionem, qui aſſerebant non iraſci Deum: nec in tam beneficam praeſtantiſſimamque naturam hanc animi puſillitatem affectumque noxium cadere, nulloque modo fieri poſſe, vt illa ſancta maieſtas id pateretur, quod proprium eſſet terrenae fragilitatis. *i*) Stoicorum ſequitur dogma, qui nullo modo fata mutari poſſe dicunt. Hominem eſſe rem infelicem atque miſeram, importunae crudelitatis obiectum. Hominem ideo natum, vt omnia cruciamenta corporis ſuſtineat, malique vt morbi materiam habeat, in qua vim ſuam exercere poſſit. Quod naturalis infirmitas hominem faciat peccatorem; non voluntatis, ſed iudicationis electio. *k*) Non carnis, ſed corporis, et corporis quidem ſpiritualis reſurrectionem credebat. *l*) Item mediae qualitatis eſſe animas hominum iuri ſubiectas mortis, et interire. *m*) Animas non eſſe regis maximi filias, ab ſolo immortali Deo creatas. *n*) Inferioribus, neſcio quibus, poteſtatibus hominis creationem tribuit. Nec Deum minutas creaſſe beſtiolas. *o*)

§. XXXIII.

Orationis characterem affectat oratorium, ratus,

b) Lib. 1. edit. Elmenhorſt. Hamb. fol. pag. 6. *i*) Confer. ELMENHORSTII obſeru. in Arnob. p. 9. *k*) ELMENHORSTIVS l. c. pag. 29. *l*) Ibid. pag. 42. *m*) Ibid. pag. 43. *n*) Ibid. p. 51. *o*) Ibid. p. 57.

nec alium decere doctum rhetoricae magiſtrum. Sed ſtilus vere eſt Africanus, tumidus, *p*) grauis, aſper, neque a communi ſeculi conſuetudine, pro lubitu voces phraſesque confingendi audacia immunis. Durioribus vtplurimum vtitur verbis, obſcurioribus, incomtis, nec raro parum Latinis. Vt, niſi alia obſtarent, pedibus facile ierim in ERASMI *q*) ſententiam, Arnobium hunc in pſalmos Dauidis commentaria ſcripſiſſe, quorum ſtilus inconditus, innumerisque ſoloeciſmis et barbariſmis ſcatens. Nam et vir ille doctus ſibi perſuadet, Arnobium ſtudio ſeſe ad infimae plebis orationem deiicere voluiſſe, vt, qui nimium olim ſeculari eloquentia tumens Chriſtianae ſimplicitati videbatur diſplicere, iam omni depoſito faſtu, ſe toto pectore factum eſſe Chriſtianum apud illos declararet, qui eum ſincerum eſſe non arbitrabantur. Equidem hominis vnquam vix potui ferre rationes, cur Chriſtianorum triuialis ſit ſermo atque ſordidus, vt res illorum barbariſmis et ſoloeciſmis ſint obſitae, et vitiorum deformitate pollutae. *Quid officit? o quaeſo!* ita ſemet ſuosque defendit, *r*) *aut quam praeſtat intellectui tarditatem? vtrumne quid leue, an hirſuta cum aſperitate promatur? inflectatur quod acui, an acuatur quod oportebat inflecti? aut qui minus id, quod dicitur, verum eſt, ſi in numero peccetur, aut caſu, praepoſitione, par-*

p) BOECLERVS bibliographia critica pag. 725. *Arnobius ſtilo tumidiore, multa eruditione, contra ethnicos, pro veritate Chriſtianae religionis ſcripſit.* Confer. WALCHII hiſt. critica Lat. linguae c. 1. p. 76. *q*) Qui Arnobii commentaria in pſalterium, et Baſileae a Frobenio typis deſcribi curauit. Conferatur SIXTVS SENENSIS bibliothecae ſanctae l. 4. pag. 248. *r*) Apolog. ſiue diſputat. aduerſus gentes l. 1. p. 21. edit. Hamb. Elmenhorſtii folio 1610.

Digitized by Google

participio, coniunctione? Pompa iſta ſermonis, et oratio miſſa per regulas, concionibus, litibus, foro iudiciisque ſeruetur deturque: illis imo, qui voluptatum delinimenta quaerentes, omne ſuum ſtudium verborum in lumina contulerunt. Cum de rebus agitur ab oſtentatione ſubmotis, quid dicatur ſpectandum eſt, non quali cum amoenitate dicatur: - - maxime cum ſciamus etiam quosdam ſapientiae deditos non tantum abieciſſe ſermonis cultum, verum etiam, cum poſſent ornatius atque uberius eloqui, triuialem ſtudio humilitatem ſecutos, ne corrumperent ſcilicet grauitatis rigorem, et ſophiſtica ſe potius oſtentatione iactarent. - - Nullus ſermo natura eſt integer, vitioſus ſimiliter nullus. Quaenam eſt enim ratio naturalis, aut in mundi conſtitutionibus lex ſcripta, vt hic paries dicatur et haec ſella? cum neque ſexus habeant femininis generibus maſculinisque diſcretos, neque quisquam docere doctiſſimus me poſſit, ipſum hic et haec quid ſint, aut cur ex his vnum ſexum virilem deſignet, femininis generibus id, quod ſequitur, applicet. Humana iſta ſunt placita, et ad vſum ſermonis faciendi non ſane omnibus neceſſaria: nam et haec paries forſitan, et hic ſella dici ſine vlla reprehenſione potuiſſet, ſi ab initio ſic dici placuiſſet, et a ſequentibus ſeculis communi eſſet in ſermocinatione ſeruatum. Ecquid vero potuit dici inſulſius, ad excuſandos orationis barbariſmos et ſoloeciſmos: cum recte loquendi conſuetudo ab arbitrio noſtro non dependeat; neque poſſit perſpicue dicere quisquam, niſi, linguae ſeruata proprietate formaque ab omnibus recepta, naturalem et inſitam quaſi ex optima conſuetudine pulchritudinem et caſtitatem ſeruare velit. Sic ipſe non parum certe hallucinatur, ac tumore plenus, ne tanti quidem verum Latinae linguae nitorem facit. Eos ergo non ſatis mirari poſ-

poſſum, qui neſcio quam ſermonis elegantiam in Arnobio ſibi inueniſſe videntur. BARTHIVS *s*) facundum atque doctum ſcriptorem vocat, ſuo quodam et Afro dicendi genere, penetrante quidem et neruoſo, ſed parum polito et iucundo vſum. Nec aequo poteſt ferre animo, *t*) Arnobium ab Hieronymo inaequalem nimium, et absque operis ſui partitione confuſum, dici: cum in praeſtantiſſimo auctore ordo ſatis formoſus, etſi minime ſcholaſticis rhetorum legibus alligatus, compareat. Quamobrem Hieronymi locum, non ſatis feliciter, emendare ſtudet. Atque etiam ſibi perſuadet, Arnobium Lucretii fuiſſe imitatorem, cuius res et verba ſaepius exprimat. Ipſi MORHOFIO *v*) Latinitas mediocris eſt, ſed ſequior tamen. Nihil vero minus ſincerum CAVE, *x*) viri cetero doctiſſimi, iudicio, qui *habet ſtilus*, inquit, *Arnobianus ſuam eloquentiam et dictionem plane florentiſſimam, nec operi deeſt methodus concinna et bene ordinata, vt cuiuis attente legenti aperte conſtabit.* Scilicet cui Africana elegantia illa placet: qua certe mihi incomtius nihil, aut magis impurum.

§. XXXIV.

Arnobium primus edidit Fauſtus Sabaeus Brixianus *Romae* 1542. fol. apud Franciſcum Priſcianenſem. Quam editionem ſecutae ſunt *Baſilienſes* 1546. et 1560. 8. ex Sigismundi Gelenii caſtigatione. Prodiit deinde *Pariſiis* 1580. fol. cum Tertulliano, ex recenſione Renati Laurentii de la Barre. *Antuerpiae* 1582. 8. apud Plantin. cum Theodori Canteri notis. 1586. 8. cum Godeſchalci Stewechii electis. Rurſum *Romae* 1583. 4. ex recenſione Fuluii Vrſini.

§. XXXV.

s) Aduerſ. l. 42. c. 4. *t*) Aduerſ. l. 43. c. 2. *v*) Polyhiſt. litt. l. 4. c. 14. §. 10. *x*) Hiſt. liter. part. 1. ſec. 4. p. 80.

Digitized by Google

§. XXXV.

Seculo poſt Chriſtum natum decimo ſeptimo Arnobius prodiit *Coloniae* 1604. 8. cum Godeſchalci Stewechii electis. 1618. fol. magna bibliotheca veterum patrum et antiquorum ſcriptorum eccleſiaſticorum tom. 3. n. 9. *Pariſiis* 1605. 8. cum Deſiderii Heraldi obſeruationibus. 1639. fol. magna bibliotheca patrum, ſupplementi Morelliani tomo 1. 1666. fol. ad calcem Cypriani cum Philippi Priorii et ſelectis aliorum notis. *Duaci* 1634. 8. cum Godeſchalci Stewechii electis, et Leandri de Sancto Martino ſummariis. *Hanouiae* 1603. 8. cum notis Gebharti Elmenhorſtii. *Hamburgi* 1610. fol. cum obſeruationibus Gebharti Elmenhorſtii. y) *Lugduni Batauorum* 1651. 4. apud Ioh. Maire, e Claudii Salmaſii emendatione, cum notis integris Theodori Canteri, electis Godeſchalci Stewechii, et Gebharti Elmenhorſtii, Deſideriique Heraldi obſeruationibus. Commentario, quem ipſe Salmaſius addere parabat, anno MDCLII. immortuus eſt. *Lugduni* 1672. fol. bibliothecae patrum tom. 3.

§. XXXVI.

LVCIVS CAECILIVS z) LACTANTIVS a) FIRMIANVS Diocletiani et Conſtantini M. temporibus omnium Chriſtianae religionis doctorum clariſſimus fuit. Patriam cognomen oſtendit. Firmianus enim a Firmio voca-

y) BOECLERVS bibliographia critica p. 724. *inter editiones*, *Elmenhorſtii*, *viri reuera doctiſſimi*, *eſt optima: qui neſcio quo affectu ferebatur in ſcriptores Africanos.* z) Vulgares libri *Coelium* vocant. Confer. CELLARII annot. ad Lactantii librum de mortibus perſecutorum init. a) Sunt, qui *Lactantium* a lacteo et ſuaui orationis genere dictum volunt.

Digitized by Google

vocatur, agri Piceni caſtello, *b*) vel a Formiis, nobili Campaniae oppido: quamuis eum affirment alii fuiſſe Africanum. Certe literis in Africa dedit operam ab ineunte aetate, ac, HIERONYMO teſte, *c*) Arnobii fuit diſcipulus, qui Siccae cum maximo omnium applauſu rhetoricam docebat. *d*) Eumque ſuum magiſtrum tandem non modo aequauit, ſed longe etiam doctrina et ſermonis ſuauitate ſuperauit. Et ipſe, elegantioribus literis optime inſtitutus, rhetoricam videtur in Africa docuiſſe. Nam eruditionis iam tum illius oportet non vulgarem fuiſſe famam: cum Diocletianus princeps eum vocaret Nicomediam Bithyniae, vt rhetoricam doceret, vna cum Flauio Grammatico, aliisque liberalium artium profeſſoribus. *e*) Quandoquidem, ipſo teſte LACTANTIO, *f*) tam ſingulare fuit Diocletiani in Nicomedia ornanda ſtudium: vt eam vrbem Romae voluerit coaequare. Sed gentilium Lactantius adhuc fuit ſuperſtitioni addictus: ad meliorem frugem Nicomediae, Chriſtianorum ſacris imbutus rediit, ac ſalutari cognita veritate, penuria diſcipulorum, *g*) ad ſcribendum ſe contulit. Tempora Chriſtiani tunc ſuſpicioſiſſima viuebant: de quibus LACTANTIVS ipſe: *h*) *nemo dubitat, quin timidi et imbecilli ſit animi, aut dolorem metuere, aut egeſtatem, aut exi-*

b) Cuius meminerunt PLINIVS hiſt. natur. l. 3. c. 12. et VELLEIVS l. 1 c. 14. n. 8. *c*) De viris illuſtribus c. 80. *d*) HIERONYMVS de viris illuſtribus c. 79. *e*) HIERONYMVS de viris illuſtribus c. 80. LACTANTIVS diuin. inſtit. l. 5. c. 2. n. 2. et l. 1 c. 1. n. 8. *f*) De mortibus perſecutorum c. 7. n. 10. *g*) Ob Graecam videlicet ciuitatem, vt HIERONYMVS de viris illuſtribus c. 80. loquitur: quod Graeculorum turba illic artes ſuas profiteretur. Ita IVVENALIS quoque ſatyra 3. *Non poſſum ferre, Quirites, Graecam vrbem.* *h*) Diuin. inſtit. l. 6. c. 17. n. 5. ſeqq. Confer. l. 5. c. 12. et 13.

Digitized by Google

exilium, aut carcerem, aut mortem: quae omnia quisquis non exhorruerit, fortissimus iudicatur. Qui autem Deum metuit, illa vniuersa non metuit. Ad quod probandum argumentis opus non est. Spectatae sunt enim, spectanturque adhuc per orbem poenae cultorum Dei, in quibus excruciandis noua et inusitata tormenta excogitata sunt. Nam de mortis generibus horret animus recordari: cum immanium bestiarum vltra ipsam mortem carnificina saeuierit. Has tamen execrabiles corporum lacerationes felix atque inuicta patientia sine vllo gemitu pertulit. Et haec videtur esse causſa, quod nunquam voluerit attingere forum: vtut docendi studio sibi acquisierit dicendi facultatem. *i*) Hinc, teste EVSEBIO, *k*) adeo pauper in hac vita fuit, vt plerumque etiam necessariis indiguerit. Laetior miseris tandem arrisit post nubila phoebus, Constantino imperatore, qui Christo deuotus ipse pacem et beneficia impertiuit ecclesiae. Hic nostrum extrema senectute studiis praefecit Crispi in Gallia filii sui: *l*) vt Latinis eruditetur literis ab eo, qui plurimorum iudicio tunc temporis doctissimus habebatur. Ex chronico HIERONYMI Eusebiano colligas, anno post Christum natum CCCXVIII. Crispum a Constantino M. Lactantii creditum fuisse institutioni, qui anno CCCXXIX. nouercae dolo periit. Nec ea felicitas Lactantio iam prope annis confecto et silicernio diuturna esse potuit. VOLATERRANVS *m*) et plures post eum alii, non recte capiunt Eusebium, qui memoriae prodidit, Lactantium adeo pau-

i) Quod de semetipso testatur LACTANTIVS diuin. instit. l. 3. c. 13. n. 12. *k*) Chron. ad annum 318. quo Crispus factus est Caesar. *l*) Vid. EVSEBIVS l. c. et HIERONYMVS de viris illustribus c. 80. *m*) Commentariorum vrbanorum l. 16. pag. 597.

Digitized by Google

perem fuiſſe in hac vita, vt plerumque etiam neceſſariis indiguerit: quod ſupra iam monuimus, atque in eo ſtatu Nicomediae fuiſſe notauimus. Inde vero illi perſuaſerunt ſibi, proxime ante obitum ad tantam paupertatem deueniſſe. Sed bene CASIM. OVDINVS *n*) de Lactantio hoc intelligendum obſeruat, cum artem adhuc doceret oratoriam, et cum auditoribus verſaretur pauciſſimis: neutiquam vero cum ſtudiis Criſpi Caeſaris a Conſtantino M. praefectus eſſet. Quis enim credat, tam clementem ac liberalem principem fuiſſe paſſum, vt eruditiſſimus ille bonarum artium magiſter, quem filio ſuo praeficere dignatus fuerat, neceſſariis indigeret: reliquis omnibus in principis aula cumulatis beneficiis ad ſatietatem ac delicias vſque abundantibus?

§. XXXVII.

Ex elegantiſſimis Lactantii monumentis hodie ſuperſunt 1. *diuinarum inſtitutionum o*) *aduerſus gentes libri ſeptem*, quorum primus de falſa religione, ſecundus de origine erroris tertius de falſa ſapientia, quartus de vera ſapientia, quintus de iuſtitia, ſextus de vero cultu, ſeptimus de vita beata. Conſcripſit hos libros ante Conſtantini tempora: cum Dei cultores per orbem adhuc poenas

n) Comment. de ſcript. eccleſ. tom. 1. p. 308. *o*) Hunc titulum LACTANTIVS repetit l. 1. c. 1. n. 12. vbi ſe ICtos imitari dicit, qui ediderint *inſtitutiones iuris ciuilis*. Celeb. HEVMANNVS eleg. edit. ſuae p. 1. annotauit, Latinius Quintilianum inſcripſiſſe opus ſuum *de inſtitutione oratoria*: et Caluinum elegantius ſuum theologiae ſyſtema appellaſſe *inſtitutionem Chriſtianae religionis*. Sed maluiſſe Lactantium loqui cum ICtis ſuae aetatis: alias ex cap. 1. n. 10. hoc opus appellaturum *libros ſuos de religione rebusque diuinis*.

by Google

poenas ſuas experirentur. *p*) Sed non videtur eos ſtatim edidiſſe: verum laetioribus ſubſequentibus annis emendatos et auctos Conſtantino imperatori dedicaſſe. Clariſſima ipſius ſunt verba: *q*) *quod opus nunc nominis tui auſpicio inchoamus, Conſtantine, imperator maxime, qui primus Romanorum principum, repudiatis erroribus, maieſtatem Dei ſingularis ac veri et cognouiſti, et honoraſti* etc. Noui haec et ſequentia in aliis Lactantii codicibus MStis non legi, et damnari ab illis, qui temporibus non eſſe congruentia opinantur. Sed habent alii forſan meliores libri, quae librariorum vix aliquis addere fuerit auſus. Et tempora, vt dixi, conciliari facile poſſunt. *r*) HEVMANNVS V. C. *s*) teſtatur, aliis ſuſpecta Lactantii verba etiam reperiri in ſex editionibus ſuis vetuſtis: et recte iudicat retineri: quod etiam dici poſſit, Lactantium bis hoc ſuum opus edidiſſe (quod idem Tertulliani apologetico factum eſſe, conſtat) prius ante regnum Conſtantini, iterum eo rerum potito. HIERONYMVS *t*) praeclarum vocat inſtitutionum opus, quo y literae meminerit, et de dextris ac ſiniſtris, h. e. de virtutibus ac vitiis pleniſſime diſputauerit. 2) *De ira Dei ad Donatum liber vnus*: quam poſt diuinas inſtitutiones ſcripſit. In illis enim hanc materiam in aliud tempus magis commodum reiicit. *Quidam*, inquit, *v*) *putant, ne iraſci quidem Deum omnino, quod affectibus, qui ſunt perturbationes animi, ſubiectus non ſit: quia fragile eſt omne animal, quod afficitur et commouetur. Quae perſuaſio veritatem*

p) LACTANTIVS diuin. inſtit. l. 6. c. 17. n. 6. *q*) Lib. 1. c. 1. n. 13. *r*) Confer. MICH. THOMASII et CHRISTOPH. CELLARII annot. ad Lact. diuin. inſtit. l. 1. c. 1. n. 13. *s*) Ad loc. cit. elegantiſſimae editionis ſuae pag. 6. *t*) Comment. in X. cap. Eccleſ. *v*) Diuin. inſtit. l. 2. c. 17. n. 4. ſeq.

atque religionem funditus tollit. Sed ſeponatur interim locus hic nobis de ira Dei differendi: quod et vberior eſt materia, et opere proprio latius exſequenda. Opus iſtud HIERONYMVS *x*) pulcherrimum vocat: et alibi *y*) fatetur, docto pariter et eloquenti ſermone conſcriptum. 3) *De opificio Dei z) liber vnus ad Demetrianum*, auditorem ſuum. Qui liber eorum, qui extant, forſan primus eſt, certe ante diuinas inſtitutiones conſcriptus. Nam et ipſe *a*) librum hunc citat, vbi de prouidentia agit, aduerſus Stoicos, quos et Cicero ſequatur, materiam tam copioſam et vberem ſtrictim contingens. *Quam*, addit, *ego nunc idcirco praetereo, quia nuper proprium de ea re librum ad Demetrianum, auditorem meum, ſcripſi.* Toto libro diuinam prouidentiam adſtruit excellentia operis praecipui, hominis videlicet, cuius omnes corporis partes, et animae proprietates quam elegantiſſime deſcribit. Notandum vero, vt in hoc libello, ſic in omnibus fere operibus ſuis, a verbis *creare*, *creator*, *creatio*, abſtinuiſſe. *Sed creatura* ne Latinitatis quidem videtur ſpeciem prae ſe ferre. *Nemo quaerat*, inquit, *b*) *ex quibus iſta materiis tam magna, tam mirifica opera Deus fecerit. Omnia enim fecit ex nihilo.* Vbi dixerint noſtrates: *creauit ex nihilo.* Alibi *c*) Deum *mundi factorem*, non *creatorem*, appellat. Et ipſe AVGVSTINVS *d*) obſeruauit, *creare* aliter a ſcriptoribus Latinis, atque ab eccleſiaſticis vſurpari. *e*) Hic Lactantii liber de opificio Dei cum Eraſmi

x) De viris illuſtribus c. 80. *y*) Comment. ad Epheſ. c. 4. *z*) HIERONYMVS de viris illuſtr. c. 80. interpretatur *de formatione hominis*. *a*) Diuin. inſtit. l. 2. c. 10. n. 15. *b*) Diuin. inſt. l. 2. c. 8. n. 8. *c*) Inſtit. l. 2. c. 9. n. 1. *d*) Libro de fide et ſymbolo c. 2. et 4. *e*) Conf. Celeb. HEVMANNVS nitidiſſima

Erasmi scholiis editus est *Basileae* 1529. 8. ad calcem viduae Christianae: et cum obseruationibus Ioh. Wilichii Francofurti ad Viadrum et Argent. 1542. 8. addito Hippocratis libello de genitura, ex Willichii interpretatione. *Gerae* 1714. 8. accurante Georgio Lud. Goldnero, cum vita Lactantii et eruditorum iudiciis. Inprimis hunc elegantissimum libellum BOECLERVS *f*) de meliori nota omnibus commendat. 4) *Epitome institutionum diuinarum* ad Pentadium fratrem; quem librum HIERONYMVS *g*) ἀκέφαλον i. e. sine capite vocat, quod initio detruncatus esset. Acephalus quoque cum ceteris Lactantii operibus editus est, vt eum legerat Hieronymus, a capite quinquagesimo sexto, et his verbis: *nam si iustitia est veri Dei cultus*, vbi Lactantius persequi incipit ea, quae institutionum opere, a decimo sexto libri quinti capite, sequentibus tradiderat. Tandem vero CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS V. C. in Taurinensis Regiae bibliothecae antiquissimo codice, Lactantii epitomen illam, Pentadio fratri dicatam, reperit integram, et capitibus LV. prioribus auctiorem Parisiis 1712. 8. publicauit. Sed primum codicis MSti folium antiquitate ita detritum discissumque fuit: vt maior praefationis pars legi amplius non potuerit. Ex spatiis igitur ac residuis literarum ruderibus, licet agnitu difficillimis, suppleuit, quae deerant, ac restituit. Capite XIV. multa deficiunt: cum duo in codice MSto perierint folia. In prioribus libelli editionibus capita tantum numerabantur duodecim. Celeb. WALCHIVS epitomen hanc ipsius Lactantii esse valde dubitat: imo Lactantii iussu ab alio confectam suspicatur. HEV-

MANNVS

dissima editione sua p. 765. vbi etiam pluribus de huius libri inscriptione agit.

f) Bibliographia critica c. 41. p. 618. *g*) De viris illustribus c. 80.

Digitized by

MANNVS V. C. contra Lactantii esse dubio procul afferit: *b*) quod testis Hieronymus, Lactantius ipse initio huius libri clamet, se auctorem esse ipsum, totumque orationis filum sit Lactantianum. Mirum certe, quod Hieronymus iam tum, ille annis Lactantio proximus, et literarum studiosissimus desiderauit, post tot secula, quibus summa obtinuit barbaries, et venerandae antiquitatis monumenta ne tanti quidem fuerunt, nostra aetate reperiri tandem potuisse. Vt supra memini, primum illustris PFAFFIVS, Academiae Tubingensis Cancellarius, epitomen hanc integram, ex codice Taurinensi edidit *Parisiis* 1712. 8. cum anonymi historia de haeresi Manichaeorum, fragmento de origine generis humani, et Q. Iulii Hilariani de ratione paschae etc. Recusa est *Cantabrigiae* 1718. 8. cum notis Ioh. Dauisii. 5) *De mortibus persecutorum* ad Donatum Confessorem *i*) liber vnus: qui quo tempore scriptus sit, ipse prodit, quia Constantinum et Licinium Augustos memorat, et adhuc concordes, et probum ac bonae spei Licinium, qui pacem cum Constantino ecclesiae reddiderit. Vix autem biennio ea fuit concordia, quae Cibalensi bello interrupta, secundum EVSEBII chronicon, anno Christi CCCXIV. Mox ergo post finem persecutionis scriptum fuisse oportet, quae anno CCCIII. sub Diocletiano fuit instituta, et CCCXIII. post obitum Maximini finita, cum Licinius atque Constantinus rerum potirentur. Toto opere ostendit, imperatores, quotquot fuerint, qui Christianos vexarint, misere vitam finiisse. Omnes ergo enarrat ecclesiae miserias, atque poenas eorum, qui non erubuerint affligere insontes. Postquam differuit paucis de

b) Editionis elegantissimae suae pag. 831. *i*) Qui in Diocletiani persecutione multa propter veritatis confessionem perpessus est.

Digitized by Google

de vexationibus ecclesiae sub Nerone, Domitiano, Decio, Valeriano, et Aureliano, istorumque tyrannorum funestam descripsit mortem: Diocletiani, Maximiani, Galerii, Seueri, Maxentii, et Maximini historiam accuratissime recenset. Quomodo ad imperium venerint; quae fuerit caussa dissensionum et bellorum ab illis gestorum. Quam luculentissime repraesentat saeuitiam, qua fuerint in Christianos grassati: atque vt omnes, iusto et manifesto Dei iudicio, misere perierint. Stilo satis aperto, attamen graui, narratione iucunda multas imperii, his regnantibus, mutationes exponit; principum mores, et consilia, et successus notat; ac vindicem vbique ostendit numinis aeterni et summi iudicis manum. Liber incognitus ante fuit, ac pro deperdito habitus: donec STEPHANVS BALVZIVS eum primus in codice Colbertinae bibliothecae vetustissimo repertum, miscellaneorum tomo secundo Parisiis anno MDCLXXIX. in lucem protulit, ac notis illustrauit doctissimis. Inscriptionem hanc reperit: *Lucii Cecilii incipit liber ad Donatum confessorem de mortibus persecutorum.* Nec dubium fuit Baluzio, nec eruditorum cuiquam, Lactantii esse librum, cuius HIERONYMVS *k)* meminit, quandoquidem simul omnia in hac veritate asserenda conspirare videbantur. Attamen NICOLAVS LE NOVRRY, auctorem videns in isto codice non Firmianum Lactantium, sed Lucium Cecilium appellari, in noua editione Parisiensi 1710. 8. et tomo secundo apparatus ad bibliothecam patrum Parisiis 1715. dissertatione vltima, probare contendit, non Lactantium, qui L. Cecilii nomen nunquam gesserit, sed alium plane ab illo diuer-

k) De viris illustribus c. 80.

diuerſum, attamen aetate ſupparem, libellum elucubraſſe. Atqui Lactantius ipſe in melioribus libris non *L. Coelius*, verum *L. Cecilius* vocatur, et omnia in eum auctorem mirum quantum conueniunt. Ouum ouo ſimilius non poteſt eſſe, quam eius dictio Lactantii ſtilo. Donato confeſſori dedicatus eſt, ad quem Lactantius ſuum etiam ſcripſit librum de ira. Et Hieronymus auctor eſt, Lactantium ſcripſiſſe de perſecutione librum vnum. In eo codice *Lactantii* non additum fuiſſe nomen, nihil miramur, qui ſeculorum hanc fuiſſe conſuetudinem nouimus, vt breuitatis cauſſa ex pluribus vnum notarent. Sic HIERONYMVS ipſe noſtrum viros inter eius aetatis illuſtres *l)* *Firmianum* vocat, qui et *Lactantius* nominari ſoleat. Liber, vt ſupra memini, primum editus eſt *Pariſiis* 1679. 8. a Stephano Baluzio, miſcellaneorum tomo ſecundo. *Oxoniae* 1680. 12. cum breuibus Iohannis Felli ſcholiis. *Aboae* 1684. 8. cum eruditis Ioh. Columbi notis. *Vltraiecti* 1693. 8. cum notis variorum Baluzii, Cuperi, Columbi Sparkii, Toinardi, Graeuii, Gale, Boherelli, et aliorum, accurante Paulo Bauldry. *Pariſiis* 1710. 8. cum notis Nicolai le Nourry, monachi Benedictini. 6) *Sympoſium*, *m)* quo verſibus hexametris centum aenigmata proponit, in Africa valde adoleſcentulus ſcripſit, HIERONYMO teſte, *n)* et primum eius videtur eſſe ingenii monumentum. Et valde miror his literis quam maxime exercitatum FABRICIVM *o)* ad eam Hieronymi narrationem anno-

l) Cap. 80. init. *m)* Συμπόσιον Latinis *conuiuium*. *n)* De viris illuſtribus c. 80. *o)* Bibliothecae eccleſiaſticae pag. 166. Sibi videlicet non potuit perſuadere, clariſſimo etiam monente HEVMANNO, Sympoſii poetae nomen eſſe confictum, et aenigmata, quae vulgo credebantur adhuc ab illo conſcripta, nihil aliud eſſe,

Digitized by Google

annotare, ſympoſium hoc vna cum hodoeporico et grammatico intercidiſſe. Multo vero magis eorum miror oſcitantiam, qui carminum hanc inſcriptionem ſibi perſuaſerunt ipſius poetae cognomen fuiſſe, et aenigmata ſaepius ediderunt *Coelii Sympoſii, poetae veteris*, de quo Ioſephi Caſtalionis, Caroli Sigonii, Petri Victorii, Iacobi Pontani, et aliorum iudicia Eruditiſſimus HEVMANNVS *p*) collegit. Alias aliorum editiones, quibus aenigmata *Coelii Firmiani Sympoſii poetae* commendant, pro inſtituti ratione, FABRICIVS, quem ſupra laudaui, recenſet: *q*) ac ipſe Lactantii carmen, quod creditur eſſe de domini paſſione, rectius putat *Coelio Firmiano Sympoſio* tribui. *r*) Nec celeberrimus WALCHIVS Sympoſii poetae aenigmata Phaedro ſuo adiungere veritus eſt. *s*) At viri boni, cetero eruditiſſimi, inepta verſus primi lectione videntur eſſe decepti: *Haec quoque Sympoſius de carmine luſit inepto:* qui codicum fide meliorum ita ſe habet: *Hoc quoque ſympoſium luſi de carmine inepto.* Et HIERONYMI *t*) nobis ſufficit auctoritas, qui, *habemus*, inquit, *eius* Firmiani, qui et Lactantius, *ſympoſium, quod adoleſcentulus ſcripſit.* Sympoſium Lactantii HEVMANNVS V. C. ſeparatim anno 1722. cum variantibus lectionibus et ſuis aliorumque annota-

eſſe, quam Lactantii ſympoſium, quod, HIERONYMO teſte, in adoleſcentia ſcripſit. Confer. FABRICII biblioth. Lat. vol. 3. p. 173. et biblioth. Lat. mediae et infimae aetatis l. II. p. 692. ſeqq. HEVMANNI Poeciles tom. 1. p. 255. tom. 3. p. 215. et Lactantii praefatione.

p) Poeciles tom. 2. pag. 109. ſeqq. Confer. IRENAEI BIBLIOPHILI obſerv. de ſympoſio Lactantii apud SCHELHORN. amoenit. lit. tom. 2. p. 469. *q*) Biblioth. Lat. vol. 1. p. 681. 318. 673. et volum. 3. p. 271. ſeqq. *r*) Loc. cit. pag. 709. *s*) Lipſiae 1713. 12. p. 141. *t*) De viris illuſtribus c. 80.

tionibus edidit. 7) *De phoenice* carmen elegiacum: quod itidem valde adoleſcens in Africa, cum ſacris nondum eſſet initiatus Chriſtianorum, pro ingenii felicitate, ſcripſit. Nec tum Chriſto fuiſſe deuotum, et ſacris imbutum literis, vel inde patet, quod diluuium forma depingit, diuinis oraculis plane contraria, et Phoebum pro Deo veneratur. Lactantium ergo DVPINVS *v*) non credit fuiſſe carminis auctorem: qui multo potius debuiſſet diſtinguere tempora. BARTHIVS opuſculum ſuſpicatur Venantii Fortunati eſſe; SIRMONDVS Theoduli. NIC. HEINSIVS Lactantii genuinum fetum agnoſcit et laudat. CELLARIVS nihil definire audet. HEVMANNVS vero, qui carminis, quo phoenix luculenter ac eleganter canitur, auctorem eſſe Lactantium, aliquando ſibi perſuaſerat, ſententiam mutauit: *x*) quod teſtem non habeamus veterem, huius carminis ſcriptorem eſſe Lactantium: quod media quoque illa aetate fuerint, qui tam terſum carmen componere potuerunt: quod fruſtra in antiquis codicibus manuſcriptis quaeratur: quod duo, quibus iungatur, carmina ſint aliena et ſubditicia. Dignum Lactantio eſſe carmen Vir eruditiſſimus ipſe fatetur. Societas aliquando ſuſpecta quidem: ſed auro adiunctae ſordes nihil nocent. Stili elegantia et nitor his temporibus pauciſſimis videtur eſſe communis; ſequens vero aetas

v) Bibliotheca noua eccleſiaſticorum auctorum tom. 1. pag. 323. Sequitur autem nullo diſcretionis iudicio VOSSIVM de poetis Latinis c. 4. pag. 55. qui a gentili notat ſcriptum eſſe carmen iſtud: cum de Phoebo loquatur, vt vero numine, ac de Phoenice, tanquam eius ſacerdote. Videantur etiam FOSSEVINVS apparatu v. Lactantius: et RIVETVS critici ſacri l. 2. c. 18. oper. tom. 2. p. 1099.

x) Lactantii, quem edidit, elegantiſſima praefatione.

Digitized by Google

aetas ab omni veterum poetarum imitatione, et ipſo carminis genio abhorruiſſe. Cum et libri manuſcripti ab HEINSIO, viro excellentis ingenii et iudicii, laudentur, qui hoc de phoenice carmen Lactantio Firmiano nominatim tribuant: antiquitatis venerandae non deſtituti auctoritate, ſuum fas eſt vt cuique tribuamus. *y*) 8) *De paſcha* carmen elegiacum ad Felicem epiſcopum, hominis quidem Chriſtiani eſſe haud difficulter apparet: ſed falſo ab aliquibus iam olim fuit Lactantio adiudicatum. Atque hinc plures alii de carminis auctore nihil fuerunt auſi affirmare, quod codices etiam alicuius nominis viderent iſtud adſcribere Lactantio. Nunc autem in eo eruditiſſimi quique conſentiunt, de paſcha carmen iſtud ad Felicem epiſcopum eſſe Venantii Honorii Fortunati, in cuius operibus etiam reperitur libri tertii loco ſeptimo. Atque etiam, DVPINIO teſte, *z*) in codicibus manuſcriptis bibliothecae Vaticanae Venantio Fortunato adſcriptum legitur. 9) *De paſſione Domini* carmen heroicum operibus Lactantii quoque immerito annumeratur. DVPINIVS *a*) recte monet, in nullo Lactantii antiquo manuſcripto codice reperiri: neque ad eius ſtili puritatis et elegantiae ſimilitudinem accedere. BARTHIVS *b*) tamen, *Lactantio*, inquit, *olim adſcribebatur, nec ſine ratione. Eſt enim graue et eruditum. Sane quid vetet eius eſſe auctoris, cui tot caſci codices adſcribant, licet vnus et alter contra ſentiat?* Sed criticorum princeps CHRIST. AVG. HEVMANNVS *c*) carmen iſtud non modo emaculauit ac

y) Confer. CELLARIVS annot. ad Phoenicis initium, et Celeb. HEVMANNVS Poeciles tom. 3. p. 237. extr. *z*) Bibliotheca noua eccleſiaſticorum auctorum tom. 1. p. 324. *a*) Bibliotheca noua eccleſiaſticorum auctorum tom. 1. pag. 324. *b*) Aduerſ. l. 32. c. 2. *c*) Poeciles tom. 3. p. 225. ſeqq.

interpretatus eſt; verum etiam cauſſas protulit, cur non poſſit Lactantius illius carminis haberi auctor. Demonſtrat primo, *d*) ſtilum obſtare, et inter alia *diua ora e*) legi pro *diuina ora*. Vel ſolam vocem *bruta f*) clamare non hic Lactantium, ſed poetam multo iuniorem loqui. Illum enim, cum de *brutis* verba ſaepius faciat, nunquam eo vocabulo vti, ſed *animantium*, *beſtiarum*, *pecudum*, aut *mutorum*. Inter alia ſermonis vitia notat etiam carminis auctorem *g*) *horrentia funera* habere pro funeribus horrendis. Alterum argumentum, quod crucis adorandae mentionem faciat, *h*) *genu flectere et crucem adorare* iubemur. *i*) Quae crucis ſuperſtitioſa veneratio longe poſt Lactantii tempora homines tandem cepit. Tertio loco argumentatur ex omnium codicum MStorum ſilentio. Quarto, quod ſtatua Chriſti cruci affixi fingatur nos alloqui. *k*) Lactantii vero temporibus nondum repraeſentatum fuiſſe a pictoribus vel ſtatuariis Chriſtum cruci affixum, ſed ſeptimo demum ſeculo id fieri coeptum eſſe: vnde Germanici origo vocabuli Dας *Crucifix*. 10) Fragmentum *de octo nouiſſimis* REVMANNVS *l*) non Lactantii, ſed Auguſtini, eſſe demonſtrat. Praeterea HIERONYMVS *m*) auctor eſt, ὁδοιπορικὸν, ſiue itinerarium, de Africa vſque Nicomediam, hexametris verſibus, et alium librum, qui inſcribatur Grammaticus, et ad Aſclepiadem duo libros, *n*) et epiſtolarum diuerſos,

d) Loc. cit. p. 235. *e*) Verſu 43. *f*) Verſ. 16. *g*) Verſ. 11. *h*) Cuius etiam DVPINIVS meminit bibliotheca noua eccleſiaſticorum auctorum tomo 1. p. 324. *i*) Verſ. 50. *k*) Carminis init. *l*) Poeciles tom. 3. p. 239. ſeq. *m*) De viris illuſtribus c. 80. *n*) Aſclepiades ipſe ad Lactantium de prouidentia ſummi Dei ſcripſit librum, ex quo nonnulla citat inſtit. diuin. l. 7, c. 4.

Digitized by Google

uerſos, ad Probum quatuor, ad Seuerum duos, ad Demetrianum itidem duos. Sed hi libri omnes, forſan et alii, quae temporum iniuria eſt, interciderunt. *o*)

§. XXXVIII.

In ſcriptis Lactantii magna vbique et varia elucet eruditio, et antiquitatis ſcientia haudquaquam vulgaris. Auctores paſſim tractat reconditos, et nobiliſſima ex illis multa nobis fragmenta conſeruauit. Inprimis vero, quae ſaluberrima et omnibus omnino neceſſaria doctrina eſt, quouis modo Chriſtianae religionis veritatem, incomparabili facundia, et ſermonis haudquaquam vulgari nitore, aduerſus gentes defendere conatur. *p*) Eloquentia autem viri tanta eſt vt prae omnibus aliis, quos longo poſt ſe interuallo relinquit, ſui ſeculi praecipuum ornamentum habeatur. Scriptor elegantiſſimus ergo, cum propter vniuerſalis theologiae diſciplinam, tum Latinae linguae in ſacris etiam probandum nitorem, aſſidue ac diligenter legendus eſt. Nec ab re BOECLERVS *q*) ſcriptorem hunc puriſſima elegantia et Ciceronianae orationis aemula praecellentem illis quammaxime commendat, qui etiam Latinitatis ſtudium ad diuinas veritates demonſtrandas conferre conantur.

§. XXXIX.

Nihil adeo omni ſua parte beatum atque perfectum, vt quisque ſuos non patiatur manes, et quod pulcherrimum

o) De Lactantii epiſtolis vid. FABRICIVS biblioth. Lat. vol. 3. p. 406. *p*) Ipſe etiam LVDOVICVS VIVES in Auguſt. l. 18. de ciuit. Dei c. 23. *Lactantius Firmianus ſecutus praeceptoris ſui Arnobii exemplum contra gentes ſeptem ſcripſit volumina elegantiſſima et acutiſſima, nec eſt vllus inter Chriſtianos ſcriptores tam vicinus dictioni Tullianae.* *q*) Bibliographia critica c. 46. p. 726.

mum in hac vita vitii non nihil oſtendat. Quamuis in Lactantio eloquentiae Tullianae fluuium HIERONYMVS *r*) agnoſcat, argumentorum vim tamen in aſſerenda Chriſtianae religionis veritate valde deſiderat, et ingemiſcit: *vtinam tam noſtra confirmare potuiſſet, quam facile aliena deſtruxit.* Errores in doctrina vulgo illi adſcribunt plurimos. Ecquis inficiabitur, vt natus fuerat homo, humani quid fuiſſe paſſum? At nemo etiam facile negabit, errores illi falſo multos ab haereticis ſuppoſitos fuiſſe: quod MICH. THOMASIVS *s*) probe notauit. Sic nemo certe ex omni antiquitate Lactantium vnquam Manichaeiſmi reum fecit: attamen iſtius non vno loco veſtigia ſunt. Loca vero iſta prope omnia THOMASIVS, vt ipſe fatetur, collatis pluribus antiquiſſimis codicibus, ita emendauit, vt vix vlla amplius ſuſpicio illius erroris in omnibus libris ſuperſit. De filii diuinitate videtur etiam obſcurius, quam decebat, aliquot locis fuiſſe locutus: ſed cum alibi ſatis clare de ea loquatur: obſcuriora illa neceſſario ex his, quae aptiora ſunt multo, intelligi et explicari debent. Quod autem noſtrum non verentur Arianiſmi accuſare, ferendum nullo modo eſt: cum ipſe ante Arium pietate, ingenio, et induſtria vnus omnium clariſſimus libros ſuos ediderit. Nec ab re CELLARIVS *t*) iudicat, religionem, quam defendit, ſincere coluiſſe; neque tamen omni vacuum errore fuiſſe. Difficulter enim dediſcuntur, quibus a prima aetate ſumus aſſueti. Mollius igitur

r) Ad Paulinum epiſtola 13. *s*) Cenſura, quam Lactantii praefixit editioni ſuae. Confer. AVBERTI MIRAEI ſcholia ad Hieron. lib. de viris illuſtr. c. 80. apud FABRICIVM bibliotheca eccleſiaſtica p. 167. Et DV PIN bibliotheca noua eccleſiaſticorum auctorum tom. 1. pag. 324. ſeq. *t*) Excerptis de vita Lactantii editioni ſuae praemiſſis.

Digitized by Google

igitur interpretemur, ſi quid quando durius ſcripſit, vel incautius, quam res permittit Chriſtiana: quae vero deſunt melioribus membranis, ceteris Lactantianis diſſimilia, tanquam ab aliis aſſuta, recidamus. In editione Romana altera 1468. fol. ſequuntur poſt capitum argumenta Lactantii errata, per fratrem ANTONIVM RAVDENSEM theologum collecta, *v*) cui frater Adam Genuenſis verſibus reſpondet ſequentibus:

Hic male corripuit ſtolidis Antonius auſis
Auctorem: in variis cauſſa pianda locis.
Non erat in tenebris errantis imaginis aſtrum
Dicere, vel nitidum luce carere iubar.
Denique cum ſanctae eccleſiae pia lumina conſtet
Obſequio ex tanto conticuiſſe viro;
Tu vero eloquio lingua interdicta Latino:
I cubitum, nam te penſitat elleborum.

Eandemque ob ineptam in Lactantium cenſuram FRANC. PHILELFVS *x*) in Raudenſem inuehitur, an. MCCCCXLIII. epiſtola ad eum data. *Vellem equidem*, ſcribit, *pater optime, ab omni iſtiusmodi ſcribendi genere te continuiſſes, neque cum inſaniente Candido Decembre deſipere ipſe voluiſſes. Id certe fuiſſet et ordinis, et dignitatis tuae. Quae enim per immortalem Deum fanatica ratio te commouit, vt perinde atque infeſto quodam atque inimico afflatus ſpiritu, in virum illum doctiſſimum atque diſertiſſimum tam inſolenter, tam iniuſte, tam impie inuehereris, vt non res ſolum paene innumerabiles conſulto male interpreteris, ſed nomen*

v) Raudenſis ille, cuius obſeruationibus de linguae Latinae elegantia LAVRENTIVS VALLA cenſuram oppoſuit grauiſſimam.
x) Epiſtolarum lib. 5.

nomen etiam viri deprauare ſtudueris, vtpote quem Lactantium pro Lactantio nomines. Nam de rebus ipſis quid loquar, quas vel pueris notas dum corrumpere laboras, te omnibus eruditis et grauiſſimis viris ridiculo praebes. Pudet me profecto ea in medium proferre, quae a te non inepte minus, quam perperam notata ſunt atque reprehenſa. Rogo igitur te, vt in hac re Aurelium Auguſtinum imiteris. Retractauit ille vir aeque ſapiens ac ſanctus, quae imprudenter errauit. Retracta etiam tu, ſi tibi conſtas, quae ſciens volensque male ſcripſiſti. Quod ſi feceris, non modeſtiae et verecundiae minus, quam ſapientiae laudabere. Vale. Mediolani. Illi quidem ab RAVDENSI ex inſtitutionibus diuinis excerpti et cumulati errores nullius momenti ſunt: ſed tamen diſſimulari non poſſunt, quos qui optime fertur de Lactantio meruiſſe, perſpicaciſſimus annotauit HELVMANNVS: *y*) ſaluis viri virtutibus, theologum egregie ornantibus, pietate, varia doctrina et eloquentia. Primum caruiſſe facultate critica: quamobrem acerrime a THOMA REINESIO *z*) notatus fuit. Nam oracula Sibyllina pro genuinis venditat, ſuaque illis ſtabilire non veretur. *a*) Nec vitio laborare credit, nec ſuppoſita eſſe, quae ex Hyſtaſpe, atque ex Hermete Triſmegiſto adducit, *b*) quem ſibi perſuadet veritatem pene vniuerſam inueſtigaſſe. Nec ab aliis monitus, ab ignorantia, vel credulitate ſua, deſiſtere, aut meliori ſententiae locum dare voluit. *c*) De Seruatore

y) Editionis ſuae nitidiſſimae praefatione. *z*) De Sibyllinis oraculis p. 89. ſeqq. *a*) Diu. Inſtit. l. 7. c. 16. ſeqq. AVGVSTINVS de ciuitate Dei l. 18. c. 23. *Inſerit Lactantius operi ſuo quaedam de Chriſto vaticinia Sibyllae, quamuis non exprimat, cuius.* *b*) Lib. 4. c. 9. *c*) Lib. 4. c. 25. n. 26. ſeqq.

Digitized by Google

uatore ait *d*) discipulis suis aperuisse omnia, *quae Petrus et Paulus Romae praedicauerunt, et ea praedicatio in memoriam scripta permansit, in qua cum multa alia mira, tum etiam hoc futurum esse dixerunt, vt post breue tempus immitteret Deus regem, qui expugnaret iudaeos, et ciuitates eorum solo adaequaret, ipsos autem fame sitique confectos obsideret.* Atque suppositicium innuit librum nugiuenduli cuiusdam, de quo FABRICII codex apocryphus N. T. *e*) consulendus est. Deinde notat, permediocrem fuisse philosophum, nec valde in arte ratiocinandi exercitatum. Ab risu vix abstinere potest, qui communi rerum ignorantia, orbis destitutum accuratiori cognitione, quam diuina temporibus nostris suppeditat mathesis, disputantem legit de sideribus, coelo, et antipodibus, *f*) propter quos et sua aetate Gallilaeum a Gallilaeis male habitum fuisse nouimus. Frigidam eius de immortalitate animae disputationem *g*) aequo animo ferre nemo potest. Paganis aduersus vnitatem Dei Christianorum doctrinam de Deo patre et filio obiicientibus non respondet demonstratione sufficienti. *h*) Et rationes eius adaequatae non sunt, quibus doceat, cur homines saepius immatura aetate moriantur. *i*) Sufficit illi, velut exercitatissimo rhetori, probabilibus argumentis haud raro pro veris vti, suosque philosophicis ratociniis obiicere colores: vtut consuetudinem suam reliquisse fateatur, *k*) cum ante versatus in arte oratoria, iuuenes diu, non ad virtutem, sed plane ad argutam malitiam instituerit. Denique Lactantium perminutum theologum fuisse demonstrat. Nec tamen diffitetur inter Chri-

d) Lib. 4. c. 21. n. 2. *e*) Pag. 800. *f*) Diuin. Instit. l 3. c. 24. *g*) Lib. 7. c. 8. seqq. *h*) Lib. 4. c. 29. *i*) De opificio Dei c. 4. *k*) Lib. 1. diu. Instit. c. 1. n. 8.

Digitized by Google

ſtianos Latinos eum de doctrina primum cogitaſſe in diſciplinae aut ſyſtematis formam redigenda: vtut parum haec res illi ceſſerit proſpere, nec in ſapientiae ſtudio, nec in ſacris literis diu verſanti. Deuota mente vix Chriſtianorum ſecutus eſt ſacra, et deſpicatui habuit paganorum philoſophos omnes, quos ſtupidiſſimae accuſauit paſſim ignorantiae. Attamen *facile*, inquit, *l*) *eſt docere, pene vniuerſam veritatem per philoſophos et ſectas eſſe diuiſam.* Imo: *m*) *totam veritatem, et omne diuinae religionis arcanum philoſophi attigerunt: ſed, aliis refellentibus, defendere id, quod inuenerant, nequiuerunt, quia ſingulis ratio non quadrauit; nec ea, quae vera ſenſerant, in ſummam redigere potuerunt.* Quod ad doctrinam de ira attinet, STOLLIO *n*) videtur peripateticae ſectator eſſe philoſophiae; imo ſcripta eius ad philoſophiam magis, quam ad theologiam, ſpectare videntur. Quod autem philoſophis, quos refutare inſtituit, acerbius nonnunquam ac ignominioſe reſpondeat, neque ſatis accurate concludat, ipſi vitium eſt cum reliquis eccleſiae patribus commune. Nec defuerunt, qui Lactantio voluerunt vertere vitio, quod magis fuerit librorum Ciceronis, quam ſcripturarum ſacrarum peritus. *o*) BELLARMINVS *p*) ergo de libris eius affirmat, quemadmodum ad eloquentiam Tullianam proxime accedant, ita erroribus variis ſic deformatos eſſe, vt non ſine cauſſa Gelaſius papa in concilio Romano apocryphos cenſeri voluerit.

§. XL.

l) Diuin. inſtit. l. 7. c. 7. n. 2. *m*) Lib. 7. c. 7. extr. *n*) Introductione in hiſtor. liter. part. 2. c. 1. §. 65. not. 7. et c. 3. §. 9. not. 2. *o*) Vid. IOH. GERHARDI patrologia pag. 191. *p*) De ſcriptoribus eccleſiaſticis anno 190. p. m. 69.

§. XL.

Haud immerito EVSEBIVS *q*) Lactantium virum vocat, omnium ſuo tempore eruditiſſimum; HIERONYMVS *r*) quemdam quaſi fluuium eloquentiae Tullianae: qui et alibi, *ſeptem*, inquit, *s*) *libros aduerſus gentes Arnobius edidit, totidemque diſcipulus eius Lactantius, qui de ira quoque et opificio Dei duo volumina condidit, quos ſi legere volueris, dialogorum Ciceronis in eis ἐπιτομὴν reperies.* Ciceronem Lactantius induſtria ſingulari imitatus eſt, rebusque ſacris ita expreſſit, vt ſupra ſeculi genium Latinae linguae ſeruarit caſtitatem atque elegantiam; nec facile patrum quisquam cum eo componi mereatur. Nec ab re mihi iudicare videntur, qui, cum Lucius Caecilius, vel vt alii habent Coelius, Firmianus fuerit nominatus, ab illo dictionis lacteo flumine ac ſumma ſuauitate *Lactantium*, vt ab ſedula Tullii imitatione, verborum puritate, orationis nitore, et ſumma eloquentiae vi, *Chriſtianorum Ciceronem* eſſe dictum, ſibi perſuadent. *t*) Accedit vera pietas et multiplex doctrina: quibus ſemet vbique demonſtrat, politioribus ſcientiis ſimul atque Chriſtiana virtute non tinctum, ſed imbutum fuiſſe: vt ſacrarum literarum cultoribus, quos cum ceteris barbare loqui taedet, inprimis diuinarum inſtitutionum lectio perutilis et iucunda, imo valde neceſſaria eſſe videatur.

q) Chron. ad annum 318. quo Criſpus Caeſar eſt factus.
r) Epiſt. 13. ad Paulinum. *s*) Epiſt. 84. ad Magnum. *t*) Vid. IOH. AVG. KREBSII de ſtilo Lactantii diatriba Halae 1706. edita. MATTHIAE NIC. KORTHOLTI diſſert. de Cicerone Chriſtiano, Lactantio, Gieſſae 1711. V. Cl. IOH. GEORG. WALCHII diſſertatio de Lactantio eiusque ſtilo, quam ſuae Lactantii editioni praemiſit, Lipſiae 1715. et hiſt. critica Lat. linguae c. 1. p. 78. c. 10. p. 426.

Digitized by Google

Sua ſic ſane non defraudandus laude. Et nemo facile inficiabitur, Ciceronem haud infeliciter fuiſſe imitatum: aequare aut ſuperare potuiſſe, credat Iudaeus Apella, non ego: nec me facile patiar vinci IOH. FRANC. PICI Mirandulani Comitis auctoritate, *v*) qui, vt in nimias erumperet Lactantii laudes, *quis*, inquit, *apud nos non videat eſſe Ciceronem, ſed Chriſtianum; hoc eſt, aliquem, qui eum ad lineam viuumque expreſſerit? Quis enim non aduertit Lactantium Firmianum aequaſſe ipſum, et forte praecelluiſſe in eloquendo?* Rurſum: *x*) *Lactantius Ciceronis ſtilum effigiauit, vel vt quibusdam placet, ſupergreſſus eſt. Mihi videtur rebus et ſententiis crebrior, nec numeris inſucundior, nec ſibi aequabilitate et candore poſterior. Has quippe virtutes maximis viribus et aemulatus, et aſſecutus eſt. Hunc nec aequalem poſteri momorderunt, nemo elumbem et fractum, Aſiaticum et redundantem nemo accuſatus eſt.* Hem! quantum eſt ſapere, et ipſo diſcere vſu, quid diſtent aera lupinis. Sed MIRANDVLANI, ſua qui ſatis quidem peritus in arte, quod ad orationis verum nitorem et elegantiam attinet, nemo facile ſtabit iudicio. Lactantium, fateor, magni facio, eiusque ſtilum nitidum certe ac Latinum, hac praeſertim aetate, ac difficiliori argumento, non ſatis admirari poſſum. Eum vero qui cum Cicerone, ſumma orationis maieſtate, formarum diuerſitate, elegantia, et quam iſte cum inepta maleuolorum veteri turba in eloquentiae magiſtro, velut Aſiatico, damnat, incomparabili copia ſimul atque concinna dictione haud veretur componere: nae ille mihi nihil intelligere videtur. Recte vero MORHOFIVS *y*) ſentit:

v) De hiſtoria diuinae philoſophiae c. 7. *x*) Lib. 5. epiſt. 10.
y) Polyhiſt. liter. l. 4. c. 14. §. 11.

Digitized by Google

tit: Lactantii *Tulliana Latinitas vehementer plurimis probatur. Et ſane fluida eſt, atque mire decora: non tamen vſquequaque pura; ſed ſunt et huic auctori admixti barbariſmi: vt in ea aetate vix quisquam ab iis ſibi ſatis cauere poterat.*

§. XLI.

Lactantii ſcripta primum prodierunt *Romae* 1465. fol. e monaſterio Sublacenſi: quam editionem LVD. VIVES z) procul dubio innuit, vbi, *ex nomine*, inquit, *Ciceronis venit in recordationem Lactantius, qui fuit eius imitator: ex hoc de chalcographia. Nam is liber dicitur formis aeneis excuſus, vel primus, vel cum primis.* 1468. fol. in domo Petri de Maximis, per Conradum Sweynheym et Arn. Pannartz, cum erratis Lactantii, per fratrem Antonium Raudenſem theologum collectis. *a*) 1470. fol. per eosdem, cum praefatione Ioh. Andreae, Alerienſis epiſcopi. 1474. fol. per Vdalricum Gallum Alamannum et Simonem Nicolai de Luca. *Venetiis* 1471. fol. *b*) et 1472. fol. apud Vindelinum. Editionem hanc magno nitore conſpicuam HEVMANNVS V. C. vocat, cuius pagina vltima leguntur verſus:

Arguit hic hominum ſectas Lactantius omnes
Septeno falſas codice, vera docens.
Siue Deum tangat, turbato lumine cernens
Ira furor: gemino pernotat inde libro.
Et volucrum verſu Phoenix comprenditur vna,
Quae noſtro nunquam paſcitur alma ſolo.
Hincque redemtoris noſtri non carmina deſunt,
Quae poſitum e tumulo dulce canendo vocant.

Preſ-

z) De anima l. 2. *a*) Hanc editionem DVPINIVS bibliotheca noua auctorum eccleſ. tom. 1 pag. 325. credidit fuiſſe primam. *c*) Vid. SCHELHORNII amoenit. liter. tom. 1. p. 312. ſeqq.

Preſſerat hunc primo mundi caput, inclyta Roma:
Poſt regina premit quippe colenda maris.
Impreſſum formis iuſtoque nitore coruſcans,
Hoc Vindelinus condidit artis opus.

1478. fol. impendio prouidorum virorum, Iohannis de Colonia, Iohannisque Manthen de Gheretzen, ſociorum. Editio, HEVMANNO teſte, nitore, plerumque etiam ſcriptura, ſimilis, praeſtantia par editioni Venetae ſuperiori. 1478. fol. per Andream de Paltaſichis Catarenſem et Boninum de Boninis ſocios. 1483. fol. per Bernardinum de Benaliis Bergomenſem. 1490. fol. 1493. fol. 1497. fol. per Simonem Beuilaquam Papienſem. Editio haec ad Romanam, quae ſeptuageſimo ſeculi anno prodiit, expreſſa eſt, cum praefatione Ioh. Andreae, Alerienſis epiſcopi, et erratis Lactantii per Antonium Raudenſem collectis. *Roſtochii* 1476. fol. per fratres presbyteros et clericos congregationis domus viridis horti ad S. Michaelem.

§. XLII.

Seculo poſt Chriſtum natum decimo ſexto Lactantius prodiit *Venetiis* 1502. fol. ex emendatione Ioh. Pierii Valeriani. 1509. fol. impenſis et opera Ioh. de Tridino, cognomento Tacuini, ex caſtigatione Iani Parrhaſii, addito Tertulliani apologetico, et Chryſoſtomi ſermone de euchariſtia. 1511. fol. apud Iohannem de Tridino. 1515. 8. apud Aldum, cum Tertulliani apologetico, ex emendatione Ioh. Baptiſtae Egnatii Veneti. 1521. cum Tertulliani apologetico etc. 1535. 8. apud Paulum Manutium, curante Honorato Faſitello. *Pariſiis* 1509. 4. apud Iohannem Paruum, cum Tertulliani apologetico, et Chryſoſtomi ſermone de euchariſtia etc. praefatione autem Aegidii Maſerienſis. 1561. 12. apud Hieronymum de Marnef, ex Veneta Pauli Manutii. 1589. 8. cum Michaelis

Digitized by Google

chaelis Thomaſii notis. *Florentiae* 1513. 8. apud Iuntam, ex Mariani Tuccii recognitione. *Baſileae* 1521. et 1524. 4. apud Cratandrum. 1535. fol. apud eundem. 1556. fol. in haereſiologia Iohannis Heroldi. 1563. fol. apud Henricum Petri, cum commentario, ſiue locis communibus theologicis et philoſophicis Sixti Betuleii. *Antuerp.* 1539. 8. apud Ioh. Gymnicum, cum Eraſmi ſcholiis in librum de opificio Dei. 1570. 12. apud viduam et heredes Stelſii, cum interpretatione dictionum Graecarum, quae in Lactantio reperiuntur, eiusdemque erratis per Antonium Raudenſem collectis. 1570. et 1587. 8. apud Plantinum, cum Michaelis Thomaſii notis et emendationibus. *Lugduni* 1541. 1543. apud Gryphium, ex Faſitelli recenſione. 1548. et 1553. 12. apud Ioh. Tornaeſium et Gulielmum Gazeium, ex Faſitelli recenſione. 1567. 12. ex officina Tornaeſiana. 1587. 8. ex fide et auctoritate librorum MStorum Lactantium emendauit Iacobus Cuiacius. *c*) 1594. 12. apud Tornaeſium, ex emendatione Cuiacii. *Coloniae* 1544. fol. apud Petrum Quentel, cum Bartholom. Laurentis indice, et annotationibus Eraſmi in librum de opificio Dei.

§. XLIII.

Seculo decimo ſeptimo Lactantii opera prodierunt *Genevae* 1613. 12. ex emendatione Iacobi Cuiacii. *Coloniae* 1613. 12. ex eiusdem emendatione. 1618. fol. magnae bibliothecae patrum tomo tertio n. 10. *Lugduni* 1616. 12. 1672. fol. bibliotheca patrum, tomo tertio, ex recenſione et cum ſcholiis Michaelis Thomaſii. *Caeſenae*

c) Confer. HEVMANNI praefatio, quam nitidiſſimae editioni ſuae praemiſit.

nae 1646. fol. cum notis Ioſephi Iſaei. *Romae* 1650. fol. cum notis Iſaei. *Lugduni Batauorum* 1652. 8. apud Petrum Leffen, cum notis Antonii Thyſii. 1660. 8. apud Franciſcum Hakium, cum ſelectis variorum commentariis, accurante Seruatio Gallaeo. *Oxoniae* 1684. 8. cum notis Thomae Sparkii. *Cantabrigiae* 1685. 8. cum variis lectionibus et notis Thomae Sparkii. *Lipſiae* 1698. 8. cum notis Chriſtophori Cellarii.

§. XLIIII.

Duodeuiceſimo, quo viuimus, poſt Chriſtum natum ſeculo, Lactantii opera elegantiori veſte prodierunt *Lipſiae* 1715. 8. cum notis Ioh. Georgii Walchii, et praemiſſa diſſertatione de Lactantio eiusque ſtilo. *Goettingae* 1736. 8. cum Michaelis Thomaſii, Chriſtophori Cellarii, ſuisque eruditiſſimis annotationibus ab ſe emendata Lactantii opera edidit, qui ſolus illis videbatur ſufficere, Chriſtophorus Auguſtus Heumannus. Rurſum *Lipſiae* 1739. 8. cum notis integris Chriſtophori Cellarii, et criticis obſeruationibus Ioh. Ludouici Bunemanni.

§. XLV.

Conſtantii et Conſtantis Auguſtorum temporibus, medio poſt Chriſtum natum ſeculo quarto floruit IVLIVS FIRMICVS MATERNVS V. C. Scriptores veteres nihil de eo memoriae prodiderunt. Ante videtur erroribus profanorum fuiſſe addictum: poſtea vero ad Chriſtianorum ſacra tranſiiſſe, factumque oraculorum diuinorum peritiſſimum: vt religionis ſuae veritatem aduerſus paganos acerrime defenderit. Ita enim ipſe: *d*) *at ego*, inquit, *nunc ſacrarum lectionum inſtitutione formatus*,

d) Libello de errore profan. relig. p. 32. edit. Wowet. Hamb. 1603. 8vo.

Digitized by

matus, perditos homines religioſo ſermone conuenio. BARONIVS, atque ex eo SPONDANVS, *e*) nulla ratione ſolida nixi, putant epiſcopum Mediolanenſem fuiſſe, qui cum paucis ſynodum celebrauerit Romanam ſub Iulio pontifice. Materni fateor fit mentio epiſcopi Mediolanenſis, qui ſub Diocletiano paſſus eſt. *f*) Is vero neque noſter potuit eſſe auctor, neque alius ille, qui in ſynodi actis Iulius vocatur. Nuſquam certe noſter epiſcopus, vbique vero V. C. i. e. *vir clariſſimus* vocatur: vt librarius error ſubeſſe nequeat. Imo ne fide quidem dignis legitur huius aeui monumentis, aliquem eius nominis, Iulii pontificis temporibus, epiſcopum fuiſſe Mediolanenſem. Et concilium Romanum, a Baronio memoratum, chimericum et ab Iſidoro ſuppoſitum eſſe creditur. *g*) Neque Firmicus noſter cum alio eiusdem nominis eiusdemque aetatis ſcriptore ethnico et matheſeon, ſiue de aſtrologicis praedictionibus octo librorum auctore confundendus eſt. Noui eruditiſſimorum hominum *h*) ſententiam contrariam, quae ferme inter omnes hodie recepta, eandem eſſe, qui librum de erroribus profanarum religionum, et qui aſtrologicum iſtud opus compoſuit. Aiunt, venerandum ſenem, qui ante etiam, cum paganorum erroribus adhuc detineretur, probis fuerit moribus, Numinis incomparabili gratia tandem ex iſtis profanae ſuperſtitionis tenebris ereptum, et diuina euangelii luce colluſtra-

e) Annalibus eccleſiaſticis an. 337. n. 18. *f*) Martyrolog. die 18. Iulii. *g*) Confer. DV PIN noua biblioth. eccleſ. auctor. tom. 1. p. 330. *h*) PHIL. LABBE t. 1. de ſcript. eccleſ. pag. 660. quem FABRICIVS bibliotheca Latina vol. 1. p. 568. biblioth. mediae et infimae Latin. l. 6. p. 499. KOENIG bibliotheca vetere et noua v. *Firmicus* p. 305. Hiſtorici et Critici hodie plerique.

Digitized by Google

tum fuiſſe. Aſtrologica in ethniciſmo, ſacra vero de erroribus profanorum in Chriſtianiſmo paulo ante vitae finem edidiſſe. Illa autem mihi ſuperſunt dubia, vt ire mallem in alia omnia, quam in ſententiam illorum. 1) Aſtrologiae alter nimium ad extremam vſque aetatem fuit deditus: quae ſententia etiam raro illis eripienda, qui Chriſtianam religionem ſequuntur. Alter vero totam illam doctrinam non modo inutilem, verum et impiam, et deteſtandam eſſe duxit. Operis initio, *in teſtificationem veritatis*, inquit, *manifeſtis rationibus exemplorumque teſtimoniis diuinationem probabimus per diabolum eſſe inuentam et perfectam: vt per hoc ſpiritus maculata cogitatione, ſpe fluxae felicitatis, peruerſa diſcretione peruerteret miſeros homines, perpetuis calamitatibus implicitos.* 2) Ad meliorem frugem perductus ille alter priſtini erroris vſquam mentionem feciſſet, ſuamque priſtinam correxiſſet mentem: imo literis mandatam integram vanitatis illam retractaſſet doctrinam. 3) Sacrarum literarum hic peritiſſimus fuit, quas in ſuccum et ſanguinem conuerſas vbique locorum ad ſtabiliendam ſententiam produxit. Iſte rerum omnium expers, ne codicis quidem ſacri initium aſpexit: vt mundi originem cognouerit. 4) Vtriusque ſcripta eodem fere prodierunt tempore: vt alter ſe Chriſtiana pietate, alter profanis erroribus commendaret. Aſtrologus, vt ſuo loco diximus, anno quidem Conſtantini Magni extremo, i. e CCCXXXVI. opus ſuum auſpicatus eſt: abſoluit autem, et miſit ad Mauortium Lollianum, Aſiae Proconſulem, anno poſt Chriſtum natum CCCLVI Is enim cum Arbitio, vt faſti conſulares teſtantur, magiſtratum iniit CCCLV. Et ipſe *i*) de Lollia-

i) Libri 8. c. 15.

Digitized by Google

Lolliano, cui ſacram voluit eſſe aſtrologiam ſuam, ita ſcribit: *noſtris temporibus Lollianus ſeueritatis merito etiam ordinarii conſulatus inſignia conſecutus eſt.* Sed Chriſtianus alter ille Firmicus Maternus ſuum de errore profanarum religionum pietate et elegantia conſpicuum libellum ſcripſit ad Conſtantium et Conſtantem Auguſtos, certe poſt annum CCCXL. et ante annum CCCL. Illo enim anno CCCXL. cum fratribus imperans tertius Auguſtus Conſtantinus a Conſtante prope Aquileiam caeſus eſt: quem ſi in viuis fuiſſet, profecto etiam pari modo libelli ſalutaſſet patronum. Anno CCCL. Conſtans imperator, cui, cum fratre Conſtantio, ſacer ille factus eſt liber, a Magnentii duce occiſus legitur. *k*) Vnde ſatis mihi quidem patere videtur, libros de aſtrologia iſtius ethnici ſcriptos eſſe poſt tractationem Chriſtiani Materni de errore profanarum religionum. Quod neſcio quo colore docti negare velint: vt BARONII *l*) accuſarent fidem. Tantumque abeſt, vt, qui adeo diſerte et pie de Chriſtiana religione aduerſus gentilium ſuperſtitionem modo edidit librum, idem breui poſt, vel eodem tempore, quam ipſe accuſauit, et diabolicam dixit eſſe artem, de aſtrologia, tanto ſtudio elaboratos, octo libros ediderit. Mihi certe nunquam perſuadere potui, vnum eundemque eſſe tractationis vtriusque auctorem, qui initio paganus, poſtmodum euangelii luce colluſtratus, quam ante fouerit, impiam ſuperſtitionem deteſtatus fuerit.

§. XLVI.

Librum ſcripſit, qui extat, breuem, ſed pium et

k) Fallitur ergo FABRICIVS biblioth Lat. vol. 1. pag. 568. vbi affirmat, libellum de errore profanarum religionum poſt annum Chriſti CCCL. eſſe conſcriptum. *l*) L. c.

eruditum, *de errore profanarum religionum ad Conſtantium et Conſtantem Auguſtos.* ἀκέφαλον eſſe initium oſtendit: *quod in fabricatione hominis artifex fecit, vt antea diximus, annuis perditorum* etc. Aperit originem omnium religionum gentilium, earundemque falſitatem demonſtrat. Exponit primo, quo modo ſemet homines deceperint ipſos, ex quatuor elementis diuinitates faciendo. Deinde originem explicat deorum fabuloſorum, hiſtorice narrans ea, quae a poetis alia fuerunt induta ſpecie. Porro abſurditatem et impietatem exponit gentilium, qui inter Deos homines omnibus flagitiis maculatos collocare non vereantur. Ridet hinc iſtorum Deos ab hominibus interfectos, fauciatos et male habitos fuiſſe. Aegyptiorum religionem contendit Ioſephi temporibus ortam fuiſſe, eorumque Deum Serapin hunc patriarcham eſſe, quem ſic appellauerint, quia Sarae filius eſſet. Tanquam deos obſeruat coluiſſe ea, quae deperibant, quibusue indigebant. Cibum et potum deos appellaſſe penates; Veſtam ignem etc. Denique ſigna deſcribit profana, aut verba arcana, quae maiori deuotione Chriſto applicare ſtudet. Auctoris ſcopus eſt, vt imperatores ad idololatriam extirpandam commoueret. Idemque ſaepius diſerte monet. Pium auctoris hoc primum votum: *m*) vt publicatis omnibus atque detectis, quae profana conſecrauit improbitas, miſericordia Dei, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, lapſos erigat, fugientes ad ſe reuocet, dubitantes confirmet, errantes corrigat, et quod eſt potiſſimum, vitam morientibus donet. Vt a ſuperſtitione omni idololatrica, ſic et longiſſime ab Stoicorum erroribus abeſt: quorum defenſorem Porphyrium hoſtem vocat

m) Pag. 32, ſeq. Wower. edit. Hamb. 1603. 8.

cat Dei et veritatis. *n*) Iucundiſſimam imperatorum implorat opem, vt miſeris ſubueniant: *nolunt quidam*, inquit, *o*) *et repugnant, et exitium ſuum prona cupiditate deſiderant. Sed ſubuenite miſeris, liberate pereuntes: ad hoc vobis Deus ſummus commiſit imperium, vt per vos vulneris iſtius plaga curetur.* Alibi: *p*) *Vos nunc, Conſtanti et Conſtans, ſacratiſſimi imperatores, et venerandae fidei veſtrae imploranda virtus eſt, quae ſupra homines erigitur, et a terrena fragilitate ſeparatur, coeleſtiumque ſe rerum ſocietate coniungit, quae in omnibus actibus ſuis, prout poteſt, Dei ſummi ſequitur voluntatem. Modicum tantum ſupereſt, vt legibus veſtris funditus proſtratus diabolus iaceat: vt extinctae idololatriae pereat funeſta contagio.* Rurſum: *q*) *hi ſunt inimici Dei, ſacratiſſimi imperatores, qui veritatis ordinem contraria lege conturbant, qui peruerſae cupiditatis inſtinctu ſacrilega vota concipiunt, qui profanae mentis furore aut lignum ſemper venerantur, aut lapidem. In iſto loco poſiti ordinem debemus ſanctae diſpoſitionis aperire: vt quicquid nobis inueſtigantibus ſanctum Dei verbum, prophetica tradidit diſciplina, ad refutandas profani erroris maculas ſpecialiter explicetur.* Poſtquam alia tradidit multa, *tollite*, inquit, *r*) *tollite ſecuri, ſacratiſſimi imperatores, ornamenta templorum. Deos iſtos aut monetae ignis, aut metallorum coquat flamma. Donaria vniuerſa ad vtilitatem veſtram dominiumque transferte.* Extremo: *s*) *miſericordiae ſuae vobis, ſacratiſſimi imperatores, Deus ſummus praemia pollicetur, et amplificationis maximae augmenta decernit. Facite itaque quod iubet: complete quod*

n) Pag. 43. Neque hinc confundendus cum Firmico alio, quem LIPSIVS iuratiſſimum Stoicum vocat. *o*) Pag. 51. *p*) Pag. 67. *q*) Pag. 81. *r*) Pag. 96. *s*) Pag. 104. ſeq.

quod praecipit. Auſpicia veſtra maioribus cumulata ſunt donis, initio fidei poſitae diuini fauoris incrementa ſenſiſtis. etc.

§. XLVII.

Ipſo etiam WOWERIO *t*) iudice, in Firmico non pauca ſunt, quibus temere ab aliis diſſentit, aut antiquorum ſcripta negligentius ſe legiſſe oſtendit. Et cum illi non inutilem nauaret operam, hanc friuolam et inanem vocat, *v*) veritus, ne quis cum Plinio obiiceret, illum horas iſtas melius perdere potuiſſe. *Nam*, inquit, *ſi excipias pauca quaedam reconditae et rarioris eruditionis, ambigo ſane, an Firmicum iterata lectione dignum exiſtimem: in quo tamen emendando maiorem indubie laborem, quam laudem inuenero.* Quae vulgo auctori imputant graui, et ſuperſtitionum impugnatori fortiſſimo, ne tanti quidem ſunt, et maiori forſan illi cedunt gloriae. *x*) Ego vero illum aliquoties non ſine animi voluptate legi: quod ſuis coloribus ineptam ſuperſtitioſae antiquitatis idololatriam depingit: ad ſalutis viam omnia deducere ſtudet: indigitat res altius; et lacteam aliquo modo Lactantii eloquentiam refert. Recondita vbique doctrina, eruditio, pietas, et eloquentia elucet. Stilus eſt ſupra ſeculi genium elegans, et vere Romanus: ideoque ad res ſacras exprimendas ab omnibus ſanctioris doctrinae cultoribus ſedulo imitandus. Sed, quae miſcet hinc inde, oracula diuina videntur ex aliena verſione fuiſſe deſumta: vt eam ſermonis caſtitatem non tueantur.

§. XLVIII.

Iulii Firmici Materni libellum de errore profanarum reli-

t) Epiſt. p. 286. *v*) Suis in Iul. Firmicum Maternum notis p. 121.
x) Vid. BEBELIVS antiq. eccleſ. ſec. IV. tom. priori p. 230.

Digitized by Google

religionum ex MSto Mindenſi primus vulgauit Matthias Flacius *Argentorati* 1562. 8. *Heidelbergae* 1599. 8. apud Commelinum, inter mythologicos Latinos, Hyginum, Fulgentium, Albricum etc. Saepius deinde variis prodiit vrbibus, ſed minime decenti habitu; donec manum illi medicam admoueret Iohannes a Wower, qui accurate recenſitum ſuisque notis illuſtratum edidit *Hamburgi* ex bibliopolio Frobeniano 1603. 8. de quo ita ipſe ſcribit: y) *neque credentibus perſuaſero, quam foediſſimis mendis contaminatum ſuſceperim, et vere ex ſubuerbuſto, vt antiqui loquebantur, non deditium, ſed in fraudem legis Aeliae Sentiae, ciuem Romanum fecerim, hoc eſt, ope ingenii omni ſqualore liberarim. - - Non nego tamen multa reſidua, et latentia, et aperta errata, quae feſtinantes oculos meos effugerunt. Iſtiusmodi aliorum acumini reliqui, vt ille olim, qui Veneris effigiem inchoatam aliis perficiendam expoſuerat.* Poſtea ſaepius cum Minucii Felicis Octauio prodiit etiam in optimis editionibus cum integris omnium notis ac commentariis, ex recenſione Iacobi Ouzelii, *Lugduni Batauorum* 1652. 4. et 1672. 8. *Coloniae Agripp.* 1618. fol. magna bibliotheca patrum tomo 4. n. 6. Sic et in aliis patrum et antiquorum ſcriptorum eccleſiaſticorum bibliothecis. *Pariſiis* 1666. fol. ad calcem operum Cypriani, quae Philippus Priorius edidit.

§. XLIX.

Conſtantis Auguſti temporibus, quarto poſt Chriſtum natum ſeculo medio, in Gallia Aquitanica floruit S. HILARIVS, Pictauienſis Epiſcopus, ex eadem Pictauorum

y) Pag. 121.

uorum florentiſſima vrbe oriundus: cuius eccleſiae poſtea Chriſto deuotus praeerat epiſcopus. *z*) Vt annus, quo fuerit natus, ita parentum quoque ignorantur nomina. Nec facile fidem inuenit ROLLANDVS, *a*) qui inuentum ait eſſe ſepulchrum patris et matris S. Hilarii in vico agri Pictonici, in quo pater eius Francarius vocaretur. Sed vero valde eſt ſimile, eum nobili genere ortum. Hinc FORTVNATVS: *b*) *apud Gallicanas familias nobilitatis lampade non obſcurus, imo magis prae ceteris gratia generoſitatis, nitore pectoris addito, ornatus, quaſi refulgens lucifer inter aſtra proceſſit.* Parentum ſecutus exempla et inſtitutionem, ab ineunte aetate paganam ſuperſtitionem amplectebatur: et liberalioribus diſciplinis ſedulam nauabat operam. Sic tandem ſanioris philoſophiae ſtudio, et numinis ſingulari gratia ductus, vanorum perſpexit deorum ſacra, et in libros incidit de vero et vno deo, ſeruatore et via ſalutis conſcriptos: quibus, pro ingenii bonitate, ac diuina rationem illuminante doctrina, perſcrutatis, bene doctus et ſacro baptiſmate tinctus publice Chriſtianam religionem profiteri ac deuota mente exercere coepit. *c*) Qui eum Romae aiunt ſacris Chriſtianorum initiatum, et ibi diaconum aliquantiſper fuiſſe, Hilarios confundunt: et diuerſus ille eſt eccleſiae Romanae diaconus a Pictauienſi epiſcopo. *d*) Sed procul dubio ſedibus in Gallia paternis vna cum coniuge, filia, et aliis fami-

z) Diſerte HIERONYMVS praefat. l. 2. comment. in epiſtolam ad Galatas, Hilarium dicit fuiſſe Gallum, Pictauis natum.

a) Apud DVPINIVM eccleſiaſt. auct. biblioth. noua tom. 2. p. 167.

b) S. Hilarii vita lib. 1. *c*) Vid. HILARIVS de trinitate lib. 1. pag. 2. edit. Pariſienſis Gillotii 1605. fol. Confer. de trinit. l. 6. pag. 65. *d*) Confer. SCHMIDIVS hiſt. eccleſ. N. T. ſec. 4. c. 3. pag. 132.

Digitized by Google

familiae ſuae, nomen Chriſto ſeruatori dedit. Teſtis enim FORTVNATVS *e*) eſt, cum adhuc profanae addictus eſſet ſuperſtitioni, vxorem duxiſſe, atque ex ea ſuſcepiſſe filiam, nomine Abram. Longe poſt ſaniorem doctrinam epiſcopum tandem eſſe factum, ipſe innuit, ad fratres et coepiſcopos per Germaniam, Galliam atque Britanniam ſcribens: *f*) *regeneratus pridem, et in epiſcopatu aliquantiſper manens, fidem Nicaenam nunquam niſi exulaturus audini.* Quid intra illud tempus egerit: memoriae proditum eſſe, non memini. Sed literis ſacris incomparabili ſtudio incubuiſſe, vero admodum eſt ſimile; fide, literis, eloquentia, et animi contentione haudquaquam vulgari inclaruiſſe, et per gradus ad Pictauienſem epiſcopatum peruenisſe. Et verba ipſius, modo allegata, eam dignitatem aliquot ante exilium annis obtinuiſſe demonſtrant, Conſtantio imperante, quarto poſt Chriſtum natum ſeculo medio. Eccleſiae Pictauienſi praefectus, vt potuit, longe maxima contentione animi, cura, et ſtudio, gregis ſuae incubuit ſaluti: ſibique in primis cauere viſus eſt ab haereticorum technis atque fraudibus, qui tunc temporis eccleſiam turbare et euertere conabantur. Obſtupeſcebant omnes viri facundiam et animi magnitudinem, qua verſutiam, fallacias, et inſultus hoſtium auertere, *g*) ſuosque in ſalutari doctrina, nu-

e) Hilarii vita lib. 1. *f*) De ſynodis aduerſus Arianos pag. 362.

g) Nam Ariani non occulte, vt antea, ſed palam ac publice haereſis placula praedicabant: quin etiam ſynodum Nicaenam pro ſe interpretantes, quam vnius literae adiectione corruperant, caliginem quandam inieceranr veritati. Nam vbi ὁμοούσιον erat ſcriptum, quod *vnius* eſt *ſubſtantiae*, illi ὁμοιούσιον, quod eſt *ſimilis ſubſtantiae*, ſcriptum eſſe dicebant. SVLPICIVS SEVERVS ſacrae hiſt. l. 2. c. 40.

Digitized by Google

minis eum diuina iuuante gratia, confirmare potuit. Quandoquidem Conſtantio imperante, ſummo Arianorum, per orientales, quotquot fuere, imperii prouincias Chriſti Ieſu diuinitatem allatrantium, patrono, ingemuit mundus, et ſe Arianum opinato citius factum admiratus eſt. Cum et Ariani errores per Galliam diſſeminarentur: et Hilarius a parte catholicorum ſtrenue ſtaret, et omnibus viribus haereticorum inſanis moliminibus reſiſteret: Saturnini, Arelatenſis epiſcopi, factione, in Phrygiam relegatus eſt. Obtinentibus catholicis, Saturninus ille, et Vrſacius, et Valens, a Galliae ſanctis epiſcopis excommunicati erant. Ea rerum perturbatione anno CCCLVI. Biterris *b*) Galliae Narbonenſis ciuitate ſynodus habita: vt epiſcoporum componerentur diſſidiae, et ſalutaris concordia reſtitueretur. Poſtulauit Hilarius, vt de fide ageretur, et fore dixit, vt Saturninum, Vrſacium et Valentem, haereſeos conuinceret. Conditionem vero iſti non accipiunt, id potius agunt, vt Hilarius damnaretur. De hominis peruicacia et calumniis epiſtolam ad Conſtantium imperatorem, qui tunc temporis Mediolani erat, confidenter ſcribunt, et voti facile fiunt compotes. Imperator reſcripto ſtatim Hilarium Pictauienſem cum Rhodanio Tholoſano epiſcopo in exilium ire iubet. Confecit ante Hilarius ſuos de trinitate libros, *i*) et in Phrygiam

b) Hodie *Beſiers.* *i*) Hos quidem alii aiunt in exilio compoſuiſſe: ſed operis praefatione, quam libro 1. ſcripſit, ipſe teſtatur, ſtatim atque per Galliam Arianorum errores diſſeminati fuerint, manum ſe calamo admouiſſe, vt impietatem illorum confutaret. Et lib. 10. pag. edit. Pariſ. 1605. fol. 196. ſatis clare innuit, nondum in exilio eſſe, ſed forſan imminere, cum iſta ſcriberet. *Licet*, inquit, *nunc a multis coaceruantibus ſibi ſecun-*

Digitized by Google

giam exulatum abiit. Neque tamen alius in eius locum ordinatus epiſcopus: et in pace exoptata Pictauiorum eccleſia permanſit: quam Hilarius etiam abſens gubernare, et presbyterorum opera ſuſtinere perrexit. Ipſe interea temporis ad Galliae, Britanniae et Germaniae epiſcopos de ſynodis ſcripſit: vt eos de trinitate orientalium ſententias doceret, eosque de ſynodis duabus admoneret, quarum exſpectatio totam eccleſiam teneret ſuſpenſam. Lepida narratur a FORTVNATO *k*) fabula: cum in exilium miſſus eſſet, relicta in vrbe Pictauis cum coniuge filia: reuelatione in exilii loco accepiſſe, iuuenem diuitem et potentem filiae ſuae connubium petere; ſed precibus ſuis Hilarium prohibuiſſe illam ali, quam Ieſu Chriſto, ſponſo nubere, eamque ob cauſſam, quae ſupereſſent, ad filiam Abram ſcripſiſſe literas: tandemque ab exilio reuerſum, cum vidiſſet filiam connubio iungi velle, a Deo flagitaſſe, vt eam hoc mundo educere mallet. Ipſius preces exauditas fuiſſe, filiam obiiſſe, et matrem illi parumper velut e miraculo ſuperuixiſſe. Maioris momenti ſunt, quae SVLPICIVS SEVERVS *l*) memoriae prodidit, anno Domini CCCLIX. in oriente, occidentalium exemplo, imperatorem Conſtantium iuſſiſſe cunctos fere epiſcopos apud Seleuciam, Iſauriae oppidum, *m*) congregari. *Quo*

ſecundum deſideria ſua magiſtros, ſana doctrina exulet: (quod patet dici de exilio Paulini Treuirenſis, Euſebii Vercellenſis, et Luciferi Colaritani, qui poſt concilium Mediolanenſe in exilium proiecti fuere) *non tamen a ſanctis quibusque praedicationis veritas exulauit. Loquemur enim exules per hos libros, et ſermo Dei, qui vinciri non poteſt, liber excurret, de hoc eodem apoſtolicae prophetiae admonens tempore* etc.

k) De vita Hilarii lib. 1. *l*) Sacrae hiſtoriae l. 2. c. 42. *m*) Iſauria regio

tempeſtate Hilarius, quartum iam exilii annum in Phrygia agens, inter reliquos epiſcopos, per vicarium ac praeſidem data vectionis copia, n) adeſſe compellitur: cum tamen nihil de eo ſpecialiter mandaſſet imperator, iudices tantum generalem iuſſionem ſecuti, qua omnes epiſcopos ad concilium cogere iubebantur, hunc quoque inter reliquos volentes miſcere. - - Is vbi Seleuciam venit, magno cum fauore exceptus, omnium in ſe animos et ſtudia conuerterat. Ac primum quaeſitum ab eo, quae eſſet Gallorum fides: quia tum Arianis praua de nobis vulgantibus, ſuſpecti ab orientalibus habebamur, trionymam, i. e. ſub tribus nominibus, *ſolitarii Dei vnionem ſecundum Sabellium credidiſſe. Sed expoſita fide ſua, iuxta ea, quae Nicaeae erant a patribus conſcripta, occidentalibus perhibuit teſtimonium. Ita abſolutis omnium animis, intra conſcientiam communionis, nec non etiam in ſocietatem receptus, concilioque aſcitus eſt. o)* Initio illi quidem interfuit: ſed, cum animaduerteret, Arianos plures eſſe epiſcopos, quorum cauſſa inprimis agebatur per inſidias, iſtorum conciones frequentare noluit, ſecum habitans ad finem vſque ſynodi Seleuciae. Poſtea Conſtantinopolin, vbi Conſtantius tunc temporis reſidebat, cum legatis proficiſcitur, non accerſitus, neque aliam ob cauſſam, quam vt imperatoris cognoſceret voluntatem, vtrum ſibi in exilium redeundum eſſet. Hic, vbi poſt Seleucienſe et Ariminenſe concilia vidit extremum fidei periculum imminere, occidentalibus deceptis, orientales per ſcelus vinci; tri-

regio fuit minoris Aſiae, pars Galatiae auſtralis, Piſidiae ab occaſu et auſtro, Lycaoniae ab ortu finitima.

n) i. e. ſalua hominis vita tutique itineris data fide a Syriae vicario vel praeſide. *o*) Ipſa huius ſynodi acta videantur etiam apud OSIANDRVM hiſt. eccleſ. cent. 4. l. 3. c. 20. p. 348. ſeqq.

Digitized by Google

tribus libellis publice datis *p*) petiit, vt ſibi cum aduerſariis de fide coram diſceptare liceret: id quod Ariani quammaxime abnuebant. Tandem velut diſcordiae auctor, et orientis turbator, ad Gallias redire iubetur, ſuamque repetere domum, ſed tamen illi non remittitur exilii poena. *q*) Rediens Italiam transiit, et in Galliam, ad communem omnium voluptatem venit anno CCCLX. orbem pene terrarum permenſus, Arianiſmo atque adeo perfidiae malo infectum, dubius animi, et magna curarum mole aeſtuans priſtinam eccleſiae fidem et veritatem doctrinae quouis modo reſtituere ſimul atque miſeros ad meliorem frugem reuocare ſtuduit. Ea rerum perturbatione, poſt reditum contra Conſtantium Auguſtum acerbiſſimum et conuiciis plenum ſcripſit libellum, cuius initium: *tempus eſt loquendi, quia iam praeteriit tempus tacendi.* Falſo quidem inſcribitur vulgo, *contra Conſtantium Auguſtum iam vita defunctum.* Et ipſe HIERONYMVS *r*) poſt mortem Conſtantii ſcriptum fuiſſe teſtatur. Sententiam vero noſtram DVPINIVS, *s*) FABRICIVS, *t*) et alii adſtruere dudum allaborauere. Scripſit tunc etiam Hilarius tractatum aduerſus Vrſacium et Valentem, qui concilii Ariminenſis et Seleucienſis hiſtoriam continebat. Vnde pars libri deſumta eſt, qui fragmentorum nomine venit. Anno ſequenti poſt Chriſtum natum CCCLXI. Conſtantio vita defuncto, cum Iulianus rerum potiretur, catholicis epiſcopis, qui adhuc in exilio ac timore perpetuo

p) Hi ſupplices libelli ſunt plane diuerſi ab illis, qui ad Conſtantium atque etiam contra eum hodie ſuperſunt. *q*) SVLPICIVS SEVERVS ſacrae hiſtor. l. 2. c. 45. *r*) De viris illuſtribus c. 100. *s*) Bibliotheca noua eccleſiaſticorum auctorum tomo 2. p. 137. 151. ſeqq. *t*) Ad Hieron. l. c. biblioth. eccleſ. p. 188.

tuo viuebant ad ſuos cuique redeundi facta poteſtas. Eaque recuperata libertate, Hilarius magno feruore et conſtantia animi, conciliis in Gallia variis, priſtinam eccleſiae ſtuduit reſtituere doctrinam, ab Arianis deceptos in viam fidemque ſalutarem reducere, ac damnare, quae in ſynodis Ariminenſi ac Seleucienſi geſta fuerunt. Tum Saturninus, Arelatenſis epiſcopus, et alii, qui ſanis reſiſtebant conſiliis, eccleſia eiiciebantur. Epiſcopis vero, qui culpam agnouerunt, venia data. Neque ſolum Gallias Hilarius haereſi liberauit; *v*) verum etiam, ſi RVFFINO *x*) credimus, curas in Italiam vſque ſuas extendit, et eccleſias Arianorum erroribus repurgauit. Et SOCRATE teſte, *y*) rectae fidei dogmata praeſeminauit tam Italis, quam Gallicanis epiſcopis: cum primus ab exilio remeaſſet. Anno CCCLXIV. Valentinianus imperator, cum Mediolanum veniſſet, edicto mandauit, vt omnes catholici Auxentium pro epiſcopo ſuo agnoſcerent. Hilarius vero, qui perſuaſus erat, illum ab Arianorum parte ſtare, libellum imperatori obtulit ſupplicem, illis ne obtruderetur Auxentius calumniator, qui opiniones, principis et catholicorum ſaluberrimae perſuaſioni oppoſitas foueret. Imperator, delatione tam vehementi commotus, eum iuſſit, X. epiſcopis ſtipatum, coram quaeſtore et ſupremo palatii magiſtro, de doctrina cum Auxentio conferre. Quod cum Auxentius eludere conaretur, ſua ne pelleretur ſede, Ieſum Chriſtum eſſe verum Deum, eiusdemque cum patre diuinitatis et ſubſtantiae, profiteri coactus fuit. Confeſſionem hanc imperator credidit ſinceram et infucatam eſſe: vt communionem eius amplecti non dubitaret.

v) SVLPICIVS SEVERVS ſacrae hiſtor. l. 2. c. 45. *x*) Eccleſiaſt. hiſt. l. 1. c. 30. *y*) Hiſtoriae eccleſiaſticae tripartitae l. 6. c. 24.

Digitized by Google

bitaret. Hilarius vero clamitare non desinens, Auxentium haereticum esse, qui non hominibus solum, verum et ipsi Deo illuderet, Mediolano eiectus est: quod ecclesiae pacem turbare videretur. Cum ergo in Auxentium viua voce non posset amplius inuehi: librum anno sequenti aduersus illum edidit. Anno CCCLXVI. earum rerum, quae in synodo Ariminensi peractae fuerant, monumenta collegit: vt videre possumus e fragmentorum parte altera, quae ex opere illo depromta est: nam in ea hoc anno scriptae reperiuntur epistolae. Tot tantisque laboribus exantlatis, diem obiit in patria ciuitate supremum anno Domini CCCLXVII. teste HIERONYMO, z) qui et, Valentiniano et Valente regnantibus, Pictauis mortuum esse testatur: a) eorundemque, vt GREGORIVS TVRONENSIS b) habet, anno quarto: sexto quidem post reditum ab exilio in Galliam. c) Patet inde BARONII error, qui collationem eius cum Auxentio ad annum CCCLXIX. referre non veretur, biennio postquam e viuis excessit. d) Apparet etiam error TRITHEMII, e) qui Hilarium nostrum ait mortuum esse ad vrbem suam de exilio suo reuersum, sub Valentiniano imperatore, anno Domini CCCLXXI. indictione quarta decima, cuius natale celebratur idibus Ianuarii. Epitaphium eius ex veteri codice proditum est sequens:

Hilarius cubat hac Pictauus Episcopus vrna,
Defensor nostrae terrificus fidei.

Istius

z) Chronico h. a. a) De viris illustribus c. 100. extr. b) Hist. l. 1. c. 3. c) SVLPICIVS SEVERVS sacrae hist. l. 2. c. 45. extr. d) Confer. DVPIN bibliotheca noua eccles. auctor. t. 3. p. 168. e) De scriptoribus ecclesiasticis c. 70.

Iſtius aſpectum ſerpentes ferre nequibant,
Neſcio quae in vultu ſpicula ſanctus habet.

Miraculis qui capiuntur, legendis pontificiorum poterunt legere plurima. TRITHEMIVS *f*) quoque meminit, cum in Phrygiam relegatus eſſet, mortuum ad vitam reuocaſſe. In Gallinaria inſula immanium ſerpentium venenata rabies virtutem eius ferre non potuit, ſed tanquam fulmineo fragore perterrita, vilis etiam baculi metam, quam Hilarius praefixerat, tranſcendere non conabatur. Eiusque iam vita defuncti corpus, cum illi monaſterium dedicaretur, beati angeli de tumulo educunt, et in locum, qui illi praeparatus fuerat, ſuis manibus inferunt. *g*) Hilarii vitam vetus ſcripſit auctor FORTVNATVS *h*) circa annum DLXX. ad Paſcentium papam, quae vtplurimum Hilarii operibus affigi ſolet. GREGORIVS TVRONENSIS hanc vitam laudat, eius vero non indicat auctorem. Quae ab eo referuntur, non omnia reiici poſſunt: atqui etiam non omnibus adhibenda fides: quandoquidem non pauca Hilario, ad gloriam eius augendam, ſine vlla veritatis ſpecie aut veriſimilitudine, affinguntur. Anno poſt Chriſtum natum 1570. operum editioni Baſilienſi IOH. IACOBVS

f) De ſcript. eccleſ. c. 70. conf. ADONIS, archiepiſcopi Treuir. martyrologium, idibus Ianuarii, apud SVRIVM de ſanctis tomo 7. p. 191. *g*) Vid. PETRI DAMIANI ſermo de tranſlatione S. Hilarii epiſcopi, apud SVRIVM de probatis ſanctorum hiſtoriis tom. 7. p. 17. *h*) Non ille Venantius Fortunatus, quocum perperam aliquando confundi ſolet. Quo in errore ipſe FABRICIVS fuit biblioth. Lat. volum. 3. p. 414. Sed omnium minime audiendus eſt SIXTVS SENENSIS, qui bibliothecae ſanctae l. 4. p. 310. *ſcripſit eius* Hilarii *vitam hexametro carmine Fortunatianus, Pictauienſis Epiſcopus, anno domini DLXX.* Nam oratione proſa, non ligata, legimus hanc vitam, quam non Fortunatiano, ſed Fortunato, referimus acceptam.

Digitized by

BVS GRYNAEVS Hilarii vitam a ſe compoſitam praemiſit: Et nouae editioni Pariſienſi 1572. IOH. GILLOTIVS Campanus commentationem de S. Hilario, ex eius et aliorum virorum doctiſſimorum ſcriptis excerptam: cui et vitam Hilarii EX HIERONYMO et GREG. TVRONENSI, nec non duos FORTVNATI libros de vita Hilarii, et PETRI DAMIANI ſermonem de translatione reliquiarum Hilarii adiecit. Omnium vero accuratiſſime et eruditiſſime noua editione Pariſienſi 1693. fol. prolegominibus ſatis prolixis de vita, ſcriptis meritisque illius PETRVS COVSTANT, eiusque ſodales Benedictini monachi commentati ſunt. Quibuscum CAVE, DVPIN, id genus ſcriptores alii conferendi ſunt. Et legi merentur FABRICII, VICTORII, GRAVII, MIRAEI, et CYPRIANI annotationes ad Hieronymi libellum de viris illuſtribus, *i*) HONORIVS Auguſtodunenſis, *k*) IOHANN. TRITHEMIVS, *l*) et ceteri, quos enumerare longum eſt. *m*) De aliis Hilariis, de literis et eccleſia bene meritis, qui fuerunt plurimi, IOH. ALBERTVS FABRICIVS *n*) conſulatur.

§. L.

Scripta eius eo recenſebimus ordine, quo leguntur in nouiſſima editione, quam Petro Couſtant eiusque ſodalibus Benedictinis monachis debemus. *o*) Sunt autem in ea poſt eruditiſſimam de vita, doctrina et ſcriptis Hilarii commentationem, prolegomena ſatis prolixa, et veterum teſtimonia 1) *Commentarii in pſalmos*, qui quidem ab Hilario poſtremis vitae annis videntur fuiſſe conſcripti. Ex Origenis fere ſententia, inprimis allegorias

i) FABRICII bibliotheca eccleſiaſtica pag. 188. ſeqq. *k*) De ſcriptoribus eccleſiaſticis l. 1, c. 101. *l*) De ſcript. eccleſ. c. 70. *m*) Plures ſuppeditat FABRICIVS bibliotheca mediae et infimae Latinitatis l. 8. pag. 753. ſeq. *n*) Loc. cit. *o*) Pariſiis 1693. fol.

ſectatur, admodum ſubtili rerum atque verborum acumine, eaque dictionum ſublimitate, vel grandiloquentia potius, quae rudioribus facile obſcuritatem parit. 2) *Commentarius in euangelium Matthaei*, in XXXIII. canones, ſeu titulos et capita diuiſus: cuius praefatio deſideratur, a CASSIANO *p*) commemorata. 3) *De trinitate libri XII.* aduerſus Arianos aliosque de filio Dei perperam ſentientes haereticos: qui in nonnullis codicibus de fide contra Arianos, libri fidei, de fide S. Trinitatis, et de fide contra omnes haereſes inſcribuntur. Variis etiam, vt dixi, haereticis, inprimis vero Arianis opponuntur: quamuis ſemel tantum Ariomanitarum, et bis Arii mentionem in his commentariis faciat. In hoc potiſſimum opere longe omnium praſtantiſſimo emendando Eraſmi deſudauit induſtria. Quod autem Hilarius nec plures, nec pauciores, quam XII. libros de trinitate ſcripſerit: non ſolum ex ipſius auctoris recenſione, qui primo reliquorum argumenta numerat, verum etiam ex HIERONYMO patet, qui diſerte duodecim ait *q*) aduerſus Arianos confeciſſe libros: eumque tradit alibi *r*) et ſtilo, et XII. libris Quintiliani imitationem affectaſſe. Hinc minime dubitandum, quin CASSIODORVS, qui in inſtitutionibus ſuis diuinis XIII. libros Hilarii de trinitate indicat, librum de ſynodis annumerauerit. Primus totius operis quaedam quaſi praefatio eſt: vt oſtendat, quibus gradibus homo ad beatitudinem ac veritatis cognitionem perueniat. Deinde ſingulorum vndecim ſequentium librorum argumenta recenſet. Libro ſecundo eccleſiae doctrinam explicat de perſonis tribus diuinis. Tertio probat diuinitatem filii Dei,

ex

p) De incarnatione VII. 24. *q*) De viris illuſtribus c. 100. *r*) Epiſt. 84.

Digitized by Google

ex verbis D. Iohannis: ego in patre, et pater in me eſt. Quarto refert errores haereticorum circa conſubſtantialitatem, vt barbare loquuntur, Verbi: cuius diuinitatem pluribus V. T. locis demonſtrat. Quinto idem argumentum pertractat: et verbum contendit apparuiſſe Abrahamo, Iacobo, Moyſi, aliisque patriarchis; et angelum non propter naturam, ſed propter miniſterium appellari. Sexto, Ieſum Chriſtum eſſe filium Dei, probat ex patris teſtimonio, ipſius filii declaratione, apoſtolorum praedicatione, fidelium, imo et daemonum, et Iudaeorum, et gentilium confeſſione. Septimo oſtendit, filium Dei eſſe vere Deum. Octauo probat vnionem eſſentialem patris et filii, et hereticorum reſpondet argumentis, explicando loca, quae afferebant, vt aſſererent, vnionem patris et filii eſſe vnionem voluntatis et ſenſus, non vero vnionem eſſentiae et naturae. Nono reſpondet grauioribus Arianorum obiectionibus, quae nituntur quinque S. Scripturae locis, quorum ſenſum genuinum exhibet. Marci X. quid me dicis bonum? nemo bonus, niſi vnus Deus. Iohannis XVII. haec eſt vita aeterna, vt cognoſcant te, ſolum verum Deum, et quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Iohannis V. non poteſt filius a ſe facere quidquam, niſi quod viderit patrem facientem. Ioh. XIV. pater maior me eſt. Marci XIII. de die autem illo, vel hora, nemo ſcit, neque angeli in coelo, neque filius, neque pater. Decimo reſpondet obiectionibus, quas Ariani hauriebant ex illis S. Scripturae locis, quibus narratur Chriſtum Ieſum timori, triſtitiae, dolori, ceteris animi paſſionibus fuiſſe obnoxium. Vndecimo quibusdam euangeliorum et S. Pauli locis reſpondet de Chriſto Ieſu ex mortuis ſuſcitato et glorioſo, quae Ariani in medium proferebant, vt probarent, filium patri aequalem

non esse. Vltimo locum explicat prouerbiorum: Dominus possedit me in initio viarum suarum etc. quem interpretatur de incarnatione Christi: et ostendit verbum Dei proprie non esse creatum, sed ab aeterno genitum a Deo: quod multis scripturae locis euincit. 4) *Liber de synodis* fidei catholicae contra Arianos, ad fratres et coepiscopos prouinciae Germaniae primae et secundae, Belgicae primae et secundae, Lugdunensis primae et secundae, prouinciae Aquitanicae, et prouinciae Nouempopulanae, et ex Narbonensi, plebem, et clericos Tolossanos, et prouinciarum Britannicarum episcopos. Huic vel libro, vel epistolae, in noua Benedictinorum monachorum editione, accedunt apologetica ad reprehensores illius tractationis responsa, ante nunquam edita: quibus fidei suae rationem reddit: cum se ob librum de synodis male audire a Lucifero, forte Calaritano, monitus fuisset. 5) *Epistola ad Abram filiam suam*, quam Erasmus, Gillotius, et alii suppositiis adscribunt, auctori vindicant Benedictini, vna cum 6) *hymno matutino*, Abrae filiae suae misso, cuius initium: Lucis largitor optime etc. 7) *Ad Constantium Augustum liber primus*, cuius initium: Benefica natura tua, Domine beatissime Auguste etc. qui scriptus videtur circa annum ab reparata salute CCCLV. quamuis eum DV PIN *s*) arbitretur esse alteri postponendum. In eo supplici libello rogat imperatorem, vt persecutiones cohibeat, quibus Ariani ecclesiam exagitarent. Componit vexationes illas, cum veteri aduersus catholicos pagana crudelitate: imo saeuitiam Arianorum in Christianos longe maiorem demonstrat; sacerdotes carceribus contineri: plebem in custodiam catenati ordinis constrictam

s) Bibliotheca noua eccles. auctor. tom. 2. p. 149. seq.

Digitized by Google

ctam diſponi: virgines nudari ad poenam: ſacrata Deo corpora publico exponi conſpectui: cogi, non vt Chriſtiani omnes ſint, ſed vt Ariani. Sigillatim male habitos ſcribit Paulinum Treuirenſem, Dionyſium Mediolanenſem, Euſebium Vercellenſem, plures alios epiſcopos. Sed libri deſideratur finis. 8) *Ad Conſtantium Auguſtum liber* alius, quem illi ipſe circa annum Domini CCCLIX. tradidiſſe videtur. Initium libelli eſt: non ſum neſcius, piiſſime imperator etc. Quo ſupplici libello proponit, ſe catholicum eſſe Galliae epiſcopum exulem, propter inimicorum calumnias. Obſecrat ergo imperatorem, vt cauſſam ſuam ſuorumque in Chriſto fratrum audiret. Et hic liber extremo quibusdam videtur minutus, aliis non item. 9) *Contra Conſtantium Auguſtum liber*, qui incipit, tempus eſt loquendi, quia iam praeteriit tempus tacendi. Chriſtus exſpectetur, quia obtinuit antichriſtus. Clament paſtores, quia mercenarii fugerunt. Ponamus animas pro ouibus, quia fures introierunt, et leo ſaeuiens circumit. Vitae et actionum ſuarum rationem reddit. Prae modeſtia ſe conticuiſſe, ratum, fore, vt res tandem mutarentur: ſed omnia deſperantem in verba erumpere. Se Decii, vel Neronis temporibus viuere maluiſſe; nec reformidare cruciatus; ſed conſtanti animo perſecutiones quascunque perferre. At nunc pugnandum contra hoſtem blandientem, qui beneuolentiae nomine eccleſiam opprimat. Conſtantium demonſtrat antichriſtum eſſe: quem his verbis alloquitur: proclamo tibi, Conſtanti, quod Neroni locuturus fuiſſem, quod ex me Decius et Maximianus audirent: contra Deum pugnas: contra eccleſiam ſaeuis: ſanctos perſequeris. Eiusmodi multa cumulat probra: quae recenſere taedet ac poenitet. Ecquis vero ſibi perſuaſerit vnquam, ita Conſtantium alloqui, iam vita

vita defunctum, *t*) eumque continuis laceſſere criminibus? Atqui HIERONYMVS *v*) teſtatur, librum hunc in Conſtantium poſt mortem eius fuiſſe conſcriptum. Potuit is alius fuiſſe liber, vel Hieronymus erraſſe: quoniam ex ipſa libri inſpectione contrarium ſatis patet. Mortuum adeo non potuit timere eccleſia. Nec difficulter librum hunc colligitur ſcriptum eſſe, Conſtantio adhuc ſuperſtite, anno Domini CCCLX. quoniam in eius limine refert, quae ante quinquennium ipſemet praeſtiterit, cum Paulinus, Euſebius, Lucifer, et Dionyſius, Vrſacii et Valentis factione, in exilium mitterentur. At factum illud CCCLV. et Conſtantius mortuus eſt CCCLXI. Neque hinc immerito Benedictinis monachis *x*) et FABRICIO *y*) videtur ſcriptus Conſtantio adhuc viuo ac ſuperſtite; nec imperfectus, ſed a manu peregrina intempeſtiue auctus. Et cum Hilarius contra leges reuerentiae, imo verecundiae, quam ſummis magiſtratibus debemus, videatur egiſſe: Benedictini verborum aſperiorum cauſſam non tam exilii impatientiae, vel auſteriori mentis indoli, quam temporum neceſſitati tribuendam cenſent: quod lupum ouinis pellibus indutum detegere opus fuerit. Scilicet tantam cladem eccleſiae minus intellectarum vocum duarum inferre potuit diſcrepantia. Sacrilegii accuſantur epiſcopi, qui concilio Seleucienſi interfuerunt, patrem affirmantes ſimilem non eſſe filio, quod ad ſubſtantiam attinet: neque voces admittere voluerunt ὁμοουσίῳ, conſubſtantialis, et ὁμοιουσίῳ, ſimilis ſubſtantiae. Conſtantius, vt voces illas abrogaret, ſolas decreuit ſcripturae locutiones adhibendas

t) Quod GILLOTIVS et alii in ſcriptionibus ſignificant. *v*) De viris illuſtribus cap. 100. *x*) Optima Hilarii editione quam Pariſiis 1693. fol. vulgarunt. *y*) Ad Hieronymi l. c. bibliotheca eccleſiaſtica pag. 188. et biblioth. Latina vol. 3. p. 416.

Digitized by Google

hibendas esse. Hinc lerna malorum. 10) *Contra Arianos, vel Auxentium Mediolanensem, liber*, cui subiicitur Auxentii ad imperatores Valentinianum et Valentem epistola, qua Arianam haeresin a se amouere conatur, quamuis ὁμοούσιον vocem non approbet, nec Ariminensem formulam reiiciat. Hilarius vero publica purgatione aduersus episcopum illum, eiusque fautores, doctrinae et actionum suarum rationes exponit. Cum illi se inprimis pacem sectari profiterentur: Hilarius nullam ait pacem aliam, nec veram, esse praeter Christi et euangelii pacem: nec illam supereſſe videri, cum ecclesiae ministri facti sint antichristi, et euangelii oppriment doctrinam, quam se praedicare simulant. 11) *Liber fragmentorum* ex opere historico de synodis pridem a Nicolao Fabro editorum: quibus fragmenta ex aliis Hilarii scriptis perditis subiiciuntur. Inter opera Hilarii deperdita numerantur 1) breuis libellus ad Sallustium, praefectum Galliarum, contra Dioscorum medicum, quo, ex HIERONYMI z) sententia, quid in literis posset, ostendit. Admodum verosimile est, libellum pro veritate religionis Christianae aduersus paganos scriptum fuisse. Sallustius autem praefectus is est, ad quem Iuliani imperatoris epistolae habentur. 2) Commentarius in Iobum, quem HIERONYMVS *a*) de Graeco Origenis ad sensum transtulisse testatur. Locum ex eo profert AVGVSTINVS, *b*) quo peccatum originale probat. 3) Commentarius in cantica canticorum: quod opus iam tum suo tempore HIERONYMVS *c*) ignorabat. 4) Hymnorum a se compositorum collectio. 5) Liber mysteriorum. 6) Mul-

z) Epist. 84. ad Magnum. *a*) De viris illustribus c. 100.
b) Lib. 2. contra Iulianum. *c*) De viris illustr. c. 100. extr.

6) Multae epiſtolae, SVLPICIO SEVERO *d*) etiam laudatae. 7) Expoſitio epiſtolae ad Timotheum in concilio Hiſpalenſi *e*) citata. 8) Liber contra Valentem et Vrſatium, cuius et HIERONYMVS *f*) meminit, et plures alii: NICOL. FABER autem fragmenta de Ariminenſis et Seleucienſis ſynodorum hiſtoria edidit. Pro ſuppoſititiis habentur epiſtolae ad Auguſtinum, *g*) epiſtola et hymnus ad Abram filiam, liber de patris et filii vnitate atque eſſentia. Chronicorum etiam meminit TRITHEMIVS, *h*) quae procul dubio alium auctorem agnoſcunt. Pluribus conferatur ANDREAS RIVETVS, *i*) qui critici ſacri libro tertio, capite duodecimo de operibus Hilarii Pictauienſis epiſcopi nomine ſuppoſititiis agit.

§. LI.

Hilarius ex Latinis primus contra Arianos eloquentiae gladium ſtrinxit: adeo quidem, vt non immerito a quibusdam Arianorum malleus nominaretur. Apud ſuos certe vir maximae auctoritatis fuit. SVLPICIVS SEVERVS *k*) Dei nutu factum affirmat, vt vir diuinarum rerum inſtructiſſimus, cum de fide diſceptandum erat, Seleucienſi concilio intereſſet. Et illud, eodem teſte *l*) apud omnes conſtitit, vnius Hilarii beneficio Gallias piaculo, i. e. nefaria haereſis peſte, liberatas. RVFFINVS *m*) virum vocat natura lenem et placidum, ſimulque eruditum, et ad perſuadendum commodiſſimum, qui ipſo Euſebio rem diligentius

d) Sacrae hiſtor. l. 2. c. 45. *e*) Cap. 12. *f*) De viris illuſtr. c. 100. *g*) Nam Pelagiani, de quibus in illis epiſtolis agitur, poſt Hilarii obitum tandem innotuere: et ipſe Auguſtinus, ad quem ſcribuntur, poſt Hilarii mortem deuota mente Chriſtum amplexus eſt. *h*) De ſcriptoribus eccleſiaſticis c. 70. *i*) Operum tomo 2. pag. 1110. ſeq. *k*) Sacrae hiſtoriae l. 2. c. 42. *l*) L. c. cap. 45. *m*) Eccleſiaſticae hiſtoriae l. 1. c. 31.

gentius et aptius curauerit. Libros de fide nobiliter ſcriptos edidiſſe, quibus et haereticorum verſutias, et catholicorum deceptiones, et male credulam ſimplicitatem tam diligenter expoſuerit, vt et praeſentes, et longe abſentes, perfectiſſima inſtructione corrigeret. Ita duos iſtos viros, Euſebium atque Hilarium, velut magnifica quaedam mundi lumina, Illyricum, Italiam Galliasque ſuo ſplendore irradiaſſe: vt omnes etiam de abditis angulis et abſtruſis haereticorum tenebrae fugarentur. Et SOCRATES *n*) hunc ait ſecundae Aquitaniae potificem fortiter in fide laboraſſe: diſertumque ſuis libris ſatisfactionem de trinitatis conſubſtantialitate conſcripſiſſe: quibus hoc ſufficienter expoſuerit, et vehementer Arianorum dogma deſtruxerit. HIERONYMVS *o*) noſtrum cum Athanaſio componit. Horum libros vult pietatis ſtudioſus pede inoffenſo decurrat; illorum tractatibus ingeniisque delectetur: in quorum libris pietas fidei non vacillet: ceteros ſic legat, vt magis iudicet, quam ſequatur. Multum illi tribuit AVGVSTINVS, *p*) tanquam viro non mediocris auctoritatis in tractatione ſcripturarum, et aſſertione fidei. Alibi contra Iulianum Pelag. *q*) *audi*, inquit, *quod te poſſit amplius commouere, atque turbare, et vtinam in melius commutare, eccleſiae catholicae aduerſus haereticos acerrimum defenſorem. Venerandum quis ignorat Hilarium, epiſcopum Gallum?* Tantum virum, et temporibus ſuis diſertiſſimum HIERONYMVS ſaepe iam laudatus *r*) reprehendere non audet, etiam in erroribus ſatis apertis: quum et confeſſionis ſuae merito, et vitae induſtria, et eloquentiae claritate, vbicunque Romanum nomen eſt,

n) Hiſtoriae eccleſiaſticae tripartitae l. 6. c. 24. *o*) Ad Laetam epiſt. 7. *p*) De trinit. l. 6. c. 10. *q*) Lib. 1. c. 3. *r*) Ad Marcellam epiſt. 44. part. 2. tract. 3.

Digitized by Google

praedicetur. Sic ſane Hieronymus, qui Auguſtinum pene contemſit, nec ita multum tribuit Ambroſio, toties tanta cum veneratione Hilarium alibi orbis Deucalionem, alibi Latini ſermonis tubam nominare videmus.

§. LII.

Hominis eruditionem in dubium vocare nemo poteſt. Ratiocinia, ſatis per ſe quidem ſolida, non parum ſplendoris ab viuido ac vehementi genere dicendi accipiunt. Morum cenſor rigidus atque ſeuerus propugnator fidei parcit prorſus nemini: nec principum virorum, nec imminentis periculi rationem habet: et pari vbique dicendi libertate vtitur. Exemplo poteſt eſſe contra Conſtantium imperatorem libellus: quo verecundiae et pietatis erga magiſtratum ſuum non modo transgreditur limites, verum et pudorem, et humanitatem omnem exuiſſe videtur. Haereticos male vbique tractat. Et patriam contemnit et ciues ſuos. Vnde HIERONYMVS: *s) non mirum eſt ſtultos, et ad intelligentiam tardiores Galatas appellatos: cum et Hilarius -- Gallus ipſe et Pictauis genitus, in hymnorum carmine, Gallos indociles vocet.* Quamuis etiam ſibi perſuadeat, ſapientiae et pietatis ſtudioſos Hilarii ſcripta, tanquam erroribus libera, inoffenſo pede, i. e. ſine corruptionis periculo decurrere poſſe: humani quid ſaepius tamen paſſus eſt, eaque literis mandauit, quae ſanioris doctrinae cuſtodes minime gentium probare potuerunt. Cum aliis, tum ERASMO, *t)* aliquot locis ſentire videtur, Chriſto fuiſſe corpus, quod doloris capax non eſſet, famem, ſitim, laſſitudinem, aliasque hoc genus

s) Praefat. in 2. lib. commentar. ad Galatas. *t)* Elegantiſſima praefatione in Hilarii opera. Confer. SCHOPFIVS academia I. C. a pag. 69. OSIANDER hiſt. eccleſ. cent. 4. l. 3. c. 18. a pag. 337. DV PIN, CAVE, alii.

Digitized by Google

genus affectiones non fuiſſe naturales in eo, ſed aſſumtas. Solum patrem Deum innaſcibilem eſſe; ſolum filium genitum, non creatum; ſpiritum ſanctum ſic proficiſci ab vtroque, vt nec natus dici poſſit, nec tamen admittendus ſit in nominis conſortium, quod quidam filio tribuebant, creaturam illum appellantes. Nos quoque cum filio et patre eſſe vnum natura, non adoptione, neque conſenſu tantum. De corpore Chriſti ita loquitur, vt Mariam virginem, praeter concipiendi, geſtandi, et pariendi miniſterium, nihil de ſuo addidiſſe videatur. Sic et alia ſunt loca non pauca, quae prudentem et cautum interpretem requirunt. Attamen Benedictini Monachi *v*) eum ab erroribus, quorum paſſim agitur reus, abſoluere ſtudent: vt omnes opera illius, quemadmodum Hieronymus loquitur, pede inoffenſo decurrere queant. Obſeruant, IOHANNEM PRAEPOSITVM *x*) Hilario imputaſſe, quod non ſolum Chriſtum ex matris ſubſtantia natum negauerit; ſed etiam Chriſtum ex Spiritus Sancti ſubſtantia carnem ſuam aſſumſiſſe affirmarit: eundemque errorem Hilario etiam ab Eraſmo, Sculteto, et aliis impingi. Hilarium vero claris et perſpicuis verbis ſaepius docere, quod Chriſtus carnem ſuam ex matris ſubſtantia acceperit: et loca, quae pro ſententia contraria ſolent allegari, nihil aliud innuere, quam quod Maria non virtute quadam naturali, ſed diuini ſpiritus operatione foetum conceperit. Accuſat ERASMVS *y*) Hilarium, vt vidimus, quod homines cum Deo patre et filio aſſeruerit vnum eſſe natura, non adoptione, aut conſenſu. Hinc Benedictini

v) Prolegom. elegant. in operum Pariſienſi 1693. fol. editione. Confer. Act. Erudit. Lipſ. ſupplement. tom. 3. ſect. 2. pag. 52. ſeqq. *x*) In literis ad Philippum Bonae Spei. *y*) Praefat. in Hilarii opera.

prolixe disputant, qua ratione Hilarius homines cum Christo, et mediante Christo, cum patre vnum esse docuerit. Cum autem vix vllus error Hilario frequentius obiiciatur, quam quod Christum dolori, metui, tristitiae, aliisque passionibus obnoxium fuisse negauerit: eum quoque ab isto errore liberum fuisse, multis rationibus ostendunt. Accusantibus, quod verbum a Christo moriente statuerit secessisse, Benedictini respondent: verba Hilarii ita explicari posse, quod diuinitas se a carne separauerit, non vnionem soluendo, sed protectionem subtrahendo; vel quod caro recedentis diuinitatis dissidium contestata fuerit, quatenus nullum praesentiae suae signum ediderit. Reliqua breuitatis studio praetermittenda putamus. Ex ignorantia linguarum in expositione sacri codicis errores commisit plurimos. Ex infinitis vnum notamus: quem et HIERONYMVS, z) incomparabilis Hilarii fautor, defendere nullo modo potest. Psalmorum libro a) legimus:

כְּחִצִּים בְּיַד־גִּבּוֹר כֵּן בְּנֵי הַנְּעוּרִים׃

Vt sagittae in manu potentis: ita filii iuuentutum. HILARIVS b) Latine reddit: *sicut sagittae in manu potentis, ita filii excussorum.* Excussorum filios credentium populos interpretatur: quod scilicet apostolos illo nomine putauit appellatos: quibus in euangeliis praeceptum, in quamcunque ciuitatem introierint, et non fuerint recepti, excutere puluerem pedum suorum in testimonium non credentium. Atqui facile sibi potuisset persuadere, excutientes alios esse, atque excussos. Sed HIERONYMO teste *) Hebraei sermonis ignarus fuit: Graecarum quoque

z) Ad Marcellam epist. 44. part. 2. tract. 1. a) Psalmo CXXVII. v. 4. b) In psalmum 126. enarrat. *) Loc. cit.

Digitized by Google

que literarum quandam auram ceperat. Fidem ergo in omnibus habuit Heliodoro presbytero, quo valde familiariter vſus eſt: eaque ſemper illum quaeſiuit, quae intelligere non poterat, quomodo ab Origene dicta eſſent. Heliodorus, quia in hunc pſalmum Origenis non potuit inuenire commentarium, ſuam opinionem magis, quam ignorantiam confiteri voluit. Et hanc, vt multa alia, erroris incautus noſter Hilarius ſequitur. Textui Hebraeo LXX. verſionem Graecam praefert, *c*) propterea quod ambigua, et obſcura, et incerta, in iſta lingua obueniant plurima: vt ברשאת primum geneſeos vocabulum apud Hebraeos tria ſignificet, in principio, in capite, et in filio. Et hominis id videtur eſſe ingenium: vt quisque probet, quantum aſſequi ſe poſſe confidat. Nouerat vtcunque noſter Graeca: vt ſupra ex Hieronymo notauimus, huius linguae auram, i. e. principia quaedam deguſtaſſe. Graecorum inde floſculis opera libenter ornat ſua. Sed cum literas prorſus ignoraret Hebraicas: aliam, praeter LXX. interpretum, codicis ſacri auctoritatem admittere noluit. *d*) Quamuis, vt ſaepe iam monuimus, in pſalmos aliosque codicis ſacri libros enarrationes ſcribens, Originem aſſidue fuerit ſecutus, atque ex illius Graecis voluminibus quadraginta fere millia verſuum in libros ſuos ſic transtulit Latine, vt ſenſum magis, quam verba exprimeret: Origenis nomen perpetuo tamen diſſimulauit, et quaedam de ſuo addens, non interpres alieni, ſed auctor ſui operis haberi voluit. Sic certe plagii literarii poſtulandus eſſet. Quod autem ipſe nuſquam indicarit, quem ſit ſecutus: opinantur ideo factum, vt Origenici nomi-

c) Enarratione in pſalmum 2. *d*) Pl. conferatur SIXTVS SENENSIS bibliotheca ſancta l. 4. pag. 310.

nominis inuidiam euitaret; non vt ſtudioſe tegeret, per quem profeciſſet. Eoque pacto IAC. THOMASIVS *e*) cum ERASMO *f*) Hilarium noſtrum eſſe cupiunt excuſatum.

§. LIII.

Viri eloquentia, pro genio ſeculi, i. e. maſcula in dies magis decreſcente orationis dignitate, tanta fuit: vt eum Latini ſermonis non dubitauerint vocare tubam. Ita certe ſaepius inflatur, et altius aſſurgit: ſed dum ſublimia petit, vtplurimum in meteoris haeret. De linguae caſtitate parum ſolicitus, orationis affectat magnificentiam, nimia ſaepe agitatus vehementia, longius producitur, quam materiae conuenit tenuitati. Hinc bene et eleganter HIERONYMVS *g*) *S. Hilarius*, inquit, *Gallicano cothurno attollitur, et, cum Graeciae floribus adornetur, longis interdum periodis inuoluitur, et a lectione ſimpliciorum fratrum procul eſt.* Alibi *h*) eum *Latinae eloquentiae Rhodanum* vocat, alludens non ſolum ad regionem, ex qua oriundus erat; verum etiam ad characterem ſtili, qui violentus et rapidus, inſtar curſus Rhodani fluuii. Quemadmodum enim fluuius ille vi et impetu aquarum oppoſita quaeque trahit: ita vehemens et celſa Hilarii oratio lectorum mentem rapit, et locutionum ſtimulis quibusdam quaſi conſenſum extorquere ſtudet. Stilus horridior eſt, quam eloquentiae flumen requirit: periodi ſunt iuſto longiores et intricatae. Hinc orationis obſcuritas, et aliquibus in locis plane inperueſtigabilis difficultas. Barbaras nec raro adhibet voces. Et rerum imagines paſſim inuenire licebit, in quibus prorſus nulla conſtructio. Figuris et antitheſibus abundat. Sunt alia, quae

e) De plagio literario §. 466. *f*) Praefat. operum Hilar. *g*) Ad Paulinum epiſt. 13. *h*) Praefat. in 2. lib. commentar. ad Galat.

Digitized by Google

quae paſſim locorum obſcuritatem longe maximam pariunt. *i*) Nec ab re ERASMVS, *k*) *talis*, inquit, *eſt ſermonis character, vt etiamſi res per ſe dilucidas tractaret, tamen eſſet et intellectu difficilis, et deprauatu facilis. Nunc quid cenſes fuiſſe negotii, cum res non modo difficillimas, verum etiam inexplicabiles illa ſua phraſi differit verius, quam explicat.* Rurſum: *quod Hieronymus in epiſtola quadam ad Paulinum de doctis cenſuram agens, Hilarium ſcribit Gallicano attolli cothurno, cum alioqui Graecorum floſculis ornatus incedat, fruſtraque legi ab imperitioribus, quod interdum longis periodis inuoluatur: quanquam vbique ſuum quoddam dicendi genus habet Hilarius, tamen in hoc opere* de trinitate *praecipue verum eſt. Rem enim, vt eſt probabile, mutuatus a Graecis, addidit Gallicam grandiloquentiam, cum Graecis peculiaris ſit erudita ſimplicitas, et oratio venuſta, dilucidaque magis arrideat, quam grandis et operoſa. Neque raro deſidet in locis communibus* etc. *frequenter autem aſſurgit ad floridam quandam ac theatricam ſublimitatem, praeſertim cum incidunt loca, quae facile ſplendeſcunt tractata* etc. *neque raro vſque ad tragica ſchemata attollitur, proſopopoeias et apoſtrophas, quibus vel haereticos, vel Deum ipſum alloquitur* etc. *Porro ſermonis obſcuritas, tametſi partim inde eſt, quod frequenter orationem diuerſis e membris contextam vix tandem longo circuitu abſoluit: tamen illud etiam officit orationis perſpicuitati, quod in argumento per*

i) Inde BOECLERVS bibliographia critica pag. 736. viri magni zeli in eccleſia, claritudinis et eruditionis ſtilum ait incommodiorem eſſe, ob cuius obſcuritatem dicta illius in varios ſenſus ſaepe trahantur ab iis, qui pallio antiquitatis errores ſuos tegere volunt. *k*) Praefat. in Hilarii opera.

per ſe ſubtilitatibus inuoluto, laudem etiam affectauit argutiae, nonnunquam et copiae etc. Idem Ciceroniano *l*) nihil ait Tullianae caſtitati habere ſimile: difficilem eſſe et obſcurum in eloquendo, et Gallico attolli cothurno, verba quoque multa ſecum trahere, quae non ſunt Tullianae puritatis. Sic tumidus vbique, et ſubobſcurus, et varie, vt ſeculi huius fuit genium, inquinatus, perexiguam eloquentiae meretur laudem. Equidem reperire nuſquam potui, quod SIXTVS SENENSIS *m*) praedicat, ſtilum eius eſſe absque vlla artis affectatione preſſum, ſolidum, et ab omni tumore faſtuque alienum. Diuerſum ipſe Hieronymus ſentit, cuius verba paulo ſuperius leguntur. Ne quid vero illi obloquatur, ea verba putat ſolum ad libros XII. de trinitate referenda eſſe. Sed vbique, etiam in pſalterii, et in Matthaei commentariis, Gallicano incedit cothurno, et omnibus affectationis, quae iamiam notauimus, vitiis laborat: et periodis longioribus obſcuris vim magnam vocum barbararum cumulat. *n*)

§. LIV.

Hilarii Pictauienſis epiſcopi libros de trinitate, ad Conſtantium, contra Conſtantium, contra Auxentium, et de Synodis primum Georgius Cribellius presbyter edidit. Mox et in pſalmos aliquot commentarium Iohannes Solidus Cracouius, hortante Iacobo Fabro Stapulenſi, e tenebris eruit. Iſtis Hilarii ſcriptis *Pariſiis* 1510. fol. Iodocus Badius Aſcenſius commentarium et epiſtolam ad Apram adiunxit. 1544. fol. Hilarii opera prodierunt Ludouici Miraei ſtudio accurata. 1572. fol. Iohannis Gillotii

l) HALLBAVERI collectione de imitatione oratoria pag. 86.
m) Bibliothecae ſanctae lib. 4 pag 310.
n) Conf. WALCHIVS V. C. hiſtoria critica Latinae linguae c. 1. p. 81.

tii Campani. 1598. fol. apud Andr. Perier. *Baſileae* 1523. fol. ex officina Frobeniana Hilarii opera edidit Deſid. Eraſmus Roterodamus, addita praefatione prolixa, quae et Romanam, et Pariſienſium theologorum cenſuram incurrit. Eaque incomparabili praefatione exactum aliquod et abſolutum artis ſuae ſpecimen affectaſſe videtur, vt Virgilius in Aeneide, Ouidius in Medea, Tullius in oratore, Auguſtinus in ciuitate Dei. Eaque Eraſmi editio repetita 1535. fol. 1550. fol. cura Martini Lypſii 1570. fol. cui Ioh. Iacobus Grynaeus vitam Hilarii a ſe compoſitam praemiſit.

§. LV.

Seculo poſt Chriſtum natum decimo ſeptimo Hilarii opera prodierunt *Pariſiis* 1605. fol. opera Iohannis Gillotii Campani. Eaque editio 1631. et 1652. fol. iterata fuit. 1693. fol. ad manuſcriptos codices Gallicanos, Romanos, Belgicos, nec non ad veteres editiones caſtigata, aliquot aucta opuſculis, praeuiis in locos difficiles diſputationibus, praefationibus, admonitionibus, notis, S. Confeſſoris vita, et copioſiſſimis indicibus locupletata et illuſtrata, ſtudio et labore monachorum ordinis S. Benedicti e congregatione S. Mauri. *o*) *Coloniae* 1617. fol. cura Iohannis Gillotii Campani.

§. LVI.

Sub Valentiniano et Valente imperatoribus, eccleſiae inter praefectos, et eruditiſſimos viros, in Africa nominis immortalitatem conſecutus eſt S. OPTATVS, *p*)

o) Vid. Actor. Erudit. Lipſienſ. ſupplem. tom. 3. ſect. 2. p. 49. ſeqq.

p) *Optati* nomen ſatis vulgare eſt Africanis. Et vnus S. AVGVSTINVS de multis loquitur, qui a noſtro probe diſtinguendi ſunt.

Mileuitanus epiſcopus in Numidia, *q*) qui tunc temporis praeſertim fuit Donatiſtarum malleus. Nihil de eius vita memoriae proditum: niſi quod ipſius libris docemur, grauem illi cum principe Donatiſtarum, Parmeniano, Carthaginienſi epiſcopo, fuiſſe controuerſiam: quem vtut argumentorum pondere ſatis acriter impugnauerit, et maſcula virtute cauſſam egerit eccleſiae catholicae: ipſum tamen humanitate et modeſtia ſua magis allicere, quam feruore et conuiciis alienare, maluit. Inſigne, ringentibus etiam aduerſariis, ſtudium pacis prae ſe tulit. Sic et initium tractationis nil niſi charitatem ſpirat, inter querelas de turbata eccleſiaſtica pace, quam mundi ſeruator ipſis reliquerit. Attamen non veretur etiam aduerſarios appellare fratres ſuos. *Quamuis et illi*, inquit, *non negent, et omnibus notum ſit, quod nos odio habeant, et execrentur, et nolint ſe dici fratres noſtros: tamen nos recedere a timore Dei non poſſumus, quos hortatur Spiritus S. per Eſaiam prophetam, dicens: vos tamen dicite eis, fratres noſtri eſtis. Sunt igitur ſine dubio fratres, quamuis non boni. Eſt nobis et illis vna ſpiritualis natiuitas, ſed diuerſi ſunt actus.* Quod vtinam intelligant omnes, et ſententiarum diuerſitate ab liuore et impia execratione abſtinere diſcant. Sed multi proh dolor! ſine ratione videntur iraſci, et odio proſequi plus quam Vatiniano illos, quibuscum ad communem felicitatis vſuram adſpirare videri volunt. At ſurdis narratur fabula. Fugiunt bonos: ac velut rationis expertes, vociferantur, clamant, et haereticis, quod nimium iſtis vulgare nomen, aqua et igni interdicunt. Tantumque abeſt, vt fratrum nomine

q) Errant, qui epiſcopum Melitenſem fuiſſe putant. Mileuis autem vrbs Numidiae eſt in Africa, cuius in conciliis frequens mentio.

Digitized by Google

mine aduerſarios ſalutare velint. Ob praeclara eccleſiae praeſtita officia, poſt obitum, in ſanctorum numerum relatus eſt; eiusque nomen martyrologio Romano IV. Iunii adſcriptum. DVPINIVS, *r*) Hieronymi teſtimonio, affirmat, fato functum eſſe ſub imperio Valentiniani. Sed is *s*) non fato inquit functus eſt, ſed *ſcripſit, Valentiniano et Valente Principibus, aduerſus Donatianae partis calumniam libros ſex.* Atqui etiam Optatus ipſe, *t*) quem circa annum Domini CCCLXX. ſcripſiſſe oporteret, Siricii meminit inter pontifices Romanos, qui anno demum CCCLXXXIV. eam dignitatem conſecutus eſt. Series Romanorum epiſcoporum haec apud eum legitur: *Iulio Liberius* (ſucceſſit) *Liberio Damaſus, Damaſo Siricius hodie, qui noſter eſt ſocius.* Si Optatus libros ſuos edidit tempore Valentiniani et Valentis; Damaſus vero, omnium conſenſu, et ipſius HIERONYMI *v*) teſtimonio, ſub Theodoſio demum mortuus eſt: qui potuit Siricius Romae in epiſcopatu ſucceſſiſſe Damaſo, quum Optatus librum ſecundum ſuum conſcriberet? Itaque omnino probanda eſt FRANC. BALDVINI *x*) ſententia, qui putat haec verba, *Damaſo Siricius hodie*, eſſe alicuius paulo poſt Optatum ſcribentis librarii: qui Siricii aetate libros Optati deſcriberet, et in margine procul dubio annotaret *Siricius hodie*: vt quum inter Damaſum et Siricium nullus alius interceſſiſſet, integram ad ſua vſque tempora Romanorum praeſulum haberet ſeriem.

§. LVII.

Scripſit de ſchiſmate Donatiſtarum aduerſus Parmeniani, Carthaginienſis epiſcopi, tractatus, catholicis oppoſitos,

r) Noua bibliotheca eccleſ. auctor. tom. 2. pag. 187. et 209.
s) HIERONYMVS de viris illuſtribus c. 110. *t*) Lib. 2. c. 3.
v) De viris illuſtr. c. 103. *x*) Ad h. l.

poſitos, libros VII. vel VI, potius: ſeptimus enim, qui acceſſit, merito habetur pro ſpurio, vtut aliis ex Optatis ſchedis videatur eſſe collectus. HIERONYMVS, *y*) HONORIVS, *z*) et TRITHEMIVS, *a*) ſex illi aduerſus Donatiſtas libros tribuunt. *b*) Et ipſe operi praemiſſa generali animaduerſione in Parmeniani librum, oſtendit, qualem ordinem ſeruarit. Deinde confutationis ſuae quandam quaſi ideam facit, atque ſex librorum ſuorum argumentum indicat ita: *c*) *mihi videtur primo loco traditorum et ſchiſmaticorum indicandas eſſe ciuitates, perſonas, et nomina: vt quae a te de iis dicta ſunt, veros auctores et certos reos ſuos agnoſcant. Deinde mihi dicendum eſt, quae, vel vbi ſit eccleſia, quae eſt vna: quia praeter vnam altera non eſt. Tertio a nobis militem non eſſe poſtulatum, et ad nos non pertinere, quod ab operariis vnitatis dicitur eſſe commiſſum. Quarto loco, qui ſit peccator, cuius ſacrificium repudiat Deus, vel cuius oleum fugiendum ſit. Quinto de baptiſmate. Sexto inconſideratis praeſumtionibus et erroribus veſtris.* En argumentum ſex librorum Optati: quibus, quo rerum redit ſumma, vt HIERONYMVS *d*) ait, crimen Donatianorum in nos falſo retorqueri, aſſerit; crimen ſcilicet ſchiſmatis, cuius cauſſam Donatiani catholicis impingebant. Sex libri etiam in editione prima comparuere. Sed quod hodie libri ſeptem numerantur, inde eſſe putant, quod tres laciniae vel ab auctore poſt fuerint elaboratae, vel a prioribus libris hinc inde reſciſſae in

y) De viris illuſtribus c. 110. *z*) De ſcriptoribus eccleſiaſticis l. 1. c. 111. *a*) De ſcript. eccleſ. c. 76. *b*) Neque audiendus eſt BELLARMINVS de S. E. p. 87. librum quem hodie habeamus ſeptimum non diſſendire a ceteris, et facile in Hieronymi librum irrepſiſſe errorem in numeris. *c*) Lib. 1. c. 7. *d*) De viris illuſtribus c. 110.

Digitized by Google

in modum ſeptimi libri ſubiunctae. Vel potius alienae prorſus acceſſit opera manus, et falſo tribuitur Mileuitano Optato. Nam et ſtilus ipſe eſt plane diuerſus, ac nuſquam Optati noſtri vel elegantiam, vel ſublimitatem exprimit. Stilus eſt non tam humilis, quam debilis et plane abiectus. Optatus, vt Africani plerique, affectat ſaltem maſculam eloquentiam, eamque variis figuris ornatam. Voces obueniunt crebro, quas Optatus nunquam fecerit ſuas. Auctor quisquis etiam iſtius libelli eandem materiam tractat: quae iam tractauerat Optatus libro primo, tertio, et quarti initio. Imo continet opiniones illis contrarias, quae in ceteris Optati libris inueniuntur. Nam atrocitatem criminis eorum eleuat, qui libros ſacros comburendos tradiderant. Culpam illam capitale crimen eſſe negat, et aliis perſuadere conatur, eam leuem eſſe, et venia dignam. Optatus contra libro primo declarat, id ſummum eſſe crimen, ſchiſmatis crimini aequale, et eos, qui huius conſcii, aliquot huius vitae annos vitae aeternae diſpendio redimere. Quod ſupponit, crimen iſtud fuiſſe mortale, et damnatione dignum. Nec ab re DVPINIVS *e*) iudicat, opus cuiusdam eſſe Africani, qui paulo poſt Optatum vixerit, dubitari enim non poſſe, quin iſte liber antiquus ſit, qui haec adiicienda exiſtimarit, Optato poſtmodum adſcripta. Cum aduerſus Donatianae partis calumniam Optatus ageret: dictis ſuis fidem fecit ex archiuis, ex iudicum vocibus, et publicis documentis. Scribit inde bonae cauſſae fiducia: quia audio aliquos de ſocietate tua litigandi ſtudio chartas habere neſcio quas: quaerendum eſt, quibus ſit accommodanda fides, quae cum ratione concordent, quae cum veri-

e) Eccleſ. auctorum bibliotheca noua tom. 2. pag. 187. Confer. ANDR. RIVETVS critici ſacri l. 3. c. 15. oper. tom. 2. p. 1112.

veritate confabulentur. Veſtrae, ſi ſunt aliquae, mendaciis forte videantur aſperſae. Noſtras chartas probant et conflictus cauſſarum, et contentiones partium, et exitus iudiciorum, et epiſtolae Conſtantini. His praemiſſis affert inuicta monumenta Calumniis vero Donatiſtarum acceſſit etiam crudelitas tanta: vt Optatus eam non ſatis accuſare potuerit. *Lacerati*, inquit, *ſunt viri, tractae ſunt matronae, infantes necati ſunt, abacti ſunt partus. Ecce veſtra eccleſia, epiſcopis ducibus, cruentis morſibus paſta eſt.* Epiſtolas illi, et multa alia IOH. TRITHEMIVS *f*) tribuit, quae temporum iniuria interiere. In fine librorum ſuorum Optatus etiam plurima appoſuerat inſtrumenta probandis factis, quae aduerſus Donatiſtas in medium protulerat, idonea. Sed quae ibi appoſita fuerant, nullibi iam deprehenduntur. Iſtorum loco adiecta ſunt multa alia monumenta, quae ad Donatiſtarum hiſtoriam ſpectant: et quae DVPINIVS in noua eccleſiaſticorum auctorum bibliotheca *g*) recenſet.

§. LVIII.

Hi libri doctis merito ſunt grati et accepti, vtpote quorum beneficio ſolum ſchiſma et hiſtoriam Donatiſtarum intelligunt. Magnae fuit inter ſuos auctoritatis, adeo quidem vt eum etiam ſanctis adſcribere non dubitauerint. TRITHEMIVS *h*) virum vocat in diuinis ſcripturis ſtudioſum et eruditum, ingenio praeſtantem, vita deuotum et catholicum, qui ſuis pro defenſione fidei editis opuſculis abundans ingenium magnifice exercitauerit. Inprimis illud contra Donatiſtas grande et inſigne volumen laudat. Multum oſtendit eruditionis profundae, nec minus ingenii.

f) De ſcript. eccleſ. c. 76. *g*) Tom. 2. pag. 204. ſeqq. *h*) De ſcript. eccleſ. c. 76.

Digitized by Google

nii. Eius doctrina ſummam in eccleſia ſemper vtilitatem habet. Non enim ratio eadem eſt quaeſtionum, quae ipſius eccleſiae veritati adſtruendae inſeruiunt, ac illarum, quae circa dogma peculiare quoddam verſantur: et diutius non valent, quam dogma iſtud impugnatur a quopiam; ceſſante controuerſia, euileſcunt. Sed cum haereſes omnes, omniaque ſchiſmata ad euerſionem eccleſiae tendant: qui veritatem eius demonſtrant, libri nunquam non ſua ſe dignitate et vſu commendant. Praeterea obueniunt in his libris notatu maxime digna, imo cognitu neceſſaria, Chriſtianae doctrinae multa capita, et quae diſciplinam antiquam illuſtrant. Ipſi Donatiſtae eum tanti fecerunt, vt, AVGVSTINO teſte, *i*) illius etiam iudicio ſtare voluerint. BARONIVS *k*) eum vocat plane certum, antiquum, dignumque auctorem; alibi *l*) virum cum eruditione clarum, tum ſpectatae vitae, morumque integritate ſanctiſſimum. FRANC. BALDVINVS *m*) inter lumina refert eccleſiae, et fulmina ſanctiſſimi belli; atque in eo admiratur vehemens, acre, denſum, et neruoſum dicendi et diſputandi genus. Etiam SCVLTETVS *n*) laudat multiplicem illius eruditionem, pietatem conſtantem, atque doctrinam ſinceram: et iudicat digniſſimos eſſe libros, qui omnium eruditorum manibus terantur, cum noſtrae aetatis certamina viuis ibi coloribus ſint depicta.

§. LIX.

Naeuos habet, vt quilibet auctor, ſuos. Allegoriis nimium indulget: vt plurimos ſacrae ſcripturae locos pro

i) In breuiculo collationis. *k*) Annal. ad ann. 312. §. 82. *l*) Anno 368. n. 13. *m*) Editionis ſuae praefat. *n*) In medulla patrum.

pro lubitu exponat, ſenſum illis haud raro tribuens remotiſſimum ab eo, qui verus et naturalis; eosque non nunquam applicans rebus, quibuscum plane non conueniunt. Liberi arbitrii nimium tribuit viribus, cui bonam actionem volendi et incipiendi, imo et in via ſalutis progrediendi, ſine gratiae diuinae auxilio, poteſtatem omnem deferre videtur. Errores, ſed nullius momenti, alios BEBELIVS *o*) recenſet: quos inter et illud refert, a Balduino notatum, bene dicit, ſed non bene probat.

§. LX.

Stilus pro ratione temporis atque gentis ſuae propemodum communi conſuetudine, vel affectatione potius, eſt ſublimis et vehemens, et preſſiori locutione tot argumentorum pondera iactat. Sed non ſatis eſt politus, aut purus: tantumque abeſt, vt veterum nitorem atque virtutes exprimat. Vitia ſectatur ſeculi. Et eloquentiae hoc ſibi perſuadet eſſe ſatis atque nitoris, ſi quocunque modo, quos impugnat, vrgere acriter, quos euentus narrat, quaſi oculis ſubiicere, quae profert loca, ingenioſe explicare, et mentem ſuam ſubtiliſſime, vel acutiſſime, ad ſtimulum, aut voluptatem relinquendam, exprimere videatur. Ita, etiam DVPINIO *p*) iudice, *locutiones adhibet, iis, quae in mente habet, ſignificandis, apprime idoneas; ratiocinia eius ſubtilia ſunt; narrationes feſtiuae atque iucundae.* SCVLTETVS *q*) illi phraſin tribuit argutam, Latinitatem puram, et ſententias verborum acutas. BOECLERVS *r*) paucis exprimit omnia: *ſtilus eſt, vt Afrorum eſſe ſolet:* qui ſemper de affectata ſublimitate,

o) Antiq. eccleſ. ſec. 4. tom. prior. p. 297. ſeq. *p*) Noua bibliotheca eccleſiaſticorum auctorum tom. 2. pag. 106. *q*) In medulla patrum. *r*) Bibliographia critica p. 737.

Digitized by Google

te, longe quaeſitis ad nitorem coloribus, atque tumore ſuſpecti.

§. LXI.

Editio prima ſex librorum aduerſus Donatiſtas parum emendata *s*) eſt Iohannis Cochlei, ex bibliotheca Cuſana prope Treuiros, *Moguntiae* 1549. fol. ad calcem librorum Conradi Bruni de haereticis. Sex quoque ſed emendatiores *t*) ex MSto Spenſaei Franciſcus Balduinus, celeberrimus ICtus, *Pariſiis* 1563. 8. edidit, poſtea et ſeptimum librum, ſed minutioribus literis, adiiciendum curauit. Septem libros iterum collatis codicibus duobus aliis, Tiliano et Maceraeano, vulgauit ibid. 1569. cum notis et hiſtoria Donatiſtarum. Haec editio recuſa eſt *Heidelbergae* 1599. apud Commelinum. *v*)

§. LXII.

Seculo poſt Chriſtum natum decimo ſeptimo Optati ſeptem libri de ſchiſmate Donatiſtarum prodierunt *Pariſiis* 1603. cum Balduini notis et hiſtoria Donatiſtarum. 1631. fol. curante Carolo Paulino S. I. editionem auſpicatus fuerat Gabriel Albaſpinaeus, epiſcopus Aurelianenſis, cum paruis notis, et longioribus obſeruationibus, quas adiecit Balduini annotationibus, et quibusdam auctoris

s) Dolendum vero, quod etiam malorum et haereticorum ſtudio Optati ſcripta fuerint mutilata et corrupta varie. *t*) Balduinus ſexcentorum errorum meminit, quos e vulgatis codicibus ſuſtulerit: nec multo pauciores ſupereſſe locos, qui magna mendi ſuſpicione laborent, ſed ſanari ſine auxilio veteris libri vix ac ne vix quidem poſſint. *v*) POSSEVINVS, qui perperam ſibi perſuadet Witebergae prodiiſſe, huic editioni grauiter ſuccenſet, tanquam ſpe quaeſtus, ſiue aucupio gloriolae factae. Nullum vero accuſationis ſuae argumentum profert: quaſi Poſſeuinum dixiſſe ſufficiat.

anonymi notis. Nec eſt quod editionem eius Mericus Caſaubonus adeo ſugillet, et Albaſpinaeum dicat ad interpretationem libri imparatum acceſſiſſe. Is enim, quum opus vix prima parte eſſet typis excuſum, obiit: et teſtatur ad lectorem praefatio, omnia meliori habitu proditura fuiſſe, ſi coronidem operae Albaſpinaeus imponere potuiſſet. 1679. fol. accurante Philippo Priorio, cum obſeruationibus, paginae cuique ſubſtratis, Balduini, Albaſpinaei, Caſauboni, Barthii et ſuis. *Londini* 1631. 8. Mericus Caſaubonus Optatum cum obſeruationibus criticis edidit, in quibus ſummum iudicium cum eruditione non vulgari coniunctum elucet. *Coloniae Agrippinae* 1618. fol. magna bibliotheca veterum patrum et antiquorum ſcriptorum eccleſiaſticorum tomo 4. n. 13.

§. LXIII.

Seculo, quo viuimus, poſt Chriſtum natum duodeuiceſimo Ludouicus Ellies Du Pin, vir eruditiſſimus, cuius bibliothecam his commentariis ſaepe laudauimus, ex quinque codicibus MStis Optatum de integro recenſuit, ac pluribus reſtituit locis, et praeter hiſtoriam Donatiſtarum, et geſta collationis Carthaginienſis aliaque ad illam hiſtoriam ſpectantia veterum monumenta, et geographiam Africae epiſcopalem, ſuas et integras aliorum notas adiunxit *Pariſiis* 1700. fol. *x*) Quae editio repetita eſt *Amſtelodami* (licet titulus *Lutetiam Pariſiorum* mentiatur) 1702. fol. ita quidem, vt variorum notae non ad calcem voluminis, vt in Pariſienſi editione, ſed per ſingulas paginas Optati verbis ſtatim ſubſtratae exhibeantur.

§. LXIV.

Theodoſio M. imperante magnus in Italia theologus et

x) Vid. Acta erudit. Lipſ. 1701. p. 193.

et catholicae eccleſiae aduerſus haereſes, illam praeſertim Arianorum, ſtrenuus defenſor fuit S. PHILASTRIVS *y*) Brixienſis epiſcopus. Fuerat ille ab ineunte aetate ſacrarum literarum ſtudioſiſſimus, et vitae integritate et innocentia nobilis, adeo quidem vt multos etiam aberrantes, ſua pietate et doctrina, ad verum Dei cultum duceret. Presbyter factus, teſte GAVDENTIO, *z*) S. Apoſtoli Pauli ſedulus videri voluit eſſe imitator, et totum fere orbis Romani ambitum tranſiit, vt paganos et haereticos, erroribus liberatos, ad veram ſalutis viam pelliceret: id quod etiam in ipſa ciuitate Romana non ſine ſucceſſu et multorum iucundiſſima conuerſione feciſſe dicitur. Anno CCCLXXX. Brixienſis electus epiſcopus, quam fideliſſime rebus eccleſiaſticis praefuit: et Auxentio Ariano Mediolanenſium duci, in catholicos graſſanti fortiter reſtitit, inuictus fidei Nicaenae defenſor; adeo quidem, vt teſte GAVDENTIO *a*) etiam verbera ob eam cauſſam perpeti non dubitauerit. Anno CCCLXXXI. nonis Septembribus, cum aliis triginta duobus epiſcopis, concilio Aquileienſi interfuit, *b*) quod aduerſus Arianos celebratum fuiſſe nouimus et vix reperiri ſynodum aliam, in qua tam exiguo epiſcoporum numero tot viri ſancti, et eruditi, et fama illuſtres conuenerint. Eoque concilio fuit Ambroſius,

y) Dicitur etiam *Philaſter*. Qui volunt, nomen origine eſſe Latinum, non diuerſum putant a *filiaſtro*, quod priuignum ſignificat, ſed recentiore aetate, vt gloſſario ſuo CANGIVS, et codice legum antiquarum LINDENBROGIVS notarunt. Ita FVLBERTVS Carnotenſis epiſt. 33. *ſi quis filiaſtrum, aut filiaſtram ſuam ante epiſcopum ad confirmationem tenuerit, ſeparetur ab vxore, et alteram non accipiat.* At Graecis auribus *Philaſtrius* pulchrius et verius ſonat amantem ſiderum. *z*) Philaſtrii encomio. *a*) Loc. cit. Confer. BARONIVS et SPONDANVS annal. ann. 369. c. 4. *b*) Vid. SPONDANVS ann. 381. c. 12.

Mediolanenſis epiſcopus, quo noſter valde familiariter vſus eſt. Et AVGVSTINVS *c*) teſtatur, quod ipſe Philaſtrium Mediolani apud Ambroſium viderit. Diem obiit ſupremum anno CCCLXXXVII. et ſucceſſorem in epiſcopatu Brixienſi S. Gaudentium, qui ſermone, quem in ordinatione ſua habuit, Philaſtrii, anteceſſoris ſui encomium dixit. Sunt, qui eum referant anno CCCCXXX. floruiſſe, mendoſo decepti codice Philaſtrii, *d*) vbi vulgo perperam legitur, a Chriſto Domino, vſque ad illud tempus, quo ea ſcribebat, interceſſiſſe annos CCCCXXX. Sed patet, vna litera erratum, et C. loco L. poſitum fuiſſe, cum ſcripſerit CCCLXXX. Atque ita LATINVS LATINIVS, vir literatus, quo tempore ſuo Baronius valde familiariter vtebatur, mendoſum Philaſtrii locum, leui facta mutatione, reſtitui poſſe cenſuit. Pie defuncti corpus Rampertus, Brixienſis epiſcopus, in aede S. Andreae repertum, ad cathedralem S. Mariae baſilicam transtulit: in qua translatione plurimos a variis infirmitatibus curatos fuiſſe, idem Rampertus literis conſignauit. Plura indicant ex probatis auctoribus notae ad Romanum martyrologium XVIII Iulii, quo die natalis S. Philaſtrii inter ſacros inſcriptus habetur publicis Romanae eccleſiae tabulis. Reliquos, qui quid de eo memoriae prodiderunt, FABRICIVS *e*) indicat.

§. LXV.

c) Sub init. libri de haereſibus, ad Quoduultdeum diaconum ita ſcribit: *Philaſtrius, Brixienſis epiſcopus, quem cum beato Ambroſio Mediolani etiam ipſe vidi. Scripſit hic librum, haereſes illas non praetermittens, quae in populo Iudaeorum fuerunt ante Domini aduentum, easque XXVIII. commemorauit.* *d*) De haereſibus part. 5. haereſ. 63. *e*) Bibliotheca mediae et infimae Latinitatis L. 15. p. 842. ſeq.

Digitized by Google

§. LXV.

Scripsit librum de haeresibus, quo XXVIII. recenset ante natum Christum, XIX. post Christi passionem, et CII, quae sub Apostolis extiterunt. Plures hodie non extant. Auctor vero anonymus libelli de XII. scriptoribus ecclesiasticis, qui Isidoro et Ildefonso subiici solet, *f*) Philastrius *longe*, inquit, *ante beatissimum Augustinum edidit librum de haeresibus, singulas quasque demonstrans, siue quae in populo Iudaeorum, ante incarnationem Christi, fuerunt, quas viginti octo enumerat, siue quae post domini saluatoris aduentum, aduersus catholicam fidem exortae sunt, quas idem centum viginti octo esse describit: sicut et de eo idem vir magnae gloriae Augustinus et doctor clarissimus meminit.* Et IOH. TRITHEMIVS *g*) insigne laudat opus, quod scripsit de CLVI. haeresibus: cum hodie in Philastrii libro non plures occurrant descriptae haereses, quam CXLIX. Cuiusque errores praecipuos paucis aperit. Et initio libri sui de haeresibus AVGVSTINVS observat, mirum esse, quod Philastrius, qui minus eruditus erat, et minus accuratus, quam Epiphanius, multo plures haereses recensuerit. Hinc infert duos auctores illos non eandem haereseos ideam habuisse: quia reapse vix adeo vix quidem perfecte definiri possit. Quare, addit Augustinus, cum haereseon catalogus conficitur duo vitanda sunt extrema opposita: quorum alterum in haereseon numerum referre opiniones, quae reuera non sunt haereses: alterum vero praetermittere haereses, quae reipsa tales sunt. In illud forsan magis, quam in hoc vitium inclinant, qui haeresium catalogos exhibere studuerunt.

Cata-

f) Cap. 3. apud FABRICIVM biblioth. eccles. pag. 68.

g) De script. eccles. c. 84.

Catalogo eorum, qui ante aduentum Chriſti haereſeos arguuntur, ſunt 1. Ophitae, aut ſerpentini, colubrum venerantes, quod initium nobis ſcientiae boni et mali attulerit. 2. Caiani, qui Cainum laudant fratricidam. 3. Sethiani, Sethum colentes. 4. Doſitheus, qui reſurrectionem et futurum iudicium negauit. 5. Sadducaei. 6. Phariſaei. 7. Samaritani. 8. Nazaraei. 9. Eſſeni. 10. Heliognoſti, ſolem adorantes. 11. Ranarum cultores. 12. Muſoritae, qui ſorices colunt. 13. Muſca-accaronitae, qui muſcam colunt in ciuitate accaron. 14. Trogloditae, qui in ſpeluncis idola colunt. 15. Fortuna coeli, quae vt regina ab aliquibus colitur. 16. Bahalitae, qui idolum iſtius nominis adorant. 17. Aſtaritae, qui iſtud idolum venerantur. 18. Haereſis de idolo Moloch et Rempham. 19. Haereſis de ara Tophet. 20. Puteoritae, qui puteos colunt. 21. Haereſis ob aeneum ſerpentem. 22. Haereſis ſubterraneis in locis ad omnem turpitudinem apta. 23. Haereſis mulierum cum Thamur ſimulacro. 24. Belitae, qui Belum venerantur. 25. Haereſis cum Bahal idolo. 26. De Phitoniſſa muliere haereſis ſuperſtitioſa. 27. De Aſthar et Aſtharot ſimulacris haereſis. 28. Herodiani, qui Herodem, ab angelo percuſſum, ſeruatorem exſpectant. Poſt Chriſti paſſionem haereſeos arguuntur 1. Simon magus. 2. Menandrus, Simonis diſcipulus eiusdemque impietatis aſſecla. 3. Saturninus. 4. Baſilides. 5. Nicolaus Antiochenus. 6. Haereſis de Iuda traditore. 7. Carpocras. 8. Cherinthus. 9. Hebion. 10. Valentinus. 11. Ptolemaeus. 12. Secundus. 13. Heracleon. 14. Marcus. 15. Baſſus. 16. Cerdon. 17. Marcion. 18. Lucanus. 19. Apelles. Catalogo haereſeon, quae ſub Apoſtolis extiterunt, nominantur 1. Tarcianus. 2. Cataphryges. 3. Theodotus. 4. Haereſis de patris et filii ſubſtantia. 5.

De

Digitized by Google

De Melchiſedech. 6. Noetiani. 7. Sabellius. 8. Seleuci et Herminae haereſis de coelo corporeo. 9. Prodianitae. 10. Floriani, ſiue Carpocratiani. 11. De paſchatis feſto haereſis. 12. Chilionetitae. 13. Haereſis euangelium Iohannis et apocalypſin reiiciens. 14. Manichaei. 15. Patriciani. 16. Symmachiani. 17. Paulus Samoſatenus. 18. Photinus. 19. Ariani. 20. Semiariani. 21. Eunomiani. 22. Haereſis, animam veram Chriſtum non habuiſſe. 23. Tropitae. 24. Haereſis de paſſione Chriſti. 25. Aerii. 26. Borboriani. 27. Artotyritae. 28. Aſcodrogitae. 29. Paſſalorinchitarum haereſis. 30. Aquarii. 31. Coluthiani. 32. De mundo haereſis. 33. Excalceati. 34. Nouatiani. 35. Montaniſtae. 36. Abſtinentes. 37. Circuitores. 38. Haereſis de cibo et ſpiritu ſancto. 39. De paſchatis celebrandi tempore. 40. Apocryphi. 41. Haereſis quorundam de epiſtola Pauli ad Hebraeos. 42. Melitiani. 43. Rhetorii. 44. De diuinitate Chriſti. 45. Haereſis triformem Deum faciens. 46. De coelorum diuerſitate. 47. Haereſis terram beatitudinis ignorans et reprobans. 48. Aquam a Deo factam negans. 49. Haereſis de imagine Dei in corpore humano. 50. De anima homini inſpirata. 51. De anima et intellectu hominis. 52. Gnoſticorum et Manichaeorum haereſis de ſerpentibus et auibus. 53. De falſis prophetis Deo omnia mala adſcribens. 54. Haereſis de terrae motu. 55. Hermis Triſmegiſti de pecoribus et ſideribus. 56. Haereſis de variis linguis. 57. De nomine lingua. 58. Haereſis de annis Chriſti et tempore dubitans. 59. De gigantibus tempore Noe. 60. Haereſis Deo tribuens paganitatem et omnia facinora. 61. De Chriſtianis tempore vltimo, verbo Dei credentibus. 62. Haereſis de corpore et anima hominis nocentiſſima. 63. De annorum mundi incertitudine. 64. De ſeptem planetis. 65. De mundis

infinitis. 66. De Adae et Euae caecitate. 67. Haereſis culpam filiorum in parentes transfundens. 68. De libro Deuteronomii. 69. De nuptiarum legitimarum contemtoribus. 70. De diuiſione orbis. 71. De diluuio. 72. De ſignis zodiaci et ortu hominum. 73. De animabus ſceleratorum. 74. De Chriſti deſcenſu ad inferos. 75. De anima hominis. 76. De Chriſti natiuitate. 77. De induratione Dei. 78. Haereſis negans Dauid Chriſti prophetam fuiſſe. 79. De pſalterii inaequalitate. 80. Haereſis de eo, quod dictum eſt Cain, tu dominaberis illius. 81. De Cain peccato haereſis, quare Deus ei vitam conceſſerit. 82. De ſtellio coelo infixis. 83. Haereſis veteris teſtamenti multa reprobans. 84. De canticorum libro. 85. De mandato Adae. 86. De imagine et ſimilitudine Dei in homine. 87. Haereſis Deum increpans, quod diuerſis linguis et modis homines allocutus ſit. 88. De animalibus quatuor in prophetis haereſis nimis craſſa. 89. De Leuitico Moſis error. 90. Haereſis ſeptuaginta duorum interpretationem reſpuens. 91. Haereſis alia de ſeptuaginta interpretibus. 92. Alia de eadem re. 93. Quarta de eadem re. 94. De libris veteris teſtamenti in dolio inuentis. 95. Quod diis alienis non ſit maledicendum. 96. De Melchiſedech ſacerdote. 97. De Zacharia propheta de ieiunio. 98. De vxoribus et concubinis Salomonis. 99. De ſpiramine, quod Adam acceepit. 100. De funiculo menſorio in Zacharia propheta. 101. Haereſis decerpta ex Iſaia propheta de Cherubin et Seraphin. 102. De Iſaiae prophetae labiis tactis carbone.

§. LXVI.

Praedeceſſoris ſui hoc elogium ſcripſit S. GAVDENTIVS: *b) Philaſtrius vniuerſum Romani orbis ambitum pera-*

b) Philaſtrii vita.

peragrans, quaſi alter Paulus dominicum ſeminat verbum: vt eo populorum pectoribus inſito, omne martyrii genus pro Chriſto libentiſſime tolerare vniuerſi pollicerentur. Cumque aduerſus gentiles, Iudaeos et haereticos praedicaſſet, pluribus ad orthodoxae fidei cultum reuocatis, quorundam infidelium verberibus affectus, non multo poſt, ceu dominica paſſione ſtigmatizatus, felicem animam Deo reſtituit. Ioh. TRITHEMIVS *i*) eum vocat virum in diuinis ſcripturis doctiſſimum, et ſecularium literarum non ignarum.

§. LXVII.

Hoc vitio vertunt, quod in ſuo de haereſibus libro plane ſine iudicio et ratione traduxerit multa, vt haeretica, quae a Chriſtiana veritate et doctrina haudquaquam abludere videantur. Hinc ROBERT. BELLARMINVS: *k*) *illud eſt obſeruandum, multa a Philaſtrio inter haereſes numerari, quae vere haereſes non ſunt. Proinde cum prudentia legendus eſt.* Ioh. DALLAEVS: *l*) *Philaſtrius Brixienſis epiſcopus, quae ipſe non probat, ea in haereſeon cenſum, veluti a publica Chriſtianorum omnium fide aliena, retulit; adeo fallaci et futili interdum iudicio, vt quae ille iugulat, eccleſiam quoque damnaſſe, ab omni veri ſpecie abhorreat.* FRID. VLRICVS CALIXTVS: *m*) *vſque adeo liberaliter et abundanter admetitus ille eſt haereſes, vt plures eum feciſſe, quam in eccleſia inueniſſe, haud iniuria de eo dixeris.* Et poſt pauca: *ecce, quam non recens, ſed inueteratum ſit vitium, haereſeos crimen immerentibus impingere.* Ex ipſius Philaſtrii lectione cuique facile patebit, eum multas comminiſci haereſes, quae nuſquam extiterunt. Ex vna plures facit, ac praeter rationem nomina

i) De ſcriptoribus eccleſ. cap. 84. *k*) De ſcript. eccleſ. an. 380. pag. m. 99. *l*) De vſu patrum l. 2. c. 1. *m*) Diſſert. de noua Origenis editione.

mina impietatis cumulat. Baalis exempli gratia cultores ac idololatras quot recenſet generibus? Quotquot fuerunt gentium peccata, in diuerſas haereticorum ſectas conuertit: quorum catalogo etiam adſcribit cuiusque opiniones atque ſententias, aliquando veras, aut problematicas ſaltem. Ecquid ridiculum magis eſſe poteſt, quam eius commentum de haereſi *Putcoritarum*, *n*) quam ex hoc IEREMIAE loco ſtatuit: *me dereliquerunt, fontem aquae viuae, et foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quae continere non valent aquas.* Quae obſecro haereſis eorum eſt, qui epiſtolam ad Hebraeos S. Lucae, aut S. Barnabae tribui poſſe aiunt? Plures coelos eſſe, quam ſeptem? Halitum, quem Deus inflauit homini, eſſe ipſius animam? Terrae motus eſſe effectus naturales? Falſorum deorum nomina poſſe aſtris imponi? Numerum annorum, qui poſt creationem elapſi ſunt, incertum eſſe? Dauidem omnium pſalmorum auctorem non eſſe? Alias ſacri codicis verſiones adhiberi poſſe praeter eam, quae ſeptuaginta vocatur interpretum? Eccleſiaſticum inter libros canonicos numerandum? Id genus alia, quae ſine iudicio, et ſine rerum ſufficienti cognitione, haereſibus adſcribit. Quot vero vnus Philaſtrius haereſes diſſeminare dicendus, ſecundum illud, quod quisque iuris in alium ſtatuit etc. Plures enim errat, quam alius quisquam illius temporis errores. Inſignem prodit hiſtoriarum ignorantiam, qui Ophitas, ſerpentem, et Chriſtum ſub ſerpentis ſpecie colentes, *o*) primis ante Chriſti aduentum haereticis annumerat. *p*) Troglodytas, *q*) cauernarum habi-

n) Part. 1. c. 20. *o*) Vid. ISIDORVS 8. 1. AVGVSTINVS de haereſ. c. 16. *p*) Part. 1. c. 1. *q*) De quibus PLINIVS hiſt. nat. l. 5. c. 8. l. 6. c. 29. l. 18. c. 7. l. 37. c. 10. ISELII lexicon vniu. h. v.

Digitized by Google

habitatores, propter EZECHIELIS prophetae *r*) visionem, haereticos facit, in speluncis idola colentes: *s*) et haeresin aliam, *t*) subterraneis in locis ad omnem turpitudinem aptam, quod propheta, Dei iussu viderit in spelunca stantes septuaginta viros seniores Iudaeorum, tenentes thuribula diuersisque sculptilibus sacrificantes. Samaritanos dicit *v*) a Samaro rege appellatos esse, et originem habere: illo scilicet, qui Canaanis fuerit filius. Mercurium Trismegistum ad Celtas venisse putat, eosque Solis cultum docuisse. Deum Accaronem asserit fuisse muscam. Aliosque non numerandos errores ostendit. *x*)

§. LXVIII.

Stilus Philastrii est humilis, et plane abiectus, sine ornatu, sine iunctura et compositione, vitiis scatens omnibus, quae senectutis rugas nugasque vulgo comitari solent. Ne mediocris quidem vsquam vel eruditionis, vel elocutionis, apparet cura. Mihi certe visus est vndecunque suum haereticae prauitatis catalogum nullo delectu congessisse: et neglecto scribendi genere edidisse, quicquid illi primum in buccam venit.

§. LXIX.

Liber ille de haeresibus prodiit *Basileae* 1528. 8. apud Henric. Petri. et 1539. 8. cum incerti scriptoris recentioris supplemento et 114. sententiis patrum de officio verorum rectorum ecclesiae Dei. *Helmstadii* 1611. 4. ex recensione Iohannis a Fuchte, cui editioni etiam supplementum incerti auctoris accessit. Recusa est 1621. et 1676. 4. *Coloniae Agrippinae* 1618. fol. magna bibliotheca patrum tom. 4. pag. 596. seqq. *Hamburgi* 1721. 8.

r) Cap. 8. *s*) Part. 1. c. 14. *t*) Part. 1. c. 22. *v*) Part. 1. c. 7. *x*) Confer. DV PIN nova biblioth. eccles. auctor. tom. 2. p. 429. seq.

ex recenſione Iohann. Alberti Fabricii, qui et notas, indices, et veterum teſtimonia adiunxit.

§. LXX.

Theodoſio Magno imperante, floruit AMBROSIVS, Mediolanenſis Epiſcopus. Natus eſt anno poſt reparatam orbi ſalutem CCCXXXIV. *y*) parentibus Romanis, in Gallia *z*) cui tum praeerat pater Ambroſius, *a*) Vir illuſtris et praetorio praefectus. In palatio patris Galliarum praefecti nutritus, cum in cunis adhuc vagiret, laeta parentibus eloquentiae olim comparandae praeſagia dedit. Narrant, cum infans poſitus eſſet in area praetorii, et ore dormiret aperto: apes compleuiſſe pueruli ora, ita vt ingrediendi egrediendique frequentarent vices: quod pater prodigium habuerit melle dulcioris futurae ſuauitatis ac animi eximiae magnitudinis. Paulo poſt immatura morte pater obiit: et pia mater vidua cum filia Marcellina, filio natu maiore Satyro, et Ambroſio adoleſcentulo,

y) Secundum alios anno CCCXL. Ex ipſa AMBROSII epiſtola, olim 32. nunc 60. ad Seuerum ſcripta, annum, quo fuerit natus, elicere ſolent. Dicit in ea, ſe LIII. annos natum, ac belli tempus triſte notat. Id vel ad Maximi bellum an. CCCLXXXVII. vel ad Eugenii bellum an. CCCXCIII. referendum. Si ad prius, quod vero valde eſt ſimile, Ambroſius natus eſt CCCXXXIV. ſin ad poſterius referatur, anno CCCXL.

z) Sed qua Galliarum vrbe, non conſtat. Sunt, qui eum Treuiris, et qui Arelate ad Rhodanum in lucem editum fuiſſe velint. Romam alii vindicant illi patriam: quam cum parentibus profecto habuit communem: vtut alio loco natus, quo reip. cauſſa profecti erant.

a) Ita PAVLINVS in Ambroſii vita. Alii patrem eius Symmachum vocant. Vid. OSIANDER hiſt. eccleſ. ſecul. 4. pag. 427. SCHOPFFIVS academia Ieſu Chriſti pag. 71. GERHARDVS patrologia pag. 271.

Digitized by Google

leſcentulo, Romam rediit. Hic a teneris bonarum artium incomparabili flagrabat deſiderio, et eloquentiae in primis ſedulam nauabat operam: adeo quidem, vt ſatis mature cauſſas in foro feliciter et maximo cum omnium applauſu agere coeperit. Liberaliori diſciplina literisque humanioribus bene politus, Anicii Probi et Symmachi, virorum illuſtrium, licet diuerſam religionem profitentium, fauorem et amicitiam meruit. Anicius quidem Probus, praefectus praetorio, viri ingenium et diuinam facundiam, qua ſaepius cauſſas in eius auditorio perorauerat, ita admiratus eſt, vt illum in conſiliorum et gubernationis ſocietatem vocare non dubitauerit, ac iudicii conſtituere aſſeſſorem ſuum. Deinde Ambroſium Probus praefectus, velut conſulari dignitate ornatum, Roma ad regendam Liguriam miſit: ac proficiſcenti hoc ſiue mandatum, ſiue, vt aiunt, vaticinium dedit: *vade, age, non vt iudex, ſed vt epiſcopus.* Nam breui poſt accidit, vt, poſita iurisdictione, Chriſti coeperit paſcere oues. Et raptus quaſi a tribunalibus, aetatis anno quadrageſimo, epiſcopatum Mediolanenſem obtinuit, anno Domini CCCLXXIV. *b*) cum Valentinianus Imperator in occidente rerum potiretur. Auxentius, Mediolanenſis epiſcopus, qui Arianorum viſus eſt indulgere erroribus, diem obiit ſupremum, *c*) eccleſiamque, cui praefuerat, partium ſtudio

b) HIERONYMVS in chronico Euſebiano Ambroſii ordinationem refert ad annum CCCLXXV. Conſtat vero Valentinianum e viuis exceſſiſſe X. Nouembris CCCLXXV. illamque ordinationem factam eſſe X. Decembris, Valentiniano imperante. Oportet ergo annum neceſſario praecedentem poni.

c) Superſtite adhuc Auxentio epiſcopum Mediolani creatum contendit LATINVS LATINIVS tom. 1. epiſt. pag. 375. ſeq. Nec facile

ſtudio ac turbis miſere diſtractam reliquit. Ea rerum perturbatione, Valentinianus Imperator ſynodum cogit epiſcoporum, eosque graui oratione monet, vt dignum ea ſede i. e. probum doctumque legerent epiſcopum. Synodus ad imperatorem epiſcopi electionem defert: qui omnia recuſans, totum illud negotium epiſcopis permittit. Interea temporis magnum inter Arianos atque catholicos diſſidium oritur. Mixtus vtrisque populus ad venerandos patres in templum conuolant et inordinato clamore de epiſcopo ſibi praeficiendo contendunt. Pars Arianum, pars catholicum expetunt, vociferantque, vt eligerent ſuis partibus qui vtrinque faueret. Seditionem hinc metuens atque maiora reip. incommoda, vt iudicis ſatisfaceret officio, ac turbam placaret, Ambroſius, qui ius Mediolanenſibus dicebat, in aedem ſacram ad populum concitatum prodiit, ac illi oratione elegantiſſima perſuaſit, ne quid temere et audacter, nedum ſeditioſe facerent, ſed concordiae inprimis ſtuderent, ſummoque ſtudio id agerent vtrinque, vt, ſaluberrima conſeruata pace, cum publica, tum priuata cuiusque ſarta tecta maneat felicitas: et fore confiderent, vt eam tranquillitatem plurima eaque inexſpectata commoda ſequantur. Vniuerſo populo hac oratione humanitatis et prudentiae plena ita placuit: vt ipſe vno omnium ore Epiſcopus poſtularetur. Ambroſium eſſe, quem ſibi omnes doctorem praefici cupiant: nec eſſe, qui ſalutem publicam ſuaque commoda maiori cura et ſolicitudine promouere ſtuderet. Ambroſius diu multumque reluctatur, tanto muneri ſe imparem pronuncians: omnium minime rebus eccle-

facile quisquam ierit inficias, in viuis adhuc fuiſſe Auxentium, cum Ambroſius eccleſiae Mediolanenſi praeeſſet: ſed diuerſus ab illo procul dubio fuit, cui in epiſcopatu ſucceſſit.

ecclesiasticis sufficere, qui forensibus caussis tantum adhuc versatus esset; sacris ignarus ac plane hospes. Ad eam dignitatem catechumenum non adspirare, qui nondum, vt loquuntur, baptizatus esset. At surdis narrabat fabulas. Omnium suffragiis eligitur. Secedit, ac nullas non adhibet artes, vt episcopatum fugeret. Tribunal conscendit, reos vinculis constrictos deduci et tormentis subiici iubet: vt crudelis et sacerdotio indignus videretur. Frustra. Meretrices ac prostibula, multorum conspectu, ad se venire patitur. Sed vitia simulare, et prorsus nihil admittere dedecoris, omnes facile videre poterant. Nihil mutant. Ambrosius noctu Ticinum properat. Sed, cum a via aberrasset, ac iter feciſſet longum, mane ad ipsas Mediolani venit portas. Cognita viri fuga, custoditus est, et quid rei sit, ad imperatorem delatum: ad quem ipse Ambrosius quoque scripsit, vt episcopatus recusandi veniam impetraret. Electionem vero hanc, quasi diuinitus factam, non modo synodus tota habet ratam, verum et ipse imperator confirmat, ac praecipit vicario Italiae, vt rem perficiendam curaret, ac voti populus fieret compos. Interim fuga iterum elabitur Ambrosius, et aliquantisper apud Leontium quendam delitescit. Vicarius autem edicto proposito monet omnes et singulos, vt sibi consulerent et Christi ecclesiae, neque illi quisquam electum Episcopum eriperet. Proditur ergo ab Leontio, et cum resistere diutius non posset, baptizatus primo, deinde cum applausu omnium Mediolanensis ecclesiae episcopus ordinatus est. *d*) Atque ita aliud, quod de viri dignitate habebant, praesagium impleuit. Cum enim ali-

d) Hinc ipse passim et officior. l. 1. c. 1. non se nutritum ecclesiae sinu, sed raptum a tribunalibus scribit. Confer notas Bene-

aliquando, vt aiunt, adoleſcentulus matrem et ſororem ſuam ex conſuetudine Epiſcopi manum oſculari vidiſſet: vtrique dixit, vt manum quoque oſcularentur ſuam. Tum quidem puerum ludentem riſerunt: omen vero poſtea laetum ſoror praeſertim admirata fuit. Mediolanenſi eccleſiae praefectus, illi ſtatim atque pauperibus, qui erant plurimi, quicquid auri et argenti fuit, quam liberaliſſime diſtribuit. Praedia quoque, ſeruato ſibi, quoad viueret, vſu fructa, eccleſiae donauit. Rerum ſuarum curam omnem Satyro fratri ſuo natu maiori permiſit: qui conſcenſa naui Romam petiturus; vt iudicio perſequeretur hominem, qui partem bonorum ipſis eripuerat; naufragio vix euaſit. Quo caſu et mortis praeſenti periculo commotus, ſe baptizari curauit, ac Mediolanum rediit: vbi anno CCCLXXIX. vitam cum morte commutauit. Ambroſius, miſſa rerum vanarum cura, animum vnice ad officium ſacrum applicuit. Cum ante vix ſatis eſſet literis ſacris imbutus, et paulo ante ordinationem Chriſtianae religionis ſumma capita publice profiteretur, primo ſacramento initiandus: breui tamen poſt omnem Chriſtianorum theologiam i. e. Chriſtianae religionis veritatem et doctrinam ſaluberrimam ſtudio indefeſſo addidicit, ſimul atque docuit alios. Singulis diebus ſupplicationibus publicis interfuit deuota mente: et dominicam praetermiſit nullam diem, qua conciones ad populum non habuerit. *e*) Omnibus faciles et beneuolas praebuit aures, ſubuenit egenis, afflictos conſolatus eſt, atque adeo totius populi amorem tenerrimum conciliauit. Pius,

d'Etinotum tom. 2. p. 432. Pl. vid. SOZOMENVS l. 6. c. 24. SOCRATES l. 4. c. 25. 30. THEODORETVS l. 4. c. 7.

e) Singulis diebus dominicis conciones ad populum habuiſſe, refert etiam AVGVSTINVS confeſſ. l. 6. c. 3.

Digitized by Google

Pius, doctus, facundus, et prudens res eccleſiaſticas conſtituit ex animi ſententia, tanta cum animi magnitudine et auctoritate, quam nemo ſatis vnquam admirari potuit. Sic infimis ac ſummis, omnium ordinum, omnium aetatum, ſexus vtriusque hominibus vbique gratus et acceptus fuit. Inprimis viri commendatur inſignis candor, incorrupta diſciplina, et dicendi libertas, qua in ipſum Valentinianum imperatorem non longe poſt electionem vſus eſt. Neque id bonus princeps aegre tulit: ſed animum potius et ingenium laudauit epiſcopi: cui vitia increpanti placide reſpondit: *nota mihi fuit libertas tua: quam ob rem etiam electionem tuam adiuui. Affer ergo medicinam delictis animarum noſtrarum.* Omnibus viribus Arianiſmi reliquias eradicare contendit, quae in eccleſia Mediolanenſi ſupererant: Deoque auxiliante, hoc egit, vt tota prope Italia, et aliquot Galliae prouinciis, iam pridem Arianiſmo infectis, ad ſaniorem mentem atque inculpatam fidem reducerentur. Quod quidem ſine maximo hoſtium odio, periculis praeſentibus inſidiisque fieri non potuit. Certamine illi perpetuo cum aduerſariis, et prudenti conſilio, et vigilantia haudquaquam vulgari opus fuit. Anno exacto epiſcopatus primo, poſt Chriſtum natum CCCLXXV. Valentinianus, imperator pietate et modeſtia inſignis, per inſidias interficitur: cuius relicta vidua et filius Valentinianus iunior Arii non verebantur profiteri errores publice, et quouis modo veritatis aſſertores perſequi. Imperator initio quidem, quae ab impia matre hauſerat, fidei peruerſa dogmata cum Ambroſio confert, eiusque aſſenſum poſtulat: ſed multo ſaniora ab illo intelligit, cum adhortatione ſtrenua, vt ſeruatorem ac dominum ſuum deuota mente coleret, ſuique patris, ad felicitatem perennem, inſiſteret veſti-

giis. Sed neque precibus, neque adhortationibus Episcopi reliquit locum: qui matris potius instinctu aliquando, leuis armaturae collecta manu, templum obsidebat, eiusque praesidem, pium Ambrosium exire iubebat. Sed mascula hic illi oratione respondet: *hoc sponte mea facturus non sum; neque prodam lupis stabulum ouium mearum; neque tradam templum illis, qui in Deum blasphemi sunt. Quod si igitur constitutum habes me occidere: hic intus in me ensem hastamque defige. Eiusmodi enim perquam grata mihi futura mors est.* Et cum ministri, imperatoris nomine, templi traditionem vrgerent, quod principi licerent omnia, vtpote cuius etiam essent in regionibus suis vniuersa: *noli*, dixit, *te grauare, imperator, vt putes, te in ea, quae diuina sunt, imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere. Sed, si vis diutius imperare, esto Deo subditus. Scriptum est, quae Dei Deo, quae Caesaris Caesari* etc. Sic tandem imperator, quod nullo modo episcopum sentiebat expugnandum esse, et populi seditionem extimescendam, a proposito suo destitit. *f*) Et ipse AMBROSIVS *g*) ea de re ad Marcellinam sororem suam scribit: *cum esset propositum, vt ecclesiae vasa traderemus, hoc responsi dedi: me, si de meis aliquid posceretur, aut fundus, aut domus, aut aurum, aut argentum, id quod mei iuris esset, libenter offerre: templo Dei nihil posse decerpere, nec tradere illud, quod custodiendum, non tradendum, acceperim. Deinde consulere me etiam imperatoris saluti: quia nec mihi expediret tradere, nec illi accipere. Accipiat enim liberi sacerdotis vocem: si vult sibi esse consultum, recedat a Christi iniuria.* Populus Mediolanensis quidem a parte Ambrosii stabat, et pro aris

f) Vid. THEODORETVS l. 5. c. 18. *g*) Epistola 33.

Digitized by Google

aris pugnabat fortiter: vt res ſacrae tum quidem violari non potuerint. Et quaeſtori ſuo Beneuolo Iuſtina imperatrix (nam Valentinianus imperator tantum duodecim, vel tredecim annorum erat) mandatum dedit, vt legem promulgaret, qua omnes Arii doctrinam vbique amplecti iubebantur. Hoc vero vt ageret, nullo modo adduci potuit. Perſecutio tamen catholicorum et Ambroſii renouata eſt, edicto imperatoris, quo illa adhuc ſeruata baſilica Portiana Arianis tradita; Ambroſius autem capi iuſſus, vt in exilium mitteretur. Sed obſtitit rurſum amor populi, qui ſeditionem minabatur, et epiſcopum in baſilica ſua probe cuſtodiri curabat: vbi per multos dies noctesque pſalmos et hymnos cecinit. Tandem in palatium inuitatus, vt cum Auxentio, epiſcopo Ariano diſputaret, conditionem repudiauit, quia colloquii iudices non eſſent aequi, pars laici, pars ethnici. Rem concilio dirimendam propoſuit. Sermonem vero contra Auxentium habuit: quo iram Iuſtinae imperatricis in ſe non parum commouit. Attamen rata, irrito conatu Ambroſium vexari, quem animus et ingenium ſimul atque conſtans amor populi defenderet, a perſecutionibus deſtitit. Maxime cum externis ipſa vrgeretur malis. Et Maximum tyrannum aiunt minaces ad imperatorem literas dediſſe, niſi parceret inſontibus catholicis, et a vi, propter Arianos, ſuis inferenda abſtineret. Scilicet Cl. ille Maximus tyrannus anno Domini CCCLXXXIII. Galliis occupatis, Gratianum imperatorem internecioni dedit, ac totam repleuit Italiam terrore. Ad ingens periculum auertendum quam maxime apta videbatur eſſe Ambroſii virtus et facundia, qui bis ad Maximum legatus cauſſam egit Valentiniani imperatoris, qui valde iuuenis tyranni maximis opibus reſiſtere non potuit. Anno CCCLXXXIV. primum Am-

broſius ad Maximum veniebat, cum Treuiris degeret, ſuaque oratione ita eius demulcebat animum: vt Italiam pateretur exoptata pace et tranquillitate ſua perfrui. Interea temporis forti animo reſtitit Symmachi V. C. nefariis moliminibus, qui homo paganae ſuperſtitionis anno CCCLXXXIV. de ara Victoriae inſtauranda Valentinianum interpellauerat. Huius argumenta ſolide refellit, ſuaque interceſſione hoc agit, vt fruſtra cultus idololatrici reparationem flagitaret. Poſtea cum imperatrix in Italia ſtrenue res ageret Arianorum, et ſacra non ſine turbis miſcere conaretur profanis: aduerſus eam mouet. Ambroſius rurſum illi mittitur obuiam, qui animi contentione maxima rogat et obſecrat, inſontibus vt parceret, neque Valentinianum adoleſcentem, optimi principis ſucceſſorem atque heredem, iuſta imperii poſſeſſione turbaret. At ſurdo narrat fabulam, qui ſtatim in Italiam prorumpit, et opibus maximis, quas interea temporis ſibi comparauerat, totius occidentis imperium inuadit. Ambroſius hinc tyranno communione interdicit ſacrorum. Hic contra excandeſcens epiſcopo mortem minatur: qui, vt praeſens fugeret capitis periculum, Aquileiam proficiſcitur. Et Valentinianus cum matre ſua, rerum extrema vrgente neceſſitate, in orientem ſe recipit, auxiliumque petit, a Theodoſio Magno, qui anno CCCLXXXVIII. Maximo tyranno fuſo, capto, capitisque damnato, Valentinianum in priſtinam dignitatem reſtituit. Cum Theodoſius in Italiam veniſſet: Ambroſius illum quidem velut tutorem ſuum amplexus eſt: ſed tamen prudenti conſilio et gratia ſingulari cauere ſtuduit, ne quid detrimenti capiat Mediolanenſis eccleſia. Sic reparationem ſynagogae Iudaicae prohibuit, quam ipſis Theodoſius imperator permiſerat. Quadriennio poſt, cum

cum Valentinianus imperator iuuenilibus nimium indulgeret voluptatibus, atque res Viennae in Gallia negligentius ageret; anno CCCXCII. fraudibus Eugenii ſcribae et Arbogaſti, Gothorum ducis, noctu in cubiculo ſuo ſtrangulatur. Hinc noua eccleſiae calamitas. Eugenius, qui rerum potiebatur, Romae et per Italiam ethnicorum ſacrificia cultumque idololatricum inſtaurare iubet. Ambroſio omnia mala minatur Arbogaſtus, et quod breui Chriſtianorum templa conuerſurus ſit in equorum ſtabula. Hinc, rebus deſperatis, anno CCCXCIII. Mediolano decedere coactus, fuga ſibi conſulere ſtuduit, quoad iucundior poſt nubila ſibi ſuisque rideret phoebus. Neque tyrannos poena non potuit manere ſua: vt ipſi crudelitate in exitium ruant. Eccleſiam numen aeternum vindicauit ſuam, Theodoſii M. imperatoris victricibus armis: qui anno CCCXCIV. Eugenium tyrannum proelio ſuperauit, vt prope Mediolanum captus proſtratusque ad victoris pedes, a militibus trucidaretur; Arbogaſtus vero, in furorem actus, ſua manu periret. Sic laetus exultansque Ambroſius eodem anno Mediolanun reuertit, ſuoque munere perrexit fideliter fungi. Neque veritus eſt aliquando ſeuera diſciplina Theodoſium ipſum ab eccleſiaſtica communione propter caedem ciuium miſerandam arcere. Anno CCCXC. Theſſalonicenſes Bothericam, in Illyrico militum praefectum, ſeditione interfecerant: quod aurigam ſuum, artis peritiſſimum, ob facinus aliquod in vinculis detentum, vt ſolemnia celebraret equeſtrium ludorum, dimittere nolebat. Ea re cognita, Theodoſius imperator excandeſcens de vindicta cogitabat longe atrociſſima. Ad circenſes inuitatus omnis populus, a militibus immiſſis innocentes nocentesque ſine diſcrimine obtruncati ſunt. A ſanguinolentis et praedae

cupi-

cupidiſſimis percuſſoribus vicatim obuiorum quorumque tum ciuium, cum peregrinorum, ſtrages edita eſt tanta, vt trium horarum ſpatio ſeptem caeſorum numerarentur millia. De immani crudelitate iſta cum epiſcopi audierint, qui de rebus eccleſiaſticis Mediolani conuenerant: eam deteſtati ſunt. Ambroſius vero omnium nomine ad imperatorem ſcripſit, peccatum ſic longe grauiſſimum eſſe commiſſum, et imperatorem ſe, tanta ſaeuitia et Theſſalonicenſium miſeranda ſtrage, Chriſtiana ſanctorum communione prorſus indignum reddidiſſe. Aliquot annis poſt CCCXCIV. ſuperatis tyrannis Victor Mediolanum venit, *b*) atque ſacra, vt conſueuit, celebrare voluit. Accedentem vero Ambroſius publice ab introitu eccleſiae repulit, graui eum arguens oratione: *quae eſt iſta feritas tua, et confidens impietas, vt nihil verearis, tanta caede hominum innocentum pedes pollutos tuos in locum ſacrum inferre? aut manus tuas, cruore madentes adhuc et ſtillantes, ad percipiendum ſacratiſſimum Domini corpus extendere? atque os illud tuum, quo non clementiae ſolum, quae imperatorem decet, ſed et iuſtitiae oblitus, ſententiam tuliſti de trucidandis tot millibus innocentiſſimorum hominum, pretioſo Domini ſanguini admouere? Abeas igitur, neque nouo peccato augere tuam impietatem velis: nec ferre detrectes diſciplinam, quam in hoc loco exercere iuſſit Dominus.* Cum Theodoſius ſe Dauidis exemplo ſtuderet excuſare, qui et homicidium perpetraſſet: Ambroſius illico reſpondit: *qui ſecutus es errantem, ſequere corrigentem.* Tot fulminum ictibus imperator perculſus, in

b) Sunt, qui omnia eodem anno facta referunt, poſt Maximum vel Eugenium debellatum. Sed rerum circumſtantiae et plurium auctorum fides, facinoris ac poenitentiae diuerſa iubent ſtatuere tempora.

Digitized by Google

in regiam ſe recepit moeſtus, atque animo fere perturbato, atque incerto prae aegritudine. Octo tandem elapſo menſium ſpatio, quos moerore ac dolore transegit, vt reciperetur, feſto natalis Domini, Ambroſium conuenit: qui, poenitentiae ſignis coetui commonſtratis, imperatorem ad ſacra celebranda admittit. Ab epiſcopo in eccleſiam receptus, ne ſtans quidem coram Deo, aut genubus flexis, precari conatus eſt: verum humi proſtratus non ſine lacrumis veniam petens, haec recitauit ex cantico Dauidis: *i) adhaeſit pauimento anima mea: vinifica me, ſecundum verbum tuum. k)* Tunc temporis etiam aiunt imperatori legislationem fuiſſe iniunctam, vt executiones ſententiarum de caede, et publicatione bonorum, ad triginta dies differantur: quo temporis ſpatio agenda maturius examinari queant. *l)* Fidem fateor ſuperant multa. Atqui etiam teſte THEODORETO, *m)* ſeueritate ſua hac imperatori expreſſit vocem: Ἀμβρόσιον εἶδα μόνος ἐπίσκοπον ἀξίως καλούμενον. *Digniorem epiſcopum vidi nullum, quam Ambroſium.* Ita verum eſt, quod PLINIVS ait: *n) fides in praeſentia eos, quibus reſiſtit, offendit, deinde ab illis ipſis ſuſpicitur laudaturque.* Fabulantur porro, quod cum imperatores Conſtantinopoli conſueuiſſent, dum ſacra peragantur, intra cancellos ſedere, atque

i) Pſalmo CXIX. 25. *k)* Plur. confer. SOZOMENVS l. 7. c. 24. RVFFINVS l. 2. c. 18. THEODOR. l. 5. c. 17. AVGVSTINVS de ciuit. Dei l. 5. c. 25. PAVLINVS in vita Ambroſii. et ipſe AMBROSIVS epiſt. 28. ad Theodoſ. et in fun. Theodoſ. BARONIVS et SPONDANVS annal. eccleſ. ad ann. 390. SYNCELVS comment. in chronol. l. 7. ad ann. 392. *l)* L. 13. Cod. Theodoſ. L. 20. C. Iuſtin. de poenis. Confer. SOCRATES l. 5. c. 25. *m)* Hiſtor. l. 5. c. 18. *n)* Lib. 3. epiſt. 9.

atque etiam Theodosius id Mediolani obseruare vellet; Ambrosius imperatorem iusserit exire, et cum reliquis laicis consistere: quod ad loca interiora tantum aditus pateret clericis. Quanta sacri fastus insolentia! Attamen Theodosium aiunt quam lubentissime eam admonitionem accepisse: vt non solum in Italia, verum etiam, cum rediit, Constantinopoli eam perpetuo obseruarit, et successoribus probe obseruandam tradiderit suis. *o*) Ambrosii animum et singularem dicendo libertatem multa alia testantur: quorum ipse quaedam memoriae prodidit. *p*) Callinico, orientis castro, populus, episcopi sui oratione commotus, Iudaeorum scholam exussit. Theodosius imperator in sceleris auctores grauiter animaduerti; episcopum vero, quam igne destruxerant, aedem suis sumtibus rursum aedificare iussit. Quod cum Ambrosius audiret: populi et episcopi causam apud imperatorem ita egit: vt veniam facile impetrarent. Extructa etiam Constantinopoli a Iudaeis synagoga, Theodosium pro inuincibili magnitudine animi obiurgauit, quod iis locum in media Christiana vrbe concederet, ad impios conuentus, qui eum calumniarentur atque conuiciis cumularent, a quo imperator diadema et imperium accepisset. Sic semper Iudaeorum impugnauit coecos impetus, paganorum superstitionem destruxit, philosophorum insaniam repressit, haereticorum errores arguit: suos contra quouis modo defendit, ad seueriorem disciplinam oppido multos duxit: et maxima cum auctoritate XXIII. annos ecclesiae Mediolanensi praefuit. Cum vitae

o) Ex THEODORETO atque SOZOMENO referentibus BARONIO et SPONDANO annal. anno Christi 390.

p) Lib. 5. epist 29. ZONARAS tomo 3. conf. LVCAS OSIANDER hist. ecclesiasticae cent. 4. l. 3. c. 46. pag. 438.

Digitized by Google

vitae ſentiret imminere finem: *q*) Simplicianum, virum probum, ſucceſſorem legit ipſe ſibi: et placide obdormiuit anno Domini CCCXCVII. *r*) annum aetatis agens LXIII. Ab Auguſtino rogatus, Ambroſii vitam ſtilo, vt tempora ferebant, Latino deſcripſit PAVLINVS presbyter, qui ante ipſius Ambroſii notarius fuerat. In actis ſanctorum IV. Aprilis eam hiſtoriam exhibet SVRIVS, *s*) qui et illi notandam S. BASILII Magni ad S. Ambroſium epiſtolam, et narrationem de Ambroſio ex THEODORETI eccleſiaſtica hiſtoria, *t*) et ipſius AMBROSII ad Valentinianum imperatorem, et Marcellinam ſororem epiſtolas, ex oratione item ad Mediolanenſes in Auxentium partem ſubiungit. *v*) Graece vitam Ambroſii SIMEON METAPHRASTES ſcripſit, quem Paulino ſubiunctum Benedictini Monachi in appendice nouae Ambroſii editionis Graece et Latine vulgarunt. Et CAESAR BARONIVS prolixam ex variis, Paulino maxime, collegit Ambroſii vitam, eiusque Romanae editioni praemiſit, quam CIↃ IↃ LXXX. Felix Cardinalis de Monte Alto, poſtea Sixtus papa V. adornauit.

q) Morti vicinus ad amicos dixiſſe fertur: *non ſic vixi, vt pudeat me inter vos viuere: ſed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus.* Quam eius vocem Auguſtinus valde laudauit. vid. huius vita cap. 27. *r*) PAPEBROCHII diſſertatio de anno et die mortis S. Ambroſii, quam praemiſit tomo I. actor. ſanct. Aprilis p. 38. ſeq. pugnat pro anno CCCXCVIII. In eaque ſententia KOENIGIVS eſt bibliotheca vetere et noua p. 32. AVBERTVS item MIRAEVS ad Hieron. de viris illuſtr. c. 24. apud FABRICIVM biblioth. eccleſ. p. 213. *s*) De probatis ſanctorum hiſtoriis tomo 2. pag. 526. ſeqq. *t*) Lib. 5. c. 16. et 17. *v*) CASSIANVS de incarnatione Domini l. 7. *Paulus presbyter, non ille Nolanus Epiſcopus, petente Auguſtino, conſcripſit S. Ambroſii vitam, ſignis florentem, atque doctrinis, et meritis Apoſtolorum non imparem.*

Eaque Baronii historia in subsequentibus Romanis et Colonienſi, reliquis Ambroſii editionibus, annalibusque eccleſiaſticis legitur. GODFRIDVS HERMANTIVS Gallice vitam Ambroſii vberius expoſuit: *x*) TILLEMONTIVS item memoriarum tomo X. *y*) PORRO FRANC. GIRVS et HADR. BAILLETIVS in vitis ſanctorum X. Decembris. Denique Benedictini monachi NICOL. FRICHIVS et NIC. NOVRRITVS in appendice Ambroſii operum, quorum elegantiſſimam editionem *z*) illis referimus acceptam. Multa etiam notatu digna recenſent BERELIVS, *a*) CAVEVS, DV PINIVS et alii.

§. LXXI.

Opera, quae reliquit Ambroſius, ſunt multa et varia, in aliis atque aliis exemplis alio diſpoſita et emendata modo. Editionem alibi Colonienſem ſecuti ſumus, quae 1616. fol. quinque tomis diſtincta prodiit, valde mediocribus, vt vno volumine comprehendi facile queant. *b*) Eundemque ſeruabimus ordinem: vtut Benedictinis monachis, qui opera Ambroſii omnium accuratiſſime ediderunt, minus probari ſciamus. *c*) *Primo* exhibentur 1. Hexaemeron, vel ſuper caput primum Geneſeos libri ſex. 2. De dignitate conditionis humanae ſuper idem caput libellus. 3. De paradiſo. 4. De Abel et Cain libri duo. 5. De Noe et arca liber vnus. 6. De Abrahamo libri duo. 7. De Iſaaco et anima. 8. De bono mortis. 9. De Iacobo et vita beata libri duo. 10. De fuga ſeculi. 11. De Ioſepho patriarcha. 12. De benedictionibus patriarcharum. 13. Ad Horontianum enarrationes duae, cur homo ceteris crea-

x) Pariſiis 1678. 4. *y*) Qui prodiit Pariſiis 1705. 4. *z*) Pariſiis 1691. fol. *a*) Antiquitatum eccleſiae in quarto poſt Chriſtum natum ſeculo tomo priori pag. 11. ſeqq. paſſim. *b*) Vid. Biblioth. Rintelienſ. theolog. p. 19. ſeqq. *c*) Confer. DV PIN bibliotheca noua eccleſiaſticorum auctorum tom. 2. p. 442. ſqq.

Digitized by Google

creaturis praelatus, et poſtremus omnium ſit creatus; deinde quomodo Moſes inter auctorem et opificium diſtinctionem poſuerit. 14. Ad Sabinum enarratio de loco paradiſi. 15. De arbore interdicta enarratio. 16. Super Exodi capita VII. XVI. XXIV. XXX. et XXXII. annotationes. 17. Super Leuitici caput X. XII. et XXVI. annotationes. 18. Super Numerorum cap. XXIII. XXXIII. et XLII. annotationes. 19. Super Deuteronomii caput XII. annotationes. 20. Apologia Dauidis prior et poſterior. 21. De Elia et ieiunio liber. 22. De ieiunio Eliae ſermo. 23. De Nabuthe Iezraelita liber. 24. Super caput VI. libri IV. Regum ſermones duo de ſancto Eliſaeo propheta. *Secundo* 1. De Tobia, aduerſus foeneratorum prauitatem liber vnus. 2. De interpellatione ſancti Iob libri duo. 3. Super caput VII. Iob ſermo. 4. Enarrationes in vnum et viginti pſalmos Dauidis. 5. De Salomone liber. 6. In caput XXXI. Prouerbiorum enarrationes. 7. Super caput IV. libri Eccleſiaſtes ad clericos exhortatio. 8. In caput III. Eccleſiaſtici ſermones duo. 9. Super caput I. Eſaiae ſermo. 10. Super caput LII. Eſaiae enarratio. 11. In caput XVII. Ieremiae enarratio. 12. In caput XIII. Danielis ſermones duo. 13. In caput III. et IV. Ionae enarrationes. 14. In Micham prophetam obſeruationes. 15. In Aggaeum prophetam obſeruatio. 16. Ex capite I. Malachiae ſermo. *Tertio* 1. Commentaria in euangelium Lucae libris decem. 2. Commentaria in omnes B. Pauli Apoſtoli epiſtolas. *Quarto* 1. De officiis libri tres. *d*) 2. In ſymbolum Apoſtolorum tractatus. 3. De fide ad Gratianum Auguſtum libri quinque. 4. De ſpi-

d) Quibus Ciceronem imitatus eſt, et quaedam ex Chriſtianorum philoſophia adiunxit. Confer, Vir Summe Reu. REIMANNVS biblioth. Reimannianae part. 1. pag. 379.

ſpiritu ſancto ad eundem libri tres. 5. De filii diuinitate contra Arianos liber vnus. 6. De incarnationis dominicae myſterio. 7. De myſterio paſchae. 8. De paſchalis celebritatis ratione enarratio. 9. De Satyri fratris obitu. 10. De fide reſurrectionis. 11. De initiandis liber vnus. 12. De ſacramentis libri ſex. 13. De ſacerdotali dignitate. 14. De poenitentia contra Nouatianos libri duo. 15. De virginis inſtitutione. 16. Hortatio ad virginitatem. 17. De virginis forma viuendi ad virginem deuotam tractatus. 18. De virginis lapſu, ad virginem lapſam tractatus. 19. De virginibus ad Marcellinam ſororem libri tres. 20. De viduis liber vnus. 21. De vocatione omnium gentium libri duo. *Quinto* 1. Sermones de tempore. 2. Conciones pro variis actionibus. 3. Sermones de ſanctis. 4. Sermo de purificatione B. virginis Mariae. 5. Epiſtolarum libri octo. 6. Precationes duae. 7. Hymni. Sequuntur tractatus Ambroſio perperam adſcripti 1. Commentaria in Apocalypſin. 2. De vitiorum virtutumque conflictu. 3. Expoſitio fidei, ſiue ſymboli Nicaeni, contra Arium et Photinum, explicatio. 4. De Spiritu S. libellus. 5. De concordia Matthaei et Lucae in genealogia Chriſti deſcribenda. 6. De poenitentia. 7. De moribus Brachmanorum. 8. Expoſitio in cantica canticorum. Scripta Ambroſii vera a falſis diſcernere ſtudent ERASMVS, *e*) BELLARMINVS, *f*) GERHARDVS, *g*) RIVETVS, *h*) SIXTVS SENENSIS, *i*) Benedictini Monachi, *k*) DV PIN, *l*) BEBELIVS, *m*) CAVEVS, OVDI-

e) Operum praefatione. *f*) De ſcriptoribus eccleſiaſticis anno Chr. 374 *g*) Patrologia pag. 272. ſeqq. *h*) Critici ſacri l. 3. c. 16. ſeqq. operum tomo 2. pag. 1113. *i*) Bibliothecae ſanctae l. 4. pag. 239. ſeqq *k*) Operum prolegom. *l*) Noua biblioth. eccleſ. auctor. t. 2. p. 442. ſeqq. *m*) Antiq. eccleſ. in quarto poſt Chriſtum natum ſeculo tomo priori p. 12. ſeqq.

Digitized by Google

OVDINVS, et alii. Si quae veterum ſcripta, certe Ambroſii haec dirupta, interpolata, et varie pro ingeniis editorum vel emendata, vel inquinata fuerunt, adeo quidem, vt vix aliquis accurate iam venerandae antiquitatis haec monumenta diiudicare poſſit. ERASMVS in primis medicam operi admouit manum: attamen deſtitutus melioribus libris, hinc inde arguitur, quod doctrinae ac famae fiducia audacior, plus ingenio ſuo et coniecturis, quam codicum manuſcriptorum auctoritati detulerit. Et COSTERIVS in noua editione ſua gloriatus eſt, quod plus quam duo millia errorum ſuſtulerit. Quam egregie interpolata ſit editio Lugdunenſis, quae CIↃ IↃ LIX. prodiit, FRANCISCVS IVNIVS *n*) teſtatur, qui rem ſuis oculis viſam his verbis memoriae prodidit: *ante annos XXVII. quum Lugduni agerem* (*egi autem anno* CIↃ IↃ LIX. *et ſequente*) *correctore quodam typographico vſus ſum familiariter, cui Ludouico Saurio fuit nomen. - - Quum ad ſalutandum hominem veniſſem, caſu, vel potius ſingulari Dei prouidentia, accidit, vt verſantem eum offenderem in recognoſcendis D. Ambroſii operibus, quae tum Frelonius excudebat. Variis autem ſermonibus vltro citroque habitis, quum me auocamento eſſe ab opere nolle oſtenderem: ille redorſus lectionem vnius paginae, videsne, inquit, hanc formam Ambroſianae editionis noſtrae? quam ſit elegans, accurata, et in ſpeciem omnibus anteponenda aliis, quae adhuc in lucem prodierunt? Poſtea contuenti opus et probanti elegantiam eius dixit: ego vero ſi quod exemplum Ambroſiani operis mihi emendum eſſet, quoduis exemplum aliud potius, quam hoc, quod vides, compararem. Sciſcitatus ſum huius dicti cauſſam. Tum ille de forulis ſub menſa ſua*

n) Praefat. ad indicem expurgatorium. Conf. ANDR. RIVETVS critici ſacri l. 3. c. 16. operum tom. 2. pag. 1113.

ſua latentibus aliquot paginas promens - - haec eſt, inquit, prima forma paginarum, quas his paucis diebus ad exemplum veteris et certi exemplaris optima fide impreſſimus. Franciſcani autem duo pro auctoritate has omnes paginas diſpunxerunt, vt vides, et illas ſubſtitui in locum priorum curauerunt praeter omnem noſtrorum librorum fidem. Quae res ſumtum et moleſtiam Frelonio creauit grauiſſimam. Nam pretium chartae operarumque amiſit vniuerſum: temporis iacturam paſſus eſt: et typographicas illas priores plagulas commutari nouis ad libidinem iſtorum oportuit, magno malo noſtro, et admiratione mea. Fide curaque meliori adornata editio Pariſienſis CIↃ IↃ LXVIII, impreſſa, quam IOH. GILLOTIO referimus acceptam, raro reperitur. Vbiuis pene obuia Romana vel alia ad eius exemplum facta. Eam SIXTVS V. Pontifex Romanus, opera quoque inutili, in vulgus prodire curauit. Quos enim in laboris partem vocauit, nullius manuſcripti codicis auctoritate freti, ſibimet ipſis inſignem, quicquid videbatur detrahendi, vel adiiciendi licentiam ſumſerunt: et eo vſque deuenerunt, vt non ſatis habuerint voces, quae duriores erant, immutare, et alias pro lubitu ſubſtituere, verum etiam delere conati ſunt, vel addere lineas, periodosque integras: quae ſenſum prorſus nouum ac diuerſum efficiunt. Alio opera digeſſerunt ordine. Epiſtolas poſuerunt inter tractatus. Libros ſeparauerunt, qui coniungi debent. Paucis, dum ingenio nimis voluerunt indulgere ſuo: turbarunt omnia, et nimis fuerunt liberales in alieno opere: et non pauca interpolari ſunt conati, minime laudabili exemplo. Dum ſingularem librorum ſuppoſitorum claſſem fecere: permultos tamen inter genuina Ambroſii opera reliquerunt: qui tam clare ſpurii eſſe videntur, ex. gr. de arbore interdicta, de digni-

Digitized by Google

dignitate hominis, de vocatione gentium, epiſtola ad Demetriadem in ſymbolum Apoſtolorum, alii multi: vt editores vel rerum ignariſſimos, vel impudentiſſimos eſſe oporteat, qui ſatis accurati voluerunt videri, et ſtudio confundere omnia: quae profecto nemini condonanda mala fides, ſicubi venia dignus, hominibus omnino omnibus communis, error. Haec quidem editionis Romanae, et omnium, quotquot iſtam ſecutae, vitia vitare ſtuduerunt Benedictini monachi, qui ſatis polita et accurata, vt ipſis videbatur, dederunt operis Ambroſiani exempla. Vtrum vero potuerint reſtituere omnia, in textum referre genuina, ſimplici et naturali ordine auctoris ſatisfacere menti, ſpuria reſecare, quotquot temporis ſucceſſu ſemet inſinuarunt, aliis iudicandum relinquo. Fallimus et fallimur ſaepe ingenioſi nimis. Habet certe, quae in editione hac deſideret RICHARDVS SIMON: o) *Les Moines Benedictins, qui ont publié une nouvelle edition des ouvrages de S. Ambroiſe, et qui crient ſi fort contre celle de Rome, parce qu'on y a alteré ſelon eux en une infinité d'endroits le texte de ce pere, ont eû ſi peu de connoiſſante de ce qui regarde la critique des livres ſacrés, que non ſeulement leurs notes ſont peu exactes, mais ils ont auſſi laiſſe dans le texte de ce S. docteur des leçons qui ne s'accordent point avec ſes explications.*

§. LXXII.

Viri auctoritatem in omni vita longe maximam fuiſſe, ex illis ſatis patet, quae ſupra de ipſius Theodoſii Magni imperatoris excommunicatione tradita ſunt. Omnes eum ſuſpiciebant epiſcopum, doctrinae et conſtantiae

o) In epiſtolis criticis, Gallice editis Baſileae 1699. 12. p. 74.

ſtantiae laude admirandum, qui omni opera, ſtudio, et induſtria, ſacris peragendis ſimul atque hominum promouendae ſaluti praefuit. IOHANNES ARETINVS Archipresbyter *p*) beatiſſimum vocat Mediolanenſem epiſcopum, cuius, vt dixerit HIERONYMVS, omnes ſententiae, fidei eccleſiae et omnium virtutum firmae ſint columnae. HONORIVS Auguſtodunenſis *q*) ſcripta eius omnia egregia eſſe affirmat. Anonymus Mellicenſis *r*) eum vocat doctorem eccleſiae mirificum, toto terrarum orbe notiſſimum, columnam eccleſiae, et haereticorum ruinam; ſemper et vbique libere agentem et loquentem pro iuſtitia: cuius opuſcula pro ſummis opibus computet, ac reſeruet eccleſia, de qua non receſſura ſit eius memoria et nomen in ſecula: beatiſſimum pontificem, doctorem egregium, pietate praecipuum, inuictum in aduerſis, in proſperis prouidum. IOH. TRITHEMIVS *s*) virum vocat fide et ſanctitate celeberrimum, in diuinis ſcripturis atque in ſecularibus literis omnium facile doctiſſimum, Graeco atque Latino ſermone ad perfectionem vſque inſtructum, cuius merita totus orbis perſonet; cuius opera et libros magno auctoritatis praeconio ſancta mater eccleſia confirmet: qui in exponendis declarandisque diuinis ſcripturis omnes doctores vicerit: cuius fidem nulla vnquam poteſtas terrena infringere poſſit. Fuiſſe, inſtar mallei, haereticorum conſtantiſſimum impugnatorem, cuius linguae, in fide Chriſti loquenti, nulla potuerit vnquam auctoritas humana indicere ſilentium. Pro fide ſemper fuiſſe para-

p) Vita S. Zenobii c. 7. apud SVRIVM de probatis Sanctorum hiſtoriis tom. 3. XXV. Maii pag. 450. *q*) De ſcriptoribus eccleſiaſticis l. 1. c. 125. apud FABRICIVM bibliotheca eccleſ. p. 80. *r*) De ſcript. eccleſ. c. 11. ibid. pag. 144. *s*) De ſcriptoribus eccleſ. cap. 83.

Digitized by Google

paratum quaelibet ſubire pericula. Attamen domino protegente liberum vbique et illaeſum euaſiſſe. Laudant in Ambroſio dexteritatem, quam vbique propemodum fuerit teſtatus in reddendis Graecis Philonis, Origenis, Euſebii, atque inprimis Baſilii Magni: quo quidem in genere omnium facile princeps videri poſſit. Et ſunt, quibus ipſo Hieronymo multis partibus ſuperior videtur: quod tota ſenſus expreſſione ſtilo ipſe ſuo ac puriori niteat; nec tam ex aliorum ſcriptis in ſuos videatur transferre alueos, quam a ſe propria fundere. Fuit in aula educatus, atque ad illam agendi rationem liberam et expeditam formatus, quae ex longo rerum vſu et conſuetudine comparatur. Niſi fuerit feruor eius aliquando in principes viros nimius: prudentia et eruditio ex omnibus eius factis ſermonibusque elucet; tantisque rebus expediendis par ſolum illius tanti viri ingenium fuiſſe. Eruditione quidem ac peritia nemini ſecundus, cum in rebus ſacris ante minus eſſet verſatus, ac Mediolanenſi praeficeretur eccleſiae, patrum legendis operibus, qui doctrina, fide, conſtantia, ipſum praeceſſerant, modo incomparabili, cum viua voce, tum libris conſcribendis, miniſterii ſui omnes partes impleuit. ERASMVS *t*) in Ambroſio praeſertim dulces aculeos, et epiſcopo dignam verecundiam admiratur; et *inter priſcos*, inquit, *eccleſiae doctores Latinos vix alium arbitror digniorem: cuius exſtent integrae lucubrationes, quam D. Ambroſium. Hoc et ex animo dictum videri velim, et citra cuiusquam contumeliam. Sit linguarum et ſcripturarum peritior Hieronymus, ſit elaboratioris phraſeos Hilarius, ſit in quaeſtionibus nodisque explicandis argutior Auguſtinus, aliis item*

t) Prooemio comment. Ambroſ.

dotibus excelluerint alii. Sed quem mihi dabis, qui pari ſinceritate tractet ſacras literas, qui cautius vitarit ſuſpecta dogmata, qui ſic vbique gerat Chriſtianum epiſcopum, qui ſic ſpiret paterna viſcera, qui ſummam praeſulis auctoritatem cum ſumma manſuetudine coniunxerit. Eſt, quem non ſine cauſſa doctorem melliſluum vocant.

§. LXXIII.

Ambroſii libros alii contra faſtidiunt totos Origenis ſermonibus et allegoriis *v*) refertos: quae vtplurimum fallaces, et ſacris literis haudquaquam analogae in patribus ſemper inſigni cum iudicio et aliquo ſalis grano legendae ſunt. HIERONYMVS *x*) *σύγχρονος*, ſuum de Ambroſio, quod in viuis adhuc eſſet, maluit ſubtrahere iudicium, ne in alterutram partem, in eo vel adulatio reprehendatur, aut veritas. Sed plurima ſcripta ſua iam tum vulgauerat circa annum Domini CCCXCII. quo Hieronymus haec memoriae prodidit. ERASMVS *y*) hinc miratur, nec immerito, cum plures alios ſuperſtites honorifice recenſuerit, cur in vno Ambroſio hanc cauſſam praetexat, quod adhuc viueret. Certe poterat illius opera recenſere. Sunt qui Hieronymum de literis Ambroſii non optime ſenſiſſe arbitrantur. Illi autem vero valde videtur ſimile, hominis dictionem non probaſſe: cum fidem et ſanctimoniam commendaret. PETR. DAMIANVS, *z*) Pontificis

v) SIXT. SENENSIS bibliothecae ſanctae l. 4. p. 239. *eſt genus expoſitionis eius varium, ſed myſticis praecipue ſenſibus inſiſtens: ſic tamen, vt interdum literae ſenſus non negligatur omnino.* *x*) De viris illuſtribus cap. 24. *y*) Ad Hieron. l. c. apud FABRICIVM biblioth. eccleſ. pag. 213. Confer. BEBELIVS antiq. eccleſ. Sec. IV. parte priori pag. 16. *z*) Apud MORNAEVM myſter. iniquit. p. 533. et GERHARDVM patrolog. p. 191.

Digitized by

tificis Romani legatus, eum vocat hominem dogmatis diuerſi a ſede Petri. SCHVRZFLEISCHIVS: *a*) *ſtilus Ambroſii mihi non placet. Et omnes patres Latini male ſcribunt, praeter Lactantium, Ciceronem Chriſtianum. Ambroſius, inprimis amans philoſophiae Platonicae, Origenem omnium patrum maxime aeſtimauit, qui ita Platonem imitatus eſt, vt multa ex eo ſcripſiſſe videatur. Multas autem duriores eius ſententias melius et ὀρθοδοξότερως reddit.* Defuit illi cognitio linguae Hebraeae: alioqui vocem *πάσχα ἀπὸ τῦ πάσχειν a patiendo* non deriuaſſet. *b*) Interdum et analogia fidei deſideratur. Docet non damnari hominem propter peccatum originale, ſed ſola actualia: neque adulterium ante latam Moſis legem fuiſſe illicitum. Coelum et ſtellas animatas ſtatuit. Et purgatorium credit poſt hanc vitam bonis aeque ac malis eſſe futurum. *c*)

§. LXXIV.

Vitia nec potuit, nec voluit, fugere ſeculi, omnino aetatis ſuae ſcriptoribus, maxime ſacris communia. Barbara multa et neglecta editores librorum pro ingenio ſuſtulerunt, iniqua, vtut medica, manu. Stilus non vbique ſibi ſimilis: parum aliquando cultus, aliquando elaboratiſſimus eſſe videtur. Vtplurimum magnifice exſurgit, et inſignem prae ſe fert grauitatem. Conciſus eſt paſſim ac ſemet acumine ſententiisque commendat. Ingenium vbique oſtendit ſimul atque animum: et affectus rhetorica pigmenta comitantur. Etiam illa minus polita magis arrident, vbi venuſtate naturali procedunt. Si, quod AVGVSTINVS *d*) obſer-

a) Notida ſcriptorum librorumque varii argumenti part. 3. p. 41.
b) De paſch. l. 1. *c*) Pl. confer. BERELIVS antiq. eccleſ. Sec. IV. parte priori pag. 17. ſeqq. *d*) Hic certe Ambroſio, praeceptori ſuo, eloquentiam ſuauem, eruditam, grauem, ab omni aſſentatione et blanditiis alieniſſimam tribuit.

obſeruat, ſubiectae materiae orationem accommodare ſtudet, et loquitur rerum naturae conuenienter: id profecto agit, quod in maſcula et minime fucata eloquentia paginam vtramque facit. DVPINIVS *e*) *ſatis*, inquit, *ſelectis vocibus et magnificis locutionibus vtitur. Materiam, quam pertractat, mira rerum et verborum copia variat. Eius in orationibus naturalis ineſt et iucundus lepor. Non ingentes in animis motus excitat, ſed delectat et docet, atque leni quodam et iucundo dicendi genere in cor et animum influit. Non tamen vehementia caret: acriter vrget, cum neceſſe eſt. Quemadmodum in toto vitae ſuae tenore miram generoſitatem et animi firmitudinem ſumma cum prudentia atque moderatione coniunxit; ita et in ſermonibus ſuis libertatem et auctoritatem epiſcopalem cum manſuetudine et charitate copulauit.* Etiam MORHOFIVS *f*) Ambroſium Hieronymo leniorem et placidiorem fuiſſe affirmat. SIXTVS SENENSIS *g*) Ambroſii commendat variis characteribus dicendi promtitudinem: *dicendi genus*, inquit, *prout rerum varietas expoſtulare videtur, varium eſt, ſed vbique lucidum ac perſpicuum eloquentiae flumen effundens, vt ait Auguſtinus, qui etiam in quarto de doctrina Chriſtiana volumine profert ex operibus Ambroſii pulcherrima quaedam exempla triplicis Ambroſianae elocutionis, h. e. ſummiſſae, temperatae, et grandis. Ex quibus oſtendit eum de humilibus ſummiſſe, de mediocribus temperate, de magnis ſublimiter pro rerum diuerſitate ac dignitate dixiſſe. Adamauit tamen peculiari ac naturali quodam affectu grauem et argutam breuium ſententiarum copiam, delectatus mirum in modum oratione, commatis et co-*

e) Noua bibliotheca eccleſiaſticorum auctorum tom. 2. pag. 509.
f) Polyhiſt. litter. l. 1. c. 23. §. 24. *g*) Bibliothecae ſanctae l. 4. pag. 239.

Digitized by Google

et colis interdum numeroſis diſtincta, et floſculis picturata. BOECLERVS *h*) Ambroſium longe etiam eloquentiorem habet Symmacho, quem peſſima ſuperſtitionis cauſſa vincere facile potuit. Eloquentia eius quidem non contemnenda, qualis temporibus illis eſſe poterat: ſed quae cum Tulliana haudquaquam componenda: tantumque abeſt, vt in omnibus tam exquiſite ſtili rectitudinem ſeruare potuerit. Eaque ſententia ERASMI *i*) eſt, qui Ambroſium oratorem agnoſcit Romanum, non Ciceronianum: quod gaudeat argutis allufionibus, acclamationibus, nec praeter ſententias quidquam loquatur: membris, inciſis, comparibus numeroſus ac modulatus, ſuum quoddam dicendi genus habeat, aliis inimitabile, ſed a Tulliano genere diuerſiſſimum.

§. LXXV.

Operum editio prima eſt, quam, nec loci, nec temporis adiecta nota, Maffellus Venia, ordinis Auguſtini monachus, *k*) eiusdem ordinis generali, Ambroſio Corano, nuncupatam, curauit. Huic proxima, et quod ad characteres attinet ſimillima eſt *Mediolanenſis* 1490. fol. apud M. Leonardum Pachel, Cribellii presbyteri cura. Sed libri in vtraque editione perpauci occurrunt. Hinc Iohannes Amerbachius, typographus, *Baſileae* 1492. fol. longe plura Ambroſii opera, tribus voluminibus, ſed parum emendate edidit. *l*)

§. LXXVI.

Seculo poſt Chriſtum natum decimo ſexto Ambroſii opera prodierunt *Baſileae* 1506. 4. 3. voluminibus, apud

b) Bibliographia critica pag. 86. *i*) Ciceroniano; apud HALLBAVERVM collectione opuſculorum de imitatione oratoria p. 87. *k*) Qui anno Chriſti 1486. obiit. *l*) Editio haec immerito bibliotheca Haſeana pag. 15. vocatur prima.

Digitized by Google

apud Iohannem Petrum de Langendorf, qui regiſtrum, vt appellat, florigerum, ſeu copioſum indicem adiecit, cum praefatione Conradi Leontorii Mulbronnenſis. Deinde Eraſmus Roterodamus nouam editionem ſuſcepit, nullisque pepercit laboribus, vt Ambroſii opera *Baſileae* 1527. fol. et auctiora, et emendatiora legerentur, quae in IV. tomos diuiſit. *m*) Primus continet opera moralia, ſecundus polemica, tertius orationes, epiſtolas, et ſermones, quartus commentarios in vetus et nouum teſtamentum. Saepius haec editio poſtea prodiit. 1538. fol. Sigiſmundi Gelenii aliorumque doctorum ſtudio nouis ſubinde tractatibus locupletata. *n*) 1555. fol. apud Epiſcopium, accurante Iohanne Coſterio, canonico regulari Louanienſi. 1567. fol. Petri Nonnii cura. *Pariſiis* 1529. fol. apud Cheuallonium. 1549. fol. 1568. fol. apud Guilielmum Merlinum et ſocios, cura Iohannis Gillotii. Editio haec omnium abſolutiſſima, et indigna, quae ſubſequentis Romanae fama opprimeretur. 1586. ſeqq. fol. ex editione Romana Sixti V. pontificis. *Lugduni* 1559. fol. typis Frelonianis. Haec varie interpolata, et omnium corruptiſſima vulgo habetur. *o*) *Romae* 1580. 1581. 1582. 1585. fol. quinque voluminibus, magnifico apparatu et aliis poſtea in laboris partem adſcitis, Felix Perretus de Monte Alto, ord. Minor. vicarius generalis, deinde cardinalis, tandemque ſub Sixti V. nomine pontifex Romanus, adornauit. Haec editio, vtut variis laboraret

m) Eraſmi haud dubie optima editio. vid. DOECLERVS bibliographia critica pag. 741. *n*) Hanc Frobenianam editionem inprimis laudat ANDR. RIVETVS critici ſacri l. 3. c. 16. Operum tom. 2. p. 1113. *o*) Vid. quae ex FRANCISCI IVNII praefat. ad indicem expurgatorium IOH. ALBERT. FABRICIVS notat biblioth. Lat. vol. 3. p. 435. ſeq.

Digitized by Google

raret vitiis, *p*) tantam auctoritatem obtinuit, vt plurimarum ſubſequentium norma haberetur.

§. LXXVII.

Seculo poſt Chriſtum natum decimo ſeptimo Ambroſii opera prodierunt *Lutetiae Pariſiorum* 1603. 1614. 1632. 1642. 1665. fol. ex editione Romana Sixti V. pontificis. 1686. et 1691. fol. duobus voluminibus, accurantibus monachis Benedictinis congregationis S. Mauri, Iacobo Frichio et Nicolao Nourrito. Haec editio omnium abſolutiſſima eſt, ad fidem MSt. codicum emendatiſſima et nitidiſſima. *q*) *Coloniae Agrippinae* 1616. fol. 5. voluminibus, ex recognitione Romana. Accedunt aduertentiae, ſiue animaduerſiones theologiae ſcholaſticae per Ferdinandum Velloſillum Hiſpanum, epiſcopum Lucenſem.

§. LXXVIII.

Ambroſio aequalis ſub Theodoſio M. imperatore floruit S. HIERONYMVS, ſiue, vt integrum fuit nomen, *r*) *Sophronius Euſebius Hieronymus Stridonenſis*, Stridone Dalmatorum, Euſebio patre Chriſtiano natus. *s*) Matris quod fuerit nomen, memoriae proditum non eſt: ſed

p) De quibus Benedictini monachi erudite conqueruntur multa in recentiori et elegantiſſima editione. Confer. DV PIN noua bibliotheca eccleſiaſt. auctorum tomo 2. pag. 511. ſeq. FABRICIVS biblioth. Lat. volum. 3. pag. 457. *q*) Vid. Acta Erudit. Lipſ. 1688. p. 64. et tom. 2. ſupplem. p. 209. *r*) Obſeruante SIRMONDO ad Auit. pag. 1. *s*) Ita HIERONYMVS ipſe de viris illuſtribus cap. 135. *Hieronymus patre Euſebio natus, oppido Stridonis, quod a Gothis euerſum, Dalmatiae quondam Pannoniaeque confinium fuit, vſque in praeſentem annum, i. e. Theodoſii principis decimum quartum, haec ſcripſi* etc. Ab incunabulis ſe catholico lacte nutritum eſſe, paſſim ipſe gloriatur.

sed procul dubio honesta et Christo deuota matrona fuit. Matertera Castorina, quam, cum esset nescio quid diffidii, literis humanissimis semel iterumque ad concordiam inuitauit. Soror castitatis votum in patria post lapsum, Iuliano diacono adhortante, suscepit. Frater natu minor, Paulinianus, adolescens cum Hieronymo, in secundo ab vrbe discessu, Hierosolymam petiit. Et diuites eius fuisse parentes, inde patet, quod seruorum habuere familiam. Testis ipse HIERONYMVS, *t*) qui, *memini*, inquit, *me puerum cursitasse per cellulas seruulorum, diem festiuum duxisse lusibus, et ad Orbilium facientem de auiae sinu tractum esse captiuum.* Quonam fuerit natus anno, adhuc sub iudice lis est. PROSPER AQVITANICVS *u*) anno Domini CCCCXXII. *x*) Theodosio VIII. et Constantio III. COSS. Hieronymum presbyterum annotauit mortuum esse aetatis anno XCI. pridie kalendas Octobr. Natus ergo fuisset anno Domini CCCXXXI. Constantino Magno imperante. Atqui HIERONYMVS ipse *y*) *dum*, inquit, *adhuc essem puer, et in grammaticae ludo exercerer, omnesque vrbes victimarum sanguine polluerentur, ac subito in ipso persecutionis ardore Iuliani nunciatus esset interitus: eleganter vnus de ethnicis, quomodo, inquit, Christiani dicunt, Deum suum esse patientem et ἀνεξίκακον? nihil iracundius, nihil hoc furore praesentius: ne modico quidem spatio indignationem suam differre potuit.* Iulianum vero Apostatam, quem notat, vulgo constat interiisse anno Domini CCCLXIII. Ecquis Hieronymum annos natum XXXII. dixerit fuisse puerum, atque grammatices

t) Contra Ruffinum lib. 1. *u*) Chronico. *x*) Substituunt alii an. CCCCXX. quibus videtur Hieronymus esse natus CCCXXIX. *y*) Comment. in Habacuc cap. 3. oper. tom. 5. edit. Paris. 1579. pag. 457.

Digitized by Google

matices ludo detentum? Magis ergo DVPINII *z*) ſententia placet, qui eum anno circiter CCCXLV. natum fuiſſe arbitratur: vt duodeuiginti tunc temporis annorum frequentarit grammaticorum ſcholam. Solicita parentum cura iactis in patria primis linguarum et artium fundamentis, valde adoleſcentulus Romam mittitur: vt ſedulam liberalioribus diſciplinis nauaret operam, et Donati praeſertim illius ſummi critici *a*) manuductione vteretur. Bibliothecam hic ſibi comparauit ſelectam. Graecis pariter atque Latinis quotidie ſtuduit proficere literis. Nullum doctrinae genus intactum reliquit. Porphyrii iſagogas legit: Alexandri commentarios vertit: Platonem, Ariſtotelem, philoſophos et poetas ſibi omnes valde familiares reddidit. *b*) Cum Latina et Graeca lingua eſſet recte imbutus: rhetoricam ita didicit, vt orationes crebro, ingenii excolendi gratia, pro concione haberet, fictisque cauſſis ſemet exercendo forum frequentaret, ac ſaepius ſtuderet proficere aliorum eloquentia. *c*) Quantum illi temporis a literarum ſtudio fuit reliquum, religionis dedit exercitio. Solebat diebus dominicis cum ſodalibus apoſtolorum et martyrum ſepulchra circumire,

z) Bibliotheca noua eccleſ. auctor. tom. 3. pag. 173. 251. ſeq.

a) Qui in Virgilium et Terentium commentarios ſcripſit, vid. ipſe HIERONYMVS aduerſus Ruffinum lib. 1. et in chronico, vbi Donatum praeceptorem ſuum vocat. *b*) VICTORIVS Hieronymi vita c. 5. apud SVRIVM Septemb. pag. 497. *c*) Ita ipſe comment. in epiſt. ad Galatas c. 2. oper. tom. 6. edit. Pariſ. 1579. p. 288. *Aliquoties cum adoleſcentulus Romae controuerſias declamarem, et ad vera certamina fictis me litibus exercerem: currebam ad tribunalia iudicum, et diſertiſſimos oratorum tanta inter ſe videbam acerbitate contendere, vt omiſſis ſaepe negotiis in proprias contumelias verterentur, et ioculari ſe inuicem dente morderent.*

et ingredi cryptas, quae in terrarum profunda defoſſae ex vtraque parte ingredientium per parietes habebant corpora ſepultorum, ſuisque tenebris abſcondebant non ſine horrore omnia. *d*) Romae ſacrum tandem accepit lauacrum: et cum ante luxurioſius, adoleſcentiae communi vitio, vixerit, temperantiae magis et caſtitati ſtuduit. *e*) Hinc ipſe *f*) in Romana vrbe ſcribit ſe Chriſti veſtem ſuſcepiſſe, indeque cibum animae poſtulare, vnde Chriſti veſtimenta ſuſcepit. Roma cum Bonoſo, quo ab ineunte aetate valde familiariter vſus eſt, ſtudiorum gratia, in Galliam proficiſcitur: vt ex omnibus viris doctis, quibus illa regio tunc abundabat, cunctisque bibliothecis non vulgarem ſibi eruditionis theſaurum compararet. Cum maximam Galliae partem quam diligentiſſime peragrarit: ad ſemibarbaras Rheni peruenit ripas, atque vlterius ad Moſam progreſſus, Treuiris aliquantiſper commoratus eſt, ſuaque manu illum ſatis quidem prolixum S. Hilarii librum de ſynodis deſcripſit. Rebus in itinere obſeruatis, quae ipſi notatu videbantur eſſe digniſſimae Romam rediit, vbi et literis et religioni per omnem vitam vacare decreuit. Quae ciuitas cum eius ſolitudini minus eſſet commoda: vt viuendi rationem ſeruaret priuatam, atque curis quibuslibet humanae ſocietatis vacuam, in patriam reuertit, ac ordinatis rebus domeſticis, Hieroſolymam profectus eſt, ſolam ſecum ducens bibliothecam, quam Romae ſibi ſummo ſtudio et labore comparauerat inſtructiſſimam. Itineris ex Italia in orientem ſocios habuit Heliodorum, qui etiam cum eo aliquandiu in eremo vixit, Ruffinum Aquileienſem, qui in Aegyptum

d) VICTORIVS Hieronymi vita cap. 4. Confer. ARINGI Roma ſubterranea. *e*) VICTORIVS l. c. cap. 5. *f*) Ad Damaſum epiſt. 57. et 58.

ptum abiit, Innocentium et Hylam, qui paulo poſt mortui ſunt, quam in Syriae eremum ſeceſſit, et Euagrium, qui Antiochiae quidem manſit, ſed tamen Hieronymum, in vaſta ſolitudine interdum inuiſit ac recreauit. Antequam Hieronymus ipſe peteret eremum, Hieroſolymis aliquandiu permanſit, et ſacra viſitauit loca. Deinde, vt regionum ſibi pararet notitiam et omnibus diſciplinarum generibus proficeret, in Thraciam, Pontum, Bithyniam, Galatiam, Cappadociam et Ciliciam acceſſit: donec in magnam et horribilem perueniret Syriae eremum: quae eſt in Agarenorum, barbarae gentis, finibus; et niſi hinc inde ſparſi eſſent monachorum greges, feris, ſerpentibus peſſimisque ſcorpionibus repleta, horridum, illis quoque ſolitudinum amantiſſimis, habitaculum praebet. Totum illic quadriennium tranſegit in literarum ſtudio et pietatis exercitio. Sacrae, vt ad Florentium *g*) ipſe ſcribit, bibliothecae codicibus abundabat, et alumnos ſecum habebat, qui arti antiquariae i. e. libris ſcribendis operam nauabant. Transtulit in ea eremo ex Origine homilias, quas ad populum dixit, et alia, quorum ipſe paſſim meminit. *h*) Et linguam Hebraicam, poſt Quintiliani et Tullii lectionem floresque rhetoricos, in eremo diſcere coepit. *i*) Breui poſt ſui amantiſſimis orbatur ſodalibus:

g) Epiſt. 6. *b*) Lib. 2. contra Ruffinum. In prooemio ſuper Danielem. Epiſt. 120. *i*) Epiſtola ad Ruſticum monachum de vita monaſtica, quae eſt in antiquis part. 3. ep. 39. *dum eſſem iuuenis, et ſolitudinis deſerta me vallarent, incentiua vitiorum ardoremque naturae ferre non poteram: quem cum crebris ieiuniis frangerem, mens tamen cogitationibus aeſtuabat: ad quam edomandam cuidam fratri, qui ex Hebraeis crediderat, me in diſciplinam dedi: vt poſt Quintiliani acumina, Ciceronis*

et ipſe febri maceratur ardenti: quae ieiuniis alioqui exhauſta iuuenis membra adeo depaſta eſt, vt parum abfuerit, quin illum tradiderit morti. Exequiae velut morienti iam coeperant parari: et corpore toto frigeſcente, et ſanguinis intemperie corrupta imaginatione aliquando ſibi ad tribunal ſummi iudicis deduci videtur: *k*) in magna hominum corona a praeſide rogari, quis eſſet? Chriſtianum ſe eſſe confitetur. Obiurgatus ergo a praeſide primum his verbis: mentiris, non enim Chriſtianus es, ſed Ciceronianus: verberibus mox caedi iubetur. Deprecantibus pro eo, qui adſtabant, vt veniam iudex adoleſcentiae daret errori. Iure igitur iurando promiſit nunquam fore vt poſthac libros ethnicorum legeret. Catonis *l*) hic certe valet:

Somnia

ceronis fluuios, grauitatemque Frontonis, et lenitatem Plinii, alphabetum diſcerem, et ſtridentia anhelantiaque verba meditarer. Quid ibi laboris inſumſerim, quid ſuſtinuerim difficultatis, quoties deſperauerim, quotieſque ceſſauerim, et contentione diſcendi rurſus inceperim: teſtis eſt conſcientia tam mea, qui paſſus ſum, quam eorum, qui mecum duxerunt vitam. Et gratias ago Domino, quod de amaro ſemine literarum dulces fructus carpo.

k) Epiſtola ad Euſtochium bene longa de virginitate ſeruanda, quae in vetuſtioribus eſt part. 3. epiſt. 16. *ſubito raptus in ſpiritu ad tribunal iudicis pertrahor: vbi tantum luminis erat, et tantum ex circumſtantium claritate fulgoris: vt proiectus in terram, ſurſum aſpicere non auderem. Interrogatus de conditione, Chriſtianum me eſſe reſpondi. Et ille, qui praeſidebat, mentiris, ait, Ciceronianus es, non Chriſtianus: vbi enim theſaurus tuus, ibi et cor tuum. Ilico obmutui: et inter verbera (nam caedi me iuſſerat) conſcientiae magis igne torquebar.* etc. Eademque narrantur in regula monachorum part. 3. epiſt. 41. c. 15.

l) Diſtich. l. 2. extr.

Digitized by

Somnia ne cures: nam mens humana quod optat,
Dum vigilans ſperat, per ſomnum cernit id ipſum.

Potuit eſſe pia fraude excogitatum ab Hieronymo commentum, vt Paulae filiam, Euſtochium virginem, a lectione prophanorum hominum, inprimis poetarum, turpiter aliquando laſciuientium auocaret. Vt regula monachorum ex variis Hieronymi a Lupo quodam de Oliueto, monacho Hiſpano, excerpta *m*) legimus: *grandis prudentiae eſt, aurum in luto quaerere. Quid enim facit cum pſalterio Horatius? cum euangeliis Maro? cum apoſtolo Cicero? Quae ſecuritas lucis ad tenebras? Ne ergo legas philoſophos, oratores, poetas: ne in eorum lectione requieſcas: ne nobis blandiamur. -- At nunc etiam ſacerdotes Dei, omiſſis euangeliis et prophetis, videmus comoedias legere, amatoria bucolicorum verſuum verba cantare, tenere Virgilium, et id, quod in pueris neceſſitatis eſt, crimen in ſe facere voluntatis.* Sunt profecto ex ipſis antiquae ſuperſtitionis defenſoribus non pauci, qui fabulam rident, ac innocentem Hieronymum in ſomno, Ciceroniani falſo nomine, vapulaſſe mirantur. Ita BARTHOLOMAEVS SCALA: *n*) *conuenerant in coronae modum quidam docti videlicet et literati homines, ac cum de ſtudiis ſermo incidiſſet, de D. Hieronymo frequentior oratio fuit: vt ne verbera quidem ante aeterni Iudicis tribunal, quod Ciceronianus, non autem Chriſtianus eſſet, tacerent. Theodorus Gaza -- ridens facete admodum queſtus dicitur iniuriam viro ſanctiſſimo immeritiſſime illatam. Ita cum riſu ſoluta concio eſt. Sed quorſum fabella* etc. Ipſe item HIERONYMVS

m) Part. 3. epiſt. 41. c. 15. *n*) Apud ANG. POLITIANVM lib. 5. epiſt. 2. Confer. PETRVS CRINITVS de honeſta diſciplina l. 1. c. 10. et ERASMVS Hieronymi vita, qui eam iniuriam quouis modo vindicare ſtudet.

RONYMVS ad Euſtochium epiſtola narrat, quomodo in ſolitudine illa, quae ſolis ardoribus exuſta, putarit, Romanis ſe intereſſe deliciis. Membra ſacco horruiſſe deformia: inter lacrumas et gemitus ſi quando obrepuerit ſomnus, nuda humo abieciſſe oſſa vix cohaerentia. De cibo et potu facile iudicandum: cum etiam languentes monachi aqua vtantur frigida, et coctum aliquid accepiſſe luxuria habeatur. Attamen choris ſibi viſum intereſſe puellarum. Pallida fuiſſe ora ieiuniis: et tamen deſideriis mentem aeſtuare non deſiiſſe in corpore frigido: et cum ante homo quaſi fuerit extinctus carne ſua, ſola libidinum tamen ſuperaſſe incendia: donec ad Chriſti pedes ſemet coniecerit triſtem, et clamans cum nocte crebro iunxerit diem, nec prius a pectoris ceſſarit verberibus, quam rediret, Domino increpante, tranquillitas. Sic cellulam quoque ſuam, ac ſi cogitationum ſuarum eſſet conſcia, pertimuiſſe, et ſibimetipſi iratum et rigidum, et ſolum deſerta petiiſſe. Nec ſatis ipſius hic tuta fides, quam dederat Chriſto. Per inſidias eum aggrediuntur Campenſes et Tarſenſes Ariani: vt aliquo iuuenem ad ſe pertraherent modo, qui iam tum maximae ſpei eſſe videbatur: vtpote qui doctrina et ſanctitate ſuperaret omnes. Et illi nominis Chriſtiani hoſtes eum vſque adeo vexarunt: vt niſi eum corporis imbecillitas aſperitasque hiemis retinuerit, cum aliis diſceſſiſſet; melius eſſe ratur, inter feras habitare, quam cum talibus Chriſtianis. Exacto quadriennio ex eremo egreditur, vel haereticorum perſecutionibus eiicitur, et Antiochiam ſe recipit. Neque hic licebat illi viuere ſine tentationibus tranquillo. Diſtrahebatur tunc temporis Antiochia partium ſtudiis litibusque triſtiſſimis. Tres erant in eccleſia factiones, Meletii, Paulini, et Vitales, qui eodem tempore ſinguli vbiuis volebant

volebant esse episcopi. Quaerit Hieronymus per literas Damasum, Romanum episcopum: quem ecclesia Romana legitime putaret Antiochenae esse praefectum. Accepto consilio, Paulinum amplectitur: qui nostrum Antiochiae ordinauit presbyterum: noluit tamen istud munus suscipere, nisi a functione illius publica liber vita solitaria, suoque pietatis exercitio priuato perfrui posset. Vocauit eum postea Epiphanius, Salaminae Cypri episcopus, ad curam animarum publicam et sacramentorum administrationem. Illud vero nullo modo obtinere potuit. Maluit enim Hieronymus in agris et solitudine, quam hominum turba viuere. Ordinatus a Paulino presbyter, iam tum circiter XXX. annorum, commentarios in Abdiam, quos puer ab studiis rhetorum exorsus fuerat, perfecit tandem, atque Pammachio, studiorum socio, dicauit. Neque semper Antiochiae mansit, sed tractum etiam salutauit Hierosolymitanum, in agris vtplurimum et solitudine degens. Saepius quoque Bethlehemum, vel propter Christi, seruatoris sui, natiuitatem, petiit. Neque diu commoratus Bethlehemi, Constantinopolin abiit: vbi Gregorium Nazianzenum audiuit, cuius quammaxime erat celebris doctrinae et sanctitatis fama: eumque praeceptorem habuisse, plurimis in locis diserte gloriatur. *o*) Inde aliquanto post Romam a Damaso pontifice, imo literis imperialibus, CCCLXXXII. cum Paulino et Epiphanio, aliisque orientis episcopis, propter Antiochenae ecclesiae dissensiones, aliasque soluendas quaestiones, vocatur inuitus. Agnita viri dignitate, et meritis perspectis,

o) De viris illustribus c. 117. Epistola ad Nepotianum. Comment. ad Esaiae VI. et Ephes. V.

ctis, Damasus eum retinuit secum: vt ab epistolis sibi esset, atque consultantibus vndique responderet. *p*) Romam ingressus loca coepit reuisere sacra, in quibus a pueritia nutritus, edoctus, et, vt aiunt, baptizatus fuerat. Reuisere apostolorum atque martyrum templa, ad quae dominicis diebus accedere, cum a grammaticae ludo vacaret, et quorum cryptas ingredi puer olim consueuerat. Inuenit hic Pammachium, condiscipulum suum, aliosque amicos, quibus ab ineunte aetate valde familiariter fuerat vsus. Ipsi Damaso pontifici Romano quam fuerit dilectus, incredibile dictu. Nouerat enim iuuenem illum, in eremo degentem, ex literis et libris, quos ad eum saepius miserat. Non latebat eum, quid ex eremo egressus Antiochiae primum, mox et Bethlehemi egerit. Nec poterat ex ingenti fama eius abstinentia ac vitae probitas esse obscura. Summi, infimi, omnium ordinum, omnium aetatum, sexus vtriusque homines Hieronymum admirantur. Qui quid in eremo fuerit perpessus, adeo sancti hominis vultum contemplantur et ora. Facundiam alii laudant et minime vulgarem linguae suauitatem: stupendam alii eruditionem et presbyterii dignitatem suspiciunt. In eum omnium oculi conuertuntur. Damasus autem, remissis ad sedes suas quibusque episcopis, et Paulino in episcopatu Antiocheno confirmato, Hieronymum, vt

p) Cardinalatum ecclesiae Romanae, quae vox tunc temporis plane inaudita, adscripserunt illi non pauci: a quibus decepti sunt etiam pictores, qui hominem cilicio indutum, et plerumque in desertis agentem, purpura induerunt. Quam fraudem ipse CAESAR BARONIVS annal. tom. 4. ann. 377. sect. 66. reiicit, vt confictam et Hieronymi vitae instituto et scriptis aduersantem. Confer. ANDR. RIVETVS critici sacri l. 4. c. 4. Oper. tom. 2. p. 1131. Et BALTASAR BEBELIVS antiquitatum ecclesiae sec. IV. tomo priori pag. 145.

Digitized by Google

vt dixi, retinet, vt ſibi a literis et ſanctioribus conſiliis eſſet, atque adeo partem muneris grauiſſimi non minimam ſuſtineret. Tot tantaque negotia Romae publica non ſolum egregie expediuit, ſed etiam priſtinam ſeruauit deuotionis priuatae conſuetudinem, et quod interdiu non potuit, vigiliis crebrioribus libros conſcripſit plurimos. Omnibus ſalutem anhelantibus exemplo et oratione profuit: et nobilium non paucarum Romae nactus eſt matronarum *q*) familiaritatem: quarum cura legitur illi demandata fuiſſe. Inde gloria quidem eius aucta, et magnus auctoritati acceſſit cumulus: ſed inimici, quos, clericorum et populi mores peſſimos accuſando, in ſe concitarat multos, calumniandi et bonum virum in ſuſpicionem criminis adducendi occaſionem captarunt. Diuites nobilesque matronas lucri et amoris inhoneſti cauſſa, decipere ſanctioris vitae ſpecie, nimium ſuae clanculum indulgere libidini: quam vt explere facilius poſſet, vota feminis perſuadere monaſtica. Imo ſubornatus eſt, qui ſe, neſcio quid turpitudinis cum Paula ab Hieronymo commiſſae, vel audiuiſſe, vel ſuis oculis vidiſſe aſſereret. Eoque rumor iſte proceſſit, vt calumniator ea de re veritatem aſſertam equuleo ſubiiciendus eſſet. Negauit autem, quod dixerat ante: ac eum inſontem eſſe in tormentis clamauit, quem ſcelerum non dubitauerat facere reum. *r*) Anno Domini CCCLXXXV. Damaſo, pontifice Romano, vita defuncto, noſter maleuolorum obtrectationibus fatigatus, in Syriam redire decreuit. Paula et Melania,

q) Quas inter Marcella, Melania, Aſella, Albina, Marcellina, Felicitas erant, ceterisque praeſtantior Paula, Euſtochii et Bleſillae mater: quae veſtem mutauit, ac Monaſterium Hieroſolymis cum Melania, diſcedente ab vrbe Hieronymo, ingreſſa eſt.

r) HIERONYMVS ad Aſellam epiſt. 99.

nobiliſſimae matronae, qui diuitiis et voluptatibus relictis, Chriſti elegerunt crucem, velut pietatis quoddam vexillum, et ſolitudinem petierunt, ante diſceſſerant. Et Hieronymus Romae triennio exacto, menſe Auguſto, magna comitatus ſanctorum caterua, in portu Romano conſcendit nauim, et per Siciliae et Italiae fauces ad Peloponeſi promontoria contendit. In tranſitu ad Cyprum inſulam appulit, et Epiphanium ſalutauit. Inde Antiochiam peruenit, vbi a Paulino perquam amice exceptus eſt. Antiochia Hieroſolymam perrexit; inde in Aegyptum, vbi cum Didymo, Alexandrino doctore praeſtantiſſimo, aliquandiu commoratus eſt: et Nitriae monaſteria inuiſit, in quibus plurimos Origenis aſſeclas inuenit. Hinc Bethlehemum tandem reuertit, quam ſenectuti iam ingraueſcenti ſuae fixam elegit ſedem. Eo quoque venerat iam tum Paula cum Euſtochio filia, et Melania, Marcellini conſulis nepte, multis comitata virginibus. Manſit illa ibi per triennium ſatis anguſto tuguriolo: donec ipſa latiùs ſibi extruxerit monaſterium, vbi cum virginibus ſuis permaneret; et aliud, vbi Hieronymus virique religioſi degerent, et diuerſorium eſſet commodum hoſpitibus, ad ea loca, religionis cauſſa, venientibus. Erat enim Paula valde diues, adeo quidem, vt Nicopolis, in Actiaco littore, maximam partem ad eius poſſeſſiones pertineret. De Melania, quid egerit poſtea, nuſquam legimus. Tantum conſtat, Ruffino et Euagrio Pontico adhaeſiſſe, ac ipſam Hieronymi vitae tandem detrahere coepiſſe, Paulamque et Euſtochium reliquiſſe. Cellula, in qua Hieronymus manſit, poſita erat s) in diuerticulo, quo ibatur ad tumulum Archelai regis. Super ipſum autem

s) Vt ipſe libro de nominibus Hebraicis teſtatur.

Digitized by Google

autem ſpecum, quo natus mundi ſeruator, extructum erat templum. Ibi poſtea fundauit Paulina quatuor monaſteria, et varia peregrinis iuxta viam diuerſoria. Monaſterium vnum incolebant viri; tria reliqua virgines. *t*) Vixit ergo Hieronymus cum Paula, in confinio Bethlehemitico, latens in cellula, corpusque ſuum, vt ab ineunte aetate conſueuit ieiuniis, auſtera viuendi ratione, vigiliis et laboribus macerans. Laetus ſic tandem deſideratum diu obtinuiſſe otium, ad ſcribendum ſe totum applicuit: diſſertationes et conſultationes ad amicos epiſtolicas exarauit bene multas, et quos in ſacrum codicem pridem auſpicatus fuerat, libros commentarios maximam partem abſoluit. Linguam vero Hebraicam vt ſibi redderet magis familiarem: magno labore et impendio Barrabanum, ſiue Barhanina Iudaeum audiuit noctu. Is enim ſuos timens, non audebat Chriſtianorum quemquam interdiu docere. *v*) Nec illi temporibus ſuſpitioſiſſimis negotii parum atque moleſtiae crearunt haeretici: ſed vindex veritatis acerrimus inſultus et inſidias id genus hominum forti animo ſcriptisque luculentis contudit. Tantaque facta vbique locorum doctoris noſtri auctoritas: vt antrum illud Hieronymi Bethlehemiticum quaſi publicum orbis Chriſtiani haberetur oraculum: vnde conſilia petiuerunt omnes, qui vel animo aegri, vel in ſacris haeſitabant, vel de quacunque re ſibimetipſis conſulere non poterant. Et viri aliquando eruditione illuſtres, vel pietate, vel doctrina, et conſignatis in eremo aeternaturis ſacrarum literarum monumentis, alliciebantur, vt vel in amplexus tanti viri properarent, vel eius ſaltem amici-

t) Vid. HIERONYMVS epitaphio Paulae. *v*) Vid. VICTORIVS Hieronymi vita c. 32, CRINITVS de honeſta diſciplina l. 6. c. 6.

tiam abſentes promereri ſtuderent. Hos inter celeberrimi tunc temporis eccleſiae doctores S. Auguſtinus, Oroſius, et Sulpicius Seuerus fuerunt: quorum poſteriores duo leguntur Hieronymum ipſum in eremo conueniſſe; Auguſtinus vero literas et nuncios ad eum miſiſſe. Aduerſarios habuit, praeter Arianos aliosque haereticos, Rufinum et Iohannem Hieroſolymitanum, Origenis cauſſam defendentes, quos ideo acerrime exagitauit: neque Vigilantio Barcinonenſi pepercit, qui ſuperſtitionem ſeculi et ſanctorum reliquias non ſatis illi ſuſpicere videbatur. Quamuis corpore eſſet valde imbecillo, tenui, et laboribus obruto: *x*) ad extremam tamen vſque ſenectutem peruenit: vt ipſe ad Auguſtinum *y*) ſcribit: *me autem aetatis vltimae, et pene decrepitum, ac monaſterii et ruris ſecreta ſectantem, paruipendunt.* Ad vltimum vitae halitum, a literarum ſtudiis, et religionis ſeueriori exercitio non receſſit. Incredibile dictu quantum ſpiritus, quantumque vigoris eſſet reliqui in corpuſculo, vigiliis, aetate, plagis ieiuniisque conſumto. Quod homini deerat externo, animus ſupplere videbatur, et rerum ſacrarum meditatio, quae mentem quotidie paſcebat, ſuſtinebat, recreabat. Incidit tandem, vitae ſatur, in lenem febriculam, quam mortis laetam habebat nunciam. Animo ſecum reputabat omnes, quas fuerat expertus, huius mundi miſerias; quibus fuerit iactatus calumniis et maleuolorum inſidiis; quae rerum ſint viciſſitudines perpetuae; quam nihil omnino conſtans aut certum in hac vita, nihilque ante mortem beatum. Romam vidit, non ſine dolore, hoſtium furoribus concidiſſe, quae fuerit orbis domina, vrbes florentiſſimas in cineres redactas, omnia bar-

x) Quod ipſe fatetur comment. in Zachar. XII. *y*) Epiſt. 86.

Digitized by Google

barbarorum incurſionibus vaſtata. Nihil ergo ipſi magis videbatur eſſe in votis, quam vt ea tandem amplecteretur, quibus obtinendis a pueritia tantopere inſudarit. Tantoque lubentius vix vnquam praeguſtatas huius mundi delicias relinquebat. Aderant cum eo monachi, et Chriſto deuotae virgines, quotquot vndique ad beatum tanti viri exitum confluxerant. Omnes valere iubebat, eaque expetere, quae mortalia non ſunt: vt fugerent quaeuis irritamenta malorum. Verſus vltimo ad ſponſum, quem ſibi iam adeſſe videbat, ſuumque illi commendans ſpiritum placide obdormiuit, Honorio et Theodoſio iuniore imperantibus, ſi PROSPERO *z*) credimus, CCCCXXII. pride kalendas Octobris, aetatis anno XCI. quod ſupra tamen ex ipſius confeſſione falſum deprehendimus. Aliorum ſententias VICTORIVS *a*) et DVPINIVS *b*) collegerunt. Sufficit eum valde ſenem et decrepitum deceſſiſſe. Humatus autem fuit Bethlehemi, exequiis illi ante celebratis, vt Chriſtiana religio ſuadet. Translatus inde poſtea Romam, vna cum ſeruatoris praeſepio VII. Idus Maii. Reiectus deinde eſt dies in vigiliam aſcenſionis a Pio II. pontifice, vt feſtiuius ac frequentius ageretur feſtus, plenaria ſepulchrum eius illo die adeuntibus criminum indulgentia facta. Iacet ſuper Exquilias proprio ſibi iuxta praeſepe Domini erecto altari, vbi ſacra adhuc eius ſeruatur tunica, in eccleſia S. Mariae Maioris. *c*) Vita vulgo Hieronymi ſcriptis praefigitur, ab anonymo, vel, vt alii ſibi perſuadent, ab ipſius diſcipulo Euſebio quodam, conſcripta: quae, vt et Auguſtini epiſtola ad Cyrillum de laudibus B. Hieronymi, et Cyrilli ad Auguſtinum epiſtola

z) Chronico. *a*) Hieronymi vita c. 47. *b*) Eccleſiaſticorum auctorum bibliotheca noua tomo 3. pag. 251. ſeq. *c*) Vid. VICTORIVS Hieronymi vita c. 49.

ſtola de miraculis Hieronymi, hodie merito ab omnibus, tanquam inſulſae fabellae, quibus nihil abſurdius excogitari potuit, exſibilantur. Poſtea DES. ERASMVS ROTERODAMVS Hieronymi vitam ex ipſius potiſſimum literis contexuit ac nouae editioni Baſileenſi MDXVI. praefixit. Ex eius ſcriptis quoque MARIANVS VICTORIVS Reatinus Hieronymi vitam cocinnauit editioni ſuae additam. *d*) Reliqua Benedictini Monachi prolegominibus recentioris elegantiſſimae editionis ſuppleuerunt: quam Pariſiis ab anno 1693. ad annum vſque 1706. quinque tomis adornarunt. Alios, qui de Hieronymo quicquam literis mandarunt, in bibliotheca Latina IOH. ALB. FABRICIVS recenſet. *e*) Quibus addi poſſunt SIXTVS SENENSIS, *f*) CAVE, *g*) DV PIN, *h*) Eccleſiaſtici et literarii omnes ſcriptores, BVDDEI, vel ISELII lexicon vniuerſale hiſtoricum. *i*) Quisnam vero *Hieronymus* ille *Reatinus*, quem in vita Hieronymi VOSSIVS *k*) citat, et negare ait, Marium Victorinum rhetorem Hieronymi noſtri praeceptorem fuiſſe, quique apud Surium habeatur tomo quinto, die XXX. Sept.? Inde etiam hunc *Hieronymum Reatinum* laudat GEORGIVS MATTH. KOENIGIVS. *l*) Sed errorem alterius ſequitur alter: vt vulgo homines multa, ſine rerum vlteriori examine, aut veritatis ſcrutinio, ex charta in papyrum transſcribere ſolet. Celeberrimus ille *Marianus Victorius Reatinus* eſt, qui non modo Hieronymi, vt diximus, vitam deſcri-

d) Extat ea etiam apud SVRIVM de probatis ſanctorum hiſtoriis tom. 5. Septembri p. 495. ſeqq. *e*) Biblioth. Latin. volum. 3. p. 448. ſeq. *f*) Biblioth. ſacrae l. 4. p. 302. ſeqq. *g*) Hiſt. Lit. *h*) Noua bibliotheca eccleſ. auctor. tom. 3. p. 173. ſeqq. *i*) Artic. Hieronymus. *k*) De rhetorices natura et conſtitutione pag. 95. *l*) Bibliotheca vetere et noua p. 510. in v. *Marius Victorinus.*

Digitized by Google

deſcripſit, verum et opera illius elegantiſſime edidit. Et vita Hieronymi ab eo deſcripta apud SVRIVM *m*) legitur.

§. LXXIX.

Scripſit multa, maximam partem ſacri argumenti, opuſcula: vnde eius mira cum elucet eruditio, tum non vulgaris elegantia: quae vix in aliis huius aeui ſcriptoribus eccleſiaſticis reperiunda. Quae ad ea vſque tempora vulgauerat, ipſe *n*) enumerare non veritus eſt. Sed pleraque ante ERASMI Herculeos labores corrupta et deprauata fuiſſe adeo, vt vix genuina inter ſpuria cognoſci potuerint, nos ille quoque docet, quam operum tomo primo praefixit, nuncupatoria ad Gulielmum Waramum, Cantuarienſem archiepiſcopum, epiſtola: vbi dubitat an quisquam omnium tractatus ſit indignius. Bonam, ait, partem vigiliarum illius intercidiſſe: quod ſupereſt, non deprauatum, ſed prorſus extinctum et obliteratum fuiſſe. Id partim quidem illiteratorum vitio ſcribarum, qui ſolent ex emendatis inemendata deſcribere, ex mendoſis mendoſiora reddere, praetermittere, quod non legunt, corrumpere, quod non intelligunt, velut Hebraea Graecaque vocabula, quae frequenter intermiſcet Hieronymus. Sed multo ſceleratius a ſacrilegis detruncata permulta, addita non nulla, mutata pleraque, deprauata, ſordidata, confuſa pene omnia: vt vix vlla ſit periodus, quam eruditus inoffenſe poſſit legere. Imo, quod eſt peſtilentiſſimum

m) De probatis Sanctorum hiſtoriis tom. 5. Septembr. p. 495. ſqq.

n) Libro de viris illuſtribus c. 135. Confer. FABRICII obſeruationes bibliotheca eccleſiaſtica pag. 221. GENNADIVS de viris illuſtr. apud Fabricium biblioth. eccleſ. pag. 5. HONORIVS Auguſtodunenſis l. 1. c. 136. IOH. TRITHEMIVS de ſcriptor. eccleſ. cap. 100.

tiſſimum vitiandi genus, ſuas admiſcuerunt paſſim naenias, ne quis repurgare poſſet. *o*) Scripta Hieronymi a ſpuriis genuina diſcernere et recenſere inſtituerunt editionibus ſuis ERASMVS, VICTORIVS, et Benedictini monachi SIXTVS SENENSIS, *p*) ROBERTVS BELLARMINVS, *q*) IOH. GERHARDVS, *r*) ANDREAS RIVETVS, *s*) BALTASAR BEBELIVS, *t*) alii. De chronico Euſebiano aliisque hiſtoricis tractationibus G. I. VOSSIVS *v*) conſulatur. Hieronymi opera quo ordine fuerint ab Eraſmo edita, illuſtris Academiae Rintelienſis Bibliotheca deſcribenda, recenſere debui. *x*) Poſteaquam Romanenſibus Eraſmi facta eſt ſuſpecta fides, MARIANVS VICTORIVS illa opera denuo reuidere et magis emendata vulgare inſtituit: *y*) quorum *tomo I.* epiſtolae ſunt hortatoriae pleraeque ad Heliodorum, ad Ruſticum, ad Laetam, ad Saluinam, ad Ageruchiam duae, ad Paulinum, ad Paulam et Euſtochium Marcellae nomine, ad Marcellam tres, ad Paulum Concordienſem, ad Theophilum Alexandr. ad Caſtrutium, ad Exuperantium, ad Iulianum Diaconum, ad virgines Hermonenſes, ad Ruffinum, ad Chromatium et alios, ad Antonium, de vitando ſuſpecto contubernio, ad Sabinianum Diaconum, ad Nepotianum, ad Florentium duae, ad Demetriadem, ad Furiam, ad Gaudentium, ad Celantiam, ad Euſtochium duae, ad Lucinium, ad Abigaum, ad Iulianum, ad Caſtorinam

o) Confer. ERASMI chiliad. 3. cent. 1. adag. 2. *p*) Bibliothecae ſanctae l. 4. p. 303. ſeqq. *q*) De ſcriptoribus eccleſiaſticis ad an. 390. pag. m. 104. ſeqq. *r*) Patrologia pag. 305. ſeqq. *s*) Critici ſacri l. 4. c. 5. ſeqq. operum tomo 2. p. 1131. ſeqq. *t*) Antiq. eccleſiae ſec. IV. part. prior. p. 245. ſeqq. *v*) De hiſtoricis Latinis l. 2. c. 11. p. 205. ſeqq. *x*) Vid. Rintel. biblioth. theologica p. 41. ſeq. *y*) Pl. videatur DV PIN bibliotheca noua eccleſiaſticorum auctorum tom. 3. p. 175. ſeqq.

Digitized by Google

ſtorinam, ad Theodoſium monachum, ad Auguſtinum, ad Nicaeam Diacon. ad Chriſogonum, ad Ruſticum. Sequuntur laudatoriae et funebres duodecim, in Nepotianum, in Marcellam, in Bleſillam, in Aſellam, in Leam, in Paulam, in Lucinium, in S. Paulum, in Malchum, in Fabiolam, in S. Hilarionem, in mulierem ſepties ictam. Denique accedit liber de viris illuſtribus, ſiue de ſcriptoribus eccleſiaſticis. In hoc tomo nihil eſt, de quo Hieronymi eſſe merito dubitari poſſit. *Tomo II.* libri continentur et epiſtolae polemicae contra haereticos, vel calumniatores, aduerſus Heluidium liber vnus, aduerſus Iouinianum libri duo, apologia pro libris in Iouinianum, apologeticum ad Domnionem, ad Pammachium pro iisdem libris, aduerſus Vigilantium ad Riparium epiſtola, aduerſus Vigilantium liber vnus, ad Marcellam aduerſus Montanum epiſtola, aduerſus Luciferianos dialogus, ad Auitum contra Origenem, ad Iohannem Hieroſolymitanum Origeniſtam, ad Pammachium de erroribus Iohannis Hieroſolymitani, ad Theophilum contra eundem Iohannem, apologiaç aduerſus Ruffinum libri tres, ad diuerſos diuerſorum argumentorum epiſtolae triginta, cum annexis octo Epiphanii, Theophili et Auguſtini ad Hieronymum epiſtolis. Et haec ſincera eſſe omnia putantur. *Tomo III.* leguntur praefationes et quaeſtionum explicationes. Ad Paulinum de libris diuinae ſcripturae, praefationes in pentateuchum, in Ioſue, in libros Regum, in librum paralipom. 2. in Eſdram, in Tobiam, in Iudith, in Eſther, in Iobum, in prouerbia, in eccleſiaſten, in cantica, in Eſaiam, in Ieremiam, in Ezechielem, in Danielem, in duodecim prophetas, in quatuor euangelia. Sequuntur explicationes quaeſtionum a diuerſis propoſitarum, a Damaſo, a Dardano, a Vitali, ab Amando, a Minerio et Alexandro,

dro, a Cypriano, a Paula Vrbica, ab Euagrio, a Marcella, a Sophronio, ab Hedibia, a Principia virgine, a Fabiola, a Ruffino, a Sunia, et Fretella, ab Algasia, a Paulino, a Desiderio. Sunt in eodem tomo traditiones, siue quaestiones Hebraicae, in Genesin, in libros paralipomenon, in libros Regum, libri de locis Hebraicis, et de nominibus Hebraicis, quae in omnibus libris V. et N. T. occurrunt. *Tomo IV.* exhibentur commentaria in quatuor prophetas maiores, et threnos Ieremiae. *Tomus V.* continet in ecclesiasten et duodecim prophetas minores commentaria. *Tomus VI.* continet commentaria in Matthaeum, Marcum, Lucam, Iohannem, et epistolas Pauli ad Galatas, ad Ephesios, ad Titum, et Philemonem, librum item Didymi de spiritu sancto ab Hieronymo versum. *Tomus VII.* continet commentaria in psalmos Dauidis: quibus accessit psalterium ipsum ex Hebraico Latinitate ab Hieronymo donatum. *Tomus VIII.* exhibet Hieronymo perperam adscriptos in Iobum, in prouerbia Salomonis, in canticum canticorum, et in omnes Pauli Apostoli epistolas commentarios. Recte MARIANVS VICTORIVS commentaria in Iobum arbitratur non Hieronymo, sed Bedae tribuenda esse. Nam auctor extremo libro testatur, eum in gratiam Vecterii, qui in Anglia temporibus Bedae fuit episcopus, scripsisse. Et Bedae tribuendus in prouerbia commentarius: siquidem capite XXI. et XXXI. S. Gregorius papa, et capite XXX. ipse S. Hieronymus citantur. Origenis sunt in cantica canticorum homiliae quatuor. Et commentaria in omnes epistolas S. Pauli etiam Pelagii sunt haeresiarchae. z) *Tomus IX.* est tri-

z) Vid. VICTORII censura. BELLARMINVS de script. eccles. p. 112. GERHARDVS patrologia p. 316.

Digitized by Google

tripartitus, et Hieronymo ſiſtit falſo adſcriptas epiſtolas. Eius parte priori doctae quidem ſunt epiſtolae, quarum auctores ignorantur. 1. ad Demetriadem de virginitate. 2. Auguſtini et Alipii ad Iulianam. 3. ad Geruntii filias de contemnenda haereditate. 4. ad Marcellam, vt aduerſa toleret. 5. ad virginem in exilium miſſam conſolatio. 6. ad amicum aegrotum. 7 ad amicum aegrotum de viro perfecto. 8. amicum inſtituit in ſcientia diuinae legis. 9. de tribus virtutibus. 10. ad Paulam et Euſtochium de aſſumtione B. Virginis Mariae. 11. de aſſumtione B. Mariae virginis ſermo. 12. de honorandis parentibus. 13. de ſeptem gradibus eccleſiae ad Ruſticum Narbonenſem epiſcopum. 14 virginitatis laus, ad Mauritii filiam. 15. de his, quae Deo in ſcripturis ſanctis attribuuntur. 16. Damaſi ſymbolum. 17. ſymboli explanatio ad Damaſum. 18. explanatio fidei ad Cyrillum. 19. ſymbolum Ruffini ad Laurentium epiſcopum. 20. ad Praeſidium Diaconum de cereo paſchali. 20. de vera circumciſione ad Theraſiam. 21. de celebratione paſchae. 22. in Suſannam lapſam obiurgatio. 23. in Euagrium obiurgatio, quod Leuitam lapſum non ſit conſolatus. 24. hortatio ad militem, vt Chriſto militet. 25. de decem tentationibus populi Iſraelitici. 26. explanatio in pſalmum XL. 27. explanatio in pſalmum CXVII. 28. ad Dardanum de diuerſis generibus muſicorum. 29. de reſurrectione Domini ſermo. 30. de natiuitate Domini ſermo. 31. de epiphania Domini ſermo. 32. ſermo de quadrageſima. 33. in vigilia de eſu agni ſermo. 34. de reſurrectione Domini ſermo. 35. ad Euſtochium de vinculis B. Petri. 36. de obſeruatione vigiliarum. 37. ad Pammachium et Oceanum exhortatoria. 38. ad quendam, qui in ſeculo poenitebat. 39. de diuerſis generibus leprarum. 40. de duobus filiis frugi et

luxurioſo. Parte altera exhibentur ea, quae titulis auctores ſuos teſtantur. 41. Paulinus Sebaſtiano Eremitae. a. Mariani Victorii epiſtola de apologia pro Origene. b. in apologiam Euſebii prooemium. c. apologia Euſebii Caeſarienſis pro Origene, Ruffino interprete. d. Ruffini liber de adulteratione librorum Origenis ad Macharium. e. prologus Ruffini in periarchon Origenis ad Macarium. 42. Ruffini ad Anaſtaſium, Romanum epiſcopum, apologia pro fide ſua. 43. Anaſtaſii, Romani epiſcopi, ad Iohannem Hieroſolymitanum epiſcopum de Ruffino ſententia. a. Ruffini Aquileienſis in D. Hieronymum inuectiuarum libri duo. b. Theophili, Alexandrini epiſcopi, paſchales epiſtolae tres, D. Hieronymo interprete. 44. Auguſtinus Hieronymo, de eo quod ſcriptum eſt, qui totam legem ſeruauerit etc. 45. Auguſtinus Hieronymo, de ratione animae. 46. Auguſtinus ad Optatum Mileuitanum epiſcopum, de origine animarum. 47. D. Auguſtini homilia de paſtoribus. 48. Valerius Ruffino, ne ducat vxorem. a. Martini V. pontificis regulae monachorum approbatio. b. regula monachorum D. Hieronymi, ex ſcriptis eius per Lupum de Oliueto collecta. c. dialogus ſub nomine Hieronymi et Auguſtini ex vtriusque ſcriptis, ab incerto auctore, de origine animarum. d. de corpore et ſanguine Chriſti homilia, incerto auctore. e. homilia ſuper euangelium Matthaei, quis veſtrum habebit amicum etc. Tertia parte leguntur, quae ſuos etiam ipſa prae ſe ferunt auctores, ſed minus erudita ſunt. 49. ad Tyraſium ſuper morte filiae conſolatio. 50. ad Oceanum de ferendis opprobriis hortatoria. 51. ad Oceanum de vita clericorum. 52. Damaſus Hieronymo. 53. Hieronymus Damaſo. a. ſcriptorum eccleſiaſticorum catalogus ad Deſiderium. 54. ad Paulam et Euſtochium de virtute

Digitized by Google

tute pſalmorum. 55. ad Damaſum de oblatione altaris. a. regula monacharum. 56. Cromatius et Heliodorus epiſcopi Hieronymo. 57. Hieronymus Cromatio et Heliodoro. 58. de natiuitate S. Mariae. 59. Euſebius de morte Hieronymi ad Damaſum. a. Auguſtini Hipponenſis epiſcopi ad Cyrillum Hieroſolymitanum epiſcopum, de magnificentiis B. Hieronymi. b. Cyrilli epiſcopi Hieroſolymitani ad S. Auguſtinum de miraculis S. Hieronymi. c. vita D. Hieronymi, incerto auctore. Index locupletiſſimus in ſex poſteriores tomos D. Hieronymi maxima diligentia collectus.

§. LXXX.

Quanta eius fuerit apud veteres auctoritas, omnes vitae nos circumſtantiae ſatis ſuperque docent. AVGVSTINVS *a*) eum Iohanni Baptiſtae comparat, nec in ſe eſſe fatetur, nec eſſe vnquam poſſe tantum ſcientiae diuinarum ſcripturarum, quantum viderit in Hieronymo fuiſſe. Idem *b*) *ſanctus*, inquit, *Hieronymus presbyter, Graeco et Latino, inſuper et Hebraeo eruditus eloquio, ex occidentali ad orientalem tranſiens eccleſiam, in locis ſanctis, atque in literis ſacris vſque ad decrepitam vixit aetatem.* Rurſum: *c*) *non defuit temporibus noſtris presbyter Hieronymus, homo doctiſſimus, et trium linguarum peritus: qui non ex Graeco, ſed ex Hebraeo in Latinum eloquium ſcripturas conuertit.* Et cum plurium eſſet peritus linguarum, vt Hipponenſis epiſcopus ille dicere conſueuit, *d*) nullus hominum ſciuit, quod Hieronymus ignorauit. *e*)

IONAS

a) Apud Victorium Hieronymi vita c. 46. *b*) Contra Iulianum l. 1. *c*) De ciuitate Dei l. 18. *d*) Confer. DREXELIVS auriſod. pag. 26. et PARAVICINVS ſingular. de viris eruditione claris cent. 1. n. 58. *e*) Pl. vid. BERELIVS antiquit. eccleſiae ſec. IV. parte priori pag. 250. ſeqq.

IONAS AVRELIANENSIS tertio libro contra Claudium Taurinenſem *f*) *Hieronymum*, ob multa et egregia, quae nobis reliquit, monumenta, *bibliothecam eccleſiae* vocat. TRITHEMIVS *g*) virum laudat in ſecularibus literis valde eruditum, et in diuinis ſcripturis inter omnes doctores eruditiſſimum, multarum linguarum peritia inſignem, ſacrae legis interpretem, haereticorum malleum et expugnatorem fortiſſimum. Verus illi eſt diſpenſator euangelicus, fidelis et prudens, qui proferens de theſauro ſuo noua et vetera - - Hebraeos ſuperbos ſpoliauit, humilesque ditauit Latinos. - - Hic Ieſu Chriſti ſincerus amator, qui nullum tempus otioſe tranſiens, die ac nocte in lege domini meditabatur, et vix corpori neceſſario ſomno indulto, ſemper diebus ac noctibus ſcripſit, legit, docuit, vel orauit. Hic veritatis defenſor, cultor virtutis, vitiorum acerrimus hoſtis, cum eſſet eccleſiae Romanae presbyter, et ſcelera clericorum conſtanter argueret, eorum inuidia receſſit ex vrbe, veniensque in Iudaeam glorioſum Domini viſitauit ſepulchrum, atque iuxta praeſepe Bethlehemiticum locum ſibi habitationis conſtituens, toti mundo clarus innotuit. Qui Hieronymum omnium optime nouit, ERASMVS *h*) arbitratur, eius tam multas tamque eximias dotes, in communi elegantiorum literarum naufragio, promeruiſſe, vt vel ſolus et totus, et incorruptus ſeruaretur. Nam ceterorum quidem alios alias commendare dotes: in hoc vno συλλήσδην vt aiunt, coniunctum fuiſſe, et eximium, quicquid in aliis per partes admiramur. *Cum in ſingulis*, inquit, *egregium eſſe, magnum ſit ac rarum: hic ſic excelluit in omnibus, vt longe prae-*

f) Orthodoxograph. pag. 1443. *g*) De ſcriptoribus eccleſ. cap. 100. *h*) Hieronymi operum tom. 1. epiſtola nuncupatoria ad Gulielmum Waramum, Archiepiſcopum Cantuarienſem.

Digitized by Google

praecurrat in ſingulis, ſi illum cum ceteris conferas: ſin ipſum ſecum componas, in nullo praemineat. Tanta eſt rerum omnium ſummarum temperatura. Etenim ſi naturae felicitatem expendas, quid illius ingenio, vel ardentius ad diſcendum, vel acrius ad iudicandum, vel foecundius ad inueniendum? Denique quid dexterius, aut feſtiuius, ſi forte res delectationem deſideret? - - In praedicanda viri eloquentia nimius eſt et omnes benedicendi regulas in ſuſpenſo reliquiſſe videtur. *Sin*, pergit, *doctrinam exigas, quaeſo te, quem habet vel eruditiſſima Graecia, ſic abſolutum in omni doctrinae genere, vt cum Hieronymo ſit committendus? Quis vnquam pari felicitate omnes totius eruditionis partes coniunxit et abſoluit? Quis vnquam in tot linguis antecelluit vnus? Cui tanta hiſtoriarum, tanta geographiae, tanta antiquitatis notitia contigit vnquam? Quis vnquam ſacrarum et prophanarum omnium literarum et parem, et abſolutam ſcientiam eſt aſſecutus? Sin memoriam examines, quis auctor ſeu vetus, ſeu nouus, quem ille non in promtu habuerit? Quis angelus diuinae ſcripturae, quid tam abditum, quid tam varium, quod ille non velut in numerato habuerit? Sin induſtriam, quis vnquam tantum aut euoluit, aut ſcripſit voluminum? Quis ſic vniuerſam diuinam ſcripturam edidicit, imbibit, concoxit, verſauit, meditatus eſt? Quis aeque ſudauit in omni doctrinae genere? Iam ſi morum ſanctimoniam ſpectes, quis Chriſtum ſpirat viuidius? Quis docuit ardentius? Denique quis eum vita magis expreſſit? Poterat hic vnus pro cunctis ſufficere Latinis, vel ad vitae pietatem, vel ad theologicae rei cognitionem, ſi modo integer et incolumis extaret.* Pari modo alibi i) *ille*, inquit,

i) Hieronymi vita.

inquit, *tot linguis excelluit. Vt omittam tam multa diſciplinarum adminicula, ſine quibus in diuinis voluminibus neceſſe ſit paſſim hallucinari, quis vnquam ſacras literas ſic ex ipſis hauſit fontibus? Quis altius imbibit? Quis ſimili cura edidicit? Quis ſic in promtu et in procinctu, quod aiunt, habuit? Quis citauit aut denſius, aut appoſitius? Quis ediſſeruit doctius? Quis tractauit ſanctius, aut felicius? Quis eruditiſſimos illos interpretes euoluit diligentius? Quis haereticorum dogmata refellit efficacius? Quis Chriſti philoſophiam penitius cognitam habuit? Quis eam viuidius aut literis expreſſit, aut vita?* Scholaſticos deinde ridet barbarosque theologos, quorum nugis omnia fuerint plena mox triſtibus eccleſiae ſubſequentibus ſeculis. Et cenſuram exponit iſtorum, qui cuncta ad certum numerum redegerunt. Doctores eccleſiae quatuor eſſe ſtatuunt: et quatuor item ſcripturae diuinae ſenſus: nimirum vt reſpondeant quatuor euangeliſtis. Gregorio tribuunt tropologiam, Ambroſio allegoriam, Auguſtino analogen, Hieronymo (ne nihil habeat) relinquunt literam et ſenſum grammaticum. Porro cum Philelphus Auguſtino tribuerit dialecticae palmam, eloquentiae Hieronymo: hunc demonſtrat Auguſtino non minus antecelluiſſe dialectica, quam praeceſſit eloquentia: nec minus eruditione ſuperiorem fuiſſe, quam dicendi laude. Rurſum ERASMVS, *k*) *vt diuitem*, inquit, *quandam ex omni diſciplinarum et auctorum genere conſtructam penum habuit in pectore: ita nemo doctrinae ſuae opes in ſcriptis ambitioſius, vt ita dicam, oſtendat. Adeo ſancta quadam gloria, quicquid in vetere, quicquid in nouo inſtrumento retruſum, quicquid in fabulis, in hiſtoriis, quicquid in Grae-*

k) Chiliad. 3. cent. 1. adag. 2.

Digitized by Google

Graecis, quicquid in Hebraicis literis exquisitum, id obiicit, infulcit, inculcat. Et VICTORIVS *l*) virum vocat, cui nec Graeci, nec Latini, quem comparent, habeant aliquem. In eum enim doctrinas omnes et virtutes ita se cumulate contulisse: vt post eum, quem in aliqua re gentibus inuideat ecclesia, neminem inueniat. Nam etsi multos in ecclesia praestantissimos ac doctissimos habuerimus viros, neminem tamen, qui tot ac tanta in omni doctrinarum genere sciuerit, et qui tot linguarum habuerit cognitionem, supereſſe.

§. LXXXI.

Vt nihil in hac rerum perpetua vanitate ex omni parte beatum, et homines quotquot sunt, vel eruditissimi, sentiunt, humani nihil ab se alienum esse: Hieronymus, probe omnigena doctrina imbutus, naeuis erroribusque suis non potuit omnino esse liber. *m*) Fuit acerbus nimis, et vehementius interdum, quam hominem decet Christianum, excanduit. Imo, aiunt, inuidiam eius fuisse tantam, vt omnes prope virtutis et doctrinae laudes obfuscarit. Lacessitus neminem nisi bene depexum dimisit. Aduersarios vt plurimum insolenti acumine impugnabat: neque illi sufficiebat, vindicare veritatem, et partes magno animo tueri suas: istos conuiciis quoque cumulabat: iocis dicteriisque asperius ludebat: et si quae fortasse erant, vitia, ad pudorem incutiendum,

l) Hieronymi vita c. 46. Recentiorum omnium ordinum iudicia de Hieronymo vide apud BEBELIVM antiq. eccles. sec. IV. parte priori pag. 252. seqq. *m*) Vid. OSIANDER hist. eccles. cent. 4. l. 4. c. 19. SCHOPFIVS academia I. C. pag. 78. seqq. CAVE hist. liter. p. 219. SPANHEMIVS introduct. mai. tom. 1. p. 417. seqq. DV PIN noua bibliotheca eccleſiaſticorum auctorum tom. 3. p. 245. seq.

retegere ac vulgare non verebatur. In ſcriptis polemicis hortationibusque, vtut ſatis exercitatus ipſe praeſtaret ſapientia et vſu, plus ſaepe acuminis et vehementiae ineſt, quam ſolidae perſuaſionis atque doctrinae. Procul dubio eruditiſſimus fuit: ſed quoniam certis deſtitutus principiis, haud raro ſecum ipſe pugnat, eaque ſcribit, quae nullo modo conſiſtere poſſunt. Nimio ſaepe abreptus animi feruore et impetu, res, quae in controuerſiam veniunt, plus aequo exaggerare ſolet. Prout affectibus indulget, non vt ipſa rei poſtulat veritas, ait, negat, approbat, damnat. Etiam in expoſitionibus ſacris, quibus moderatior paulo et accuratior eſſe videtur, ſibi parum conſtat, eaque ſcribit, quae minime cohaerent. Vix enim praeuia meditatione, librariis ſcribenda dictitabat, quae in buccam ipſi primum veniebant, vel quae Iudaei ſuggerebant, vel quae ex aliis transferebat in libros ſuos. Neque foetidum fugiebat crimen plagii: qui aliorum explanationes et meditationes, auctorum nulla facta mentione, in medium proferre non verebatur. Hinc et ſententias nonnunquam erroris producebat incautus, quas iam tum alibi minime probauerat. Ita, cum illi Ruffinus obiiceret, in expoſitione epiſtolae ad Epheſios ipſum Origenis quasdam opiniones docuiſſe de reſurrectione, de animarum praeexiſtentia, de futura daemonum atque damnatorum liberatione, id genus alias; non quidem rogat illa in commentariis ſuis reperiri: ſed Origenis non ſuam ſententiam attuliſſe. Inuenies paſſim Iudaeorum errores. Alia inſignem, quam cum rudi plebecula communem habuit, ſuperſtitionem, et credulitatem nimiam ſapiunt. *n*) STOL-

n) Quid omnium ordinum homines in Hieronymo deſiderent BELLIVS notat antiq. eccleſ. ſec. IV. parte priori p. 258. ſeqq. Confer. GERHARDI patrologia p. 324. ſeqq.

by Google

STOLLIVS *o*) eum Stoicis annumerat philoſophis: qui quomodo dicendus, ego omnium minime videre poſſum: vtut Stoicos ipſe *p*) noſtro dogmati in plerisque concordare fateatur. Alioqui Chriſto deuoti omnes Stoicorum dicendi eſſent caſtra ſequi: quod in plerisque virtutibus exercendis conueniunt. Multa Hieronymum magis ῥητορικώτερα, quam theologica ſcripſiſſe LVTHERVS affirmat. BOECLERO *q*) autem videtur propterea eum nihili facere, quod tantopere coelibatum extulerit aduerſus coniugium: in quod alioquin iniurioſus fuit. Vocat enim mulierem, quae ad ſecunda vota tranſit, meretricem, et alium, qui quartam vxorem duxiſſet, *quartum nuptiatorem*, et multa acerba in eum dicit.

§. LXXXII.

Hieronymum patres inter eccleſiaſticos huius aeui merito dixeris doctiſſimum fuiſſe. Linguarum certe, quas hodie ſuſpiciunt inprimis ſacrarum literarum cultores, Latinae, Graecae, et Hebraicae, peritiſſimus, et illis artibus, quae ab humanitate vocantur, non minus, quam literis diuinis imbutus, profanam et eccleſiaſticam hiſtoriam ad amuſſim cognouit, ſaniori ſtuduit philoſophiae, et omnes cum oratores, tum poetas, in numerato habuit: quorum acute et eleganter dicta, in ſuccum, vt loquuntur, et ſanguinem conuertere didicit. Hinc ſcriptis quoque ſuis vim et vrbanitatem quandam conciliare ſtudet. Quaeſtiones intricatiſſimas, quaeque taedium facile videntur excitare lectoribus, tam venuſte et perſpicue diſputat, vt non ſine voluptate legantur. Nec ab re videtur ERASMVS *r*) iudicare, aureum flumen habere, imo

o) Introductione in hiſtor. literar. part. 2. c. 1. §. 65. *p*) Lib. 4. ſup. cap. 11. Eſaiae. *q*) Bibliographia critica p. 744. *r*) Hieronym. oper. tom. 1. epiſt. nuncupatoria extr.

locupletiſſimam bibliothecam habere, quisquis vnum Hieronymum habeat. Et alibi, *s*) velut aureum quoddam flumen ire, multasque ſimul ſecum deferre opes. Lumen certe fuit ſeculi ſingulare, et doctor eccleſiae incomparabilis: cuius eruditionem cum vehementi zelo ac induſtria legentibus profutura coniunctam vix quisquam inter veteres Latinos eccleſiae patres aequauit, antegreſſus certe nemo eſt. *t*) Hunc Damaſus pontifex Romanus, et S. Auguſtinus, et plures alii eruditiſſimi viri conſulere in difficilioribus cauſſis, eiusque conſilio et opera ſaepius vti voluerunt. Ex patribus enim Latinis primus philoſophiam et theologiam cum linguarum cognitione quam feliciſſime coniunxit: tantumque profecit, vt reliquos pene omnes poſt ſe longo interuallo relinqueret. Sunt enim in aliis huius aeui, maxime Africanis ſcriptoribus, quae tolerare, quam imitari malis.

§. LXXXIII.

Eloquentia, pro aetatis ratione, non omnino videtur eſſe contemnenda: ſed qui eam cum Tulliana, vel melioris aeui etiam mediocri dicendi charactere componere velit, intelligendo nae faciet, vt nihil intelligat. Altius, quam res requirunt, vtplurimum aſſurgit, ac minimis ſaepe cauſſis tam ardens et vehemens eſt, vt ſemper ad Iudices de cauſſa capitali dicere videatur. *v*) ERASMVM *x*) ſatis mirari nequeo ipſius ſui prope oblitum dicendi rationem eius ſupra omnia extuliſſe, adeo quidem, vt Tullianam ſuperet: quod ego nuſquam reperire potui, nec

s) Hieronymi vita. *t*) Confer. BOECLERVS bibliographia critica pag. 743. ſeq. *v*) Confer. MORHOFIVS polyhiſt. liter. lib. 1. c. 23. n. 24. *x*) Hieronymi operum tom. 1. epiſtola nuncupatoria ad Gulielmum Waramum, archiepiſcopum Cantuarienſem.

Digitized by Google

nec forſan reperiet alius, qui, quam diſtent aera lupinis, probe nouit. *Si eloquentiae*, inquit, *laudem requiras, in hac certe Chriſtianos ſcriptores vniuerſos tanto poſt ſe reliquit interuallo: vt nec hi cum Hieronymo conferri queant, qui vitam omnem in vno benedicendi ſtudio contriuerunt: ac prorſum tantum abeſt, vt quisquam ſit noſtrae religionis ſcriptor, quem cum hoc poſſis componere: vt meo iudicio Ciceronem etiam ipſum, ſuffragiis omnium eloquentiae Romanae principem, nonnullis dicendi virtutibus ſuperet. - - Mihi ſane hoc ipſum ſolet vſu venire in Hieronymo, quod olim in M. Tullio: cum quo ſi quem contulero, per ſe quantumuis diſertum, repente velut obmuteſcere videtur: et cuius linguam citra contentionem vehementer admiror, ad hunc compoſitus et admotus, elinguis videtur et balbus.* Si cui tumidum dicendi genus placet atque incertum: prae Ciceronis elaborata et ſucci plena oratione, Hieronymi centones quaſi et inordinata florilegia placebunt: quae nec ipſum Eraſmum alibi probare conſtat. Emendicata et minime vera elegantia, nedum eloquentia poteſt eſſe abſoluta, quae hinc inde ſine iunctura, ſine numero, ſine ordine, ſine ambitu, ſine dignitate colligitur. Atqui hoc ipſum agere Hieronymum, in ſequentibus etiam ERASMVS laudat, et variam omnium rerum mixturam admiratur, quam affectauerit pia ambitione, et ſancta quadam oſtentatione iactitans opes ſuas: quo magis veternum excutiat, et oſcitabundos ad arcanae ſcripturae ſtudium expergefaciat. *Quid enim*, inquit, *eſt vſquam in vllo vel auctorum, vel literarum genere, quod ille paſſim non aſpergat, inculcet, infulciat? Hebraica, Graeca, Latina, Chaldaica, ſacra, prophana, vetera, noua, quid non? Sic ille velut apicula, per omnia circumuolitans, ex vnoquoque quod eſſet eximium, ad*

ope-

operis ſui mellificium congeſſit, ex variis floſculis, hinc illinc decerptis, ſerta concinnans: aut velut ex verſicoloribus teſſellis, muſaicum opus contexens. Et in his (vnde orationis perſpicuitas) *quod maxime retruſum eſt, id libentiſſime conſueuit intertexere.* Alibi y) omnes eloquentiae partes in Hieronymo ſummis euehit laudibus, adeo quidem vt oratoris perfecti exemplum nobis fiſtere videatur. *Quis*, inquit, *exorditur dexterius? Quis proponit abſolutius? Quis narrat euidentius? Quis exſpatiatur vel amoenius, vel appoſitius? Quis colligit neruoſius? Quis telum in aduerſarium torquet acrius, aut exceptum retorquet mirabilius? Quis illigat tenacius? Quis in tractandis ἤθεσι iucundior? Quis in πάθεσι concitandis grauior? Quis in ſchematiſmis florulentior, aut picturatior? Quis ſententias interſerit aptius? Quis epiphonematibus pungit argutius? Quis hypotypoſes effingit rectius? Quis aut attollit magnificentius, aut deiicit humilius?* Ad omnia paucis et recte poſſemus reſpondere, ne Ciceronis fiat mentio, quocum minime gentium eſt componendus, quilibet profecto melioris aeui mediocris orator. Sed audiamus etiam dictatoriae vel declamatoriae vocis reliqua. *Quanta ordinis ratio? Quod conſilium? Quae tranſitionum deliciae, quas ſaepe numero per ſententias contexit? Quam parata Latini ſermonis copia? Quae vocum emphaſis, qui delectus? Quanta rerum ſupellex? Quae auctorum agmina? Quam vbique denſus et inſtans ſibi? Quam felici mixtura contexit, concinnat, ac ſtruit omnia? Praeterea qui nerui, qui lacerti, qui vigor, qui actus orationis, ac vita? Vt nuſquam ceſſat, nuſquam dormitat, nuſquam iacet, nuſquam reſiſtit? Vt vbique properans*

y) Hieronymi vita.

peranſ auditorem ſecum rapit? Vt ſemper aliud ex alio pendet, et gemma gemmam trahit? Quam modulata, quam numeroſa totius orationis compoſitio? Quam mire commatis et colis rotatur ac voluitur oratio. Ohe iam ſatis eſt. Et nos, quae adeo praedicat, nuſquam reperire poſſumus. Obſtupeſces vero etiam ERASMVM pluris facere Hieronymum ſuum, quam Tullium ipſum. Credat Iudaeus Apella. Nec ipſa commendatio cohaeret. *Alias*, in ſequentibus ait, *dicendi virtutes mireris in aliis: in vno Hieronymo tot pariter dotes cumulatae ſunt: vt in eo reperire liceat, quod et in M. Tullio deſideres. Loquitur Cicero: tonat ac fulminat Hieronymus: illius linguam miramur, huius etiam pectus.* Num, obſecro, is etiam eloquens eſt, vel eloquentiſſimos ſuperat, qui vndecunque aliorum furtim ſtudet congerere et ſuos facere floſculos? Ego vero valde vereor, ne faſtum pennasque emendicatas auis eiusmodi Aeſopica prodat, ſuamque tanto facilius furti poenam ignominiamque experiatur. Iam ſupra notauimus, non ſine plagii obiecto crimine, Hieronymum colligere paſſim aliorum explanationes, ſententias, ſermones, nominibus auctorum ſuppreſſis: adeo quidem, vt etiam erroribus non pepercerit: quos non erubuit aliquando ſermonibus miſcere ſuis. Nec defuerunt, qui occaſionem inde captarunt Hieronymum inſectandi, quod haereticorum dogmatibus omnia pene commentaria ſua reſperſerit. z) Inter ceteros, quorum ſcripta apis inſtar deflorauit, Origenem potiſſimum ſecutus eſt: ex cuius immenſis voluminibus innumera prope in ſua transtulit opera. Qua de re cum ab aliis accuſaretur: ex Terentianis

z) Vid. ipſe HIERONYMVS quarto ſuper Ieremiam volumine.

tianis verſibus, vt facile cuique patet, huiusmodi centonem pro defenſione ſua ſcripſit: a) *Semper inuidis reſpondemus: quia non ceſſat inuidia. Et librorum noſtrorum exordia aemulorum maledicta confutant: qui vulgo iactant me ſterilis ieiunique ſermonis quasdam ineptias ſcribere: et cum loqui neſciam, tacere non poſſe. - - Moneo autem tauros pingues, qui circumdederunt me, vt quieſcant et deſinant maledicere, malefacta ne noſcant ſua: quae proferentur poſt ſi pergant laedere. Nam, quod dicunt, Origenis me volumina compilare: et contaminari non decere veterum ſcripta: quod illi maledictum vehemens eſſe exiſtimant, eam laudem ego maximam duco: cum illum imitari volo, quem cunctis prudentibus et vobis placere non dubito. Si enim criminis eſt, Graecorum bene dicta transferre, accuſetur Ennius, Maro, Plautus, Caecilius et Terentius. Tullius quoque et ceteri eloquentes viri: qui non ſolum verſus, ſed multa capita, et longiſſimos libros, ac fabulas integras tranſtulerunt. Sed et Hilarius noſter furti reus ſit: qui in pſalmos quadraginta ferme millia verſuum ſupradicti Origenis ad ſenſum verterit. Quorum omnium aemulari exopto negligentiam potius, quam iſtorum obſcuram diligentiam. b)*

§. LXXXIV.

Stilum affectat vbique ſublimem, rerum extra cauſſam pondera et verborum nobilitatem: de iunctura et numero parum ſolicitus, quibus alioqui magnifica oratio fieri ſolet. Sufficit illi ſententias cumulare ſententiis, ſuam-

a) In ſecundum ſuper Micheam prophetam ad Paulam et Euſtochium prologo. b) Metrum quoque notauit SIXTVS SENENSIS bibliothecae ſanctae l. 4. pag. 302. Confer. IACOB. THOMASIVS de plagio literario §. 464.

Digitized by Google

ſuamque orationem lepida quadam rerum varietate diſtinguere: vt et nouitate admirationem moueret, et blanda feſtiuitate lectorem ſuauiter traheret. *c*) Nunc rhetorum flores ſpargit. Nunc dialecticorum ſtrophas argutiasque adhibet. Nunc poetas, ſi quae vel eleganter, vel acute cecinerunt, in medium profert. Nunc philoſophorum affert placita: et, ſtupendam vt vbique oſtenderet eruditionem, quae eximia, quae egregia paſſim in artibus et ſcientiis inuenit, in ſua ſcripta transfert: quam ad res accommodate et eleganter, aliis diiudicandum relinquo. DVPINIVS certe *d*) opinatur, alienis commode et opportune ſatis vſum fuiſſe pro ſuis, tanta quidem induſtria, vt ſua quaeque natiua ſede in eius ſcriptis eſſe videantur. Hinc ſimilem ait Hieronymi ſtilum eſſe operibus illis vermiculatis, quorum ſingulae partes, mira quadam ſeruata proportione, adeo inter ſe apte conueniunt, vt nata in ſuo loco, non arte diſpoſita omnia dixeris. *e*)

c) ERASMVS hinc operum Hieronym. tom. 1. epiſt. nuncup. illi tribuit dicendi genus haudquaquam triuiale, ſed ſententiis variegatum, epiphonematis argutum, ſtrophis obliquum ac vafrum, argumentis denſum et inſtans, alluſionibus feſtiuum, nonnunquam variis rethorum ſchematibus veluti laſciuiens, vbique doctum, et artificem prae ſe ferens.

d) Noua bibliotheca eccleſiaſticorum auctorum tom. 3. p. 144.

e) SIXTVS SENENSIS bibliothecae ſanctae l. 4. pag. 302. Stilus Hieronymi diuerſus eſt. *Nam in exotericis opuſculis, quaecunque ea ſint, ſiue paraenetica, quae vitae inſtitutionem continent, ſiue apologetica, quae ad refellendos haereticorum errores, et maleuolorum calumnias ſpectant, habet dicendi genus, varia quadam et admirabili omnium rerum mixtura compoſitum, et ornamentis, et pigmentis ex omni ſcriptorum varietate vndequaque decerptis excultum, rhetorum coloribus, dialecti-*

Attamen fateri debet, iſtum ſcribendi modum aliquanto ſtudioſius ſectari, quam par eſt: atque nimium tot variorum cogitationibus orationem diſtinguere ſuam. Commentaria in ſacri codicis libros alio et ſaniori i. e. tenui et facili ſtilo exarauit. Nam ab iſtis rhetorum floribus, et ornamentis aliunde petitis, quae in aliis operibus adhibet, ſedulo abſtinuit, ratus ſcripturae textum ſimplici et perſpicua oratione explicandum eſſe. Ita ipſe in quaeſtionibus ad Damaſum, *ſcio*, inquit, *haec moleſta eſſe lectori, ſed de Hebraicis libris diſputantem non decet Ariſtotelis argumenta conquirere: nec ex flumine Tulliano eloquentiae ducendus eſt riuulus: nec aures Quintiliani floſculis et ſcholari declamatione mulcendae. Pedeſtris et quotidianae ſimilis, et nullam lucubrationem redolens oratio neceſſaria eſt: quae rem explicet, ſenſum ediſſerat, obſcura manifeſtet: non quae verborum compoſition. frondeſcat. Sint alii diſerti: laudentur, vt volunt: et inflatis buccis ſpumantia verba trutinent: mihi ſufficit ſic loqui, vt intelligar: vt de ſcripturis loquens et diſputans, ſcripturarum imiter ſimplicitatem.* Neque adeo mirum, auctorem

dialecticorum argutiis, poetarum floſculis, philoſophorum ſententiis, omnigenis omnium artium ac ſcientiarum alluſionibus pictum, et peregrinarum vocum diuerſitate, Graecis ſcilicet, Hebraeis, et Chaldaeis dictis variegatum, inſtar emblematis, vt Ennius ait, vermiculati, et Muſeui operis multicoloribus lapillis intertexti. Contra vero in exegematicis, ſeu enarrationibus diuinae ſcripturae, ſpreta vniuerſa literarum ſecularium pompa, ab omni eloquentiae fuco, et ab omni difficilium quaeſtionum ambitione abſtinet. - - Utitur autem vbique dictione ſuccincta, ſimplici et aperta, verbis, vt ipſe ait, e trinio deſumtis, dictum illud in omnibus commentariis ſuis, et in ſingulis pene librorum praefationibus repetens, videlicet, qui flumina eloquentiae et concinnas declamationes deſiderent, iſta non legant. etc.

Digitized by Google

ctorem noſtrum, cetero ſatis elegantem, ad amuſſim eruditionis monumenta non exarare ſua, et communibus ſeculi vitiis laborare: quo non ſolum maſcula omnis fuit perdita et abiecta quaſi eloquentia: verum etiam ipſa Latina lingua ſic in dies magis ſeneſcens noua ſubinde conſpurcata eſt barbarie: vt nihil iam minus eſſet, quam Latina. Etiam iureiurando noſter, ſi fabula vera eſt, aut tribuendum aliquid ſomniis, vt ſupra vidimus in eius vita, ſancto Numini promiſit, nunquam poſthac eſſe Ciceronianum futurum. Sed noui ERASMVM *f*) illis valde iraſci, qui Ciceronianam Hieronymo et facundiam et elegantiam abrogare conantur. Ecquid magis potuit e rei veritate ac PETRO CRINITO *g*) dici, quam eſſe quaedam in Hieronymo, quae non vſque quaque Romanam in dicendo puritatem atque elegantiam probant. Quod quidem vitium, ſi id vitium eſt, non homini, ſed tempori, et profeſſioni tribuendum exiſtimat: quod inter Chriſtianos homines non eloquentiae, ſed vitae accuſentur vitia. Enim vero quam aegre tulit ERASMVS *h*) alioqui ſatis emunctae naris criticus et Latinitatis optimus cenſor hoc tam iuſtum, tam apertum Criniti iudicium. *Quaenam*, inquit, *iſta Romana puritas? Num eodem modo dicere, quo dixit Caeſar, aut M. Tullius? At qui fieri potuit, vt Hieronymus de rebus longe diuerſis loquens, iisdem tamen verbis vteretur? Alia religio, alius cultus, diuerſi auctores, nouata omnia: et tu me negabis eloquentem, niſi perinde loquar, quaſi Ciceronis aetate viuam: cum praecipua dicendi laus ſit, apte dicere? Niſi forte parum Romanus videbor, ſi pro eo quod olim dicebant, faxit Iupiter optimus, maximus, dixero, faxit Chriſtus Ieſus: quod ad hunc modum non ſit locutus M. Varro, aut C. Caeſar, aut*

f) Hieronymi vita. *g*) De honeſta diſciplina l. 1. c. 10. *h*) L. c.

M. Tullius. Iam quid eſt hoc, quod ait, imputandum Hieronymi ſeculo? Num ſeculum hoc putat illo facundius? Aut quaenam eſt iſta profeſſio, cui condonari vult infantiam? - - An Chriſti confeſſio pugnat cum eloquentia? Quid autem vetat, ſi Cicero de ſuis daemonibus dixit eloquenter, quo minus Chriſtianus item de pietate veraque religione dicat eloquenter? Quid ſibi Eraſmus, cetero elegans et politus, velit, non recte capio. Fruſtra certe quis Romanam puritatem, vt diximus, in Hieronymo quaeret: cui vix vmbra et veſtigia quaedam obſcura ſunt reliqua. Poſſumus profecto etiam res ſacras et doctrinam quamque ſalutarem ſtili exponere ea, qua decet, caſtitate et ſermonis elegantia natiua, qua meliores, vtut prophani, ſcriptores omnia vel tenui forma delineare, vel maſcula et compoſita oratione ad perſuadendum exornare videmus. Si vel maxime quaedam verba deſiderant alia: ſalua tamen Latinitas, ſaluus Romani ſermonis nitor eſſe debet: quod in Ciceroniano ſuo ERASMVS ipſe pluribus demonſtrat. Lingua omnino nulla praeter extremam neceſſitatem ferenda peregrinitas et barbarorum licentia: quae dici non poteſt, quantum ſibi in linguam Latinam diuerſimode commaculandam tribuerit. Nec facile quisquam ierit inficias, varia illius fuiſſe fata: et hominum ex aetatibus earundemque genio diiudicandam dicendi conſuetudinem. Ecquis hoc ſeculum dixerit cum illa Ciceronis et Octauiani temporibus vigente et abſoluta eloquentia componendum eſſe? Non Chriſti confeſſio, ſed hominum vecordia et oſcitantia cum vero linguae ornatu pugnat. Et ſine ratione audacter Eraſmus Crinito iraſcitur: qui fore certo rogatus *i*) vt facun-

i) Ciceroniano, apud HALLBAVERVM collectione opuſculorum de imitatione oratoria pag. 86.

Digitized by Google

facundiſſimum illum ſimul et doctiſſimum Hieronymum non repellat, ipſe reſpondit: *agnoſco virum doctrina facundiaque praecellentem: Tullianum non agnoſco, qui flagris ab imitatione Ciceronis depulſus eſt.*

§. LXXXV.

Tomus primus epiſtolarum, a Theodoro epiſcopo Taruiſino collectarum, lucem primum vidit *Romae* 1468. fol. cura Iohannis Andreae, epiſcopi Alerienſis, per Conradum Sweynheim et Arnoldum Pannartz. Quem ſecutus ex eadem officina tomus ſecundus 1470. fol. Vterque tomus recuſus *Moguntiae* 1470. fol. per Petrum Schoeffer. *Venetiis* 1476. fol. per Antonium Bartholomaeum. 1488. fol. apud Andream de Toreſanis de Aſula. 1496. fol. *Parmae* 1480. fol. *Baſileae* 1492. fol. 1497. fol. apud Nicolaum Kesler. Quid ea editione praeſtiterint, eius praefatione docemur: *quia celeberrimi eccleſiae doctoris, S. Hieronymi epiſtolas rerum ac materiarum varietate confuſas, et ſine vllo ordine impreſſas, ſeu ſcriptas agnouimus. Nam prout ſors tulerat, vel pro nutu, vnus quisque deſcripſerat: ita vt inter ſe intricatas, modo funebres, modo conſolatoriae, interdum de fide etc. inſererentur epiſtolae prioribus minime cohaerentes. Attendentes igitur, quid commoditatis legentibus bona conferret partitio: ſingulas ſingulis ordinauimus locis: trifariam obſeruantes partium ordinem. Deinde vnamquamque in tractatus ſubdiuidentes: quo melius potuimus, epiſtolas applicauimus. Atque ab illis exorſi ſumus, quibus fides catholica roboratur. - - Deinde quae de vtriusque teſtamenti quaeſtionibus, vel de ſcripturarum ſanctarum expoſitoribus tractant, adiecimus. Demum vero de moribus atque virtutibus - - diſtinctos ſubiecimus tractatus.* Tribus epiſtolarum ſiue tractatuum partibus ſingulis *inuentuarium*

tuarium praemittitur. Ab initio legenda ode, qua Hieronymus vitam enarrat, quam in eremo tenuit, et vita Hieronymi ab anonymo conſcripta, quae incipit, *plerosque nimirum illuſtrium viros non ambigo noſſe* etc. Tertiae partis epiſtolae LXXXIII. ſubiicitur B. Euſebii Cremonenſis, qui Hieronymi presbyteri fuerat diſcipulus, ad B. Damaſum epiſtola de vita et tranſitu S. Hieronymi: alia B. Auguſtini Hipponenſis epiſcopi ad Cyrillum Hieroſolymitanum de magnificentiis B. Hieronymi: et B. Cyrilli Hieroſolymitani epiſcopi ad S. Auguſtinum de miraculis B. Hieronymi poſt mortem celebratis. In operis fine leguntur verſus:

Si delectet opes; nomen ſi forte rogaris
Artificis: legito. Carmina lecta dabunt.
Hieronymus Latii ſum gloria: me venerantur
Chriſticolae: ſum nam doctor et eccleſiae.
Conſcripſi varia: diſtinxi et ab ordine pſalmos:
Biblia quid referat meque dediſſe putes.
Quasque vides coram miſſiuas transfer: habebis
Lex ſacra dicar ego: Huic quoque Hieronymus
Nil lacheſi ſuperat: Nicolaus viuere Kesler
Nomen perpetuo me facit ingenio.
Cui merito celebris vrbs inclyta ſectaque ab vndis,
Rheni condignum dat Baſilea locum.
Non nummis nocuis (lector credas, ne labori
Atteſtatur opus) parcere doctus erat.
Menda operi nulla eſt: calamum fugias: pete chartas
Preſſas: arte noua quaere characteribus.

§. LXXXVI.

Seculo poſt Chriſtum natum XVI. Hieronymi epiſtolae et tractatus prodierunt *Lugduni* 1513. fol. per Nicolaum de Benedictis. 1530. fol. apud Gryphium, IX. voluminibus,

Digitized by Google

luminibus, accurante Desiderio Erasmo Roterodamo. Nam hic demum labore prorsus Herculeo *k*) Hieronymi opera vndique conquisiuit, recensuit, a spuriis genuina distinxit, et illustrauit, quae nouem voluminibus prodierunt *Basileae* 1516. apud Iohannem Frobenium. Quae editio saepius inde repetita 1524. 1526. 1553. et 1565. fol. *Parisiis* 1533. et 1546. fol. nouem voluminibus ex Erasmi recensione. 1579. fol. apud Sebastianum Niuellium, nouem tomis, editio nitidissima, a Mariano Victorio Reatino episcopo et sacrae theologiae professore ad fidem vetustissimorum exemplarium emendata. Is enim, qua fieri potuit, cura maxima Hieronymi opera recensuit ac edidit *Romae* 1565. - - 1576. fol. IX. volum. cum notis et ex recensione Mariani Victorii, apud Paulum Manutium.

k) Ipse ERASMVS chiliad. 3. cent. 1. adag. 2. *vniuersae D. Hieronymi lucubrationes, e quibus vt maximam, ita difficillimam quoque partem mihi proprie sumsi, nempe libros epistolares, haud leuem per Musas prouinciam, si cui tantum voluminum vel euoluendum modo sit. Nunc Deum immortalem! quam grauis cum mendarum portentis, quibus illic scatebant omnia, mihi fuit luctа. Quanto sudore reponenda Graeca, quae vir ille passim admiscet. Nam ea plerumque vel deerant, vel perperam erant addita. Neque vero mediocribus mihi vigiliis constiterunt qualiacunque illa scholia, quae cum suis argumentis adiecimus, non solum ob id, quod in re primum a nobis tentata non esset quem sequerer, cuius inuentis adiuuarer. - - Iam in ordine digerendo, qui varie a diuersis erat confusus, etsi nulla est ingenii laus, tamen haud parum fuit molestiae. Tanta rerum moles huic homuncioni sustinenda fuit, et quidem vni.* Confer. Hieron. oper. tom. 1. epistola nuncupatoria ad Gulielmum Waramum, archiepiscopum Cantuariensem p. 3. seq.

Digitized by Google

nutium. *Antuerpiae* 1579. folio ex officina Plantini. IX. tomis, ex Mariani Victorii recenſione.

§. LXXXVII.

Seculo poſt Chriſtum natum XVII. Hieronymi opera prodierunt *Pariſiis* 1609. fol. praeter eruditas Henr. Grauii, Andrea Schotto curante, integre et emendatius editas obſeruationes in epiſtolas, acceſſerunt inſignes notae Frontonis Ducaei ad pauca Hieronymi loca. 1623. et 1643. fol. in quibus habentur praeterea difficilia loca per Franciſcum a Meſſana digeſta, aduertentiae Ferdinandi Felloſilli, epiſcopi Lucenſis, Federici Morelli obſeruationum et emendationum diatriba, et Laelii, epiſcopi Balneoregiani, emendatio inſignis loci Hieronymiani. 1693. -- 1706. quinque tomis, Iohannes Marcianaeus, monachus Benedictinus, edidit ad MSS. caſtigata et variis obſeruationibus illuſtrata: quae tamen, vtut nitida et ſatis luculenta, viris doctis haudquaquam placent. *l*) *Coloniae* 1618. fol. ad exemplum Pariſienſe, quod anno huius ſeculi nono prodiit. *Francofurti* 1684. fol. XII. tomis, curante D. Adamo Tribbechouio, qui Eraſmi editionem exprimit, Victorii autem, et Grauii, Ducaeique et Latinii obſeruationes tomo decimo, vndecimo Franciſci a Meſſana et Ferdinandi Felloſilli epiſcopi Lucenſis aduertentias, et duodecimo indices exhibet. *m*) D. Frid. Vlricus Calixtus prolegomena ſcripſit: quibus, quod de Iohanne Amerbachio dicendum, memoriae perperam de Eraſmo prodidit, prioribus quatuor Hieronymi tomis immortuum, et priusquam perficerentur poſteriores, e mortali hac vita in coeleſtem patriam migraſſe. Eraſmum enim

l) Vid. FABRICIVS biblioth. Lat. volum. 3. pag. 458. ſeqq.
m) Vid. acta Erudit. Lipſ. anno 1684. pag. 343.

Digitized by Google

enim constat absolutae Hieronymi operum editioni XX. annos superuixisse.

§. LXXXVIII.

Seculum, quo viuimus, recentissimum Ordinis Benedictini Monachis elegantissimam editionem *Parisiis* 1706. fol. absolutam supra iam vidimus referre acceptam. Et spes facta nouae melioris auctiorisque chronico et aliis, quam auide exspectamus, hoc titulo *Veronae* 1735. fol. S. Eusebii Hieronymi Stridonensis Presbyteri opera, post monachorum ord. S. Benedicti e congregatione S. Mauri recensionem, denuo ad MStos codices Romanos, Mediolanenses, Veronenses, aliosque, nec non ad priores editiones castigata, quibusdam ineditis monumentis multisque S. Doctoris lucubrationibus seorsim tantum antea vulgatis aucta, et annotationibus, monitis variisque lectionibus continenter illustrata, opera et studio Dominici Vallarsii, Veronensis Presbyteri, opem ferentibus aliis in eadem ciuitate literatis viris, et praecipue Marchione Scipione Maffeio.

§. LXXXIX.

Theodosii M. et filiorum Honorii et Arcadii Augustorum temporibus floruit quoque D. AVRELIVS AVGVSTINVS, in Africa Hipponensis episcopus. Natus est Tagastae in Numidia, idibus Nouembris CCCLIV. Constantio imperante, Imperatore ipso VII. et Caesare Gallo III. COSS. Pater illi ciuis Tagastensis, nomine Patricius, mater eximiae pietatis Monica: parentes honesti, vtut tenuioris fortunae. Sanctae mulieris maxima cura fuit, vt puer a teneris saluberrima Christi doctrina imbueretur: qui catechumenos inter tantum profecit, vt morbo affectus periculoso ipse, ad veritatis iam tum agnitae ac solatii confirmationem, sacro petierit tingi lauacro.

Sed tamen, cum melius habere coeperit, in aliud tempus, quod ipſe poſtmodum vehementer improbauit, ille baptiſmus differtur. De religione parum ſolicitus pater, qui nondum baptizatus fuerat, nec coniugis flagranti poterat ſatisfacere deſiderio, filium, quod optimae ſpei eſſet, maluit ad honores quantocyus adſpirare, et eruditionis ſibi acquirere theſaurum. Vtut res eſſet ipſi anguſta domi, nullis tamen ſumtibus pepercit, vt optimis artibus inſtitueretur: eumque, domi iactis in Manlii Theodori grammatici ſchola fundamentis, ad proſequenda humanitatis ſtudia, Madaurum miſit. Ignotae puero eruditionis nulla cupido: qui linguae Graecae omnium minime captus amore, Latine, quotidianis familiarium ſermonibus magis, quam doctorum inſtitutionibus, loqui didicit, et ſcientiarum officinas prope reliquiſſet. Poetarum lectione tamen delectabatur, qua Muſarum dulcedine pellectus, literarum ſtudia paulatim amplecti coepit. Sedecim annos natum pater CCCLXX. Madaura reuocat domum, Carthaginem miſſurus, vt rhetoricae operam daret. Antequam vero ad ſumtus neceſſarios nummi potuerunt colligi, per annum integrum, otio minime liberali, Tagaſtae commoratus eſt, atque commodam ſolutioris vitae occaſionem accepit. An. CCCLXXI. exeunte Carthaginem proficiſcitur, a parentibus accepta, vltra facultatum tenuitatem pecunia. Romanianus quidam acceſſit Auguſtini patronus, qui ſummus literarum fautor, illius ſtudia liberalitate ſua et quouis modo promouere ſtudebat. Carthagine, rhetorum ductu, bene dicendi quibusque exercitationibus detentus, ſumma induſtria eloquentiae fructus percepit, in foro ſaepius verſatus eſt, neque ſolum concionibus oratorum, verum etiam fabulis in ſcenam productis intereſſe conſueuit. Interea tem-

poris

poris anno CCCLXXIII. pater Auguſtini, paulo poſt ſuſceptum baptiſmum, in viuis eſſe deſiit: eumque monuit, vt ſibi conſuleret ipſe. Lectio repetita libri Ciceronis, qui *Hortenſius* inſcriptus, eum ſapientiae inflammauit amore. Sapientia ad ſui cognitionem ipſius, atque ſacras literas perduxit. Oracula coepit legere diuina. Sed cum eloquentiae floribus, ordine, concinnitate illa ipſi videbantur eſſe deſtituta, ſimul vt delibauit, omnia faſtidiens, ſaluberrimam reliquit cum veritatis ſimplicitate ſalutis viam, atque impios Manichaeorum errores amplexus eſt. Vndeuiginti annos natus, poſt obitum patris, Tagaſten reuertitur: et ibi frequentare forum, et grammaticam docere inſtituit. Ariſtotelis categorias legit, illisque vnice delectatus eſt. Muſicen et ſcientias mathematicas, nullo vſus magiſtro, didicit: ipſi aſtrologiae tantam nauauit operam, vt nemo prorſus, nedum Nibridius, qui id aegre ferebat, eum ab iſto ſtudiorum genere abſtrahere potuerint. Annum aetatis agens vicesimum quintum, ſub finem CCCLXXIX. Carthaginem ſe contulit, artemque ibi rhetoricam docuit cum applauſu communi omnium. Iam tum ab anno aetatis viceſimo ſecutus fuerat Manichaeos, veritatis ſtudio inprimis gloriantes, ſuumque venenum longe lateque diſſeminantes: quorum haereſi per nouem annos detentus et illaqueatus perdite, ad eosdem errores etiam multos alios imprudentes perduxit. Neque veritus ipſe ex illegitimo toro genitum ſuſcipere filium Adeodatum: et nefario furere laſciuiae aeſtu. Monica vero, pia Auguſtini mater, cum filium videret, omnibus commaculatum peccatis, ruere ad exitium, pro eius ſalute et ſaniori mente, interdiu noctuque ſupplicata Numini, inter lacrumas et ſuſpiria ſemper triſtis incedebat. Hinc aliquando Monicae,

filii errores et scelera deploranti, Simplicianus episcopus dixit, *impossibile esse, filium tot lacrumarum perire.* Bene, et ad rem satis accommodate. Non enim diuina gratia miseris atque ex animo sibi supplicantibus deesse potest. Et lacrumae precibus mixtae pro salute filii coelestem vicerunt misericordiam, vt animum flecteret istius ad meliorem frugem. Anno CCCLXXXIII. aetatis vicesimo nono, Augustinus coepit impios Manichaeorum errores agnoscere, et emergere paulatim. Faustum quendam Manichaeum, Carthagine docentem, familiari colloquio audit paulo accuratius, quem ante summis consueuerat euehere laudibus. Reperit vero eum, liberalium disciplinarum omnium expertem, prorsus nihil sapere, et fastu superbire inano. Eum ergo fastidire simul atque Manichaeorum doctrinam in dubium vocare coepit. Deinde Helpidium, virum doctum et pium, Carthagine cum Manichaeo quodam disputantem audit, ea quidem persuasione animi, tantique ponderis diuinorum oraculorum suffragio, vt, obmutescente aduersario, facillime potuerit reportare victoriam. Et vanum Augustinus deprehendit Manichaei effugium, corruptos a Iudaeis esse, noui foederis libros: quorum exemplum producere nullum potuit. Manichaeos tamen nondum plane deserit: vtut sententias eorum paulo remissius tractaret, et cum academicis philosophis, de omnibus dubitandum esse, existimaret. Carthaginiensium scholasticorum petulantiae pertaesus, atque suis prope destitutus auditoribus, Romam migrare decreuit, etsi matre inuita, quae filium impense optabat aut retinere, aut comitari. Aduersa primum, in aedibus Manichaei, hospitis sui, mox recuperata valetudine, coepit Romae liberaliores docere disciplinas: perpaucos vero, et sibi minime commodos, inuenit discipulos:

Digitized by Google

los: vt oleum ſibi et operam perdere videretur. Sed forte fortuna Mediolanenſis ciuitatis principes a Symmacho, Romae praefecto, exercitatum rhetoricae profeſſorem petunt: quam prouinciam, oportuno tempore ſibi oblatam, Auguſtinus accipit, et ornat maximo cum omnium applauſu. Cum Mediolani verſaretur, Ambroſius epiſcopus eum ſingulari humanitate et paterno prope affectu excipit: quem non ſine quadam animi voluptate audit. Audit eum vero, non vt veritates cognoſceret, verum ea potius curioſitate, vt eloquentiam viri, quae adeo vbique locorum praedicabatur, experiri poſſet. Epiſcopi vero oratione ita commouetur, vt, facundiae vix habita ratione, doctrinam magis admiraretur, et ſecum, eiuràta Manichaeorum ſecta, ad catholicam religionis Chriſtianae confeſſionem redire ſtatueret: eamque ſuam mentem piae matri, quam Mediolani ſecum habebat, dici non poteſt, ad quantam exhilerationem, aperiret. Eum in conſilio Platonici confirmant libri. Conuerſionem promouent cum obteſtationes Monicae, cariſſimae matris, tum pia colloquia Simpliciani et Petiliani, quibus valde familiariter vtebatur. Magnum vero illud ſalutis opus, operante diuino ſpiritu, aſſidua epiſtolarum S. Pauli lectio, et perſcrutatio conficit. Annos triginta natus de matrimonio legitimo cogitat, ſuamque concubinam dimittit, quae in Africam reuertitur, et filium Auguſtino ex ſe natum relinquit Adeodatum. Puellam vero ducit Auguſtinus biennio minorem, quam nubilis fieret. Interea temporis, quo exſpectandae virginis nuptiae, aliam ſibi concubinam iungit, ſuoque teſtatur exemplo, teſtam, quo ſemel fuerit imbuta recens, eum odorem ſeruare diu, et quam difficili negotio, quibus a teneris aſſueſcimus, ſordito vitae genere, relinquantur peccata. Meliorem

rem hauſerat iam tum Chriſtianae veritatis doctrinam. Serio cogitauerat de ſaluberrima emendatione vitae: quam perditam doluit, ac bona aetatis parte perperam transacta, mercari cautius, tandemque ad meliorem frugem redire decreuit. Tanto maiores ipſi tentationes oboriebantur: et ingens perpetuo erat carnem inter atque ſpiritum pugna; eoque certamine victoria anceps. Teſtatur ipſe, *n*) quomodo huc et illuc miſere iactatus fuerit. Stetit ab vna parte cum ſanctis Deus, ab altera mundus, caro, diabolus, qui dubium ac vacillantem alliciebant, afferebant, trahebantque forti manu. Venit ad Simplicianum pium doctumque virum: venit ad Ambroſium epiſcopum: errores exponit ſuos: conſilium expetit, et auxilium, vt rectam ineat rationem vitae, ac tandem ad veritatis pleniorem cognitionem peruenire poſſit. Suadent illi, vt ſacram ſcripturam diligenter legat, examinet, meditetur: et ſupplex ſancti ſpiritus illuminationem gratiamque diuinam obtinere ſtudeat. Magis inde ſolicitus, triſtis, atque dubius recedit. Nebridium Alipiumque ſodales conuenit ſuos, vt conſilium caperet, quod nuſquam reperit: cum aegritudinem animi conflictumque ipſe nemini communicare poſſet. Chriſtianus centurio quidam Pontitianus Auguſtino et Alipio narrat Antonii aliorumque ſanctorum hiſtorias, qui ſcelera iuuenes multa patrarint, ſerio tamen poſtea emendarint vitam, atque, vt ille loquitur, vitia ineuntis adoleſcentiae magnis compenſarint virtutibus. His commotus ſibimet ipſi Auguſtinus vehementer diſplicet, atque Alipium ita alloquitur: *quid hoc eſt? quid patimur? ſurgunt indocti* (de quibus enim Pontitianus narrauerat, indocti

n) Confeſſionum l. 8. c. 1. et 2.

docti fuerunt) *et coelum rapiunt: et nos cum doctrinis noſtris, ſine corde, ecce vbi volutamur in carne et ſanguine.* Angebatur animo: quem non ſine vi et doloribus cogebat, vt Deum ſequatur. Renuit ſaepius: dum ſibimet ipſi nimis placebat, excuſabat ſeſe, ſuasque actiones defendere quouis modo ſtudebat. Bene quidem argumentis omnibus ipſe reſpondet, ac ſpem inter atque timorem diu verſatus aegerrime relinquit conſuetudinem peccandi. Obuerſantur oculis variae, quibus lactebatur, mundi voluptates. Tot illecebrae, carnis titillatio perpetua, omnes deliciae, querelas proferunt: *adeone dimittes nos, et a momento iſto nunquam erimus tecum?* Solitudinem quaerens, cum Alipio ſuo in hortum abit, eamque ſpiritus ſentit luctam acerrimam: quae in lacrumas tandem exit. Alipium mittit, atque ſolus conſidet ſub ficu: ſua procumbit facie triſtis: ſuamque non ſine taedio et doloribus conſiderat vitam ante actam, cum omnibus periculis, quae ſibi imminere vidit. Supplex Deum veneratur, gratia ſibi adeſſe, et mentem ſibi meliorem largiri velit. *Et tu, Domine*, inquit, *vſque quo? quamdiu, quamdiu, cras et cras? quare non modo? quare non hac hora finis eſt turpitudinis meae?* Ea perturbatione animi ſibi videbatur audire vocem, velut puerorum atque puellarum in domo vicina concentu, ſaepius repetitam, *tolle, lege: tolle, lege.* Eam quidem adhortationem, cum prorſus videret neminem, omnium vero ſibi minime perſuaderet, puerorum eiusmodi eſſe luſum, diuinitus factam credidit. Aſſurgit propere, et lacrumarum abſterſo flumine, ſacrum codicem euoluit, quem ſecum habebat, alacri mente facturus, quae primo ſibi obueniente loco praeciperentur. Ita enim de S. Antonio intellexerat, reſipuiſſe, ac ſeruatori ſuo ſemet deuouiſſe totum, poſtquam forte

Christi audierit mandatum: o) *si omni officio, aut potius pietate cupis diuina praecepta exequi omnia: abi, possessiones vende quascunque tuas, et pauperibus illas distribue, vt coelestem tibi parares thesaurum. Sic tandem veni, & imitare meam rationem viuendi.* Augustinus vero, vt librum aperuit, S. Pauli statim legit adhortationem saluberrimam: p) *velut in luce, viuamus honeste, non in commessationibus et ebrietate, non in lasciuia et libidine, non in litibus et inuidia. Sed, vestis instar, amplectimini Dominum Iesum Christum, et carnis vestrae curam ita habete, vt prona ad lasciuiam retineatur.* His perlectis, omnes propelluntur dubitationis tenebrae: vt laetus ad Alipium accedens, rem cum illo communicaret. Is miratur et obstupescit: nunciat vero simul, eiusmodi lectionem subitaneam pari modo sibi olim profuisse. Codicem arripit eundem: vt verba legeret continuo sequentia: q) *eum vero, qui fide infirmus est, assumite: neque animo confundite miseros.* Haec Alipius sibi dicta putauit. Vterque Deum laudat. Vterque voluptatibus et peccatorum quibusque irritamentis valedicit, et quod reliquum esset vitae cultui sacro cupit esse deuotum. Monicam statim adeunt, et quicquid acciderit, illi narrant: quae omnibus statim incessit laetitiis: vt vno ore praedicarent misericordiam Domini, et manibus elatis gratias agerent Deo. Augustinus aliquot tantum exspectat dies, dum publicas artis rhetoricae absoluisset lectiones, quae ipsi ad ferias vsque restabant habendae. Semet deinde professioni rhetoricae abdicat: vt tanto liberius sacrarum posset vacare literarum studio. Epistola ad Ambrosium data, suos agnoscit errores, suumque exponit consilium, et rogat, qui hoc

o) Matth. XIX. 21. p) Roman. XIII. 13. seq. q) Roman. XIV. 1.

Digitized by

hoc tempore ſibi diuinorum oraculorum libri inprimis legendi. Hic Eſaiae prophetae lectionem ſuadet. In villam ergo Verecundi, ciuis cuiusdam Mediolanenſis, et amici ſui, Auguſtinus ſe recipit: vt procul ab hominum turba veritates indagaret diuinas, et animum ſacris propediem lauacro initiandum bene praepararet. Mediolanum reuerſus paſchatis feſto CCCLXXXVII. triceſimo tertio aetatis anno, vna cum filio, quem ex concubina habuit, Adeodato, quindecim annorum, et Alipio, amico ſuo, populi magno concurſu, ab Ambroſio epiſcopo baptizatur. Quo quidem ſacro actu completo, hymnus, vulgo notiſſimus, *Te Deum laudamus* etc. tota obſtupeſcente eccleſia, alternatim repente ab Ambroſio et Auguſtino decantatus fuit. *r*) Deinde in patriam cum pia matre redire decreuit. Romae aliquandiu moratus, vt vela daret ventis, Oſtiam petit: vbi Monica, Auguſtini mater, diem obiit ſupremum. Cui cum ſoluerit iuſta, iter proſequitur ſuum, et anno CCCLXXXVIII. exeunte in Africam venit. Carthagine hoſpitio eum excipit ex ſenatoribus quidam, Innocentius nomine, quem velut per miraculum ſanauit. *s*) Inde domum reuertitur, atque Tagaſtae in arctiſſima aliquot amicorum ſocietate vixit, triennium tranſigens precibus, ieiuniis, codicum ſacrorum lectione, meditatione, ac pietatis quocunque exercitio. Hinc tanta ſanctitatis fama, vt, qui vitam ac ſemet totos deuouerent Deo, illius conſiliis vterentur. Cum in rebus dubiis eum vndique conſulerent: miſit nobilis vir quidam Hipponenſis, qui vitae ſemet exoptabat ſolitariae

r) Teſte S. DACIO, epiſcopo Mediolanenſi, qui Iuſtino imperante floruit, chronici l. 1. c. 10. Confer. BELLARMINVS de ſcriptoribus eccleſiaſticis, Ambroſii vita ad annum 374. p. m. 99.

s) Vt ipſe teſtatur de ciuitate Dei l. 22. c. 8.

conſecrare, ac precibus multis ipſum Hipponem accerſiuit. Hominem conuenit quidem, ſed animum eius flectere non potuit, qui nimis conſueuerat indulgere ſibi, ſuisque voluptatibus abdicare dubitauerat ſemper. Cuius antea perſpecta fides, ſanctitas, et eruditio, Hippone innotuit interius Valerio epiſcopo: cum Hipponenſis eius eccleſiae presbytero indigeret: quem vt populus eligeret, aſſidue monuit. Eligitur Auguſtinus adeo commendatus omnibus: quem inuitum, a. CCCXCI. ineunte, Valerius epiſcopus Hipponenſis presbyterum ordinauit. Poſtea in ſolitudinem Auguſtinus ſe recepit, poſteaquam ab epiſcopo, ad feſtum vſque paſchatis, ad tantum munus ſubeundum ſemet praeparandi veniam impetrauit. Interea temporis Auguſtinus hominum ſocietatem, ſiue monaſterium, congregauit, qui omnia haberent communia, nec ſibi priuatim quicquam arrogare auderent. Statim atque prouinciam ingreſſus eſt ſuam, Valerius epiſcopus eum ſuo loco ſubſtituit vt legem diuinam pro concione interpretaretur: id quidem praeter omnium Africae eccleſiarum conſuetudinem: quibus ſoli, cum eſſent praeſentes, epiſcopi, nunquam presbyteri, pro concione dicebant. Id aegre ferentibus ceteris, Valerius ita ſe defendit, vt eccleſiarum in oriente perpetuum eſſe vſum doceret, et rem ſibi oſtenderet eſſe longe difficillimam, dicere pro ſuggeſtu Latine, qui Graecus eſſet. Pluribus deinde arriſit epiſcopis in Africa quoque, vt presbyteris coram ſe in eccleſiis publice docendi poteſtatem impertirentur. Imo etiam Auguſtino conceſſerunt, vt in ipſo generali concilio Carthaginienſi anno CCCXCIII. publice verba faceret, et fidei Chriſtianae coram epiſcopis exponeret ſymbolum, tanto quidem applauſu, vt dignus haberetur ab omnibus, qui ad altiorem eccleſiaſticae dignitatis gradum euheretur.

Digitized by Google

tur. Timens autem Valerius, ne viro ſibi tam iucundo, pene et neceſſario priuaretur; partem ſtatuit tradere illi muneris ſui. Atque etiam id conſilii biennio poſt executus eſt: vt Auguſtinus anno CCCXCV. a Megalio, Calamenſi epiſcopo, et Numidiae tunc temporis primate, Collega Valerii et Hipponenſis coepiſcopus ordinaretur. Hanc dignitatem Auguſtinus, vt videri voluit, aegre tandem, multumque reluctans, conferri paſſus eſt ſibi: quamuis, vt ipſe poſtea declarauit, nondum intellexerat, repugnare huic ordinationi eccleſiae leges, et concilii Nicaeni canonem, quo cautum eſt, ne duo in vna eademque eccleſia epiſcopi ordinarentur. Quae viri fuerit eruditio, quae morum lenitas, quae vitae ſanctitas, quanta eius in vita et poſt fata fama et admiratio, difficile dictu. Donis a Deo fuit ornatus minime vulgaribus. Acumen ingenii, ſtupenda memoriae tenacitas, oris admiranda ſuauitas, facundia, diſputandi et perorandi promtitudo, dexteritas ſumma, beneuolentiam illi facile potuerunt conciliare omnium. Nunquam nimis ab humanitatis ſtudio alienus, veteres poetas, philoſophos, oratores, hiſtoricos, in numerato habuit, quorum teſtimoniis paſſim atque ceimeliis, non ſine maximo ornatu, probe didicerat vti. Haud raro in libris ſuis, quorum hodie magnus ſupereſt numerus, ad Cicerones, Salluſtios, Platones, Ariſtoteles, Virgilios, Horatios, Lucanos, carmina Sibyllina, alia vetuſtatis monumenta prouocat. Inprimis theologorum ſcripta diligenter legit, ac ipſe diuina oracula expoſuit, ac multum profuit lucubrationibus ſuis. Epiſcopatum, qua poteſt fieri, fide, doctrina, ſanctitate, omnibus modis ornare ſtuduit. Haereſes profligauit. Confeſſionem maxima virtute ſtabiliuit catholicam. Scholas vbique voluit eſſe Chriſto ſanctas, et verae ſapientiae

officinas. Publice non modo in eccleſia ſua docuit ſemper; verum etiam aliis locis, nonnunquam rogatus, et neceſſitate poſtulante, verbum praedicauit Domini, et ſaluberrimam doctrinam longe lateque candide non minus, quam conſtanter, ac ſtudio indefeſſo, diſſeminauit. Erroribus mature obicem ponere conſueuit: atque ita multos, non ſine admiratione bonorum, ob haeretica prauitate, vel a pagana ſuperſtitione retraxit. Cum presbyter adhuc eſſet Hippone, cum Fortunato Manichaeo, qui multos in ea vrbe et paſſim locorum, erroris incautos ſeduxerat, in arenam deſcendit: eumque in eas redegit anguſtias, vt omnes facile intelligerent, neque iſtum catholicae doctrinae veritatem infringere, neque opinionem ſuam defendere poſſe. Nec longe poſt ea tempora in Felicem, inſignem Manichaeum, qui Hipponem venerat, vt virus ſuum latius ſpargeret, victricia conuertit arma: et poſt tertiam collationem illum ad ſaniorem mentem perduxit. Chriſtianae religionis veritatem defendit etiam aduerſus Maximum, Gothorum epiſcopum, Arianum: qui cum Hippone Carthaginem profectus eſſet, ac victoriam, quam ab Auguſtino reportarit, multaque alia ore impudico mentiretur: Auguſtinus librum de vtriusque obiectionibus et reſponſionibus edidit: quo conſtaret, iſtum nihil plane ad obiectiones reſpondere potuiſſe, quamuis garrulitate ſua diem magna ex parte conſumſerit. Nec minori virtute Priſcillianiſtas, Origeniſtas, Marcioniſtas, Apollinariſtas, Sabellianos, Pelagianos, Donatiſtas, Circumcelliones, Judaeos, aliosque fregit: qui, ad vindicandam, vt ſibi perſuadebant, ignominiam, boni viri famam calumniis maculare non deſtiterunt. In primis Donatiſtae ac Circumcelliones eum occidendum putarunt, ac procul dubio occidiſſent, ſi, quem Deus prohibuit, ſucceſſus

ceſſus iſtorum conſiliis inſidiisque reſpondiſſet. Nihil Auguſtinus quidem vehementia peccauit: ſed inſigni modeſtia et animi tranquillitate nunquam ſatis laudanda aduerſariis reſpondit. Audiamus ipſum: *t*) *ego*, inquit, *quando cuiquam vel dicendo, vel ſcribendo, reſpondeo, etiam calumnioſis criminationibus laceſſitus, quantum mihi Dominus donat, frenatis atque coercitis vanae indignationis aculeis, auditori, lectoriue conſulens, non ago, vt efficiar homini conuiciando ſuperior, ſed errorem conuincendo ſalubrior.* In quaeſtionibus difficilioribus explicandis ſaepe affirmauit, ſe aliorum malle audire, quam dicere ſuam ſententiam. Scriptis ſuis nihil prorſus auctoritatis tribuit: ne dum aequari voluit iſta diuinis. Aequo ſemper tulit animo, alios diſſentire, et idem ius in ſe ſtatuere, quo ipſe vtatur. *Ego fateor*, inquit, *v*) *me ex eorum numero eſſe conari, qui proficiendo ſcribunt, et ſcribendo proficiunt. Vnde ſi aliquid incautius, vel indoctius a me poſitum eſt, qui non ſolum ab aliis, qui videre id poſſunt, merito reprehendatur, verum etiam a me ipſo, quia et ego ſaltem poſtea videre debeo, ſi proficio: nec mirandum eſt, nec dolendum, ſed potius ignoſcendum atque gratulandum, non quia erratum eſt, ſed quia improbatum. Nam nimis peruerſe ſe ipſum amat, qui et alios vult errare, vt error ſuus lateat. Quanto enim melius et vtilius, vt vbi ipſe erraui, alii non errent, quorum admonitu errore careat? Quod ſi noluerit, ſaltem comites erroris non habeat.* Alibi: *x*) *qualis ego ſum in ſcriptis aliorum: tales volo eſſe intellectores meorum.* Hinc et retractationum libros ſcripſit, quibus retractauit atque correxit, quae ſuperioribus annis minus commode et accurate tradita fuerunt. Et plura fortaſſis retracta fuiſſent, ſi longior illi vita contigiſſet.

t) Contra literas Petiliani lib. 3. c. 1. *v*) Epiſtola 7. *x*) Epiſt. 3.

giſſet. Diligentia hominis et ſtudium indefeſſum praedicari nunquam ſatis poteſt. Neque enim illi ſufficiebat totos dies noctesque ſimul lucubrationibus ſuis conſumſiſſe: etiam non in prandio, vel coena, et inter conuiuas, legere, meditari, et ſcribere deſtitit. Multis interfuit ſacris epiſcoporum concionibus atque ſynodis. Multis in Africa eccleſiis opera et conſilio ſubuenit: vtpote cuius arbitrio res ſaepius permittebantur. Multos ipſe literis ſacris, ſchola aperta theologica, inſtituit, quos eccleſiis deinde presbyteros atque epiſcopos praefecit. Diſciplinae inter clericos diligens laudatur cuſtos. Aegrotos ac morientes crebro viſitauit, et conſolatus eſt: quorum pias grauesque ſententias aliis deinde inculcauit. Suſpicionis autem vitandae cauſſa, cum mulieribus, ſi vel maxime eius fuerint cognatae, rariſſime, et non niſi vrgente neceſſitate, conuerſatus eſt. Erga pauperes et miſeros valde liberalis, rerum quicquid fuit, quam lubentiſſime diſtribuit. Veſtitu modico ac decenti vtebatur, non nitido, non etiam ſordido. Vinum bibebat quotidie ad ſitim pellendam quantum ſatis eſt. Menſae frugales erant; inter olera et legumina carnibus aliquando inſtructae, hoſpitum et infirmorum gratia. Ab auaritiae vitio alieniſſimus, vt dixi, egenis larga ſubueniebat manu, et hoſpites quam liberaliſſime amplectebatur: quorum ab ſe neminem ſolebat dimittere triſtem. Cochlearia argentea, reliqua vaſa vel teſtacea, vel lignea, vel marmorea erant. Ipſe lectionem magis, et diſputationem in menſa, quam epulas et circumpotationes amabat. Obtrectationis vero et calumniae acerrimus erat oſor: quod alioqui commune vitium in epiſcopis et omnibus aequo animo ferre nunquam potuit, reprehendit vero quam maxime, et ſcriptum ſequens iuxta menſam oſtendit diſtichon:

Quis-

Quisquis amat dictis abſentum rodere vitam:
Hanc menſam vetitam nouerit eſſe ſibi.

Delatoribus, vt officii aliquando immemores ſunt homines, in conuiuio ſtatim reſpondit, niſi abſtinerent, ſe aut verſus illos deleturum, aut abiturum. Cum rebus eccleſiaſticis XL. prope annos maxima cum laude praefuiſſet: vrbs et regio Hipponenſis a Vandalis obſidione cingitur, et triſtia trementes exſpectant omnes fata. Auguſtinus precibus indefeſſis, manibusque continuo elatis, ſupplex veneratur Deum, vt ciues et eccleſiam a barbarorum obſidione et imminentibus periculis liberaret, aut ſeruos ſuos ad perferendam quamcunque calamitatem, ſiquidem eius ea ſancta voluntas, ſancto ſuo ſpiritu corroboraret, aut ſibi felicem ex hac vita, cuius ſatur, exitum gratioſe largiretur. Nec longe poſt febricula correptus coepit decumbere lecto, et ingraueſcente morbo Dauidis de poenitentia pſalmos legere, aut iubere, vt ſibi praelegerentur. Sic animo forti et ſalutis flagranti, inter preces et ſuſpiria totos tranſegit decem dies: et quemadmodum pie vixit, placide et beate mortuus eſt V. Kalendas Septembris CCCCXXX. *y*) aetatis anno LXXVI. Patriam vero a Vandalis occupatam, et Hipponem, cuius erat epiſcopus, tertio iam menſe obſeſſam reliquit. Heraclius vero illi in epiſcopatu Hipponenſi ſucceſſit. Vitam ſuam S. AVGVSTINVS ipſe magnam partem tradidit confeſſionum libris XIII. ſicut ſcriptorum ſuorum hiſtoriam duobus retractationum libris comprehendit. Scripſit deinde POSSIDIVS, *z*) ſiue

y) Teſte PROSPERO in chronico, Theodoſio XIII. et Valentiniano III. COSS. *z*) Fuit Poſſidius ille Auguſtini per quadraginta fere annos familiaris, et Calamae in Africa epiſcopus.

Digitized by Google

siue POSSIDONIVS, Calamensis episcopus, commentarium de vita S. Augustini, qui eius operibus vulgo praemitti solet. Vitam S. Augustini a IORDANO Quedlimburgensi, eremita Augustiniano, circa annum MCCCLXX. Parisiis conscriptam IACOB. HOMMEY in supplementis patrum *a*) edidit. Vitam Augustini etiam consignarunt LVCAS DACHERIVS, *b*) ANTONIVS GODELLVS, *c*) ERASMVS, *d*) Monachi ordinis S. Benedicti, *e*) TILLEMONTIVS, *f*) et plures alii, quorum FABRICIVS *g*) meminit. Neque silentio praetermittendi sunt SVRIVS, *h*) BARONIVS et SPONDANVS, *i*) Magdeburgenses, *k*) OSIANDER, *l*) SCHOPFFIVS, *m*) CAVE, *n*) DV PIN, *o*) SPANHEMIVS, *p*) ARNOLDVS, *q*) et alii.

§. XC.

Scripsit S. Augustinus multa, in omni prope disciplinarum genere. Quae extant, ab Erasmo X. tomis digesta sunt, secundum ordinem, qui aptior faciliorque visus est. Ex editione Lugdunensi 1586. librorum seriem in bibliotheca Rinteliensi exhibuisse memini. *r*) Sequar iam eum ordinem, quem S. Benedictini monachi doctissimi in editione recentiori sua seruarunt. *Tomo primo* extant 1) retractationum libri duo, quibus, velut praefatione

a) Parisiis 1684. 8. p. 569-638. *b*) Parisiis 1648. *c*) Parisiis 1652. 4. *d*) Praefat. oper. Augustini. *e*) Operum S. Augustini tomo 11. *f*) Tomo 13. memor. eccles. qui prodiit Parisiis 1710. 4. *g*) Biblioth. Latin. vol. 3. pag. 519. seq. *h*) De probatis sanctorum historiis tomo 4. Aug. 28. *i*) Annal. ann. 377. seqq. *k*) Histor. eccles. cent. 5. c. 10. p. 1113. *l*) Hist. eccles. cent. 4. l. 4. c. 23. *m*) Academia I. C. pag. 87. seqq. *n*) Hist. liter. eccles. auct. pag. 244. *o*) Nova bibliotheca eccles. auctor. tom. 3. p. 290. seqq. *p*) Introduct. mai. tom. 1, p. 428. *q*) Hist. eccles. et haeretic. l. 5. c. 3. p. 226. *r*) Biblioth. Rintel. theolog. pag. 35. seqq.

Digitized by Google

fatione quadam, operum ſuorum titulos et prima verba refert, qua ſingula ſcripſerit occaſione notat, argumenta recenſet, obſcuriora dilucidat, errores emendat. Retractationum libros non ante annum CCCCXXVII. ſcripſit. 2) Confeſſionum libri tredecim, *s*) quibus miram exhibet vitae ſuae deſcriptionem, anno CCCC. exaratam, et ſaluberrimis adhortationibus refertiſſimam. Sequuntur, ſeruata temporis ratione, quos iuuenis ad huc, et antequam factus eſt presbyter, ſcripſit, libri 3) aduerſus academicos III. anno CCCLXXXVI. in ſolitudine ſcripti, cum ad baptiſmum ſe praepararet. Hos, ad Ciceronis imitationem, dialogo ſcripſit: vt Romanianum ad philoſophiae ſtudium pertraheret. 4) de beata vita liber vnus, eodem fere tempore ſcriptus dialogo, vt demonſtraret, veram hominis beatitudinem eſſe in cognitione Dei. 5) de ordine libri duo, quibus de prouidentia agit, dialogiſtica methodo. 6) ſoliloquiorum libri duo, in ſolitudine, ſub initium anni CCCLXXXVII. ſcripti. 7) de immortalitate animae liber vnus. 8) de quantitate animae dialogus, quo ſuas Euodio loquendi partes tribuit. 9) de muſica libri ſex, quorum primo de muſica in genere agit, ſecundo de ſyllabis et pedibus, tribus ſequentibus de metro, numero et verſibus: extremo oſtendit, quomodo muſica cor animumque hominis ad harmoniam coeleſtem diuinamque attollere debeat. 10) de magiſtro dialogus inter Auguſtinum eiusque filium Adeodatum, nos non hominum verbis, ſed a veritate aeterna, Chriſto nimirum, Verbo Dei, doceri, a quo omnes veritates veniant. 11) de libero arbitrio libri tres. 12) de geneſi duo

s) Horum lectione Franciſcus Petrarcha a contemtu ſacrarum literarum reuocatus eſt, vid. FABRICII biblioth. Lat. vol. 3. pag. 508.

Digitized by Google

libri aduerſus Manichaeos. 13) de moribus eccleſiae. 14) de moribus Manichaeorum. 15) de vera religione liber vnus. 16) regula ab Auguſtino virginibus, non monachis, vt vulgo creditur, ſcripta. Ad calcem cuiusque tomi ſuppoſititia reiiciuntur. Hic ergo leguntur tractatus *a.* de grammatica. *b.* de dialectica. *c.* de categoriis. *t*) *d.* de rhetorica. *e.* regulae monaſticae. *Tomo ſecundo* continentur eius epiſtolae CCLXX. in quatuor claſſes diſtributae. Prima eſt epiſtolarum, quas ſcripſit antequam factus eſt epiſcopus, ab anno CCCLXXXVI. ad annum CCCXCV. Secunda eas exhibet, quas ſcripſit ab anno CCCXCVI. ad annum CCCCX. Tertia eas comprehendit, quas ab an. CCCCXI. ad annum mortis CCCCXXX. dedit. Quarta illarum eſt, quae quo tempore fuerint ſcriptae, non conſtat. Annectuntur ſuppoſititiae XIII. epiſtolae Auguſtini ad Bonifacium, et Bonifacii ad Auguſtinum. *b.* Pelagii epiſtola ad Demetriadem. *c.* Cyrilli epiſtola ad Auguſtinum de Hieronymi virtutibus. *d.* Auguſtini epiſtola ad Cyrillum de Hieronymi miraculis. *e.* diſputatio Auguſtini cum Paſcentio. *Tomo tertio* continentur libri in S. Scripturam 1) de doctrina Chriſtiana libri quatuor, qui praefationis inſtar commentariis in ſcripturam praemittuntur. 2) de geneſi ad literam imperfectus liber vnus. 3) de geneſi ad literam libri duodecim. 4) locutionum libri ſeptem. 5) in Iob annotationum opus imperfectum. 6) ſpeculum, ſiue multorum V. et N. T. locorum collectio, quae nonnulla de moribus praecepta con-

t) Miror STOLLIVM, V. C. introd. in hiſtor. liter. part. 2. c. 2. §. 14. poſt. tantas tot illuſtrium virorum demonſtrationes, haec ſcripta ſerio tribuere Auguſtino: cuius opera ea quidem in re nos iudicat carere facile potuiſſe: quandoquidem nihil egregii aut ſingulare iſtis tractationibus contineatur.

Digitized by Google

continet. 7) harmonia quatuor euangeliſtarum quadripartita. 8) in ſermonem Chriſti ſuper monte libri duo. 9) quaeſtionum in quaedam Matthaei et Lucae loca libri duo. 10) tractatus CXXIV. in euangelium Iohannis, ſiue homiliae ab Auguſtino pro concione habitae, quibus euangelii textum perſequitur, vnde praecepta multa ſaluberrima eruit. 11) homiliae decem in epiſtolam Iohannis. 12) multorum locorum epiſtolae ad Romanos explicatio. 13) initium expoſitionis epiſtolae ad Romanos. 14) commentarius in epiſtolam ad Galatas. Sed Auguſtini non ſunt *a.* de mirabilibus ſacrae ſcripturae V. et N. T. *b.* de benedictionibus Iacob patriarchae. *c.* quaeſtiones in V. et N. teſtamentum. *d.* apocalypſeos expoſitio. *Tomo quarto* continentur omnes lucubrationes in pſalmos. *Tomo quinto* extant omnes Auguſtini ſermones, quinque claſſibus diſtincti 1) ſermones CLXXXIII. in plurima V. et N. T. loca. 2) ſermones LXXXVIII. in maiora anni feſta. 3) ſermones LXIX. in feſta ſanctorum. 4) ſermones XXIII. varii argumenti, de amore Dei, de timore, de poenitentia, de contemtu mundi, de moribus clericorum, de pace et concordia, de mortuorum reſurrectione. 5) ſermones, de quibus non conſtat Auguſtini eſſe, numero XXXI. Annectuntur ſermonum aliquot fragmenta et CCCXVII. ſermones ſuppoſititii. *Tomo ſexto* ſcripta Auguſtini continentur dogmatica 1) collectio reſponſionum ad quaeſtiones LXXXIII. 2) quaeſtionum libri duo, ad Simplicianum epiſcopum Mediolanenſem, qui Ambroſio ſuffectus eſt. 3) quaeſtionum liber ad Dulcitium, Africae tribunum. 4) de credendis rebus, quae non capiuntur. 5) liber de fide et ſymbolo. 6) liber de fide et bonis operibus. 7) enchiridion, ſiue tractatus de fide, ſpe et charitate. 8) Chriſtiani pugna. 9)

liber de inſtructione eorum, qui religionem neſciunt. 10) liber de continentia. 11) de bono matrimonii aduerſus Iouinianum. 12) de ſancta virginitate aduerſus Iouinianum. 13) de viduitatis vtilitatibus liber, quem Eraſmus immerito crediderat Auguſtino ſuppoſitum fuiſſe. 14) de matrimoniis, quae adulterii excuſari non poſſunt libri duo. 15) de mendacio libri duo. 16) de opere monachorum. 17) de vaticiniis daemonum. 18) de cura mortuorum. 19) ſermo de patientia. 20) in ſymbolum ſermones quatuor, quorum primus Auguſtini, reliqui tres ſuſpecti ſunt. 21) ſuſpecti quoque ſermones tres, vnus quartae feriae, ſeu de cultu vineae Domini, alter de diluuio, tertius in tempus perſecutionis barbarorum. 22) in cenſum eundem veniunt ſermones in nouum canticum, de diſciplina, de vtilitate ieiunii, de expugnata vrbe Roma. Sequuntur tractatus, qui Auguſtini non ſunt, *a.* collectio XXI. quaeſtionum, maximam partem philoſophicarum. *b.* quaeſtiones LXV. cum reſponſionibus ſuis, magis ad theologiam ſpectantes. *c.* liber de fide ad Petrum. *d.* liber de ſpiritu et anima. *e.* liber de amicitia, *f.* de ſubſtantia amoris. *g.* de amore Dei. *h.* ſoliloquiorum liber. *i.* tractatus de cordis contritione. *k.* enchiridion. *l.* ſpeculum. *m.* ſpeculum peccatoris. *n.* liber de tribus habitaculis. *o.* ſcala paradiſi. *p.* liber de vitae cognitione, ſeu de vera vita. *q.* de vita Chriſtiana. *r.* de ſalutaribus documentis. *s.* de duodecim abuſibus ſeculi. *t.* de ſeptem mortalibus peccatis. *v.* de ſeptem donis ſpiritus ſancti. *x.* liber de virtutum cum vitiis pugna. *y.* de ſobrietate et charitate. *z.* de vera et falſa poenitentia. *aa.* tractatus de antichriſto. *bb.* precatio, ſeu dirae potius ac imprecatio, e multis pſalmorum locis exſcriptae. *cc.* in canticum *magnificat* fragmentum. *dd.* de aſſumtione B. Virginis. *ee.* ſermo-

Digitized by Google

ſermones duo de viſendis aegris. *ff.* ſermones duo de mortuorum conſolatione. *gg.* de Chriſtiana viuendi ratione. *hh.* ſermo in ſymbolum. *ii.* ſermo in vigiliam paſchatis de agno paſchali. *kk.* ſermones tres ad Neophytas de vnctione, de baptiſmo, et de pedum lotione. *ll.* tractatus de creatione primi hominis. *mm.* ſermones de ſeculi vanitate, de contemtu mundi, de vtilitate diſciplinae, de obedientia et humilitate, de precatione et eleemoſyna, et de eleemoſynarum vniuerſitate. *nn.* tractatus de duodecim illis precibus, quarum Apocal. XXI. fit mentio. *oo.* ſermones ad Anachoretas. *Tomo ſeptimo* exhibetur magnum Auguſtini opus de ciuitate Dei, libris XXII. *v*) Ad calcem voluminis reiecta ſunt epiſtolae nonnullae, et tractatus variorum, qui pertinent ad ea, quae Auguſtinus libri vltimi capite octauo aſſeruit de miraculis, aetate ſua editis. *Tomo octauo* leguntur 1) liber de haereſibus ad Quoduuldeum. 2) tractatus contra Iudaeos. 3) ſcripta in Manichaeos, de fidei vtilitate, de duabus animabus, de mali natura et origine diſputatio cum Fortunato Manichaeo, aduerſus Adimantum, contra Fauſtum, collatio cum Felice, de natura boni contra Manichaeos, contra Secundinum 4) Contra aduerſarium legis et prophetarum libri duo. 5) Contra Priſcilianiſtas et Origeniſtas liber ad Oroſium. 6) ſcripta aduerſus Arianos, reſponſio ad ſermonem Ariani de filii et ſpiritus ſancti diuinitate, collatio cum Maximino, aduerſus eundem libri duo. 7) de trinitate libri quindecim. *x*) Annectuntur libri

v) Ex Naudaeanis pag. 37. STOLLIVS introd. in hiſtor. liter. part. I, c. 2. §. 16, n. 2. obſeruat, Gregorium VII. pontificem Varronis opera igne conſumſiſſe, ne Auguſtinus, propter libros de ciuitate Dei, plagii poſtulari queat. *x*) GENNADIVS de viris

libri ſuppoſititii *a.* de quinque haereſibus. *b.* ſermo de ſymbolo contra ethnicos, Iudaeos, et Arianos. *c.* de altercatione eccleſiae et ſynagogae. *d.* de fide contra Manichaeos. *e.* quomodo ad eccleſiam catholicam admittendi ſint, qui, abnegata Manetis haereſi, ad fidem catholicam reuertuntur. *f.* liber de vnitate trinitatis. *g.* de verbi incarnatione libri duo. *h.* de vnitate et trinitate Dei. *i.* de Dei eſſentia. *k.* dialogus de vnitate S. trinitatis. *l.* liber de dogmatibus eccleſiaſticis *Tomo nono* continentur tractatus aduerſus Donatiſtas 1) quaeſtio catholicos inter et Donatiſtas agitata. 2) liber aduerſus epiſtolam Donati. 3) aduerſus Parmeniani epiſtolam libri tres. 4) de baptiſmo libri ſeptem. 5) libri tres aduerſus Petiliani Donatiſtae epiſcopi epiſtolam. 6) epiſtola ad catholicos de Donatiſtarum ſecta. 7) aduerſus Creſconium Donatiſtam libri quatuor. 8) de vno baptiſmo aduerſus Petilianum. 9) de collatione Carthaginienſi. 10) liber ad Donatiſtas. 11) aduerſus Gaudentium libri duo. 12) ſermo de ſubdiacono quodam Ruſticiano, a Donatiſtis rebaptizato, ſuſpectus. Accedunt, liber Auguſtino affictus contra Donatiſtam Fulgentium, multa alia veterum monumenta, quae Donatiſtarum hiſtoriam illuſtrant. *Tomo decimo* opera continentur Auguſtini, quae aduerſus Pelagianos ſcripſit. 1) libri tres ad Marcellinum, de meritis et remiſſione peccatorum. 2) liber de ſpiritu et litera, ad Marcellinum. 3) de natura et gratia. 4) de geſtis Pelagii. 5) de gratia Ieſu Chriſti. 6) de peccato originali. 7) de Iuſti-

viris illuſtribus c. 38. *edidit ſenex, quos iuuenis coeperat, de trinitate libros XV. in quibus, vt ſcriptura ait, introductus in cubiculum regis, et decoratus veſte multifaria ſapientiae Dei, exhibuit eccleſiam non habentem maculam aut rugam, vel aliquid huiusmodi.*

Digitized by Google

Iuſtitiae perfectione, contra Coeleſtium. 8) de matrimonio et concupiſcentia libri duo. 9) aduerſus Iulianum libri ſex. 10) de gratia et libero arbitrio liber vnus. 11) de correptione et gratia. 12) ad Hilarii Proſperique epiſtolas reſponſio libris duobus. 13) de origine animae libri quatuor, ad Renatium, ad Petrum, presbyterum Hiſpanum, ad Victorem Vincentium. Adduntur ſcripta nonnulla, quibus Auguſtini doctrina de praedeſtinatione et gratia defenditur. *a.* Proſperi libri quatuor pro defenſione Auguſtini. *b.* epigramma in eius laudem. *c.* Caeleſtini epiſtola. *d.* capitula. *e.* epiſtola ab epiſcopis Africanis in Sardiniam relegatis. *f.* variorum tractatus. *g.* hypognoſticon libri ſex. *h.* liber de praedeſtinatione et gratia. *i.* de doctrina praedeſtinationis. De ſcriptis Auguſtini conſulendi ſunt ipſius retractationum libri, POSSIDII commentarii de vita Auguſtini, ERASMI praefationes, Monachorum Benedictinorum diſſertationes, DV PIN noua bibliotheca eccleſiaſticorum auctorum, *y*) CAVEVS parte altera hiſtoriae literariae ſcriptorum eccleſiaſticorum, ANDR. RIVETVS, *z*) GERARDVS IOANNIS VOSSIVS, *a*) SIXTVS SENENSIS, *b*) ROBERT. BELLARMINVS, *c*) IO. GERHARDVS, *d*) et alii. Opera ſua omnia Auguſtinus ipſe in calce retractationum teſtatur a ſe trifariam edita, dictando nimirum, dicendo, et ſcribendo. De genere dictorum ſunt tractatus ad populum habiti: ad quos audiendos, ut teſtis eſt POSSIDIVS, *e*) ipſi quoque haeretici, vna cum catholicis permoti ſanctitate et eruditione

y) Tomo 3. pag. 294. ſeqq. *z*) Critici ſacri l. 4. c. 10. ſeqq. Operum tomo altero pag. 1135. ſeqq. *a*) Hiſtoriae Pelagianae l. 1. c. 13. ſeqq. *b*) Bibliothecae ſanctae l. 4. pag. 253. ſeqq. *c*) De ſcriptorib. eccleſ. p. m. 122. ſeqq. *d*) Patrologia pag. 361. ſeqq. *e*) In Auguſtini vita.

Digitized by Google

tione viri, ex omni Africa, ingenti ardore concurrebant, adductis secum notariis, qui ab ore eius excepta describerent. De numero dictatorum sunt epistolae multae et tractatus ad plebem plurimi, ac nonnulli etiam libri. De ordine scriptorum sunt libri continuae expositionis, libri quaestionum, ac disputationum: quas cura maiori adhibita, et ea, qua decet, solertia conscripsit.

§. XCI.

Quanta fuerit Augustini, dum viueret, ac post fata, inter suos auctoritas, quae vitae illi tributa sanctitas, quae morum suauitas, quae laudes, neminem latere potest. Tanta ab vno Augustino dictata et edita esse, tantaque in ecclesia disputata, excepta, atque emendata, vel aduersus varios sui seculi haereticos conscripta, vel ex canonicis libris exposita, ad aedificationem sanctorum ecclesiae filiorum, POSSIDIVS *f*) testatur, ut ea vix quisquam studiosorum nosse et perlegere queat. Eumque sua opinione falli iudicat, qui omnia, quae Augustinus scripsit, se legisse arbitratur. Aiunt vero eum, si credere fas est, in omni disciplinarum genere mille et triginta volumina composuisse. *g*) Pseudo Hieronymus, sed vetus auctor: *h*) *Augustinus episcopus, volans per montium cacumina, quasi aquila, et ea, quae in radicibus montium fiunt, non considerans, multa coelorum spatia, terrarumque situs, et aquarum circulum, claro sermone pronunciat. Qui enim in lignum fructuosum ascendere vult, paulatim ad superiora et maiora carpere poma festinat, ramos autem proximos paruulis relinquit. Nos autem qui paruuli sumus infirmique,*

f) Augustini vita. *g*) Videatur etiam KOENIGII bibliotheca vetus et noua. v. *Augustinus* p. 72. *h*) Appendice altera ad Hieronymi lib. de viris illustribus apud FABRICIVM biblioth. ecclesiast. pag. 226.

Digitized by Google

mique, atque minores, ſi inferiora congregare voluerimus, nobiſcum bene agetur. VINCENTIVS Burgundus *i*) eum fere ſimili ornat elogio: *volans per montium cacumina, quaſi aquila, qui acer ingenio, ſuauis eloquio, ſecularis literaturae peritus, in eccleſiaſticis laboribus operoſus, in omni ſua actione conſpectus, in expoſitione fidei noſtrae catholicus, in quaeſtionibus abſoluendis acutus, in reuincendis haereticis circumſpectus, in explanandis ſcripturis canonicis cautus, ſapientiae lumen praefulgidum, propugnaculum veritatis, et fidei tutamentum, omnes eccleſiae doctores tam ingenio, quam ſcientia vicit, incomparabiliter florens tam exemplis virtutum, quam affluentia doctrinarum.* GENNADIO *k*) *vir* eſt *eruditione diuina et humana orbi clarus, fide integer, et vita purus*, qui *ſcripſit, quanta nec inueniri poſſunt. Quis enim glorietur ſe omnia illius habere? Aut quis tanto ſtudio legat, quanto ille ſcripſit?* Carolus Magnus imperator admodum D. Auguſtini libris, maxime vero illis, quos de ciuitate Dei ſcripſit, delectatus eſt, et his verbis aliquando flagrans oſtendit deſiderium ſuum: *O ſi mihi fata duodecim Hieronymos Auguſtinosque concederent.* Reſpondit illi vero Alcuinus praeceptor non ſine ſtomacho: *ſuauis homo, qui duodecim poſtulas, cum ſuprema illa atque aeterna maieſtas tanto temporis ſpatio duos duntaxat habuerit. l*) SIXTVS SENENSIS *m*) virum praedicat ſuper omnes, qui ante eum, et poſt eum huc vſque fuerunt, mortales, admirabili in-

i) In bibliotheca mundi, ſiue ſpeculo maiori tom. 2. lib. 17. c. 51. p. 1583. *k*) De viris illuſtribus cap. 38. Gennadium totidem verbis exſcripſit HONORIVS Auguſtodinenſis l. 2. c. 38. de ſcriptoribus eccleſiaſticis. *l*) Vid. AVENTINVS annal. Boſ. l. 4. p. 373. et obſeruationes miſcellaneae Lipſienſes part. 2. p. 93. *m*) Bibliotheca ſancta l. 4. p. 252.

genii acumine praeditum, omnibus liberalibus disciplinis instructum, Platonica philosophia pleniſſime imbutum, Aristotelicae doctrinae non ignarum, in diuinis scripturis longe omnium eruditiſſimum, et in earum explanatione vltra, quam dici queat, incomparabili subtilitate sublimem, qui omnes Latinae ecclesiae scriptores scribendi labore et lucubrationum multitudine superauerit, editis plusquam mille et triginta ex omni disciplinarum genere voluminibus. *n*)

§. XCII.

Cum multas doctrinas a suis principiis deduxerit: omnibus primum visus est ex patribus Latinis theologiae systema composuisse, quod ab eo deinceps doctores, quotquot fuerunt, in ecclesia Latina retinuerunt. Imo haec eadem principia fecerunt sua, et nihil saepius egerunt aliud, quam Augustini sententias totidem verbis exscripserunt. Ipsa concilia in concipiendis efferendisque decisionibus suis atque decretis non dubitarunt Augustini voces adhibere. Duodecimo tandem post Christum natum seculo LOMBARDVS, vniuersae theologiae compendium scripturus, ex omnibus Augustini scriptis quosdam excerpsit locos velut communes, eosdemque in certum ordinem redegit. THOMAS vero et reliqui scholastici, quamquam sint aliam secuti methodum, plerique tamen Augustini principia retinuerunt, atque illis theologicas deductiones suas suffulcire studuerunt. Sic quoque ab Augustino, quem ex patribus Latinis omnibus vnum dilexerunt, vulgaris sententia de septem artibus liberalibus originem duxit, quae in scholis postea semper obtinuere. *o*) De ingenio DV PINI-

n) Multorum elogia vide apud GERHARDVM patrologia p 391. seqq. *o*) Vid. obseruat. select. tom. 1. obseru. 4. §. 17. STOLLII introductio in hist. liter. part. 1. c. 1. §. 31.

Digitized by Goo

PINIVS *p*) recte monet, vaſtiſſimum, exquiſitiſſimum et ſagaciſſimum, fuiſſe, vim ratiocinandi ſummam. Docendi methodus illi haec eſt. Principia ſtatim adſtruit foecundiſſima: vnde plurimas deducit conſequentias. Atque ita doctrinae partes magna inuicem connectuntur affinitate, et inter ſe neceſſitudine quadam cohaerent. Pleraque religionis Chriſtianae capita ex veteribus nemo ante eum rimatus eſt penitius, aut differuit fuſius. Res ille quidem, quas vulgo indifferentes vocant, ſuasque opiniones liberalius tractat, nec vlli voluit videri obtrudere inuito: ſed ſumma coeleſtis veritatis, ab omnibus Chriſto devotis recepta dogmata fiducia ſemper proponit inſigni, et aduerſus quoscunque Chriſtiani nominis hoſtes acerrime propugnat. Quaeſtionum, diſputationum, argumentationum, ratiocinationum locupletiſſima copia abundat, et, vt SIXTVS SENENSIS loquitur, *q*) ſuper omnes eccleſiaſticos ſcriptores diuinae ſcripturae teſtimoniis et ſententiis profluit, inſtar magni fluminis hyberna niue exundantis. BOECLERVS *r*) patrum vocat decus, virum ingenio, varia eruditione, eloquentia, pietate maximum; in ciuilibus, ſupra conſuetum theologis modum, ad fingularia etiam facundum. Graecae et Hebraicae linguae, quibus ſacri codicis interpretes omnino debent eſſe inſtructi, notitiam valde mediocrem habuit. Attamen multas vix ante cogitatas agitat quaeſtiones, easque vt plurimum ſola ingenii ſagacitate ſoluit. Non raro a veterum ſententia receſſit, nouam ingreſſurus et calcaturus viam, cum in ſacri codicis indagando ſenſu, tum in afferendis adſtruendisque theologicis opinionibus: vt merito poſſis de

p) Noua bibliotheca eccleſiaſticorum auctorum tomo 3. p. 495.
q) Bibliothecae ſanctae l. 4. pag. 253. *r*) Bibliographia critica pag. 745.

eo dicere in rebus ſacris, quod in philoſophicis TVLLIVS de ſemetipſo fatetur, magnum opinatorem fuiſſe: i. e. ſolere Auguſtinum opiniones plerasque duntaxat probabiles proferre. Multo illi maior vis inerat ingenii, quam doctrinae: quippe qui parum in eruditiſſimis veterum monumentis verſatus, atque vt dixi linguarum prope ignarus. In rebus nullius momenti, in alluſionibus, in verbis ipſis aliquando non ſine affectatione ludit. Et quae ipſi adeo pulchre arrident, non ſemel recinit, ſed ad nauſeam vſque ſine delectu adhibet. Rebus, quas frigide ſatis aliquando et inepte in omnes vertit facies, diutius, quam par eſt, immoratur, et in locos communes exſpatiari ſolet. In libris, quam in tractatibus eſt magis eruditus, acutus, et ſublimium rerum ſubtilitate vſque adeo reconditus, vt HIERONYMVS, in epiſtola quadam, eum obſcuriſſimum ſcripturarum expoſitorem appellare non vereatur. *s*) Vtitur autem in cunctis explanationibus ſuis translatione quadam S. Scripturae, his temporibus acceptiſſima, quae Italica dicebatur. Hanc etiam ipſe, in ſecundo de doctrina Chriſtiana, tam verborum fidelitate, quam ſententiarum perſpicuitate ceteris Latinorum editionibus praefert. In philoſophia ſectam elegiſſe Platonis, STOLLIVS, Ienenſis polyhiſtor, *t*) docuit. Auguſtini magna laus eſt, quod vbi ſe deprehendit erraſſe, maluit errorem agnoſcere et confiteri, quam aliis imponere, erroris imprudentibus. Teſtantur ipſius retractationum libri: de quibus etiam epiſtola ad Quoduultdeum ſcribit: *retractabam opuſcula mea, et ſi quid in eis me offenderet, vel alios offendere poſſet, partim reprehendo, quod legi deberet et poſſet, operabar.* Atque vtinam eſſent plures, qui ea

s) Confer. SIXTVS SENENSIS bibliothecae ſanctae l. 4. p. 253.
t) Introd. in hiſt. liter. part. 2. c. 1. §. 65.

Digitized by Google

ea quidem in re Hipponenſem epiſcopum imitari non erubeſcerent: cum hodie non raro liceat audacia pro ſapientia vti, et plures videri, quam eſſe, malint docti: vt medicam vix, ac ne vix quidem, admittant alicuius manum, ſemet vero faſtu et vanitate repleti, radiante veritatis ipſa luce, vel propter dedecus admiſſum, audire nequeant. Ea Auguſtinus ſemper vſus eſt modeſtia et prudentia in opinionibus ſuis, vt meditationibus curisque lubenter cedat ſecundis, veritatem ſequatur ipſe, nec aliis ſua placita alto ſupercilio obtrudat: ſuum contra cuique liberum cupiat eſſe iudicium. Et ipſe voluit in lectione opuſculorum ſuorum quadruplicem obſeruari ordinem et rationem temporum. Alia enim ſcripſit, cum eſſet catechumenus, ſecularium inflatus literarum conſuetudine: alia cum eſſet primum baptizatus, et in ſacris literis eſſet vel tiro, vel hoſpes. Alia factus presbyter exarauit, magis docta et erudita; alia denique, poſtquam Hipponenſi eccleſiae praefectus eſſet epiſcopus, longe omnium eruditiſſima. Hanc temporum diſtinctionem ideo cenſet eſſe obſervandam, vt ex eius conſideratione lectores intelligerent, quomodo ipſe, diſcentium more, ſcribendo paulatim profecerit: tantoque facilius ignoſcerent ſibi, ſi quid erratum in ſcriptis prioribus: ad vltimas vero lucubrationes, tanquam ad firmiora auctoris decreta, confugerent.

§. XCIII.

Stilus Auguſtini, in tot voluminum operibus, non vnius generis eſt. Vbique tamen, vt genius ferebat ſeculi, varie inquinatus, vt omnia ſenectutis iam ingraueſcentis vitia prae ſe ferre videatur. Illis quidem, qui eccleſiaſticis ſcriptoribus magis, quam caſtae Latinitatis ſtatoribus, delectantur, ſatis arridet, vtpote facilis et clarus, quique ſcribentem expedite multum potius, quam elegantem

gantem atque terſum auctorem arguit. Licet enim ab ineunte aetate fuerat artem profeſſus rhetoricam: nunquam certe tamen veterum oratorum aſſecutus eſt virtutes; neque maſculam habuit eloquentiam, aut ſtudio poſtmodum ipſe neglexit. Dictio, quae haud raro ſine dignitate ad ſublimitatem adſpirat, adeo non caſta et pura eſt, quin vocibus paſſim, aut barbaris, aut non propriis, abundet. Saepius dum ad voces alludit, reuera ludit in verbis et frigus oſtendit inſigne: ſuasque alluſiones ad nauſeam vſque repetit. Si verborum proprietas eorundemque concinna ſtructura ad ſermonis perſpicuitatem facit: minime vera eſt, quam praetendit, neglectae caſtitatis cauſſa: propter aures imperitae multitudinis ſemet ſaepius ad barbariſmos vſque demiſiſſe. Illud frequenter in ore habuit: *malo, vt me reprehendant grammatici, quam non intelligant populi:* ſatius eſſe ratus, in barbariſmis facile intelligi, vtut Grammaticis diſpliceret, quam in elegantiſſima oratione lectores, vel auditores ſuos deſerere. *v*) Omnium vero minime dictionibus a Romana conſuetudine diſcedentibus facilis et perſpicuus eſſe poteſt, qui et genus orationis foecundiſſimum et nimia redundans copia exprimere ſtudet: rerum diverſarum affluentia hinc inde fluctuans rapitur: periodis gaudet in longum productis, *x*) mixtim et indiſcriminatim alia ſuper

v) Confer. SIXTVS SENENSIS bibliothecae ſanctae l. 4. p. 253.

x) Hinc ERASMVS Ciceroniano, apud HALLBAVERVM, collectione praeſtantiſſimorum opuſculorum de imitatione oratoria pag. 86. *hoc habet Ciceronis, quod prae longo ambitu circumducit periodum, vt frequenter ergo reuocet a diuerticulo in viam. Verum non aeque ac Cicero prolixum orationis ductum membris et inciſis diſtinguit, nec facilitatem in dicendo, nec felicitatem in tractando reddit.*

Digitized by Google

per alia ſecum voluens: ambagibus vtitur, digreſſionibus et excurſionibus, quae certe memorem, ingenioſum, et attentum lectorem requirunt. Eum vero ne garrulitate ſua prorſus ab ſe videatur abalienare: punicis quibusdam argutiis ſtudet animos recreare, ludens ſaepiſſime in ſimiliter progredientibus, aut eodem modo cadentibus, ſententiis, id genus aliis, frigidis certe et Latinis auribus neutiquam iucundis rhetorum figuris: quibus longum et implicitum prolixae lectionis iter emollire conatur. Suo tempore quidem facile potuit ſermonibus atque homiliis eloquentiae laudem promereri, ut prae reliquis omnibus auctoritate et nominis immortali fama valet: eius vero dicendi ratio, ſi cum veterum Romana conſuetudine componatur, nimis longe quaeſita, et minime veris ornamentis exornata, nedum pura, aut caſta vocari, tantoque minus aliis ad imitandum proponi debet: vtut mihi non facile quisquam cum STOLLIO V. C. *y*) perſuaſerit, in concipiendis ſermonibus nullas ſecutum eſſe artis rhetoricae regulas, qui ipſe de rhetorica, de grammatica, de logica, de muſica, aliisque liberalioribus diſciplinis praecepta edidit. Alioqui perſpicuitatis videri voluit eſſe ſtudioſiſſimus: eumque aiunt ante conuerſionem ſatyras Perſii legentem, et non ſatis intelligentem, librum in ignem proieciſſe, et dixiſſe: *quia non vis intelligi, non debes legi.* *z*)

§. XCIV.

Auguſtini ſcripta ſemper in tanto fuerunt pretio, vt eorum cauſſa, cum in Hiſpania deficerent exempla, circa annum Domini CCCCL. Tago, Caeſarauguſtanus epiſcopus,

y) Introd. in hiſt. liter. part. 1. c. 4. §. 12. *z*) WAGENSEIL in Hederichi notit. auct. p. 444. BAILLETI iugem. p. 330. ſqq. STOLLIVS l. c. part. 1. c. 5. §. 45. extr.

Digitized by Google

pus, Romam mitteretur. *a*) Monachorum certe calami, antequam ars typographica erat inuenta, deſcribendis tanti viri operibus non ſufficiebant: quibus nunquam non ambones et pulpita in templis et ſcholis perſonare conſueuerunt. Poſt nobile artis typographicae inuentum, non modo ſeorſim Auguſtini libros edere, verum et in volumina colligere, et iuris ſimul facere publici inſtituerunt. Certe apud MICHAELEM MAITTAIRE, *b*) et IOH. ALBERT. FABRICIVM, *c*) memorantur S. Auguſtini meditationes, ſoliloquia, enchiridion etc. *Venetiis* impreſſa 1484. fol. per Andream de Bonetis de Papia. Et S. Auguſtini operum volumen primum *Lugduni* 1487. fol. per Iohannem Trechſel.

§. XCV.

At ſeculo poſt Chriſtum natum decimo ſexto Auguſtini opera multo locupletiora primum *Baſileae* 1506. fol. XI. voluminibus diſtincta edidit Iohannes Amerbachius, Baſilienſis typographus, quae ex omnibus Italiae, Galliae et Germaniae bibliothecis, per Auguſtinum Dodonem, Friſium, Baſileae ad S. Leonardum canonicum, ſufficienti pecunia inſtructum, conquiſiuit, et ita diſpoſuit, vt partibus octo prioribus, eos exhiberet Auguſtini libros, quos ipſe in retractationibus ſuis recenſet; reliquis vero coniungeret illos, quorum in retractationibus nulla mentio facta eſt. Sed plurimos ſermones, epiſtolas, et enarrationes in pſalmos omiſit, quas iam tum 1489. 1494. et 1495. excudi curauerat. In eadem vrbe, ex officina Frobeniana 1528 et 1529. obſtetricante Deſ. Eraſmo Roterodamo, Auguſtini opera denuo prodierunt, in X. tomos

a) Vid. Acta erudit. Lipſ. 1683. p. 1. *b*) Annal. typogr. p. 175. et 201. *c*) Biblioth. Lat. volum. 3. p. 513.

mos distributa. 1541. 1542. et 1543. fol. X. voluminibus, accurante Martino Lipsio. 1556. fol. X. volum. studio Iohannis Costerii. 1569. fol. X. volum. Iohannis Vlimmerii cura. *Venetiis* 1571. 4. decem voluminibus, apud Valgrisium. Editores vero profitentur, se omnia remoueri iussisse, quae mentes fidelium haeretica prauitate inficere, aut a catholica et orthodoxa veritate abducere possent. Et haec editio repetita est 1584. *Antuerpiae* 157[9]. fol. ex officina Plantiniana, accurate recognita sunt Augustini opera, Thomae Gozaei, Iohannis Molani, et aliorum Louanienſium theologorum curis, et aucta Ioh. Lud. Viuis et Leonhardi Coquei commentariis in libros de ciuitate Dei. *Lugduni* 1563. 8. decem voluminibus, apud Sebastianum Honoratum. 1571. et 1586. fol. X. voluminibus. *Lutetiae Parisiorum* 1515. et 1531. ex officina Claudii Cheuallonii, cum Iacobi Hemeri Stutgardiensis ad Gallum Millerum, ecclesiae Tubingensis theologum, epistola nuncupatoria, quae totam huius editionis rationem exponit. 1541. et 1555. apud Claudium Guillardum. 1571. apud Morellium et Niuellium. 1586. fol. secundum exemplar Antuerpianum, ex recensione Louanienſium doctorum, cum Ioh. Lud. Viuis et Leonh. Coquei comment. in libros de ciuitate Dei. *Genevae* 1596. 8. apud Iacobum Stoer.

§. XCVI.

Seculo post Christum natum decimo septimo Augustini opera prodierunt *Coloniae Agrippinae* 1616. fol. ad editionem Antuerpianam expressa. *Lugduni* 1664. fol. X. voluminibus, cum indice volumen vndecimum implente. *Lutetiae Parisiorum* 1609. 1614. 1626. 1635. 1652. Sunt procul dubio editiones recentiores quidem nitidiores atque locupletiores: sed antiquiores magis sinceraе

Digitized by Google

et emendatae habentur. Hinc Pariſiis 1654. fol. duobus voluminibus, Hieronymus Vignier, qui Baſileenſem Erasmi editionem omnium praeſtantiſſimam eſſe iudicat, in gratiam eorum, qui antiquiores et caſtigatiores Auguſtini editiones poſſident, ne aut plurimis ſermonibus, epiſtolis, aliisque tractatibus carere, aut recentiora exempla ſibi comparare cogantur, omnium Auguſtini operum, ante annum 1614. Baſileae, Lutetiae, Antuerpiae, Lugduni, et Venetiis editorum, ſupplementum vna cum aliis quibusdam ineditis monumentis edidit. Sed omnes editiones cum chartae ac typorum nitore, tum accuratiore critica, et ſcriptorum numero longe poſt ſe reliquit nouiſſima, quam Lutetiae Pariſiorum ſub auſpiciis Chriſtianiſſimi Galliarum Regis adornarunt, et quam emendatiſſime excudi curarunt monachi ordinis S. Benedicti e congregatione S. Mauri. Tomus primus et ſecundus publici facti ſunt iuris 1679. tertius 1680. quartus 1681. quintus 1683. ſextus et ſeptimus 1685. octauus et nonus 1688. decimus 1690. vndecimus vero, quo Auguſtini vita, indices et annales continentur 1701.

§. XCVII.

Seculo poſt Chriſtum natum duodeuiceſimo Auguſtini opera ex editione monachorum ordin. S. Benedicti prodierunt *Antuerpiae* (ſiue Amſtelodami potius) 1700-1703. fol. minori typorum charactere. Vndecim voluminibus duodecimum, nomine appendicis Auguſtinianae, *d*) addidit Iohannes Phereponus, quo nomine Ioh. Clericus latet. Continentur ea appendice S. Proſperi carmen de ingratis cum Martini Steyarti, Louanienſis theologi notis; Ioh. Garnerii S. I. diſſertationes ad hiſtoriam Pela-

d) Vid. Acta erudit. Lipſ. 1703. p. 289. ſeqq.

Digitized by Google

Pelagianam facientes; Pelagii commentarii in epiſtolas Pauli; Eraſmi et aliorum praefationes ac cenſurae in S. Auguſtini ſcripta; Iacobi Sirmondi notae in aliquot ſermones, et Ioh. Phereponi (Clerici) animaduerſiones in omnia Auguſtini opera. Tandem et diu deſiderata *e*) venerunt apud Iohannem Baptiſtam Albrizzi *Venetiis* 1729. fol. S. Aurelii Auguſtini, Hipponenſis epiſcopi, opera omnia, poſt Louanienſium theologorum recenſionem, caſtigata denuo ad manuſcriptos codices Gallicanos, Vaticanos, Anglicanos, Belgicos etc. nec non ad editiones praeſtantiores et caſtigatiores, opera et ſtudio monachorum ordinis S. Benedicti e congregatione S. Mauri. *f*)

§. XCVIII.

Auguſtini aequalis et amicus fuit EVODIVS, Vzalenſis epiſcopus in Africa. Tagaſtae natus, ex agente in rebus, eccleſiae factus eſt praeſul. Scripſit in primis, teſte S. GEBERTO GEMBLACENSI, *g*) librum de miraculis in Africa oſtenſis per reliquias Stephani protomartyris nouiter inuentas, quas in Africam Oroſius, Auguſtini diſcipulus detulit anno poſt Chriſtum natum CCCCXVI. Hinc AVGVSTINVS: *h*) *apud Vzalim, vbi eſt epiſcopus frater meus Euodius, quanta miracula ibi fiant, quaerite et inuenietis.* Alibi: *i*) *Vzali etiam, quae colonia Vticae vicina eſt, multa praeclara per eundem martyrem, Stephanum, facta cognouimus, cuius ibi memoria longe prius, quam apud nos ab epiſcopo Euodio conſtituta eſt.* Sed, qui extant, libri duo de hoc argumento ad calcem libro-

e) Acta erudit. Lipſ. 1707. p. 95. *f*) Vid. Neue Zeitungen von gelehrten Sachen 1730. pag. 610. *g*) De ſcriptoribus eccleſiaſticis c. 15. *h*) Sermon. 323. operum tom. 5. edit. S. Bened. ordinis monachorum. *i*) De ciuitate Dei l. 22. c. 8.

rum Auguſtini de ciuitate Dei, *k*) Euodii non ſunt: eius autem iuſſu videntur ab alio compoſiti fuiſſe. *l*) Librum de fide, ſeu de vnitate SS. Trinitatis, contra Manichaeos, qui inter Auguſtini opera ſaepe eſt editus, codices MSti Euodio vindicant. *m*) TRITHEMIVS *n*) illi tribuit plures epiſtolas ad diuerſos. Eſt certe vnus ex illis Africae quinque epiſcopis, quorum literas ad Innocentium I. pontificem Romanum habemus. Extat epiſtola illa ad Innocentium in appendice tomi 8. operum Auguſtini; *o*) et quatuor ad Auguſtinum epiſtolae inter Auguſtinianas numero XCV. XCVIII. CCXLVI. CCXLVII. CCLVIII. *p*) Habentur et fragmenta epiſtolae ad monachos Adrumetinos, a SIRMONDO *q*) edita. Augiſtini extant ad Euodium tractatus de anima Chriſti apud inferos, et epiſtolae quatuor. Vocatur a TRITHEMIO *r*) diſcipulus B. Auguſtini, vir doctus in ſcripturis ſanctis, et conuerſatione vitae integerrimus, qui in catalogo ſanctorum merito veniat locandus.

§. XCIX.

Sub Arcadio et Honorio imperatoribus Auguſtis floruit SVLPICIVS SEVERVS Aquitanus, presbyter Primuliacenſis, *s*) cum eiusdem nominis epiſcopo Bituricenſi non

k) Oper. tom. 7. edit. Benedict. monach. *l*) Confer. VOSSIVS de hiſtoricis Latinis l. 2. c. 14. p. 220. et AVBERTI MIRAEI auctarium de ſcript. eccleſ. c. 73. *m*) Vid. FABRICIVS biblioth. mediae et infimae Latinitatis l. 5. p. 386. DV PIN noua bibliotheca eccleſiaſticorum auctorum tom. 3. p. 288. *n*) De ſcriptor. eccleſ. c. 132. *o*) Edit. Benedict. p. 26. *p*) In Benedictinorum editione 177. 163. 160. 161. et 143. *q*) Hiſtoriae praedeſtinatianae c. 1. A Benedictinis ad epiſt. 216. *r*) L. c. Pl. confer. TILLEMONTIVS memoriarum tom. 12. p. 581. ſq. *s*) DV PINIO eccleſiaſticorum auctorum bibliotheca noua t. 3. p. 264. Aginnenſis presbyter.

Digitized by Google

non confundendus. Vir fuit ſtirpis nobilitate, et ingenii praeſtantia, et vitae ſanctitate clariſſimus. Artem primo docuit rhetoricam: poſtea ſe totum coeleſtis doctrinae ſtudio dedit, et, erepta ſibi lectiſſima coniuge, omnibus mundi voluptatibus vale dixit. De quo vitae nouo genere PAVLINVS in epiſtola quadam: *admiranda ſane eius conuerſio, et miraculo ſimillima. Excuſſum derepente iugum peccati: effracta, in ipſo aetatis flore, carnis et ſanguinis vincula: idque eo tempore, quo maxima eius eſſet in foro auctoritas et fama: calcatae animo forti diuitiae, ſpretae voluptates, quibus poſt coniugium legitime frui poterat: domita et ſuperata iuuentus. Nihil horum eum a virtutis aſpera ac horrida via auertere valuit: nullisque voluptatis illecebris ac blanditiis, quantaecunque tandem illae fuerint, ad calcandam mundanorum illam viam latam ac facilem, impulſus eſt. At contra fortiter, pro Chriſto ſequendo, diuitiasque gloriamque deſpexit: piſcatoresque, rudes oratores, Tullianae facundiae, omnique ſeculari eloquentiae antetulit. Ipſe tamen eloquentiſſimus ornate ac eleganter multa poſt conuerſionem ſcripſit.* GENNADIVS *t*) memoriae prodidit, Sulpicium, cum linguae quadam intemperie ac loquendi pruritu, Pelagianorum cauillis irretitus ac deceptus, in eorum errores iam ſenex perductus eſſet, culpam demum agnitam religioſiſſimo ſilentio per reliquum vitae tempus expiaſſe. HIERONYMVS *v*) eum chiliaſmi arguit. Obiit tandem circa annum domini CCCCXX. Praeter hiſtoriae ſacrae duo libros, de quibus ſuo loco dictum ſatis, ſcripſit S. Martini vitam, quo praeceptore ſuo valde familiariter vſus eſt. De morte ac virtutibus eiusdem epiſtolas tres. Dialogos item tres inter

t) De viris illuſtribus c. 19. confer. TRITHEMIVS de ſcriptoribus eccleſiaſticis c. 113. *v*) Comment. in Ezechielem c. 36.

Digitized by Google

inter Gallum et Poſtumianum, quorum primus eſt de monachorum orientalium miraculis; reliqui duo de B. Martini virtutibus, libro priori praetermiſſis. Et plures alias ſcripſit epiſtolas, quae temporum iniuria interiere: in quibus et illae fuerunt, quas ad ſororem ſcripſit, vt Deum amplecteretur, et omnes mundi vanitates contemneret. Ex illis duas in lucem protraxit BALVZIVS miſcellaneorum volumine primo. *x*) Et LVCAS DACHERIVS ſpicilegii volumine quinto illarum exhibet quinque. Sed plura de illis ſupra inter hiſtoricos actum. Hoc tantum addimus Sulpicii Seueri opera, ad MS. codices emendata, notisque, obſeruationibus et diſſertationibus illuſtrata, ſtudio et labore HIERONYMI DE PRATO Veronenſis, congregationis oratorii eiusdem ciuitatis presbyteri, prodiiſſe *Veronae* 1742. 4. *y*)

§. C.

Et longum fuerit nimis, theologos huius aeui Latinos atque ſcriptores eccleſiaſticos omnes recenſere, qui plures, imo vix numerandi extitere; minus vero Latinae linguae gloriam tuentur: vt inter proletarios ſint potius numerandi, quorum fata ſcriptaque multis inquirere, noſtra nihil refert. Iſtos omnes hiſtoriae eccleſiaſticae et literariae ſcriptoribus perluſtrandos relinquimus. Sufficit nobis indicaſſe, quos Latinae linguae, cuius fata et aetates iam ſtudemus demonſtrare, docti iudices atque cenſores, ad elegantiae et puritatis regulas examinare, et quorum

x) Pag. 329. *y*) Vid. Leipziger neue Zeitungen von gelehrten Sachen 1742. p. 915. ſeq. At operum prodiit tantum tomus primus, quo continentur Sulpicii Seueri ad Deſiderium in lib. ſuum de vita B. Martini praefatio; de B. Martini vita liber; epiſtolae ad Euſebium presbyterum; ad Aurelium diaconum; ad Baſſulam ſocrum ſuam; dialogi tres,

Digitized by Google

rum eloquentiam ſub incudem reuocare, aut dictiones ſermonis, hac vegeta ſenectute vſitati, exempla ſaepius citare ſolent.

CAPVT XI.

De vegetae ſenectutis in Latina lingua idiotiſmis.

§. 1.

Sunt aetatis cuiusque, vt virtutes, ſic vitia peculiaria. 2. *Conſtantinus Imp. meritorum auxit ornamenta.* 3. *Sic quoque aucta fuerunt honoris vocabula.* 4. *Dignitatum ordines recenſentur.* 5. *Senectutis vitia dictionibus ſe multifariam prodiderunt.* 6. *Graeciſmis.* 7. *Poeticis.* 8. *Archaiſmis.* 9. *Vocibus hibridis.* 10. *Et inepte compoſitis.* 11. *In aliis analogiam ſequebantur.* 12. *Vocabulis non paucis nouam ſignificationem affingebant.* 13. *Nominum alias terminationes faciebant.* 14. *Noua nomina fingebant ſubſtantiua.* 15. *Atque ab illis abſtracta.* 16. *Nouaque genera.* 17. *Nomina adiectiua.* 18. *Quorum terminationes faciebant alias.* 19. *Neque gradibus comparationis.* 20. *Neque caſibus ſaluis.* 21. *Aut pronominibus.* 22. *Verbis nouas terminationes dabant.* 23. *Et noua non pauca fingebant.* 24. *Alia praeter conſuetudinem flectere conabantur.* 25. *Pro compoſitis vtebantur ſimplicibus.* 26. *Proferebant aduerbia ante non audita.* 27. *Et illis alias terminationes.* 28. *Et ſignificationes dabant.* 29. *Praepoſitionibus peccatum.* 30. *Et coniunctionibus.* 31. *Neque phraſes priſtinam caſtitatem prae ſe ferebant.* 32. *Et tota dicendi ratio inepta erat.*

§. 1.

Vt ſua quaeque aetas, per vitam humanam, habet vitia, virtutesque peculiares: ita ſuis quaeque aetas,

per linguae Latinae fata, locutionibus notanda venit. Eſt procul dubio optima virilis, quam vocant auream, aetatis Latinitas, quae Ciceronis tempore ad obitum vſque Caeſaris Octauiani Auguſti, ſemet omnibus commendare viſa eſt. Minoris quidem pretii, ſed minime contemnenda aetatis proximae ſeneſcentis, quam vulgo argenteam vocant, Latinitas inde ad obitum vſque Traiani imperatoris. Quae inde ad Honorii principatum et Romam a barbaris occupatam ſequitur, eſt nobis vegeta linguae ſenectus, aliis aetas Latinitatis aenea: quae maioribus deformata maculis, vix cum illa Roboris virilis dignitate componenda. Quamuis autem, iudicante etiam CHRISTOPHORO CELLARIO, *a*) huius aeui Latinitas non optima; neque magnopere cultoribus linguae commendanda: non tamen eiusmodi iam eſſe videtur, quae cum ſordibus abiicienda plane, aut in barbarorum inſulam deportanda ſit: cum iſtud quoque tempus ingenia tulerit, quae inſignis doctrinae laude floruerint, atque etiamnum apud eruditos plurimum auctoritate valeant. Quamuis non aurea, neque cum optimis componenda, vt aenea tamen, ſi quando, linguae defectu, iſtis indigemus, tolerari poſſunt: quia ſcriptores iis vſi ſunt, licet poſterioris aetatis, non omnino contemnendi. Eſſe vero etiam vt ſingulis ſcriptoribus, ita vel maxime ſeculis quibusque ſuos idiotiſmos, et peculiares quasdam dicendi rationes, nemo facile negare poteſt, qui vetuſtatis monumenta non conniuenti oculo perluſtrauit: vt, in quo conueniunt plures, accuratius obſeruare, et quod quisque ſibi tribuerit proprium, diſtinctius intelligere ſtudeat. Quae ergo ab vſu Latinitatis ac meliori dicendi conſue-

tudine

a) Curis poſterioribus de barbariſmis et idiotiſmis ſermonis Latini c. 3. init.

tudine abhorrent: quaeque ab aliis optimae aetatis ſcriptoribus alio alioque obſeruat dicta eſſe modo: ab illis probe ſibi caueat inter eſt, vt non niſi optimos imitetur, et quoad fieri poteſt, linguae caſtitatem vbique ſeruare videatur. Nam illi ſatis aperte nouitatis affectationem, ne dicam ignorantiam ſtultitiamue produnt, qui ſingularia quaeque vel ἰδιωτικὰ ſine Latinitatis ſcrutinio arripiunt, atque in iis delicias, neſcio quas, ſuique luxuriantis ſtili elegantias quaerunt. Sunt medicis, ſunt philoſophis, ſunt Iurisconſultis, ſunt theologis, ſunt aliis ſua relinquenda vocabula, quae nimia dicendi libertate, et quodam quaſi innouationis pruritu, in vegeta Latinae linguae ſenectute, velut aetatis morbos cumularunt. Sic multa leges in doctis huius aeui monumentis, quae ante in ipſius Latii flore et vigore nunquam audita fuerunt; alia, quae alio ſenſu et notione venerunt; multa, quae a Graecis aliisue gentibus acceperunt; alia ad vſum et conſuetudinem aulae, fori, eccleſiae, et ſcholarum conformata. Quae quidem omnia, velut ſordida, abiicere, vel ipſa pietate, prohibemur: quandoquidem ex iſtis multa longo vſu ſanctitatis quid traxiſſe videntur: attamen Latinis, i. e. melioribus caſtisque veteris Latii dictionibus adſcribi nequeunt: quarum cultoribus atque magiſtris ignorata ſemper et inuſitata fuerunt.

§. II.

Quemadmodum Iulius Caeſar ſuo tempore, quae Latinae linguae fuerat feliciſſima aetas, poſt ciuiles victorias, plures voluit eſſe participes gloriae, multisque dignitatibus ciuitatem curiamque Romanam auxit: ita Conſtantinus M. quoque, quaſi noui conditor imperii, poſt Maxentium Liciniumque deuictos, praemia virtutis nouarum dignitatum commenta fecit: ac inanium excogi-

tauit titulorum aceruum: quo inter plures, victoriarum laetus, honores partiretur. *b)* Erant dignitates aliae vacantes et honorariae, aliae verae et cum ipsa munerum religione coniunctae. Tunc primum inuecta sunt honorum vocabula, *comitis* et *comitiuae*, *magistri* et *magisterii*, *patriciatus* et *patriciorum*, *nobilissimatus* et *nobilissimorum*: quae, si vel maxime iam innotuerint, eo tamen sensu nunquam audita fuerunt. *Comites* nominabantur praefecti, siue praepositi. Sed maior dignitas erat *magistrorum*. Ita MARCELLINVS *c)* de Equitio: *Illyriciano praeponitur exercitui, nondum Magister, sed Comes.* Paulo post: *Valentinianus eodem Equitio aucto Magisterii dignitate, repedare ad Illyricum destinabat.* Sic omnis quidem magister erat comes, non item comes omnis erat magister. Vbi ergo legitur, *comes et magister*, intelligendus est inter comites magister. Neque vnius generis erant comites, qui gradibus distincti, primum, secundum, tertium ordinem tenebant. Eorum in constitutionibus saepe fit mentio. De *patriciatus* honore ZOSIMVS: *d)* *eum honoris titulum Constantinus excogitauerat, lataque lege sanxerat, vt qui eum consecuti essent, supra ipsos praefectos praetorii sessitarent.* Dignitas *nobilissimatus* iis tantum fuit peculiaris et propria, qui agnatione, aut propinquitate, cum imperatoribus coniuncti, eum sibi honoris titulum seruabant.

§. III.

Tituli hac aetate, non personis, aut familiis, sed dignitatum quarundam gradibus tribuebantur: qui Romanae reip. temporibus in vsu nunquam fuerunt, atque etiam sub imperatoribus aliquandiu prorsus incogniti fuerunt.

b) Vid. EVSEBIVS de vita Constantini l. 4. init. *c)* Histor. l. 26. c. 5. *d)* Lib. 2.

Digitized by Google

runt. *Imperatores* appellabantur primum viri conſulares, maioresue magiſtratus, qui inſignem aliquam victoriam ab hoſtibus retulerunt. In C. Iulio Caeſare et aliis principibus iſtud dignitatis nomen regiam poteſtatem ſignificabat: et qui in eo Romanorum principatu ſuccedebant, *imperatores* nominabantur; et *auguſti* a Caeſare Octauiano Auguſto, qui ſupra humanam conditionem venerandus, ex ſententia Munacii Planci, et ſenatus decreto, primum eo nomine ornatus fuerat. Vix alio titulo gaudebant. Poſtea temporis ſucceſſu *pii*, *inclyti*, *fortiſſimi*, *feliciſſimi*, aliisque nominibus inſigniri coeperunt. M. Antoninus *prouidentiſſimus*, *inuictus*, *clementiſſimus* et *victorioſiſſimus* dicitur. Scaeuola *ſanctiſſimum* et *nobiliſſimum* vocat imperatorem; Paulus et Papinianus *prouidentiſſimum* et *iuris religioſiſſimum*. Primus *ſerenitatis* titulo Gordianus vſus eſſe reperitur. Iulius Capitolinus Diocletianum quoque *ſereniſſimum* appellat, quam appellationem poſtea alii ſeruarunt. Eoque titulo principes, ſe tranquillos ac beatos, et nullius calamitatis nubilo turbari poſſe, ſignificare voluerunt: vt nummi Hadriani et Antonini pii *tranquillitatem auguſtam* prae ſe ferunt. Sic et praeter Caeſares Romanos alii reges atque principes, qui ſuperiorem agnoſcere noluerunt, ſua velut dignitate fulgentes *ſereniſſimi* vocati ſunt. Imperio Byzantium translato, nouos titulos inuenerunt. Conſtantinus M. ſe *magnificum* nominat. Seuerus et Antoninus a Papiniano *optimi* et *maximi* vocantur; Gratianus, Valentinianus et Theodoſius ab Ambroſio *beatiſſimi* et *Chriſtianiſſimi*. De ſe loquentes, ipſi dicere conſueuerunt, *noſtra ſerenitas*, *tranquillitas*, *lenitudo*, *lenitas*, *clementia*, *pietas*, *manſuetudo*, *magnificentia*, *maieſtas*, *celſitudo*, *ſublimitas*, et *excellentia imperialis*. *Aeternitatis*

nomen primum Conſtantium ſibi vindicaſſe, Marcellinus ſignificat, cum Veteranionem et Magnentium tyrannos viciſſet, et Gallum Caeſarem occidiſſet. Conſtantinus PANCIROLO *c*) primus fuiſſe videtur, qui *plurali* ſermone de ſe locutus eſt. *Nobiliſſimi* dignitas quodammodo imperii participem faciebat, et quaſi Caeſarem. *f*) Ante Conſtantini M. tempora raro vel nunquam legimus, epiſcopos aut pontifices titulo quodam peculiari honoratos fuiſſe: neque videntur illi ſacris praefecti et eccleſiae doctores, inter perpetuas principum et populi inſidias deliteſcentes ſpecioſa honoris nomina deſiderauiſſe. Sic D. Cyprianus literis ad Cornelium, Romanum Pontificem, ſcribit: *Cyprianus Cornelio fratri ſalutem.* Poſtquam vero Conſtantinus imperator Chriſtianam religionem palam profeſſus eſt, eccleſiae praefecti cum pace et otio ſummos honores obtinuerunt: vt nominibus coeperint inſigniri ſatis honorificis, *Dominorum Beatiſſimorum*, *ſanctiſſimorum*, *religioſiſſimorum*, *Deo dilectiſſimorum*, vel *amabilium*, *reuerendiſſimorum*, *et venerabilium.* Et honoris gratia, oratione, vel literis, eos ſolebant appellare abſtractis, *reuerentiae*, *ſanctitatis*, *venerationis*, *prudentiae*, *pietatis*, et *dignitatis* vocibus. *g*) Honoris ſignificatio, vt pleraque alia, pro temporum ratione ac rerum perpetua viciſſitudine, vt mutationem prae ſe ferat inſignem, nunc alia deprehenditur fuiſſe, quam feliciori Latinitatis aetate obtinuit. E. gr. clariſſimi olim non niſi ordinis ſenatorii viri conſulares appellati fuerunt. Sic apud HORATIVM *h*) ſunt *virginum primae puerique claris Patribus*

c) Theſauro variat. lect. l. 1. c. 2. Confer. REIMMANNVS hiſt. vocabul. pag. 80. ſeq. *f*) Pl. conf. GVIDO PANCIROLVS theſaur. variat. lect. l. 1. c. 2. *g*) Vid. GVIDO PANCIROLVS theſaur. variat. lect. l. 1. c. 1. *h*) Carmin. l. 4. od. 6.

Digitized

bus orti. PLINIVS *i*) *vereor*, inquit, *clariſſimi conſules, ne mihi Maſſa ſilentio ſuo praeuaricationem obiecerit.* De Alexandro Seuero AELIVS LAMPRIDIVS: *k*) *praefectis praetorio ſuis ſenatoriam addidit dignitatem, vt viri clariſſimi et eſſent, et dicerentur: quod antea vel raro fuerat, vel omnino non fuerat - - idcirco ſenatores eſſe voluit praefectos praetorii, ne quis non ſenator de Romano ſenatore iudicaret.* VOPISCVS: *l*) *libros* Sibyllinos *inſpici clariſſimorum* i. e. Senatorum *iuſſit auctoritas.* Etiam clarillima ſenatoris vxor appellata. AEL. LAMPRIDIVS de Antonino Heliogabalo: *m*) *matrem ſuam in ſenatum rogari iuſſit. Quae cum veniſſet vocata ad conſulum ſubſellia, ſcribendo affuit - - mulier quaſi clariſſima, loco viri, ſenatum ingreſſa eſt.* At circa tempora imperatoris Conſtantini, quae fuerant ante nomina communia, illuſtris et ſpectabilis illi praeferebantur: vt dignitatum tituli eſſent diſtinctarum. *n*) Hinc ISIDORVS: *o*) *primi ordinis ſenatores dicuntur illuſtres; ſecundi ſpectabiles; tertii clariſſimi: nam inferius quartum aliquod genus non erat.* Et SIDONIVS APOLLINARIS, *p*) ab inferiore ad ſummum gradum procedens, *Nicetius*, inquit, *vir ortu clariſſimus, priuilegio ſpectabilis, merito illuſtris.* Et hoc probe notandum, ſi quis olim illuſtris, aut clariſſimus vocatus, ſignificationem, non honoris aut dignitatis, ſed virtutis et ſcientiae fuiſſe. Sic, vbi M. Tullius aut alii ſenatores conſulesue *ampliſſimos* nominant, peculiaris non exiſtimandus eſt ordinis ſenatorii titulus, quo ſplendoris potius

indica-

i) Lib. 7. epiſt. 33. n. 8. *k*) Alex. Seu. c. 21. *l*) Diuo Aureliano c. 18. extr. *m*) Eius vita c. 4. init. Confer. L. 5. D. de curatoribus furioſo etc. dictis. *n*) Confer. Summe Reuerendus D. REIMMANNVS introduct. in hiſtor. vocabulorum linguae Latinae p. 69. *o*) Orig. l. 9. c. 4. *p*) Lib. 8. epiſt. 6.

Digitized by Google

indicatur magnitudo, et ordinis grauitas. *q*) Praeter illuſtrium, ſpectabilium, et clariſſimorum titulos, a Conſtantino inuentus eſt alius *perfectiſſimorum*, qui erant equitibus digniores, ſenatoribus inferiores. *r*) Poſt perfectiſſimos erant *egregii*, qui nec ſenatores, nec equites, aliquo tamen viſi honore digni. *s*) Et alia PANCIROLVS, *t*) quibus diuerſae profeſſionis viri nuncupantur, epitheta recenſet.

§. IV.

Attendenda ſunt, vt hoc tempore valuerunt, dignitatum nomina: de quibus CHIFFLETIVS *v*) et PANCIROLVS *x*) diſerte agunt. Fuerunt aliae ciuiles et ordinariae, aliae militares, aliae palatinae, aliae municipales. Ciuiles et ordinarii magiſtratus, ſiue iudices, erant 1. Praefectus praetorio poſt imperatorem magiſtratus eſt ſecundus. Magiſtratum hunc, cum ante eſſent duo, Conſtantinus M. in quatuor imperia diuiſit: vt vnus eſſet praefectus praetorio orientis, alter Illyrici, tertius Italiae, quartus Galliarum: ex quibus ſemper vnus in Caeſaris comitatu fuiſſe videtur, pro ratione loci, in quo princeps verſabatur. 2. Praefectus vrbi, tam Romae, quam Conſtantinopoli, eorumque vicarii. 3. Comes orientis adminiſtrantibus orientis prouincias omnibus praeeſt, eosque, ſi quid offendunt, vt par eſt, emendat. Comes proprie is dicitur, qui iter cum aliquo facit, aut ſimul cum aliquo proficiſcitur: atque hinc quisquis rerum cum aliis fit par-

q) Vid. GVIDONIS PANCIROLI theſaur. variar. lect. l. 1. c. 1. init. c. 3. toto, c. 4. de aliis epithetis, quibus illuſtres appellantur. *r*) PANCIROLVS theſaur. variar. lect. l. 1. c. 6. *s*) Ibid. c. 7. *t*) Loc. cit. c. 8. *v*) De ſtatu reip. Rom. ſub Conſtantino M. et eius filiis. *x*) Commentario ad notitiam vtriusque imperii.

Digitized by Google

fit particeps. Communi ergo nomine comites vocantur omnes, qui proconſules aut praetores, conſilii, vel operae et officii cuiusque praeſtandi gratia in prouincias ſequuntur. Tandem et comitum nomine veniebant, qui apud imperatorem *y*) dignitate aliqua, vel militari, vel togata, erant conſpicui, quique prouinciis dabantur rectores. Sic comes palatii, comes conſiſtorii, comes ſtabuli, comes ſacrarum largitionum, comes Africae, comes Illyrici paſſim in vtroque codice, notitia vtriusque imperii, apud Symmachum, et alios huius aeui ſcriptores memorantur. Titulos atque honores Conſtantinus M. imperator cumulauit, qui, teſte EVSEBIO, *z*) aliis ſtipem, aliis poſſeſſionem, aliis faſces conſulares, patriciumque honorem erogabat. Hi tribuni, alii primo comites, ſecundo nonnunquam, vel etiam tertio ordine; plerique gradibus honorificentiſſimis. Quo enim plures ornaret, genera permulta inuenit. Tunc factus eſt honoris titulus comitiua, quae dignitas eſt comitis. Hinc titulus codicis Iuſtinianei *a*) *de profeſſoribus, qui in vrbe Conſtantinopolitana docentes, ex lege meruerunt comitiuam.* Hos enim Theod. et Valent. imperatores, qui de literis optime ſunt meriti, honorari, et his, qui ſunt ex vicaria dignitate, connumerari iuſſerunt. Alibi *b*) iidem imperatores, *per ſingulas prouincias, vel ciuitates, honoratis vsque ad comitiuam conſiſtorianam -- mandari diſcuſſionis iugerum ſolicitudinem* decreuerunt. Arcad. et Honor. imperatores: *c*) *curiales, qui honorariam adepti ſunt comitiuam dignitatem,*

y) Οἱ περὶ τὸν βασιλέα. ZOSIMUS 5. 25. *z*) De vita Conſtantini lib. 4. init. *a*) Lib. 12. tit. 15. Vid. etiam L. 6. C. de principibus agentium in rebus. *b*) L. 3 C. de diſcuſſoribus, *c*) L. 47. C. de decurionibus.

tem, formidare debent eos, quorum moderationi sunt commissi. 4. Prouinciarum rectores, siue consulares, siue Correctores Magistratuum ordinariorum ministri et officiales tum apparitores dicebantur: qui et scholam, et principem habebant, quem apparitionis principem appellatum fuisse legimus. Magistratus militares, qui et castrenses appellantur, alii peditum, alii equitum erant Magistri. Vtrique et armorum, et militum magistri audiunt. Officium erat illorum, quod veterum praetorio praefectorum olim fuerat. Copias vel peditum, vel equitum tuebantur, sibique concreditam militaris disciplinae custodiam habebant, et ius gladii in milites, quos etiam ordinabant. His potissimum committebantur exercitus. Hi magnarum expeditionum duces eligebantur. Suos etiam pari modo, vt ciuiles magistratus, apparitores habebant, suosque, si desiderabant, domesticos protectores. Milites alii in exercitu erant: in praesidiis alii limitibusque excubabant: alii in principum comitatu versabantur. Ex his alii domestici protectores, *d*) corporisue custodes erant: alii legiones comitatenses constituebant. Hi numeros, illi scholam habebant, comitem, tribunum, ac primicerium, siue primum. Maxima domesticorum comitiua potestas, quae magistrorum dignitati proxima. Et domesticorum quidem protectorum pars equites, pars pedites erant: *domestici protectores* nominati, quod principalem domum sequerentur. HIERONYMVS: *e*) *Caius* Caligula *a protectoribus suis occiditur.* In Antonino Caracallo AELIVS SPARTIANVS: *f*) *per Thracias cum praefecto praetorii iter fecit: inde cum in Asiam traiiceret, naufragii periculum adiit, antemna fracta, ita vt in scapham cum protectori-*

d) Graecis σωματοφύλακες nominantur. *e*) Chron. Euseb. Confer. OROSIVS, l. 7. c. 5. *f*) Cap. 5.

Digitized by Google

tectoribus deſcenderet. Paulo poſt: *g) cum leuandae veſicae gratia ex equo deſcendiſſet, atque inter protectores ſuos, coniuratos caedis, ageret.* AMMIANVS *h)* meminit ſcholae protectorum. Palatini vocantur omnes, qui in principis palatio verſantur, praeter milites. Praecipuae vero dignitatis palatinae ſunt magiſter officiorum, comes ſacrarum largitionum, quaeſtor, comes rei priuatae, ſiue patrimonii principis, comes ſacri palatii, comes conſiſtorii, praepoſitus cubiculi. Magiſter officiorum omnibus palatii ordinibus praeerat, ſuamque habebat ſcholam, in qua qui militabant, agentes in rebus dicuntur: quorum alii comites, ſiue praefecti ſcholae; alii principes, ſeu inter agentes primi. Quaeſtor, qui ſanctiones condebat ex voluntate Principum, ſcholam non habebat, verum de ſcriniis *i)* ſibi adiutores ſumebat. Suae vero comitibus ſacrarum largitionum, et rei priuatae erant ſcholae, in quibus qui militabant, ſpecialiori nomine palatini vocabantur, largitionales, vel priuatiani, ut ſacrarum largitionum, vel rei priuatae comitibus apparebant. Et rationales, *k)* qui in ſingulis prouinciis erant, comiti rei priuatae parebant. Et appellari a rationali ad comitem rei priuatae ſolebat. Erant quoque ſub magiſtro officiorum notarii, qui notis acta conſiſtoriana excipiebant: vnde haud raro etiam exceptores dicuntur. Alia Imperatorum

g) Ibid. c. 7. *h)* Lib. 14. c. 22. *i)* *Scrinia* fuerunt quatuor, vnum epiſtolarum, alterum memoriae, tertium libellorum, quartum diſpoſitionum: et praeter magiſtros ſingulorum ſcriniorum, omnia ſcrinia ſimul vnum habebant magiſtrum, qui *magiſter ſcriniorum* dicebatur: quem hodie vulgo *cancellarium* vocamus. vid. EVTROPIVS l. 8. c. 14. SPARTIANVS Aelio Vero c. 4. LAMPRIDIVS Alexandr. Seuer. c. 31. *k)* *Rationales* vocantur procuratores principum, qui praefecti ſunt rationibus fiſci, EVTROPIVS l. 9. c. 9.

conſtitutiones et legum libri ſuppeditant abunde. Municipalium dignitatum et ordinum haec diſtinctio obtinebat, vt alii curiales, alii ſacerdotales, alii principales, alii defenſores eſſent. Curiales etiam Decuriones appellantur, et in munia diuiduntur varia, quae gradatim ſubire ſolebant. Erant quidam praepoſiti horreorum, praepoſiti pacis, ſuſceptores diuerſarum ſpecierum, exactores annonarum etc. Ex his cum eſſent alii inferiores, alii ſuperiores, ordinibus decurſis inferioribus, fiebant vel ſacerdotales, vel principales. Principales ſunt primarii, ex reuerendi ordinis duces ab AMMIANO vocantur. *l*) Ex his erant, qui patronorum dignitatem adipiſci ſolebant. Erant etiam aediles, qui non vnius loci, ſed omnium municipiorum et ciuitatum principalem gradum ſuſtinebant. Aediles appellantur, quod aedium publicarum et priuatarum curam habebant; vt ſacerdotales, qui ſacrarum. Erant porro a numero dicti Duumuiri, qui magiſtratus, ex ordine Decurionum lectus, inter principales numerabatur. Defenſores comperta referebant, quae relata Duumuiri iudicabant: vtrique ſyndicorum poterant ſubire munera, et iniungere procuratoribus negotium. *m*)

§. V.

Temporis longa aberratione, et hominum vel inſcitia, vel innouandi pruritu, in Latinam linguam inuecta ſunt multa, quae cum eius vero genio et priſtina caſtitate nullo modo conuenire poſſunt. Theologi, Iuriſconſulti, Medici, Philoſophi, ſua quique diſciplina, pro rerum, quas ſibi finxerunt, nouitate, ac dicendi licentia, nominum

l) Hiſt. l. 14. *m*) Pl. confer. CHIFFLETIVS de ſtatu reip. Rom. ſub Conſtantino M. et eius filiis. PANCIROLVS comment. ad notitiam dignitatum vtriusque imperii. GVTHERIVS de officiis domus Auguſtae. RVLENGERVS de imperatore et imperio.

Digitized by Google

num et dictionum non veriti sunt, velut quaedam necessaria senectutis vitia, proponere aliisque obtrudere monstra: quae sensim sine sensu passim in linguam irrepserunt, eiusque insignem deformitatem prodiderunt. Quae Hebraeis Graecisue propria in linguam Latinam torquere, phrasin reddere absonam, dictionibus ante nunquam auditis imponere necessitatem, rerum Latio ignotarum stabilire insolentiam, et pleraque obfuscare non dubitarunt. Testis est vetus codicis sacri versio Latina, quam circa haec tempora fabricatam opinantur. Ea certe barbariem videntur prae se ferre insignem, et cum vocibus, a quibus aures Latinae abhorrent, solocciſmos continet bene multos. Vt singulari dissertatione Marburgensis olim eloquentiae Professor, MAXIMILIANVS PERCELLI, barbariem vulgatae versionis ostendit. *n*) Et suo tempore D. AVGVSTINVS, *o*) illud, scripsit, auferre non possumus de ore cantantium populorum, *super ipsum autem floriet sanctificatio mea.* Quod quidem sententiae nihil detrahit: auditor tamen peritior mallet hoc corrigi, vt non *floriet*, sed *florebit*, diceretur. Nec quicquam impedit correctionem, nisi consuetudo cantantium. D. HIERONYMVS *p*) in Ruffino reprehendit, quod *comparatum codicem* pro *emto* posuerit, cum comparatio aequalium sit, emtio pretii annumeratio; et *refestinare* dixerit pro *remeare*; aliasque vsurparit sordidissimae elocutionis περισσολογίας. Ipse tamen omnibus operum, sane ampliſſimorum, paginis dictionibus videtur luxuriare, quae non multo meliores sunt istis Ruffinianis, et quas frustra in melioribus veteris Latii monumentis quaeras: vtut, quod ipse arroganter referre non erubuit, a Ruffino eloquentissimus habe-

n) Quae prodiit Marburgi 1679. 12. *o*) De doctrina Christiana l. 2. c. 13. *p*) Apolog. l. 3. aduersus Ruffinum.

retur. Nam, quod ſupra in eius vita narrauimus, *q*) Hieronymus ad ſummi iudicis tribunal in ſomniis raptus, et, quod Ciceronianus eſſet, virgis miſerandum in modum caeſus, quarum et vigilans deprehendit vibices; ne vehementius poſthac caſtigetur, rudiori Minerua, et ſtilo minime Ciceroniano, diuinorum eloquiorum veritatem deſcribere coepit. Et reliqui omnes eccleſiae patres ſermonis vbique ſcatent omnibus vitiis. De Latinitate Iuriſconſultorum veterum opuſcula varia *r*) iunctim edidit, et animaduerſionibus ornauit Clariſſimus Vir, atque de Vltraiectina Academia egregie meritus, D. CAROLVS ANDREAS DVKERVS, qui omnino conſulendus eſt. *s*) Vocabula, quae in arte ſalutari notanda veniunt, lexicon dabit Coelianum, quod THEODOR. IANS. AB ALMELOVEEN nitidiſſimae editioni Coelii Aureliani *t*) cum indicibus locupletiſſimis adiunxit. Philoſophica Apuleius, Firmicus Maternus, Gellius, Macrobius, alii oſtendunt. Et notatu maxime digna, praeter Voſſium, Borrichios, Guntherum ceterosque, CHRISTOPHORVS CELLARIVS de Latinitate mediae et infimae aetatis libello, ſiue antibarbaro, et curis poſterioribus de barbariſmis et idiotiſmis ſermonis Latini, proſecutus eſt. Ex infinitis nos quaedam, ſaltem ad vegetam hanc Latinae linguae ſenectutem demonſtrandam, examinabimus.

§. VI.

Graeca ſubſtituebant Latinis. Angariare, ἀγγαρεύειν, cogere,

q) Ex HIERON. epiſt. 22. *r*) LAVR. VALLAE ex elegantiarum libro ſexto c. 36. - - 64. Eum accuſantis ANDR. ALCIATI, et defendentis FRANCISCI FRORIDI SABINI, anonymi defenſoris veterum ICtorum adu. Laur. Vallae reprehenſiones, et aliorum. *s*) Libellus prodiit Lugduni Batauorum 1711. 8. *t*) Quae prodiit Amſtelodami 1709. 4.

Digitized by Google

cogere, aut adigere, vel ad onus ferendum, vel ad iter faciundum, vel ad quoduis aliud miniſterium obeundum. Nam *angaris* id iuris erat, vt cuiusuis equos, naues, hominesue ipſos, ad curſum rapere poſſent. VLPIANVS: *v*) *et naues eorum angariari poſſe -- reſcriptum eſt.* PAVLINVS: *x*) *iumentum angariauit in vias duras.* HIERONYMVS *y*) ex Matthaei viceſimo ſeptimo capite vertit: *exeuntes inuenerunt hominem Cyrenaeum, nomine Simonem: hunc angariauerunt, vt tolleret crucem eius.* ἀγγαρία ſeruitus aut coactio eſt, cuius etiam Tullii aetate NIGIDIVS meminit. *z*) Inde ARCADIVS: *a*) *curſus vehicularis ſollicitudo, item angariarum praebitio, perſonale munus eſt.* Agon ἀγών, vox Graeca eſt, ſtudium contentionis ſignificans, quemadmodum CICERO *b*) vertit. *Nunc agon eſt* prouerbium Graecum de neceſſitate ingruente valet. *c*) Sed ex Latinis nemo hoc verbum de morientium angore vſurparunt, niſi eccleſiaſtici ſcriptores, ex quibus IVVENCVS *d*) Lazarum moriturum dixit *ſub agone iacere.* Inde verbum ἀγωνίζειν *certare*, terminatione Latina non dubitarunt proferre agonizare pro id, quod optimi L. L. auctores dixerunt, *animum agere.* *e*) ἀνατομή, vnde formandum potius anatome, quam anatomia, CELSO Latine *inciſio* dicitur, qui et in hoc negotio ſaepe verbo *incidere* vtitur. MACROBIVS: *f*) *libris anatomicorum poſtea conſultis, verum reperi &c.* Rurſus: *g*) *vt Plato veſter,*

v) L. 4. D. de veteranis. *x*) Epiſt. 37. n. ad Victricium. *y*) Oper. tom. 9. p. 67. *z*) Apud A. GELLIVM, l. 19. c. vlt. *a*) L. 18. §. 4. D. de muneribus et honoribus. Pl. confer. comment. de lectione auctorum claſſic. c. 6. §. 6. p. 72. ſeq. *b*) Ad Attic. l. 1. epiſt. 12. *c*) SVETONIVS Neron. c. 45. *d*) Ioh. 11. *e*) CICERO ad diuerſ. l. 8. epiſt. 13. *f*) Saturn. l. 7. c. 13. *g*) Lib. 7. c. 15.

ſter, dum nec anatomica, quae medicinae propria eſt, abſtinet, riſum ſe poſteris tradidit. AMMIANVS: *b) diſciſſarum pecudum extanimari cum anatomicis.* Iam tum ſuperiori aetate apud Aſconium *neoterice* aduerbium legimus. *i)* Hac vegeta Latinae linguae ſenectute neotericum, νεωτερικὸν, recentiorem dixerunt. AVREL. VICTOR: *k) vt quisquam neotericorum aſſeuerauit.* Graeca vocabula ſunt δεκάπρωτοι, decem primi, apud VLPIANVM, *l)* qui tributa exigunt. Hinc decaprotia decemprimatus. Σιτωνία et σιτοκομία rei frumentariae cura vocatur; et σιτώνης ſitona, qui coemendis frugibus praeeſt. ARCADIVS: *m) mixta munera decaprotiae et icoſaprotiae -- nam decaproti et icoſaproti tributa exigentes, et corporale miniſterium gerunt, et pro omnibus defunctorum fiſcalia detrimenta reſarciunt.* Idem: *n) cura emendi frumenti, olei (nam harum ſpecierum curatores, quos ſitonas et elaeonas appellant, creari moris eſt) inter perſonalia munera -- numerantur.* VLPIANVS: *o) ſextum decimum aetatis annum agentem ad munus ſitoniae vocari non oportet.* Annona Graecis eſt σιταρχία. Hinc viaticum, ſiue commeatum nauticum, ſitarciam vocant. HIERONYMVS: *p) ſatisque miror, Euſebi dilectiſſime, cur Romam ſubito nauigaturus hanc tibi a me quaſi ſitarciam q) dari volueris.* Alibi: *r) quibus aſcenſis, noua ſitarcia i. e. annona refocillati decima tandem die ad Romana per deſertum caſtra*

b) Lib. 28. c. 26. *i)* Vid. Comment. de imminenti L. L. ſenectute c. 11. §. 19. pag. 732. *k)* De origine gentis Romanae princip. *l)* L. 3. §. 10. D. de muneribus et honoribus. *m)* L. 18. §. 26. D. de muneribus et honoribus. *n)* L. c. §. 5. *o)* L. 2. init. D. de vacatione et excuſatione munerum. *p)* Prolog. in nouum teſtamentum. *q)* Perperam vulgo *ſiſtarciam* legunt. *r)* In vita Malchi exit.

Digitized by Google

caſtra venimus. Quod Diis deuotum atque dicatum, Graeci ἀνάθημα vocant. Hinc et ſacris ſcriptoribus huius aetatis ipſa eſt exſecratio, et maledictio, et hominis ab eccleſia excluſio. Nota apud AVGVSTINVM *s*) formula *anathematis ſententia ferire.* Et Graecorum ἀναθεματίζειν non ſolum vertunt, *anathematum vinculis innodare;* verum etiam ad eorum imitationem anathematizare dicunt. HIERONYMVS: *t*) *Iouinianum anathematizatum dolent.* Idem: *v*) *ſi haec quotidie non anathematizarem.* i. e. deteſtarer. AVGVSTINVS: *x*) *tota domus anathematizata eſt.* Atque hic etiam anathemare et deuotare dixit. *y*) A Graecorum βάπτω, *mergo* vel *tingo*, βαπτίζειν fecerunt baptizare, quo verbo PRISCIANVS *z*) vtitur, pro lauare. *Vulnus ex aceto baptizare.* Chriſtianis eo nihil frequentius, qui hoc lauationis ritu ſolemni et ſacro nomen ſeruatori dare ſolent. TERTVLLIANVS: *a*) *quid facient, qui pro mortuis baptizantur?* CYPRIANVS: *b*) *ſtatuentes vnum baptiſma eſſe, quod ſit in eccleſia catholica conſtitutum: ac per hoc non rebaptizari, ſed baptizari a nobis.* Hinc etiam, vt vidimus, baptiſma, *c*) baptizatio, *d*) baptizator, qui baptizandi munere fungitur, *e*) id genus alia vocabula deriuantur. Βλασφημία Graecis conuicium eſt, aut vituperatio. Hinc ſatis vulgatum verbum blaſphemare. TERTVLLIANVS: *f*) *nomen domini blaſphe-*

s) Epiſt. 75. poſt princ. *t*) Epiſt. 50. quae eſt apologia ad Pammachium, c. 4. *v*) Epiſt. 75. *x*) Epiſt. 75. *y*) Apud LINDENBROGIVM gloſſar. p. 1353. *z*) Lib. 1. c. 11. *a*) Aduerſ. Marc. l. 5. c. 10. *b*) Epiſt. 73. n. 1. *c*) Loc. cit. *d*) AMBROSIVS ſerm. 17. de tempore. *e*) AVGVSTINVS epiſt. 23. et 165. TERTVLLIANVS adu. Iudaeos c. 8. de baptiſmo c. 12. de anima c. 50. *f*) Contra Iudaeos c. 13.

Digitized by Google

phemant. Idem: g) *carnis eſt et os ad proferendum optimum quemque ſermonem, et lingua ad non blaſphemandum.* HIERONYMVS: *h*) *diabolus nunquam plus, quam per os tuum, deprehenditur blaſphemaſſe.* Sic quoque blaſphemans, *i*) blaſphemus, *k*) blaſphematio, *l*) et blaſphemabilis. *m*) Quae olim dicebatur alienae perſonae ſimulatio, et concinna cum vocis moderatio, tum rebus accommodata geſtium repraeſentatio, quam Demoſthenes profitebatur, vtramque in oratoria facere paginam, hypocriſis, ὑπόκρισις, iam vocata eſt fucata pietas; et hypocrita, qui pietatem ſimulat. Vnde HIERONYMVS: *n*) *hypocriſeos maculam non habere, aut paucorum eſt, aut nullorum.* Idololatria, et idololatra, vocabula apud ſacros huius aeui ſcriptores vbique ſunt obuia, vt ipſum idolum, quod adorare dicuntur. Camelaſia καμηλάσια dicitur camelorum curatio et praefectura, vel etiam pecunia, quae pro camelis alendis datur; Camelarius autem, qui camelis praeeſt, eosque paſcit. HERMOGENIANVS *o*) καμηλασιαν, camelorum agitationem exhibitionemque inter perſonalia ciuilia numerat munera. Et ARCADIVS: *p*) *camelaſia quoque ſimiliter perſonale munus eſt: nam ratione habita et alimentorum et camelorum, certa pecunia camelariis dari debet: vt ſolo corporis miniſterio obligentur.* AMMIANVS *q*) camelaſium vocat: vbi, factum,

g) De reſurrect. carnis c. 45. *h*) Epiſt. 75. ad Vigilantium, extr. *i*) OROSIVS l. 7. c. 5. HIERONYMVS in Eſai. c. 37. *k*) HIERON. epiſt. 9. TERTVLLIANVS de reſurrect. c. 26. PRVDENTIVS periſteph. hymno 1. v. 75. *l*) TERTVL. de cultu fem. c. 12. pr. *m*) TERTVL. ibid. *n*) Aduerſ. Pelag. l. 2. c. 5. *o*) L. 1. §. 2. D. de muneribus et honoribus. *p*) L. 18. §. 11. d. t. Multa alia ex Graeco ſermone in Latinum a ICtis translata vide apud DVKERVM de Latinit. ICtor. veter. p. 404. *q*) Lib. 17. c. 3.

Digitized by

factum, memoriae prodidit, *vt praeter ſolita nemo Gallis quidquam exprimere conaretur camelaſii nomine iniquc.* Ab ἔλεος, miſericordia, vel miſeratio, eſt ἐλεημοσύνη, quam vocem ſcriptores ſacri fecerunt ſuam, vt munus, quod inopi datur, ſignificarent. TERTVLLIANVS: *r*) *neſcio, an facile vel ex animo ipſe rei ſuae manum inferre poſſet in cauſſa eleemoſynae.* HIERONYMVS: *s*) *ſunt, qui pauperibus paulum tribuunt, vt amplius accipiant, et ſub praetextu eleemoſynae quaerunt diuitias, quae magis venatio appellanda eſt, quam eleemoſynae genus.* Idem: *t*) *poſt annos plures, eleemoſynam facturus, veni Hieroſolymam. - - - Apoſtolus faciendam quidem docet ad omnes eleemoſynam, ſed maxime ad domeſticos fidei. - - - in vulgi pauperibus ſuſtentandis nequaquam intellectu, ſed eleemoſyna opus eſt.* Sic paſſim alibi. Eremus, ἔρημος, magis placuit, quam ſolitudo, aut deſertum. HIERONYMVS de laudibus et vtilitate eremi: *v*) *infinita eremi vaſtitas terret. - - - o eremus familiarius Deo gaudens - - - nudos amat eremus - - - pergis ad eremum.* Alibi: *x*) *quanto amore et ſtudio contenderim, vt pariter in eremo moraremur, conſcium mutuae charitatis pectus agnoſcit.* Hinc eremita, qui vitam ſolitariam eligit: de cuius origine HIERONYMVS epiſtola quinquageſima *y*) agit ſimul atque vitam Pauli eremitae deſcribit. Idem, *z*) *quam quidem*, inquit, *ſpeciem conuerſationis boni eremitae et monachi, qui voto monaſticae diſciplinae obligati ſunt, imitari*

r) De patientia c. 7. *s*) Epiſt. 2. ad Nepotianum, oper. tom. 1. p. 10. E. *t*) Epiſt. 60. aduerſus Vigilantium, oper. tom. 2. p. 86. F. ſeq. *v*) Regula monachorum oper. tom. 4. p. 186. C. *x*) Epiſt. 1. ad Heliodorum de laude vitae ſolitariae init. oper. tom. 1. p. 1. Vid. etiam TERTVLLIANVS de idolol. c. 5. adu. Iudaeos c. 2. *y*) Oper. tom. 1. p. 154. *z*) Comment. in Ieremiae lament. c. 3. oper. tom. 5. p. 305. B.

tari contendunt. Ethnicus, ἐθνικὸς, dicebatur, qui vanum deorum ſequebatur cultum; *a*) atque hinc ethnicismus ipſa vetus ſuperſtitioſa religio, *b*) ethnicalis, *c*) et ethnice. *d*) Locus damnatorum vocatur gehenna, γέεννα, vallis praedationis, cui nomen a valle hinnon factum eſt, vbi Manaſſes filios cremauit. Triſtis hinc impiorum locus, poenis et cruciatibus poſt mortem ſuſtinendis deſtinatus. De Chriſto PRVDENTIVS: *e*) *Inſignis ille et praeminens Meritis rependet congrua; His lucis vſum perpetis, Illis gehennam et tartarum.* SEDVLIVS: *f*)

In chaos infernae lapſus penetrale gehennae.

Idem: *g*)

Ille profunda petens penetrauit clauſtra gehennae.

Martyr, μάρτυς, Graecis proprie teſtis eſt: at noſtris ſcriptoribus ſacris dicitur is eſſe, qui veritatis confeſſionem ſanguine ſuo confirmauit. In honorem martyrum PRVDENTIVS hymnos ſcripſit, quorum librum *periſtephanon* inſcripſit. Et horum pleni ſunt omnes TERTVLLIANI, ARNOBII, HIERONYMI, AVGVSTINI, eccleſiae patrum aliorum libri. Sic quoque martyrium, μαρτύριον, quod teſtimonium proprie, ſanctorum ſignificat ſupplicium, quod pro confeſſione veritatis ſuſceperunt. HIERONYMVS: *h*) *mater tua longo martyrio coronata eſt. Non ſolum enim effuſio ſanguinis in confeſſione reputatur: ſed deuotae quoque mentis ſeruitus immaculata quotidianum martyrium eſt.* Commartyr, vox hybrida, apud TERTVLLIANVM, *i*) is dicitur, qui cum alio eiusdem confeſſionis

a) Vid. HIERONYMVS epiſt. 33. et commentar. in Epheſ. 5. 20. *b*) PRVDENTIVS Laurentii paſſione v. 498. *c*) TERTVLLIANVS de ſpectac. c. 5. pr. *d*) Idem de pudicit. c. 9. *e*) De natali Domini v. 109. *f*) Carm. l. 4. Luc. 8. *g*) Lib. 5. Matth. 27. *h*) Epiſt. 27. c. 13. ſiue Paulae epitaph. *i*) De anima c. 55.

Digitized by

nis poenam ſuſtinet, aut eiusdem cum aliis gloriae fit particeps. Πρωτομάρτυρ Stephanus vulgo dicitur, qui primus omnium noui foederis, propter Chriſtianam veritatem, capitis periculum ſubiit. Orthodoxus, ὀρθόδοξος, is dicitur, qui rectam de religione ſententiam fouet. HIERONYMVS: *k*) *commentaria cum legerem, a noſtris, id eſt, orthodoxis viris olim ac nuper ſcripta.* Vates, et qui aliquid praedicit, a προφημι, dictus eſt propheta, προφήτης, vnde vocem detortam vſurparunt prophetare. *l*) Et frequentiſſima deriuata ſunt alia, prophetia, *m*) diuinatio, prophetiſſa, *n*) prophetialis, *o*) prophetalis, *p*) propheticus, *q*) prophetice, *r*) pſeudoprophera, *s*) et huius furfuris alia. Scandalum, σκάνδαλον, vox etiam Graecae originis huius aeui ſcriptoribus ſaepe vſu valet. TERTVLLIANVS: *t*) *ſcandalum non bonae rei, ſed malae exemplum.* PRVDENTIVS: *v*) *non cauenti ſcandalum.* Hinc σκανδαλίζειν, ſcandalizare, TERTVLLIANVS: *x*) *bonae res neminem ſcandalizant, niſi malam mentem.* Idem: *y*) *Iſrael pro ſua incredulitate diffidens ſcandalizabatur.* HIERONYMVS: *z*) *nonne ſcandalizatur frater, ſi te viderit in idolio recumbentem?* Abyſſus, ἄβυσσος, aquae vorago

k) Epiſt. 144. ad Damaſum. *l*) TERTVLLIANVS de reſurrect. carnis c. 28. HIERONYMVS epiſt. 103. c. 7. PRVDENTIVS periſteph. 13. 101. *m*) TERTVLL. de anima c. 35. adu. Marc. 1, 10. *n*) Idem de praeſcript. c. 51. *o*) Idem adu. Valent. c. 28. *p*) HIERON. epiſt. 7. ad Laetam. *q*) TERTVLL. exhort. caſtit. c. 10. de coron. milit. c. 7. *r*) Idem de monach. c. 4. AVGVSTINVS de ciuit. Dei l. 18. extr. et c. 44. *s*) TERTVLL. de reſurrect. carn. c. 24. de anima c. 2. *t*) De virgin. veland. c. 3. Vid. etiam adu. Iudaeos c. 14. aduerſ. Marc. 3. 1. ad martyr. c. 2. *v*) Apotheoſ. praefat. *x*) De virgin. veland. c. 3. *y*) De reſurrect. carn. c. 30. Vid. etiam de idololatr. c. 7. de corona milit. c. 14. *z*) Epiſt. 22.

Digitized by Google

eſt immenſae profunditatis, ſiue, vt ISIDORVS *a*) habet, profunditas aquarum impenetrabilis. Vox eſt ſcriptoribus huius aeui ſacris fere propria, quae ad ſedem inferorum etiam ab illis transfertur. PRVDENTIVS, *b*) de anima vitiis polluta, *merſandam*, inquit, *penitus puteo feruentis abyſſi*. Idem: *c*) *abde caput triſti iam frigida peſtis abyſſo*. Anaſtaſis, ἀνάστασις, eſt reſurrectio. LACTANTIVS: *d*) *de anaſtaſi philoſophi quoque dicere aliquid conati ſunt*. Et mox: *non modo prophetae, ſed etiam vates et poetae, et philoſophi anaſtaſin mortuorum futuram eſſe conſentiunt*. Apoſtaſia, ἀποστασία, eſt verae religionis deſertio. SALVIANVS: *e*) *in ſpectaculis quaedam apoſtaſia fidei eſt*. Hinc apoſtata, ἀποστάτης, religionis deſertor, qualis Iulianus imperator, et apud TERTVLLIANVM *f*) apoſtata Marcion. SEDVLIVS de Iuda proditore: *g*) *Tunc vir apoſtolicus, nunc vilis apoſtata factus*. Apoſtaticus, qui eius perfidiae reus, aut facile ad ſcelus iſtud prolabitur. SEDVLIVS: *h*) *Formidine rurſus Plebis apoſtaticae, dominum quae caeca negaſſet*. CYPRIANVS *i*) quoque hinc verbum apoſtatare formauit. Protoplaſtus, πρωτόπλαστος, primo creatus. TERTVLLIANVS: *k*) *tunc iſtos protoplaſtos ad voluntatem delicti ſubegit*. Hybrida voce PRVDENTIVS *l*) primoplaſtos vocat, ſi codicum vera eſt lectio. Maſticare, ex Graeco μασάζειν, eſt dentibus terere, manducare. MACER: *m*) *Maſticet hoc patiens teneat-*

a) Orig. l. 13. c. 20. *b*) Hamartig. v. 833. *c*) Pſychomach. v. 91. *d*) Diuin. inſtit. l. 7. c. 23. *e*) De gubernat. Dei l. 6. *f*) Adu. Marc. §. 11. *g*) Lib. §. *h*) Ioh. c. 20. 1. Vid. etiam TERTVLL. adu. Marc. 4. §. AVGVSTINVS enchirid. c. 99. *i*) Epiſt. §4. c. 3. *k*) Exhortat. caſtit. c. 2. *l*) Cathem. 9. v. 17. Confer. CELLARIVS cur. poſt. de barbariſmis et idiotiſmis ſermonis Latini p. 291. *m*) De virib. herbar. carm. §.

Digitized by Google

neatque diutius ore. Idem: *n*) *Illud ſi patiens ieiuno maſticet ore.* Et commaſticare apud eundem: *o*) *Aegilopas curat, ſi quis commaſticet illam.* Plaſma, a πλάτ∫ω, fingo, formo, eſt figmentum, quo nomine inprimis delectantur ſcriptores Chriſtiani, pro corpore creato, ſeu creatura vſurpantes. PRVDENTIVS: *p*) *Quid tibi, profane ſerpens, profuit rebus nouis Plaſma primum perculiſſe?* Idem: *q*) *emancipator ſeruientis plaſmatis.* Hinc plaſmare pro fingere, aut creare. HIERONYMVS: *r*) *antequam Adam plaſmaretur de terra.* TERTVLLIANVS: *s*) *illi oculos Deus plaſmauit.* Idem: *t*) *terra, ex qua homo primum plaſmatus eſt.* Qui et Deum hominis plaſmatorem vocat. *v*) Ἀπὸ τῦ ἐλλογίω, veteribus Latinis vſitato *elogio*, pro eloqui, pronunciare, dicere, etiam hac aetate elogiare valet. Apud CAELIVM AVRELIANVM *x*) *ſigna elogiauimus.* Alibi *y*) *nomina ſpecialiter elogiata.* Eremitarum ſupra memini. Eiusdem generis ſunt monachi, μοναχοὶ, ſolitarii: de quibus RVTILIVS NVMATIANVS: *z*)

Ipſi ſe monachos Graio cognomine dicunt:
Quod ſoli nullo viuere teſte volunt.

3. HIERONYMVS: *a*) *ſin autem cupis eſſe, quod diceris, monachus, i. e. ſolus: quid facis in vrbibus, quae vtique non ſunt ſolorum habitacula, ſed multorum.* Principio enim monachi, vt eremitae, non in vrbibus habitarunt; ſed in locis deſertis: vt nulla prorſus hominum conſuetudine vterentur. Tandem vero temporis progreſſu in vrbes commigrarunt. Generaliori nomine omnes clerici,

κλη-

n) Carm. 71. *o*) Carm. 2. 15. *p*) Hymno omnis horae v. 91. *q*) Cathemer. 7. v. 184. *r*) Epiſt. 61. ad Pammachium c. 5. *s*) De ſpectac. c. 23. *t*) Adu. Iudaeos c. 13. *v*) Ibid. c. 2. pr. *x*) Lib. 5. c. 4. *y*) Lib. 2. c. 1. *z*) Itinerarii l. 1. v. 441. *a*) De inſtitut. monachi ad Paulin.

κληρικοὶ, vocantur, qui vulgo τοῖς λαικοῖς opponi ſolent; et ad ſacrum ordinem pertinent. Rationem vocabuli HIERONYMVS tradidit: *b*) *Clericus, qui Chriſti ſeruit eccleſiae, interpretatur primo vocabulum ſuum etc. Si enim* κλῆρος *Graece, ſors Latine appellatur, propterea vocantur clerici, vel quia de ſorte domini ſunt, vel quia ipſe Dominus ſors, i. e. pars clericorum eſt.* Atqui κλῆρος etiam vermiculus eſt, araneo ſimilis, qui parit in apum alueis, et fauis plurimum nocet. *c*) ἀπὸ τῦ λαῦ laicus, λαικὸς dicitur, qui profanus et ſacris initiatus non eſt. TERTVLLIANVS: *d*) *nonne et laici ſacerdotes ſumus?* κλίνη lectus eſt: hinc clinici dicebantur, qui ob morbum lecto decumbentes aqua ſacra aſpergebantur, non tingebantur: voce a medicis mutuata, ludibrii cauſſa. Sacri muneris et eccleſiaſticae dignitatis nomina pleraque ſunt Graeca. Patriarchae, qui Graecis πατριάρχης, et princeps eſt patrum, nomen ad praeſides eccleſiae translatum diu poſt Hadriani tempora obtinuit: ac certis tandem epiſcopis, Conſtantinopolitano videlicet, Alexandrino, Antiocheno, Hieroſolymitano, et in occidente Aquileienſi, datum fuit. Archiepiſcopi, ἀρχιεπίσκοποι, nomen iam inde a quarto ſeculo receptum apud orientales; licet quinto ſeculo tandem ad occidentales prouincias tranſierit: pauciſſimi tamen, ſi MABILLONIO *e*) credimus, ante ſeculum nonum iſtud ſibi dignitatis nomen tribuerunt. Epiſcopi vero etiam a primis eccleſiae ſeculis appellati ſunt, qui rebus ſacris praepoſiti, et hodie plerisque in locis nomine Latino vocantur *ſuperintendentes*. Et ita ſane Graecum AVGVSTINVS *f*) conuertit. HIERONYMVS, *g*) *non*,

b) Epiſt. 2. ad Nepotianum. *c*) Vid. PLINIVS hiſtor. natur. l. 11. c. 19. *d*) Exhortat. caſtit. c. 7. *e*) De re diplomatica l. 2. c. 2. §. 13. p. 65. *f*) De ciuitate Dei l. 19. c. 19. *g*) Epiſt. 1.

Digitized by Google

non, inquit, *omnes epiſcopi epiſcopi ſunt. Attendis Petrum, ſedet Iudam conſidera.* Abbas, Syriaca lingua patrem ſignificat, et eſt, ſecundum eccleſiaſticos ſcriptores, praefectus et rector monachorum: vt abbatiſſa, quae ſacratis virginibus praeeſt. *h*) Decanus, ex militia, *i*) in coenobia tranſiit: vbi nouem ſemper hominibus praeerat decimus, qui decanus inde appellabatur. *k*) Presbyter, πρεσβύτερος, ſenior, qui diuina populum docebat myſteria, et ſacra adminiſtrabat, eandem vero cum epiſcopis non habebat poteſtatem. *l*) TERTVLLIANVS: *m*) *hodie presbyter, qui cras laicus.* Inde vox Germanorum Prieſter etiam orta videtur. Et hi gradu vel ordine erant diſtincti: HIERONYMVS *n*) enim archipresbyteri quoque mentionem fecit. Diaconus, Διάκονος, eccleſiae miniſter, qui pauperum et aegrotorum maxime habebat curam: atque etiam verbum diuinum interpretabatur. Et mulierculae, ſi quando ad miniſteria admiſſae, diaconiſſae appellabantur. *o*) Archidiaconus, qui princeps inter reliquos, *p*) qui gradu inferior, hypodiaconus, *q*) et pſeudodiaconus, qui miniſterium perperam ſimulabat. *r*) Cum ſapienter maiores adhuc Graecam linguam, velut omnibus

b) Vid. regula monachorum, quae eſt apud HIERONYMVM oper. tom. 9. *i*) Erant enim decani denis militibus praepoſiti, hodie die Corporalen. vid. VEGETIVS de re militari l. 2. c. 8. *k*) Vid. AVGVSTINVS de morib. cathol. eccleſ. c. 31. HIERONYMVS comment. in Eſaiam l. 2. c. 3. oper. tom. 5. p. m. 16. C. *l*) Vid. HIERON. l. c. PRVDENTIVS peri-ſteph. 4. 20. *m*) De praeſcript. haeret. c. 4. vid. etiam AMMIANVS l. 31. c. 33. *n*) Epiſt. 4. ad Ruſticum. *o*) Vid. Acta Apoſtol. c. 6. v. 1. *p*) HIERONYMVS epiſt. 85. ad Euagr. et epiſt. 61. ad Pammach. *q*) HIER. epiſt. 1. *r*) Idem epiſt. 79. ad Alipium et Auguſt.

omnibus doctis communem et quaſi vernaculam ad eruditionis Romanae perfectionem et ornamenta adhibuiſſent: eam magis miſcere coepit, neglecta ſermonis ſui caſtitate, et plures admittere Graeciſmos, ingraueſcens iam illa ac ſibimet ipſi moleſta ſenectus: vt ſeculum videretur eſſe Graeciſſans, quod laudi ac elegantiae ſibi duxit, promiſcue Graecis literis vti. Docent id, quotquot ſuperſunt, ICtorum libri, vel eorum fragmenta potius, Heluii Pertinacis, et Diuorum Fratrum reſcripta, aliorum monumenta, quae in oculos cuique paſſim facile incurrunt. Alexander Seuerus, etiam AELIO LAMPRIDIO teſte, *s)* Graecae magis, quam Latinae facundiae fuit: atque poſt actus publicos lectioni ſed Graecae operam maiorem dedit. M. Aurelius Antoninus ſuos ad ſemetipſum libros, Caeſares aliaque Iulianus ſcripſerunt Graece. Quod quidem ferendum magis, quam quod vacillans aetas Latio Graeca omnia permiſcere non dubitauit.

§. VII.

Quae rara, aut poetis tantum propria, prae illis, quae optimis ſcriptoribus probata, etiam in oratione ſoluta eligebant. Ex. gr. a *fulgeo fulgens*, non fulgidus, erat, ac venerandae ſufficiebat antiquitati. Vnus, quantum memini, LVCRETIVS, *t)* *fulgida*, ſcripſit, *cum cernere ſaepe nequimus.* Poſt hunc vix alius vſurpauit. Sed, hac aetate Latinitatis cadente, SOLINVS, *v)* *ad ſpeciem*, dixit, *fulgidi ſideris.* LAMPRIDIVS, *x)* *ſol fulgido ambitu coronatus.* ARNOBIVS, *y)* *fulgida claritas.* CICERO *z)* ſcripſit, *ſe vix audere dicere* medietates. Leges vero apud eum, *a)* *in ſingulis eſſe bina media* etc. Iam vero

s) Alexandro Seuero c. 27. & 30. *t)* Lib. 3. v. 364. *v)* Cap. 37. *x)* Alexand. c. 13. *y)* Aduerſ. gent. l. 2. *z)* De vniuerſit. c. 7. *a)* L. c.

Digitized by Google

vero id vocis quam lubentiſſime acceperunt. Apud APVLEIVM *b*) ſunt *medietates inter virtutes et vitia.* Apud EVTROPIVM *c*) *pax conceſſa, agro tamen ex medietate ſublato.* AMMIANVS: *d*) *lunae decreſcentis oſtendunt medietatem recta et rotunda regula diuidente.* Alibi: *e*) *petit hereditatis medietatem.* Rurſus: *f*) *medietate noctis emenſa.* MACROBIVS: *g*) *habet medietatem, et tertiam partem, et ſextam partem: et eſt medietas tria* etc. HIERONYMVS: *h*) *Zacchaeus diuiſit pauperibus medietatem ſubſtantiae ſuae.* Moleſtare pro moleſtia aliquem afficere, moleſtiam alicui creare, aut moleſtum eſſe, etiam ſuperiori aetate, quam imminentem ſenectutem nominamus, ſed raro, et plebeio forſan tantum ſermone, valuit. *i*) Sed vſitatius hoc aeuo eſſe coepit. MODESTINVS: *k*) *neminem moleſtari volo nomine debiti.* Quod fieri poteſt, poſſibile, adiectiuum FABIVS *l*) dixit eſſe durius, atque adeo veteres eo rarius vtebantur. Sed, hoc aeuo, iſta voce nihil frequentius. SEDVLIVS: *m*) *poſſibile eſt ius omne Deo.* LACTANTIVS: *n*) *nec verbo enarrare poſſibile eſt.* TERTVLLIANVS: *o*) *quae impoſſibilia apud homines, poſſibilia apud Deum ſunt.* MODESTINVS: *p*) *faciam autem, quoad poſſibile erit.* De phraſi, ex fratre nepos, ſententiam noſtram diximus in parte priori commentationis de virili aetate Latinae linguae. *q*) Nus-

b) De dogmate Platonis. Sic paſſim de mundo, et de Deo Socratis. *c*) Lib. 1. c. 16. extr. *d*) Lib. 22. c. 8. *e*) Lib. 28. c. 1. *f*) Lib. 22. c. 13. *g*) In ſomnium Scipionis l. 1. c. 6. *h*) Epiſt. 26. c. 5. *i*) Vid. comment. de imminenti Latinae linguae ſenectute c. 11. §. 18. p. 727. *k*) L. 20. init. D. de liberatione legata. *l*) Inſtit. orator. l. 3. c. 8. *m*) Lib. 4. in Matth. c. 19. *n*) De opificio Dei c. 1. *o*) De reſurrect. carnis. c. 57. *p*) L. 1. §. 1. D. de excuſationibus. *q*) Cap. 3. §. 40. pag. 261. ſeqq.

quam certe nisi apud Ouidium obuenit. Sed hac aetate HIERONYMVS: *r*) *Crispus et Constantinus, filius Constantini, et Licinius adolescens, Licinii Augusti filius, Constantini ex sorore nepos, Caesares appellantur.* Eundemque OROSIVS *s*) Constantini ex sorore nepotem vocat. Solus forsan MANILIVS *t*) aetate sua, i. e. Latinae linguae optima, scripsit: *angusta dies vernales fertur in horas:* reliquis omnibus non vernale, sed *vernum* tempus erat. SEDVLIVS: *v*) *si currere mustum vernali sub sole velis.* AVGVSTINVS: *x*) *propter vernalem quippe faciem terrae, quae ceteris temporibus pulchrior.* Vtplurimum huius aeui scriptores ad poetarum stilum inclinant, et modo voces illis proprias, modo locutiones translatas et metaphoricas praeter communem loquendi consuetudinem, immoderata illorum licentia vsurpare non verentur: quae facile cognosci et iudicari possunt, num ad melioris Latinae linguae vsum sint transferendae, an vitiis adscribendae iam ingraueſcentis senectutis.

§. VIII.

Et verba obsoleta in vsum quotidianum reuocarunt. Sic repedare, i. e. redire, aut reuerti, constat verbum antiquissimum esse, quod Lucilio NONIVS MARCELLVS, *y*) et Pacuuio FESTVS *z*) tribuit. Postea in obsoletis diu positum huius aeui scriptores in sermonem quotidianum reduxerunt. IVVENCVS, poeta Christianus, de Maria post visitationem domum reuertente: *a*)

Ad propriamque domum repedat iam certa futuri.

Idem: *b*) *Ad*

r) Chron. Euseb. anno Christi 319. *s*) Lib. 7. c. 28. *t*) Astron. l. 3. v. 258. *v*) 1. 74. *x*) De ciuitate Dei l. 7. c. 25. *y*) Cap. 2. n. 738. *z*) V. *repedare*. Confer. comment. de adolescentia L. L. c. 7. §. 15. pag. 285. *a*) De euang. hist. l. 1. Lucae c. 1. *b*) Ibid. Lucae c. 2.

Digitized by Google

Ad patriam laeti repedant, puerumque reportant.
Rurſus: *c*)

Tunc ad diſcipulos repedat etc.

AMMIANVS: *d*) *repedauit ad ſua.* Alibi: *e*) *ad ſigna repedauit ocyus miles.* Sublimare, in ſublime ferre, in altum euehere, verbum eſt antiquiſſimum, quod Ennio NONIVS, *f*) Catoni FESTVS *g*) tribuit. In obſoletis fuiſſe, vel inde patet, quod toto ſeculo Auguſteo, et poſt illud tempore longo verbum hoc nemo vſurpare voluit. Sed ex orco quaſi reuocarunt vegeta Latinae linguae ſenectute. APVLEIVS: *h*) *aquila enimuero quum ſe nubium tenus altiſſime ſublimauit.* MAMERTINVS: *i*) *quem ſublimat et illuſtrat conſulatus.* Poenitentia, quam optimi L. L. ſcriptores vocarunt, antiquiſſimis Poenitudo fuit. Qua voce PACVVIVS *k*) vtitur, poſtea in vſu eſſe deſiit. Sed hac vegeta Latinitatis ſenectute AVSONIVS *l*) *praedes vadesque poenitudinis reos* vocat. Idem PACVVIVS *m*) rhetoricare dixit, pro rhetorum more ornatius loqui, quod verbum poſtea, velut ineptum, nemo facile vſurpare voluit: ſed reuocarunt hoc tempore, et formam illi quidem, ex agente, quam vocant, deponentis dederunt. TERTVLLIANVS: *n*) *ita nos rhetoricari prouocant haeretici.* HIERONYMVS: *o*) *rhetoricaris, et dum mihi obiicis philoſophiam, ad oratorum caſtra tranſcendis.* Ex

c) Lib. 4. Math. c. 26. *d*) Lib. 17. c. 4. *e*) Lib. 24. c. 17. *f*) ENNIVS Medea: *ſol qua candentem in coelo ſublimat facem.* *g*) V. *ſublimauit.* *h*) In Floridis princip. *i*) Paneg. Iuliani c. 29. Pl. vid. SOLINVS c. 45. de Aegypto. LACTANTIVS epitom. c. 6. AMMIANVS l. 18. c. 1. MACROBIVS Saturn. l. 1. c. 24. PRVDENTIVS apoth. v. 913. *k*) Apud NONIVM c. 2. n. 769. *l*) In Sapient. Thal. v. 22. *m*) Apud NONIVM c. 7. n. 69. *n*) De reſurrect. carn. c. 5. *o*) Aduerſus Pelagianos l. 1. oper. tom. 2. p. m. 179. E.

obſoleto obaudire, vel euphoniae habita ratione, meliori aeuo dixerunt *obedire*. TERTVLLIANVS: *p*) *Adam non obaudiit*. Rurſus: *q*) *obaudiant parentibus filii*. APVLEIVS: *r*) *ſecreta, quibus obaudiunt manes*. Et hinc obaudientia pro *obedientia* apud TERTVLL. *s*) *voluntas Dei in obaudientiam venerat*. Idem: *t*) *exaudi eum, ne* inobaudieris *eum*. Rurſus: *v*) *qui et* inobaudientiam *illis exprobrare poteſt*. Elegans et probum eſt a *ſufficere* participium *ſufficiens*: non item placet inſufficiens. At TERTVLLIANVS: *x*) *niſi ſi inſufficiens fuit diuina virtus omnibus producendis*. Et apud eundem non modo vox recens facta eſt ſufficientia, *y*) verum etiam inſufficientia. *z*) *Secularis*, inquit, *concupiſcentia cauſſas habet, gloriam, cupiditatem, ambitionem, inſufficientiam*. Feſtiuiter Naeuii poetae valuit temporibus, *a*) aetas linguae magis polita ſequens *feſtiue* dixit. *b*) Obſoletum hoc aeuo reuocarunt. *c*) Ab antiquato *ranceo*, apud ARNOBIVM *d*) et aequales ranceſcere legitur, quod eſt putreſcere, aut ſitu obduci. Locutiones, apud Plautum quoque, rariſſimae ſunt poſtibi pro *poſtea*, interibi pro *interea*. A. GELLIVS: *e*) *conſul interibi, dum ea pugna fit, ſe in locos tutos atque editos ſubducit*. Alibi: *f*) *interibi cum aliquot ex his, qui cum Herode erant, erraticum hominem eſſe dicerent* etc. Vox rara et obſoleta prolubium apud Terentium eſt effuſa cupiditas: quam velut ex orco reuocarunt.

p) Adu. Marc. 2. 2. extr. *q*) Ibid. 5. 18. *r*) Aſin. aur. l. 3. *s*) Exhortat. caſt. c. 2. *t*) Adu. Marc. 3. 16. *v*) Ibid. 4. 17. *x*) Adu. Hermog. c. 15. *y*) Ad vxor. 1, 4. *z*) Loc. cit. *a*) Apud NONIVM c. 11. n. 10. *domus*, inquit, *parata feſtiuiter*. *b*) Vt apud CICERONEM de orat. l. 3. c. 24. eſt *belle et feſtiue dicere*. *c*) Vid. A. GELLIVS l. 1. c. 2. et 22. l. 18. c. 8. l. 9. c. 9. *d*) Aduerſus gentes l. 1. *e*) Noct. Attic. l. 3. c. 7. *f*) Lib. 9. c. 2.

Digitized by Google

runt. Ita GELLIVS: *g*) *prolubium audiendi ſubit.* ACCIVS, vetuſtiſſimus poeta, *h*) pigrare dixit, pro *morari*, aut *tardius agere*; et forma deponentis, vt loquuntur, verbi, pigrari LVCRETIVS, *i*) et ſemel, ſi recte memini, CICERO: *k*) vt merito inter antiquata referatur. At repigrare, pro *retardare*, poſtliminio quaſi reuocauit APVLEIVS, *l*) qui, *ipſo*, inquit, *lumine dirarum beſtiarum repigratur impetus.* Rurſus: *m*) *obſepto vtero et repigrato foetu.* Et huius furfuris eſt vſio, pro vſu, qua voce ALFENVS vtitur. *n*)

§. IX.

Voces durae et hibridae ſunt, quae ex diuerſis linguis compoſitae. Sic v. gr. vſurparunt non modo vocem probatam *vnoculus*, verum etiam monoculus, ex Graeca et Latina conflatam. IVL. FIRM. MATERNVS: *o*) *tertia pars arietis ſi in horoſcopo fuerit inuenta, erunt ſurdi, monoculi, ac ſtolido fatuitatis ſtupore confecti.* Idem: *p*) *inter cancri oculos quicunque horoſcopum habuerit, monoculus erit, aut omni oculorum lumine priuatus.* Compresbyter eiusdem collegii ſenior atque ſacerdos vocatur. *q*) Et huius furfuris eſt Commartyr, *r*) qui veritatis confeſſione eandem calamitatem expertus eſt.

§. X.

Nouas producebant vocum compoſitiones. Quem veteres *hiſtoricum*, huius aetatis ſcriptores hiſtoriographum nominare malebant. HIERONYMVS: *s*) *Hellanicus*

g) Lib. 16. c. 19. *h*) Apud NONIVM c. 2. n. 655. *i*) Lib. 1. v. 409. *k*) Ad Attic. l. 14. epiſt. 1. *l*) Aſino aur. l. 8. *m*) Ibid. l. 1. *n*) Vid. DVKERVS de Latinit. ICtor. veter. p. 360. *o*) Aſtron. l. 8. c. 19. p. m. 223. *p*) Lib. 8. c. 22. init. *q*) AVGVSTINVS epiſt. 228. DAMASVS Papa epiſt. 7. *r*) Apud TERTVLLIANVM de anima c. 55. *s*) Chron. Euſeb. olymp. 69.

cus hiſtoriographus, et Democritus philoſophus, clari habentur. OROSIVS: *t*) *qui ab omnibus hiſtoriographis vel omiſſi, vel ignorati ſunt:* AMBROSIVS *v*) *Ioſephi hiſtoriographi* meminit. Et CAPITOLINVS: *x*) *ea*, inquit, *debent in hiſtoria poni ab hiſtoriographis, quae aut fugienda ſint, aut ſequenda.* Ita quoque Pſalmographus Dauid a TERTVLLIANO *y*) et aliis vocatur. Antecantamentum APVLEIVS *z*) cantionem vocat, ſolemnioribus praemiſſam. Scabellum, quod pedibus ſubſternitur, ſuppedaneum vocant. Sic IVLIVS FIRMICVS *a*) et LACTANTIVS *b*) ex centeſimo nono pſalmo oraculum diuinum reddunt: *ſede a dexteris meis, quoadusque ponam inimicos tuos ſuppedaneum pedum tuorum.* TERTVLLIANVS *c*) mundipotentes *principatus* vocat. Et alibi *d*) *diabolum* munditenentem. Idem *e*) ſemiieiunium, non totum ieiunio peragendum diem. Huc referenda ſunt verba multa cum *facio* compoſita: iuſtificare, de quo ſupra, mortificare, ſaluificare, ſanctificare, viuificare, glorificare, et huius generis alia. *f*) Sic et vnum aduerbium *multus* compoſita vocabula prope infinita dedit: multibarbus, *g*) multiforabilis, *h*) multilaudus, qui multae laudis, *i*) multinodus et multinodis, multos habens nodos, *k*) multinominis, qui multa nomina habet, *l*) multinubentia, multis nubendi ratio, *m*) multiſcius, qui rerum multarum

t) Lib. 1. c. 1. *v*) Epiſt. 42. init. *x*) Gordiano iuniori cap. vlt. *y*) Carm. 3. aduerſ. Marc. v. 120. *z*) Aſino aureo l. 11. *a*) De error. profan. relig. *b*) Diuin. Inſtit. l. 4. c. 12. n. 17. *c*) De anima c. 23. *d*) Aduerſ. Valent. c. 22. *e*) Contra Pſych. c. 13. De ieiun. c. 13. *f*) Vid. CELLARIVS cur. poſter. de barbariſmis et idiotiſmis ſermonis Latini p. 287. ſeqq. *g*) APVLEI. in Florid. *h*) Idem aſin. aur. l. 10. ſub fin. *i*) AMMIAN. l. 21. c. 18. *k*) APVL. aſin. aur. l. 5. 8. et 10. *l*) Idem aſin. aur. l. 11. *m*) TERTVLL. contra Pſych. c. 1. de pudicitia c. 1.

Digitized by Google

rum gnarus, *n*) multimammia, multas mammas habens, dicitur Diana, apud Epheſios culta. *o*) Multiuira, multorum virorum mulier, *p*) multiuorantia, auiditas, *q*) alia. De primicerio, qui notariorum princeps, ſiue primus eſt, in eo libro quaedam notauimus, qui de ſcriptura veterum nuper in vulgus prodiit. Verba minus commoda cum particulis compoſitione, ad ſummum orationis dedecus, aliquando proferre non verebantur. Ita v. gr. *unire* diximus hoc tempore natum, quod veteribus copulare, aut coniungere. ARNOBIVS *r*) vero etiam *diſunire* pro ſoluere, aut rumpere coniuncta, dixit. *Diſuniuntur tenacium matrimoniorum nexus.* Huius furfuris eſt abbreuiare apud VEGETIVM, *s*) *quae per diuerſos auctores librosque diſperſa, imperator inuicte, mediocritatem meam abbreuiare iuſſiſti.* Verbum veteribus incognitum. CICERONI *t*) eſt διὰ σημείων ſcribere. QVINTILIANO *v*) *notando conſequi.* SVETONIO *x*) *notis velociſſime excipere.* Linguae tandem ſenectus *abbreuiare* finxit. Vnde *abbreuiator*, qui opus aliquod contrahit, aut in breuem ſummam colligit. OROSIVS *y*) Iuſtinum Pompeii *breuiatorem* vocat. Sunt qui vocabulum iſtud a *breue* deriuare velint, quod epiſtolam pontificiam denotat, quia breuiori ſtilo formatur. Hinc forſan etiam Germanorum Brief. Sed notiſſima a ficto vocabulo *abbreuiatio*

n) APVL. aſin. aur. l. 9. *o*) HIERONYM prooem epiſt. Pauli ad Epheſ. confer. MINVCIVS FELIX Octau. c. 21. *p*) MINVCIVS FELIX in Octauio p. 226. edit. Ouzel. *q*) TERTVL. contra Pſych. c. 1. *r*) Aduerſ. gentes l. 3. *s*) Lib. 3. prolog. *t*) Ad Attic. l. 13. ep. 32. *v*) Orator. inſtit. prooem. *x*) Tito c. 3. *y*) Lib. 1. c. 8.

Digitized by Google

uiatio ſcripturae compendium; *abbreuiate* verbis breuibus; *abbreuiatura* notae, vel ſcripturae compendium. Exambire eſt per ambitum conſequi. SYMMACHVS: *z*) *absque aduentus veſtri petitione, quem frequenter exambio.* Alibi: *a*) *ſuffragium tui fauoris exambiam.* Rurſum: *b*) *exambirem ſuper his nimio precatu gratiam tuam.* Quae vocabula ſimplicia et affirmantia placebant, priuante particula *in* appoſita in ſenſum contrarium detorquebant. Ex. gr. *verecundia* inter elegantiſſima dicebatur, *inuerecundus* quoque: hinc analogia facili inuerecundia veniebat pro impudentia. TERTVLLIANVS: *c*) *libidinum impiarum inuerecundia procurent.* Idem: *d*) *praeſumtio inuerecundiae portio eſt.* ARNOBIVS: *e*) *cuius eſt pudoris, quin imo inuerecundiae cuius, quod agere te videas, in eo alterum reprehendere?* Rurſum, *obduratus*, inquit, *inuerecundia.* *f*) *Capax* nomen Ciceronianum eſt; incapax recens factum. PRVDENTIVS: *g*) *Scio incapacem te ſacramenti, impie.* Rurſus: *h*) *aedes incapax ſolui.* HIERONYMVS: *i*) *diabolum non incapacem eſſe virtutis.* PAVLINVS: *k*) *tugurium noſtrum ſanctis non incapaces anguſtias praebuit.* Sed incapabilis apud AVGVSTINVM *l*) vox plane barbara. A *ſenſu* VITRVVIO *m*) et SENECA *n*) *ſenſibilis* eſt, qui vel ſentit, vel ſentitur. Inde iam inſenſibilis, ſignificatione

z) Lib. 6. epiſt. 53. *a*) Lib. 7. epiſt. 49. extr. *b*) Lib. 9. epiſt. 25. Vid. etiam AMMIANVS l. 26. c. 19. CYPRIANVS l. 3. epiſt. 5. l. 4. epiſt. 2. *c*) Apologetico c. 7. *d*) De poenit. c. 6. *e*) Lib. 2. *f*) Lib. 4. *g*) In Romano v. 587. *h*) Ibid. v. 348. *i*) Epiſt. 59. c. 1. ad Auſdum. *k*) Epiſt. 29. ad Seuer. *l*) Epiſt. 174. *m*) Archit. l. 5. c. 3. *n*) Epiſt. 114.

Digitized by Google

ficatione contraria. Apud GELLIVM *o*) *inenarrabile, et propemodum inſenſibile.* Saepius pro eo, quod expers ſenſus eſt, LACTANTIVS dixit, *omiſſis inſenſibilibus et vanis, oculos eo tendere, ubi ſedes, ubi habitatio eſt Dei veri. p*) *Deorum cultores ſimulacra inſenſibilia excolunt. q*) *Iam inſenſibilis ab his conſtituitur Deus, quoniam membra ſenſu carent. r*) *Inſenſibilia digitorum ſuorum figmenta venerari. s*) Sic quoque FIRMICO *t*) eſt *inſenſibile ſaxum.* Latinis auribus foret quod ſenſu careret, ut *ſenſibile* eſt, quod ſenſum habet. *Sapidum*, quod bene conditum et grati ſaporis eſt APICIO, ſuperioris aeui guloſo ſcriptori, debemus. *v*) Hinc inſipidus ſenſu contrario vſurpari coepit. FIRMICVS: *x*) *ſapor falſus et inſipidus.* PAVLINVS Nolanus: *y*) *vltra betam incoctam inſipidi. Protectus* melioris notae omnes habent ſcriptores: improtectus fortaſſis ante hanc vegetam Latinae linguae aetatem nemo. GELLIVS *z*) inductionem infirmam *improtectam epagogen vocat.* AMMIANVS: *a*) *ne partes petiturus Arctoas, improtectum Meſopotamiae relinqueret latus.* Alibi: *b*) *ciuitas hoſtili impetu patuit improtecta.* Apud TERTVLLIANVM *c*) forſan hac aetate primum obuenit non ſolum interpretabilis, verum etiam ininterpretabilis. Cum apud veteres *cunctari* valeret, variaque inde formarent deriuata, etiam hac ſenili dicendi libertate incunctans ortum,

o) Noct. Attic. l. 17. c. 10. *p*) Diuin. inſtit. l. 2. c. 5. init. *q*) Lib. 6. c. 13. n. 13. *r*) Lib. 7. c. 3. n. 7. *s*) Lib. 4. c. 1. n. 2. *t*) De error. profan. relig. *v*) Vid. comment. de imminenti L. L. ſenectute c. 11. §. 15. p. 722. *x*) Lib. 2. c. 12. *y*) Epiſt. 39. n. 4. *z*) Noct. Attic. l. 7. c. 3. *a*) Lib. 25. c. 2. *b*) Lib. 26. c. 8. *c*) Contra Valent. c. 14.

tum, *d*) incunctanter, *e*) incunctabilis, *f*) ſimilia. Deuotioni oppoſuerunt indeuotionem. VLPIANVS: *g*) *vt tota ſumma illico, poſtquam ceſſauerat heres dare penum vxori, praeſtetur, heredis indeuotione coercenda.* Antiquis probata vox *poenitendus*; impoenitendus non item. Apud APVLEIVM *h*) eſt, *impoenitendae ſe pauperiei committere.* Apud AVGVSTINVM, *i*) *qui non valuit omnia impoenitenda dicere.* Vt *foederatus* recte dicitur, qui foedus cum aliis iniit: ſic infoederatus exiſtimabant dici poſſe, qui ſine foedere agit pro lubitu. TERTVLLIANVS: *k*) *quis miles ab infoederatis, ne dicam ab hoſtibus regibus, donatiuum et ſtipendium captat, niſi plane deſertor et transfuga?* Apud eundem *l*) ſunt *veſtimenta* indetrita *et* inobſoleta; apud PAVLINVM *m*) indetribilis *ſoliditas*, quae deteri non poteſt. Vox Ciceroniana eſt *conſideratio*, ſed, quam inde fecerunt, inconſideratio ante hoc aeuum fortaſſis nunquam audita fuit. SALVIANVS: *n*) *qui ſola mentis inconſideratione peccaſſent.* Sic quoque probata *curioſitas*; incurioſitas non item. SALVIANVS: *o*) *probamus igitur ne illos quidem de incurioſitate ac negligentia iſta ſenſiſſe, qui verae religionis expertes.* Vocabula Ciceroniana ſunt, *obedire, obediens, obedienter, obedientia.* Sed inobedire, inobediens, inobedienter, et inobedientia, tandem hac Latinae

d) Apud PAVLINVM Petrocorium l. 5. v. 132. et 297. de viſitat. nepot. v. 40. *e*) Apud LACTANTIVM diuin. inſtit. l. 6. c. 12. APVLEIVM aſin. aur. l. 11. poſt init. *f*) L. 21. §. 1. D. de teſtibus. *g*) L. 1. extr. D. de penu legata. *h*) Aſin. aur. l. 11. *i*) Retractationum prolog. *k*) Praeſcript. adu. haeret. c. 12. *l*) De reſurrect. c. 58. *m*) Epiſt. 16. *n*) De gubernat. Del l. 1. ſub fin. *o*) Loc. cit. l. 1. init.

Latinae linguae vegeta ſenectute facta. AMBROSIVS: *p*) *a paradiſo receſſiſtis ſuperbiendo, inobediendo, et cibum prohibitum comedendo.* AVGVSTINVS: *q*) *aduerſus damnatam culpam inobedientiae, voluntatem libido inobedienter mouebat.* HIERONYMVS *r*) Saulum dicit *per inobedientiam ſuam periiſſe.* Et SALVIANVS: *s*) *Pharaonis inobedientia verberatur.* LACTANTIO ineloquens eſt infans, aut balbus: *t*) ineloquibilis ineffabilis: *v*) ineluibile quod elui nequit. *x*) Vt artis vocabula, penultimus et antepenultimus, grammaticis relinquenda. Ita PRISCIANVS, *y*) diminutiua *alia*, inquit, *e habent in penultima primitiui naturaliter longa.* Apud GELLIVM *z*) leges *penultimam circumflectere.* Apud MACROBIVM, *a*) *penultimus orbis artatur.* Apud HIERONYMVM, *b*) *in penultimis prophetae partibus.* Et proxima ſequenti aetate CASSIODORVS, *c*) *ſi*, inquit, *in antepenultima ſede longa inciderit ſyllaba.* Qui ſine puluere, inpuluereus dicebatur. A. GELLIVS: *d*) *deditione repente facta, inpuluerea, vt dici ſolet, incruentaque victoria obuenit.* Sic quoque praeter dicendi conſuetudinem impeccabilis vocatur, qui non peccat. *e*) Incommobilitas eſt, ſi quis deſtitutus facultate commoueri nequit. *f*) Et nouas, contra dicendi vſum, cum

p) Epiphaniae ſerm. 1. *q*) De ciuit. Dei l. 14. c. 17. *r*) Quaeſt. Ebr. in 2 Reg. 1. *s*) De gubernat. Dei l. 1. *t*) De opificio Dei cap. vlt. *v*) Diuin. inſtit. l. 7. c. 5. n. 9. et l. 7. c. 11. n. 2. *x*) Lib. 7. c. 20. n. 9. *y*) Lib. 3. *z*) Noct. Attic. l. 4. c. 7. *a*) Somn. Scip. l. 2. c. 4. *b*) Epiſt. 82. *c*) De orthogr. c. 6. *d*) Noct. Attic. l. 5. c. 6. *e*) A. GELLIVS noct. Attic. l. 18. c. 19. *f*) APVLEIVS de philoſophia: *iracundiae comitatum ſequuntur indignatio et incommobilitas.*

praepoſitione *cum* ſignificationes fingebant. Compatior illis non modo eſt una et ſimul pati, verum etiam alicuius miſeria moueri, caſu alicuius affici, alterius calamitatem exiſtimare ſuam. TERTVLLIANVS: *g*) *non compaſſus eſt pater filio.* Et mox: *quid eſt compati, quam cum alio pati?* Ad Hieronymum AVGVSTINVS ſcribit: *h*) *vt miſericorditer eis ita ſubueniendum eſſe ſentiret, ac ſi ipſe in eodem errore laboraret: non ſcilicet mentientis aſtu, ſed compatientis affectu.* Hinc etiam compaſſio. Eadem ad Hieronymum epiſtola AVGVSTINVS: *i*) *dicuntur compaſſione miſericordiae, non ſimulatione fallaciae.* Compaſſibilis, qui eiusdem paſſionis poteſt fieri particeps. TERTVLLIANVS: *k*) *pater ſi compaſſibilis, vtique paſſibilis* etc. Et incompaſſibilis ſenſu contrario valet. Idem TERTVLLIANVS: *l*) *ſi impaſſibilis pater, vtique et incompaſſibilis.* Doctores eccleſiae principes et praefectos, Graeco nomine *epiſcopos* vocabant, et qui eiusdem erant dignitatis coepiſcopos. HIERONYMVS: *m*) *tu, ut epiſcopus, in toto orbe notiſſimus, debes hanc promulgare ſententiam, et in aſſenſum tuum omnes coepiſcopos trahere.* Idem *n*) compeccatores vocat, qui iisdem vitiis maculati. *Ego*, inquit, *in parua tuguriolo cum monachis, id eſt, cum compeccatoribus meis, de magnis ſtatuere non audeo.* Eosdem complices quoque vocant: vt ISIDORVS *o*) hanc vocem inter-

g) Adu. Praxean. c. 19. vid. etiam de reſurrect. carn. c. 14. *h*) Epiſt. 87. Hieronym. oper. tom. 2. p. m. 224. Ita etiam HIERON. ipſe comment. in Eſa. 15. et epiſt. 89. p. m. 219. *i*) Loc. cit. pag. 223. *k*) Adu. Praxean. c. 29. *l*) Loc. cit. *m*) Epiſt. 89 oper. tom. 2. p. m. 226. G. *n*) Loc. cit. Confer. comment. de imminenti L. L. ſenectute c. 9. §. 46. pag. 551. *o*) Orig. lib. 10. h. v.

Digitized by Google

interpretatur, *complex, qui vno peccato vel crimine alteri eſt applicatus ad malum.* Apud PRVDENTIVM *p*) ſunt *complices ſectae impiae.* Alibi *q*) *de ſemine complicis hydri.* Ab optimis ſcriptoribus *foederati* ſunt dicti, qui foedere icto ſocietatem inter ſe inierunt: et hos maluerunt iam confoederatos appellare: quaſi vetus illud vocabulum non ſignificantius eſſet. HIERONYMVS: *r*) *naſcentem amicitiam vt Dominus confoederare dignetur, precor.* OROSIVS: *s*) *Sabinae impiis nuptiis confoederatae.*

§. XI.

In aliis analogiam ſequebantur. Vt veteres ab increſcere *incrementa*, ſic noſtrae aetatis homines a decreſcere decrementa fecerunt, cuius loco ad haec vsque tempora, diminutiones, damna, decreſcentia, vſurpare conſueuerant. *t*) AVL. GELLIVS: *v*) *quaſi iam mundo feneſcente, rerum atque hominum decrementa ſunt.* APVLEIVS: *x*) *menſtruis curſibus lunae decrementa deprehendantur.* CELLARIVS autem *y*) vocabuli huius in omni antiquitate exemplum aliud nondum inueniſſe fatetur. Cum *ignobilis* vſu valuerit aeque ac *nobilis*: quidni, vt veteres *nobiliter* ita etiam ignobiliter dixerint? Vt SOLINVS, *z*) *aedes ignobiliter ad culmen faſtigiatae.* Et EVTROPIVS, *a*) *ignobiliter ſepultum.* Quidni commutaretur, vt *vſquam* in *vſpiam*, ita *nuſquam* in

p) In Romano v. 821. *q*) Hamartig. v. 614. *r*) Epiſt. 5. ad Florentium. *s*) Lib. 2. c. 4. *t*) Vid. VITRVVIVS l. 9. c. 4. LACTANTIVS l. 2. c. 5. CENSORINVS c. 17. *v*) Noct. Attic. l. 3. c. 10. *x*) De mundo. *y*) Curis poſterioribus de barbariſmis et idiotiſmis ſermonis Latini p. 176. *z*) Polyhiſt. c. vlt. *a*) Lib. 7. c. 15. Confer. CELLARIVS l. c. pag. 178.

Digitized by Google

in nuſpiam? *b*) Ab *inuadere* haud difficulter inuaſio venit, pro impetu, aut irruptione. SYMMACHVS: *c*) *vt in examen clementiae veſtrae, et inuaſionis indignitas, et modus iudicii perueniret.* Et inuaſor, qui quid vi occupat. Idem: *d*) *curae ſint reliquiae rerum tuarum, quas facinoroſus inuaſor exhauſtas et laceras reliquit.* AVR. VICTOR: *e*) Aurelianus *Romanum orbem triennio ab inuaſoribus receptauit.* Vt PLAVTVS *f*) a *repudio* fecit *repudioſas nuptias:* ita a *propudio*, quod res pudendas et ipſam obſcoenitatem ſignificat, facile propudioſum fingere poterant. APVLEIVS: *g*) *ipſe propudioſus, vxor lupa* etc. Apud ARNOBIVM *h*) *propudioſi facinoris obſcoenitas.* Apud TERTVLLIANVM *i*) *propudioſi Caeſares.* Apud MINVCIVM FELICEM *k*) *meretrices propudioſae.* Quidni reſurrectio valeret, vox trita non minus ex ſignificationis veritate, quam neceſſaria? Nam apud CICERONEM *l*) eſt *conſurrectio.* TERTVLLIANVS: *m*) *fiducia Chriſtianorum, reſurrectio mortuorum.* Cum valeret *improprius* a *proprio*, ſenſu contrario: *n*) poteſt etiam improprie dici, vt *proprie*; *o*) et improprietas, vt *proprietas.* *p*) Scripſit M. IVLLIVS: *q*) *illuceſcit aliquando ille dies.* Quidni, vt *elucere* valet apud eundem, *r*) liceret mihi dicere eluceſcit?

b) Idem p. 184. *c*) Lib. 10. epiſt. 48. princ. *d*) Lib. 9. epiſt. 123. *e*) Epit. c. 32. *f*) Perſa A. 3. S. 1. v. 56. *g*) Apolog. *h*) Aduerſ. gent. l. 5. *i*) De pallio c. 4. *k*) Octau. p. 234. *l*) Orat. de Aruſp. reſponſ. c. 1. *m*) De reſurrect. carnis init. *n*) Vid PLINIVS l. 37. c. 8. QVINTILIANVS inſtit. orator. l. 8. c. 2. *o*) GELLIVS l. 6. c. 6. et l. 17. c. 10. *p*) Idem l. 1. c. 22. extr. *q*) Orat. pro Milon. c. 26. *r*) De amicitia c. 6. et orat. pro Caelio c. 19.

Digitized by Google

ſcit? Quam vocem, quod valde miror, CELLARIVS, *s*) in foro Romano, Hieronymi exemplo probatam, integris aliquot eius tomis perluſtratis, fruſtra quaeſiuit, neque in Lactantii operibus reperire potuit. Vt a *paruo paruitas* valet, ita a *puſillo* puſillitas fecerunt. *t*) Dicimus *affirmare*, *confirmare*, *infirmare*, *obfirmare*, quidni etiam refirmare, quod eſt denuo, vel iterum firmare. At vitio vertunt SEXTO RVFO, *v*) quod ſcripſerit: *ſupra ripam Tigridis limes eſt refirmatus.*

§. XII.

Vocibus multis, quas ante non habuerunt, ſignificationes affingere non dubitarunt. *x*) *Gens* natio ſemper et familia fuit: vnde *gentilis*, qui ex eadem gente aut familia ortus: at rerum ſacrarum ſcriptores eos, qui Chriſto non deuoti, ſimulacra cultu ſuperſtitioſo proſequebantur, gentiles nominabant. HIERONYMVS: *y*) *ſi gentilium literarum libros aliquando legiſſem.* Alibi: *z*) *hoc et gentilis facit, et Iudaeus, et publicanus* etc. Sic

s) Cur. poſt. de barbariſmis et idiotiſm. ſermon. Lat. p. 302. *t*) LACTANTIVS de ira Dei c. 5. pr. HIERONYMVS epiſt. 152. ad Miner. et Alexandr. ſub fin. TERTVLLIANVS adu. Hermog. c. 14. de reſurr. Chriſti c. 6. *v*) Breu. rerum Rom. c. 14. Confer. CELLARIVS cur. poſter. p. 319. *x*) Teſtatur ipſe A. GELLIVS noct. Attic. l. 13. c. 28. *animaduertere eſt pleraque verborum Latinorum ex ea ſignificatione, in qua nata ſunt, deceſſiſſe vel in aliam longe, vel in proximam; eamque deceſſionem factam eſſe conſuetudine et inſcitia temere dicentium, quae cuiusmodi ſint, non didicerint. Sicuti quidam* faciem *eſſe hominis putant os tantum, et oculos et genas* etc. *y*) Epiſt. 22. *z*) In Epheſ. 5. 20.

Sic quoque gentilitas paſſim, quae nihil aliud quam agnatio, *a*) ſuperſtitioſus idolorum cultus vocatur, aut hominum profanorum copia. TERTVLLIANO *b*) *gentilitas graecanica aut barbarica.* PRVDENTIVS *c*) *has*, inquit, *ferre poenas cogitur gentilitas.* A verbo *ſternere* vulgo notum eſt adiectiuum *ſtratus*, quod de rebus variis dicitur: ſtrata poma, ſtratum aequor, ſtratus equus, ſtratus lectus, ſtrati pontes, ſtrati hoſtes. Sic quoque ſtratum de viis et de pauimento valet. Sed hac aetate ſtrata abſolute viam ſignificat, praeſertim regiam, et lapidibus probe munitam. EVTROPIVS: *d*) Aurelianus *interfectus eſt in itineris medio, quod inter Conſtantinopolim et Heracleam eſt ſtratae veteris.* IVVENCVS: *e*)

Tum populi ſtratas praetexunt veſtibus omnes.

Poſt pauca:

\- - - *Rediensque in margine cernit*
Stratae tendentem diffuſa vmbracula ficum.

Alibi: *f*) - - - *Amplas*
Sternite iam ſtratas.

Principes, voce adulationis plena, dixerunt numina. *g*) Antiquis vice idem eſt, quod *viciſſitudine.* Sed eam vocem hac aetate non ſolum cum numeralibus compoſuerunt, *h*) ex. gr. *prima vice, ſecunda* vel *altera vice, tertia vice, tribus vicibus, diuerſis vicibus* etc. verum etiam vice verſa, aut verſa vice contra elegantiſſimorum

a) CICERO de oratore 1. 38. *b*) De virgin. veland. c. 2. pr. *c*) In Romano v. 1086. *d*) Lib. 9. c. 9. num. 13. *e*) De euangel hiſt. l. 3. Matth. c. 21. *f*) Lib. 1. Matth. 3. *g*) Vid. SYMMACHI epiſtolae ad Theodoſium plerasque. *h*) Quod ſolus forſan HORATIVS l. 4. oda 14. dixit, *plus vice ſimplici.* Conf. CELLARIVS curis poſter. p. 253.

Digitized by Google

rum ſcriptorum conſuetudinem dixerunt. *i*) Vnio pro coniunctione, foedere, et concordia, non modo ſignificationem mutauit, quia veteribus ſemper *gemmam* notauerat; verum etiam aliud genus accepit, vox enim ex virili feminea facta eſt. Ita HIERONYMVS ad Damaſum ſcribit: *k*) *hac duplici forcipe, quae vnionis retinetur virtute, carbo comprehenſus mittitur ad prophetam.* Alibi de Maria: *l*) *ad ſimilitudinem Dei, vnione foecunda.* Sic vnio duarum in Chriſto naturarum, pro copulatione, ſeu coniunctione, theologis prope neceſſaria dictio. Ab *infringere* infractus melioris notae ſcriptoribus eſt vere et valde fractus, vt *in* praepoſitio hic ſignificationem non infringat, ſed augeat. Et veteres hoc verbo quidem lubentius vtebantur, quam ſimplici *fractus*. Ita CICERO: *m*) *eſſe non modo non infracto animo, ſed confirmato.* Alibi: *n*) *infractus furor tuus inanes faciebat impetus.* Rurſus: *o*) *tu autem te negas infracto remo commoueri.* Sed huius aetatis ſcriptoribus infractus, ſenſu contrario, eſt non fractus, inuictus, confirmatus. SYMMACHVS: *p*) *fractae opes infractos animos repererunt. Pro ſe quisque operam boni ciuis affectat.* HIERONYMVS: *q*) *infractus et hoc Antonius ſpeculo, ſcutum fidei et loricam ſpei, vt bonus proeliator, arripuit.* Ita SERVIVS *r*) quoque apud Virgilium, *infractos Latinos* expoſuit integros et inuictos. Sed propius ad ſententiae veritatem accedit DONATVS, qui eos valde fractos ſignificari oſtendit. Sic

i) Vid. CELLARIVS l. c. pag. 237. *k*) Epiſt. 148. *l*) Epiſt. 22. *m*) Orat. poſt reditum ad Quirites c. 8. *n*) Pro domo ſua c. 24. *o*) Acad. quaeſt. l. 4. c. 25. *p*) Lib. 1. epiſt. 8. *q*) Vita Pauli eremitae. *r*) Aeneid. l. 12. v. 1.

quoque infucatus apud CICERONEM *s*) eſt valde fucatus. At ſenſu contrario ARNOBIVS: *t*) *ſi infucata vultis audire, nec ab aliqua vocis oſtentatione deducta.* SYMMACHVS: *v*) *redeamus quin ergo ad infucatos nominum titulos* etc. De verbo benedicere quaedam monuimus in eo libro, qui de lectione claſſicorum auctorum agit. *x*) Eius vera ſignificatio eſt bona facere verba, ornate dicere, hinc laudare, et fauſta precari. Hac aetate nouam maxime ab eccleſiaſticis ſcriptoribus accepit ſignificationem, conſecrare, certisque fuſis precibus facere ſacrum: vt Graeci vulgo εὐλογεῖν pro ἁγιάζειν vti ſolent. SVLP. SEVERVS: *y*) *cum iam altarium, ſicut eſt ſolemne, benediceret, globum ignis de capite eius vidimus emicare.* Hinc frequens in ſacris vocabulum benedictus. Apud TERTVLLIANVM *z*) *benedicti martyres*; apud HIERONYMVM *a*) *benedictum oleum*; *benedictus panis.* PAVLINVS Nolanus *b*) particulam ſanctae crucis *benedictionem de cruce* appellat. Eiusdem generis ſunt maledicere, maledictus, et maledictio, quae verba ſenſu contrario vſurparunt. Veram belli ſignificationem diſcimus ex NONIO MARCELLO. *c*) *Bellum*, inquit, *et proelium hoc differunt: quod proelia partes ſunt belli, hoc eſt, in bello congreſſiones. Lucil. l.* 26. *Vt populus Romanus victus vi, et ſuperatus proeliis ſaepe eſt multis; bello vero nunquam in quo ſunt omnia. Vir. l.* 11. *infantem fugiens media inter proelia belli.* Superiori ſeculo pauci, quos inter Florus et

s) De orator. l. 3. c. 25. *t*) Aduerſ. gentes l. 2. *v*) Lib. 4. epiſt. 30. *x*) Cap. 8. §. 6. p. 106. *y*) De virtut. Martini 2. 2. *z*) Ad Martyr. c. 1. de bapt. c. 8. de anima c. 17. *a*) Hilarionis vita. *b*) Epiſt. 32. n. 8. al. epiſt. 12. *c*) Cap. 5. n. 61.

Digitized by Google

et Frontinus, eam ſermonis caſtitatem non vbique ſeruarunt. Sed, vſu frequentiori, promiſcue *bellum* pro *pugna*, aut *proelio*, hac vegeta L. L. ſenectute vſurparunt. *d*) Deputare, quo compoſito veteres ita vt ſimplex putare vtebantur, pro aeſtimare, cenſere; huius aetatis ſcriptoribus eſt *deſtinare*, aut *delegare*. MACROBIVS: *e*) *ad deputatam ſibi a natura ſedem proprii ſenſus recurrunt.* Apud SVLPICIVM SEVERVM *f*) *turba exercendis colendisque agris deputata.* Alibi *g*) *deputari leonibus* eſt ad beſtias damnari. Humilitas, quae apud veteres in vitio ſemper fuit, huius aeui ſcriptoribus, Chriſtianis praeſertim, virtus facta eſt, ſuperbiae contraria: qua homo, ſui veriſſima cognitione, ſibimet ipſi vileſcit. *h*) Lineam, praeter dicendi conſuetudinem, libri verſum, aut certam aliquam partem ſignificare voluerunt. APVLEIVS: *i*) *ſunt igitur in ſuperiore linea, vt infra ſcriptum eſt, vniuerſalis dedicatiua et abdicatiua.* Parentes, quo velut communi nomine pater et mater ſignificabantur, hac linguae ſenectute, erant omnes cognati, patroni, et amici. IVLIVS CAPITOLINVS de Marco Philoſopho: *k*) *adoptatus in aulicam domum, omnibus parentibus ſuis tantam reuerentiam, quantam priuatus, exhibuit.* Parentes vero eius pridem fatis conceſſerant. FLAV. VOPISCVS: *l*) *Achilleo cuidam parenti Zenobiae parantes imperium.* Prolixus nomen adiectiuum, quod ſine dubio a *laxus* deducitur, veteres ad res varias appoſue-

d) Vid. CELLARIVS curis poſter. p. 239. *e*) Saturn. l. 7. c. 14. *f*) Hiſt. ſacr. l. 1. c. 53. *g*) Lib. 2. c. 7. *h*) Vid. CELLARIVS cur. poſt. p. 243. ſqq. *i*) De ſyllogiſmo categorico p. m. 417. *k*) In Marco Antonino philoſopho c. 5. *l*) Aureliano c. 31.

runt, vt capillus prolixus, barba prolixa, prolixiores pollices, animus prolixus, natura prolixa et benefica: ſed ad verba et orationem non applicant, vt longitudo et copia deſcriberetur. At dicere maluerunt, multum in re aliqua eſſe, pluribus verbis, aut verboſius ſcribere, vberius latiusue explicare. Apud PAVLINVM *m*) *prolixiores* ſunt *literae*. Apud HIERONYMVM *n*) *prolixus liber*. Apud SYMMACHVM *o*) *literarum prolixitas*. ARNOBIVS, *p*) *ne forte*, inquit, *prolixitas faſtidium audientiae pariat*. Quodcunque homini pudori eſt, aut dedecus affert, *pudendum* dicitur. Sic vita pudenda, luxus pudendus, dicta pudenda. At ſubſtantiue vſu vulgari et plurali numero pudenda ſunt membra, quibus viri et feminae diſcernuntur. AVGVSTINVS: *q*) *qui nudi exercebantur in campo, pudenda operiebant*. Et paulo poſt: *omnes gentes vſque adeo tenent inſitum pudenda velare*. Rethorica *facundia* apud SEDVLIVM *r*) eſt oratio ſoluta. Vulgo ſatis nota ſignificatio vocabuli ſecularis ex ſeculi tempore. Hinc *ludi ſeculares, carmen ſeculare* et ſimilia. Sed huius aeui ſcriptoribus *ſeculare* dicitur, quod mundanum, profanum atque caducum. Sic apud SEDVLIVM *s*) *ſecularia ſtudia*. Apud HIERONYMVM *t*) *codices ſeculares* profani Ciceronis, Plauti, et aliorum libri vocantur. Apud TERTVLLIANVM *v*) *literae ſeculares*, quae ſunt profanae: et *viri ſeculares* curis negotiisque mundanis dediti: *feminae* autem *ſeculares*, *x*) quae vulgo paga-

m) Epiſt. 12. n. 1. *n*) Epiſt. 6. ad Florentium. *o*) Lib. 2. epiſt. 8. *p*) Lib. 4. *q*) De ciuitate Dei l. 14. c. 17. *r*) Epiſt. ad Maced. carm. praefixa. *s*) Loc. cit. *t*) Epiſt. 22. n. 13. *v*) De corona c. 7. *x*) Exhortat. ad caſtitat. c. 13.

Digitized by Google

paganae aut gentiles nominantur. Bona opera longe alia ſignificatione, quam natiua, nominabant virtutis exercitium, morum ſanctitatem, et ſtudium pietatis. HIERONYMVS: y) *bona opera tua nardus ſunt.* AVGVSTINVS: z) *nam et ipſa bona opera noſtra, quando ipſius potius intelliguntur eſſe, quam noſtra, tunc nobis ad hoc ſabbathum adipiſcendum imputantur.* Vt *deuouere* nihil aliud eſt, quam conſecorare, aut totum tradere: deuotio antiquitus fuit ipſe deuouendi actus. Sed huius aeui ſcriptoribus *deuotio* eſt ardens atque intenta pietas; quam qui exercent, etiam deuoti nominantur. Sic HIERONYMVS: *a*) *non tacenda Conſtantiae, ſanctiſſimae illius feminae, deuotio.* LACTANTIVS: *b*) *Deo patri ſumma deuotione ſeruire.* Fides quae ſit, M. TVLLIVS *c*) tradidit: *fundamentum Iuſtitiae eſt fides, i. e. dictorum conuentorumque conſtantia et veritas, credamusque appellatam fidem, quia fiat, quod dictum eſt.* Sacris vero huius aeui ſcriptoribus *fides* eſt confeſſionis ſanctitas, et veritatis comprehenſio. HILARIVS: *d*) *periculoſum nobis admodum, atque miſerabile eſt, tot nunc fides exiſtere, quot voluntates - - - dum aut ita fides ſcribuntur, vt volumus, aut ita, vt volumus intelliguntur.* Paulo poſt: *conſcii nobis inuicem ſumus, poſt Nicaeni conuentus ſynodum nihil aliud, quam fidem* (i. e. confeſſionis formulam) *ſcribi.* Eodem ſenſu fidelis non modo, qui fidem ſeruat, verum etiam is dicitur, qui Chriſtianus factus eſt. PRVDENTIVS: *e*) *Am-*

y) Homil. Orig. in Cantica 2. oper. tom. 3. p. m. 110. B. z) De ciuitate Dei l. 22. c. 30. p. m. 1113. *a*) Hilarionis vita ſub fin. *b*) Diuin. inſtit. l. 2. c. 12. *c*) Orator. l. 1. c. 7. *d*) Lib. ad Conſtantium imperat. *e*) In Romano v. 97.

Digitized by Google

Amplector, o praefecte, nec me ſubtraho:
Vt pro fideli plebe ſolus immoler.

Idem: *f) ſenex fidelis prima credendi via eſt.* Et ſenſu contrario infidelis dicitur, qui extra communionem eccleſiae, aut Chriſtum vera fide non amplectitur. Vt modo laudatus PRVDENTIVS *g*) hymnum in infideles ſcripſit. Idem de infidelitate ſtatuendum, quae antiquis proprie fracta fides atque periurium. Credulitas in vitiis ponitur, et eſt ipſa credendi facilitas, die Leichtglaubigkeit, de qua PLANCVS ad Ciceronem ſcribit: *h*) *confiterer imprudentia me lapſum, ſi vnquam lepido ex animo credidiſſem. Credulitas enim error eſt magis, quam culpa* etc. Sed meliori ſenſu ſcriptores ſacri ſumunt, quibus fides et credulitas eadem eſt virtus: vt apud PRVDENTIVM, *i*) *vis tanta nouellae credulitatis ineſt.* SALVIANVS: *k*) *qui enim tam magnam credulitatis et fidei mercedem in hoc ſeculo eſſe volumus, qualis credulitas aut fides ipſa eſſe debeat, conſiderare debemus. Quid eſt igitur credulitas, vel fides, opinor, fideliter hominem Chriſto credere, i. e. fidelem Deo eſſe, hoc eſt, fideliter Dei mandata ſeruare.* Contra incredulitas magnum illis vitium eſt hominum, qui ſalutarem nolunt agnoſcere veritatem. HIERONYMVS: *l*) *Chriſtus Iudaeorum incredulitate compulſus proficiſcitur in Galilaeam.* Hinc credulos Chriſto vocabant deuotos, incredulos, qui a Chriſtianorum ſacris abhorrebant. OROSIVS: *m*) *certe nunc cum incredulis actio eſt, promtius ea profe-*

f) Pſichomachia init. *g*) Apotheoſ. init. *h*) Ad diuerſ. l. 10. epiſt. 23. n. 2. *i*) Apotheoſ. v. 547. *k*) De gubernatione Dei l. 3. n. 62. p. m. 57. ſeq. *l*) Epiſt. 125. ad Damaſum. *m*) Lib. 7. c. 1.

Digitized by Google

proferam, quae ipſi etſi probare noluerint, improbare non poſſint. A *pago* pagani proprie ſunt ruſtici, et omnes dicuntur, qui non ſunt milites; ſed apud ſcriptores ſacros, qui extra communionem eccleſiae, quisque gentiles etiam, vel ethnici vocantur. Significationis rationem alii tradunt eſſe, quod Chriſti milites non eſſent; alii, quod in pagis, extra vrbes, ſub Chriſtianis imperatoribus, idola colere conſueuerint. OROSIVS, qui, ab Auguſtino iuſſus, aduerſus paganos, ſeptem ſcripſit hiſtoriarum libros, *praeceperas*, inquit, *n) mihi, vti aduerſus vaniloquam prauitatem eorum, qui alieni a ciuitate Dei, ex locorum agreſtium compitis et pagis pagani vocantur, ſiue gentiles.* AVGVSTINVS: *o) Deorum falſorum multorumque cultores pagani.* Hinc quoque paganitas dicta id genus hominum falſa religio. SALVIANVS: *p) profeſſa iugiter plurimorum paganitas fuit.* Perſecutio, ſupra natiuam ſignificationem, ſcriptoribus ſacris eſt dira vexatio et funeſta clades, quam tyranni veritatis confeſſoribus inferunt. Decem Chriſtiani magnas perſecutiones ante Conſtantini imperatoris tempora numerant: quas SVLPICIVS SEVERVS hiſtoria ſacra deſcribit. Hinc perſecutor tyrannus, qui dira inſontes poena afficit. Sic apud HIERONYMVM *q) Paulus perſecutor eccleſiae.* PRVDENTIVS: *r) pulchra res ictum ſub enſe perſecutoris pati.* LACTANTIVS: *s) iniuſtiſſimi perſecutores, quibus Dei nomen contumeliae ac ludibrio fuit, non ſe putent impune laturos.*

n) Lib. 1. praefat p. m. 2. *o*) Retract. l. 2. c. 43. *p*) De gubernat. Dei l. 8. *q*) Epiſt. 3. ad Heliodorum. *r*) Periſteph. 1. 28. *s*) Diuin. inſtit. l. 5. c. 23. init.

laturos. Qui et librum ſingularem ad Donatum Confeſſorem *de mortibus perſecutorum* ſcripſit. Seducere, verbum notiſſimae ſignificationis, nihil aliud eſt, quam ſeorſum ducere; at huius aeui ſcriptoribus ſacris eſt corrumpere, aut aſtute in vitia et errores pertrahere. TERTVLLIANVS: *t*) *angelus, qui ſeduxit: ſed liber et ſuae poteſtatis, qui ſeductus eſt.* Ita quoque ſeductio illis eſt corruptio. TERTVLLIANVS: *v*) *Adam confeſſus eſt ſeductionem.* Ibidem: *Adam non occultauit* ſeductricem. AVGVSTINVS: *x*) *ſeducebat me, quia ego* ſeductilis eram. Condolere veteribus nihil aliud eſt, quam ſimplex verbum dolere: ſed huius aeui ſcriptores dolorem voluerunt innuere, quem quis cum alio habet communem: quod veteres dixerunt, malis alicuius commoueri, dolore vel miſeria alicuius affici, vicem aut caſum alicuius dolere. HIERONYMVS: *y*) *ſit tanquam aeger, qui miniſtrat aegroto, non cum febres ſe habere mentitur, ſed cum animo condolentis cogitat, quemadmodum ſibi ſeruiri vellet, ſi ipſe aegrotaret.* Groſſus ſubſtantiue apud Celſum atque Plinium ſignificat ficum, quae nondum maturuit, iam veto, vt *craſſus*, valet, ex quo ſatis corrupte nomen iſtud adiectiuum videtur eſſe factum. SVLPICIVS SEVERVS: *z*) *veſtem reſpuit groſſiorem, indumentum molle deſiderat.* Hinc et apud SOLINVM *a*) groſſitudo. Veteribus innaſci dicitur, et innatum, quod quis a natura poſſidet, vt nequaquam ab illo auelli poſſit. Sic *vitium omnibus innatum.* *b*) CICERO: *c*) *inſitam quandam, vel potius innatam ſcientiae cupiditatem habemus.* At ſenſu plane

t) Adu. Marc. 2. 8. *v*) Adu. Marc. 2. 2. *x*) Confeſſ. 2. 3. *y*) Epiſt. 89. oper. tom. 2. p. m. 218. *z*) Dialog. 1. c. 20. de virtut. monach. orient. *a*) Polyh. c. 43. *b*) TERENT. Hec. 4. 1. 28. *c*) De finib. 4. 2.

Digitized by Google

plane contrario huius aeui ſcriptores pro non naſci, vel minime natum vſurparunt. TERTVLLIANVS: *d) quod eſt aeternum atque innatum.* Idem: *e) materia, quam innatam volunt.* PRVDENTIVS: *f) natum ſcimus ab innato.* Hinc et innaſcibile pro eo, quod naſci non poteſt. Modo laudatus TERTVLLIANVS: *g) ſecutus eſt Saturnius, dicens, innaſcibilem virtutem, i. e. Deum in ſummis et illis infinitis partibus, et in ſuperioribus manere.* De magno et excelſo animo praedicatur magnanimitas, *h)* quam hac aetate μακροθυμίαν vocarunt, lenitatem, ad iram tarditatem, vel in vlciſcendo remiſſionem, quam poſthac etiam *longanimitatem* dicere conſueuerunt. CYPRIANVS: *i) haec indefinentium operum magnanimitate redimantur.* Idem: *k) charitas magnanima eſt, charitas benigna eſt, charitas non zelat.* Sic aliis quoque pluribus locis, quam vt referat citare ſingulos. A σχολάζειν, otiari, ſchola eſt ludus literarius, ita dicta, quod cum otio honeſto maximam docendi ac diſcendi voluptatem coniungat. Sed hac aetate *ſcholae* etiam vocantur ordines, aut conſortia et claſſes hominum, qui in aula militabant, ſub magiſtri officiorum imperio. AMMIANVS: *l) miſſos a Iouino milites aduentare, quos capita ſcholarum ordo caſtrenſis appellat.* Et paulo poſt: *Valentiniano regenda ſcutariorum ſecunda committitur ſchola.* Diſcurrere veteribus nihil aliud eſt, quam hinc inde, vel in partes diuerſas currere; ſed hac aetate valet etiam pro

d) Adu. Hermogenem c. 7. *e*) Adu Valentinianos c. 15. *f*) Apotheoſ. v. 246. *g*) De praeſc. adu. haeret. c. 46. *b*) Vid. CICERO officior. l. 1. c. 43. *i*) Serm. 1. de eleemoſyna oper. p. m. 131. *k*) Serm. 2. de zelo et liuore oper. p. m. 134. *l*) Lib. 25, ſub fin. Confer. CELLARIVS cur. poſter. p. 319.

differere et loqui. AMMIANVS: *m*) *ſuper quo nunc pauca diſcurram.* Sic quoque diſcurſus, ſine veterum auctoritate, pro diſſertatione, vel ſermone ſumitur. Feſtiuitas lepor atque venuſtas eſt: quam ſolemnitatem feſti cuiuscunque diei eſſe voluerunt. LAMPRIDIVS: *n*) *addita feſtiuitas matris nomine, atque ipſius, quae hodieque Romae religioſiſſime celebratur natali eius die.* Veteribus *fornicare* eſt fornicem facere: hinc deponens fornicari, ſine probati ſcriptoris auctoritate, eſt ſcortari; *o*) fornicatio, quae eſſet fornicis ſtructura, ſcortatio; *p*) fornicator, moechus; *q*) fornicarius, leno; *r*) et fornicaria, proſtibulum. *s*) Rancor proprie eſt foetor ex corruptione: et male transfertur ad animum, vt eius acerbitatem atque odium exprimat. HIERONYMVS: *t*) *veteri rancore depoſito.* Idem: *v*) *poſt reconciliatas amicitias nullum interceſſiſſe rancorem.* Tribulare proprie eſt tribulis tundere et comminuere, his temporibus ſumitur pro affligere, aut dolore afficere. TERTVLLIANVS: *x*) *qui in omnibus tribulemur, ſed non coanguſtemur.* Sic quoque tribulatio et contribulatio eſt afflictio, aut vita aerumnis plena. *y*) *Simplicare* apud PALLADIVM *z*) eſt ſim-

m) Lib. 17. c. 6. *n*) In Alexandro c. 63. *o*) TERTVLLIANVS adu. Gnoſt. c. 13. de pudicit. c. 22. *p*) Idem de pudicit. c. 1. extr. contra Marc. 5. 7. HIERON. apolog. ad Pamach. c. 3. *q*) TERTVLL. de pudicit. c. 1. SALVIANVS de gubernat. Dei l. 7. *r*) SALVIAN. l. c. TERTVLL. de anima c. 35. *s*) TERTVLL. de pudicit. c. 16. *t*) Epiſt. 36. ad Caſtorinam. *v*) Epiſt. 66. ad Ruffinum. Conferat. AVGVSTINI ad Hieronym. epiſt. 93. inter Hieronymi epiſtolas. *x*) Aduerſ. Gnoſt. c. 13. *y*) Vid. TERTVLL. adu. Iud. c. 5. 11. et 13. LACTANTIVS diu. inſtit. l. 4. c. 19. SALVIANVS de gubernat. Dei l. 3. *z*) Lib. 2. tit. 16.

Digitized by Google

ſimplum facere. At reſimplicare apud CAELIVM AVRELIANVM *a*) eſt duplicare. *Linteolum*, inquit, *aqua tingentes partibus reſimplicatum apponunt.* Poſitiones pro partibus, ſeu membris, VLPIANVS dixit. *b*) Imminutum PAVLVS habet, pro non minutum: cum veteteribus *imminutum* ſit valde minutum, vt particula *in* non neget, verum augeat potius verbi ſignificationem. *c*) Commendare, cum in bonam partem ſemper vſurpari ſoleat, et idem ſit, quod laudare, VLPIANVS ſenſu dixit contrario: *d*) *tutorem non facultates, ſed fraudulenta in rebus pupillaribus, vel callida conuerſatio ſuſpectum commendat.* IMMINEO, quod non, vt VOSSIVS *e*) putat, a *maneo*, neque, vt alii, a *minis*, verum ab antiquo *mineo*, ich hange, als wolte ich fallen, deriuatur, *f*) optimis Latinae linguae auctoribus nihil aliud, quam inſtare, aut impendere, vorhanden ſeyn, herannahen, oder wornach ſtreben. Ita CICERO: *g*) *mors propter incertos caſus quotidie imminet.* Sic imminet nobis periculum. PLINIVS: *h*) *princeps, qui ſibi imminere putat, quod in hoſtes paratur* etc. Pari modo, *imminere imperio.* *i*) *Rebus imminere.* *k*) *Imminere alieno.* *l*) Iam vero ſeneſcente magis Latina lingua, *imminere* ſeruorum eſt, et obedientiam praeſtare ſignificat, aut apparitoris officio fungi. AMBROSIVS: *m*) *legebatur reſcripti forma: di-*

a) Lib. 5. c. 1. *b*) Vid. DVKERVS de Lat. ICtor. veter. p. 326. *c*) Ibid. p. 371. *d*) L. 31. §. 1. D. de rebus auctorit. Iud. poſſidend. Confer. DVKER. de Latinit. ICtor. veter. p. 379. *e*) Etymol. *f*) Vt eſt apud LVCRETIVM l. 6. v. 562. *Inclinata minent in eandem prodita partem.* *g*) Tuſcul. quaeſt. l. 1. c. 38. Confer. pro domo c. 6. Verr. 2. c. 54. *h*) Paneg. c. 18. *i*) CICERO pro Balbo c. 15. *k*) TACITVS annal. l. 16. c. 14. n. 3. *l*) SENECA epiſt. 2. *m*) Offic. l. 2. c. 29.

rectio magiſtri officiorum ſtatuta: agens in rebus imminebat. ARCADIVS et HONORIVS Auguſti, lege, vt nihil palatini, ſed iudices exigant a prouincialibus: *n*) *palatinum poſſeſſor non horreat: qui non ſibi, ſed iudicibus atque officiis praeceptus eſt imminere.* Eoque CHIFFLETIVS *o*) fruſtra illud Horatianum trahit: *Iam Cytherea choros ducit Venus imminente Luna*: quaſi quae apparitoris vice tunc fungeretur. Nemo enim non videt, Lunam, quae prima et noua, imminere dici, et Venerem ad nouas voluptates excitare. Verbum indigitare, aut potius indigetare ab *indiges*, qui homo eſt conſecratus, aut in deorum numerum relatus, pontificale, a FESTO *imprecari* exponitur, et nihil aliud eſt, quam *inuocare*. *p*) CATO: *q*) *quam deam ſolent indigetare etiam pontifices.* Et MACROBIVS: *r*) *virgines veſtales ita indigetant, Apollo medice, Apollo pean.* Sed hac aetate verbum iſtud, quaſi a digitis deductum, ſignificare putarunt nihil aliud, quam indicare, nominare, ac digito quaſi commonſtrare. Hinc TERTVLLIANVS: *s*) *cum ſtupet coelum, et aret annus, nudipedalia nunciantur, magiſtratus purpuras ponunt, faſces retro auertunt, precem indigitant* (i. e. indicant) *hoſtiam inſtaurant.* Praeſumo antiquis eſt ante ſumo, prius capio. Sed quia vanam huiusmodi opinionem inſolentia vel audacia ſequitur: factum eſt tandem, vt *praeſumere* pro *audere* ponerent. Sic apud SVLPICIVM SEVERVM *t*) *elatus ſecundis rebus, illicita praeſumens*

n) L. 10. C. de officio rectoris prouinciae, quae eſt Codicis lib. 1. tit. 40. *o*) De ſtatu reip. Rom. ſub Conſtantino M. et eius filiis. *p*) Vid. FESTVS v. *indiges, indigitamenta, indigitando.* *q*) Apud NONIVM c. 4. n. 319. *r*) Saturn. l. 1. c. 17. *s*) De ieiun. c. 16. *t*) Hiſt. ſacr. l. 1. c. 47.

Digitized by Google

ſumens. Alibi de Saule, *v*) *illicita*, inquit, *praeſumtione rex ad vicem ſacerdotis holocauſtum obtulit.* SEXTVS RVFVS: *x*) *Epirotae aliquando cum rege Pyrrho etiam ad Italiam tranſire praeſumſerant.* Promouere, quod eſt producere, protrahere, in alium locum transferre, veteres nunquam de honoribus abſolute dicebant, ſed ipſum dignitatis addebant gradum. CAPITOLINVS: *y*) *tantumque* M. Antoninus Philoſophus *apud Pium valuit, vt nunquam quemquam ſine eo facile promouerit.* LAMPRIDIVS: *z*) *eos eſſe promouendos, qui per ſe remp. gerere poſſent.* Inuidere, verbum notiſſimae ſignificationis, proprie eſt inſpicere, atque hinc dolere ob res aliorum ſecundas. Sed APVLEIVS *a*) eo etiam vſus eſt pro *non videre.* Reficere dixit VLPIANVS, pro iterum facere, *reficere teſtamentum*, pro denuo condere. *b*)

§. XIII.

Nominum alias terminationes facere non verebantur. Veteres *nigror*, *nigritudo*, *nigritia*, et *nigrities* dicebant. At huius aetatis homines nigredinem ſubſtituebant. Sic APVLEIVS: *c*) *coruina nigredine caerulos columbarum colli floſculos aemulantur. Peccans* aut *peccatus* dicebatur peccator, *d*) aut ſexu ſequiori peccatrix. *e*) Quod antiquis *peccatum*, peccamen fecerunt. PRVDENTIVS: *f*) *tincta malo peccamine principis Adae.* Alibi

v) Lib. 1. c. 33. *x*) Breu. c. 7. *y*) In Marco c. 6. *z*) Alexandro Seuero c. 46. init. *a*) In apologia, confer. REIMMANNVS introd. in hiſtor. vocabul. linguae Latinae p. 63. *b*) Vid. DVKERVS de Latinitate ICtor. veter. p. 352. *c*) Aſini aurei l. 2. *d*) LACTANTIVS inſt. diu. l. 3. c. 25. *e*) TERTVLLIANVS de ſpectac. c. 3. contra Marc. 4. 18. *f*) Apotheoſ. v. 915.

Digitized by Google

bi *g*) *fomes peccaminum*; Et *h*) *diſſolutis priſtinorum vinculis peccaminum*. Leges vbique *profundum* apud veteres, cuius loco iam profunditas nata eſt: quae vocis noua terminatio MACROBIO *i*) inprimis arriſit. TERTVLLIANVS: *k*) *in ipſis viſceribus terrae abſtruſa profunditas*. Quam ſuperior aetas *vnitatem* vocabat, *l*) iam vnio dicebatur. HIERONYMVS: *m*) *decas decima vnione completur*. TERTVLLIANVS: *n*) *denique perſeuerauit vnio coniugii*. Inquiſitionem, vel exploration nem etiam *ſcrutationem* vocabant: hinc ſcrutinium APVLEIVS *o*) *magiſtratibus placuit, obſtinate denegantem, ſcrutinio detegere*. Et AMMIANVS *p*) *inter ſcrutinia ſupellectilis*. Placuit veteribus *Albitudo, albor*, vel etiam *color albus*. *q*) Iam vero obtinuit albedo. SVLP. SEVERVS *r*) de manna, *in modum*, inquit, *coriandri ſeminis glaciali albedine erat*. Apud APVLEIVM *s*) eſt *perniciosa albedo*. Sed ea lectio aliis ſuſpecta eſt, qui legere malunt *perniciosa dulcedo*. Atqui apud eundem etiam albities vel albitio reperitur. *t*) Notiſſima vox, etiam ſuperiori aeuo a MARTIALE *v*) vſurpata, eſt *calculator*: iam

g) Periſt. 10. 517. *h*) Cathem. 9. 95. *i*) Somn. Scip. l. 1. c. 6. Saturnal. l. 1. c. 20. l. 2. c. 2. l. 3. c. 7. l. 7. c. 14. *k*) De anima c. 55. *l*) Vid. SENECA de vita beata c. 8. extr. COLVMELLA l. 7. c. 3. PLINIVS l. 7. c. 12. l. 16. c. 22. l. 35. c. 1. CELSVS l. 4. 19. l. 7. c. 4. *m*) Comment. in Amos c. 5. *n*) De monogam. c. 4. *o*) Aſino aureo l. 9. extr. *p*) Lib. 29. c. 2. *q*) Vid. PLAVTVS trinum. A. 4. S. 2. v. 32. SCRIBON. LARGVS compoſit. 24. PALLADIVS l. 11. c. 14. VAVASSOR de vi et vſu verbor. Latin. p. m. 3. *r*) Hiſt. ſacrae l. 1. c. 16. *s*) Apolog. *t*) Confer. BARTHIVS aduerſ. l. 37. c. vlt. *v*) Lib. 10. epigr. 62.

Digitized by Google

iam vero calculo ſubſtitutus. FESTVS RVFVS: *x*) *morem ſecutus calculorum, qui ingentes ſummas aeris breuioribus exprimunt.* Optimis ſcriptoribus accepta eſt *cautio*; cautela non item. Sed POMPONIVS: *y*) *prius idonea cautela a debitore pro indemnitate ei praeſtanda.* VLPIANVS: *z*) *qui ad communi diuidundo iudicium datus eſt ad agendum, item et ad defendendum videbitur datus, duplici cautela interponenda.* Optimae notae eſt *dubitatio.* Apud huius aeui ſcriptores eſt dubietas. EVTROPIVS: *a*) *cum ſine dubietate aliqui deferrent.* AMMIANVS: *b*) *abſentia magiſtri equitum faciente dubietatem.* Alibi: *c*) *futurum ſine dubietate victorem.* Ex *gratia* gratioſitas orta eſt. TERTVLLIANVS: *d*) *naturalem nouitatis gratioſitatem volui repercutere.* Ex *honore* honorificentia. VOPISCVS: *e*) *templum Soli poſuit, maiore honorificentia conſecratum.* SYMMACHVS: *f*) *nulla ratione te poſſe euocationis honorificentiam deprecari.* Rurſus: *g*) *quibus te honorificentia imperialis acciuit.* Alibi: *h*) *hanc honorificentiam dignemini gratanter amplecti.* Veteribus *ſignum* placuit; huius aeui ſcriptoribus ſignaculum. Sic leges apud TERTVLLIANVM *i*) *ſignaculum corporis, ſignaculum fidei, ſignaculum orationis* etc. Vſu receptiſſima vox *ſenſus*: ſed barbara ſenſualitas. TERTVLLIANVS: *k*) *Plato irrationalem pronunci-*

x) Breuiar. rerum Rom. praefat. ad Valentem Aug. *y*) L. 6. D. de pigneratitia actione. *z*) L. 15. extr. D. de procuratoribus et defenſor. *a*) Lib. 6. c. 16. n. 2. *b*) Lib. 20. c. 6. *c*) Lib. 22. c. 14. *d*) Aduerſ. Marc. l. 1. c. 9. *e*) Aureliano c. 25. extr. *f*) Lib. 6. epiſt. 35. *g*) Lib. 6. epiſt. 36. *h*) Lib. 7. epiſt. 76. *i*) Apolog. c. 21. de ſpectacul. c. 24. de orat. c. 14. *k*) De anima c. 17. pr. vid. etiam c. 38. extr.

nuncians ſenſualitatem. Veteres *profundum* eleganter, profunditas nunquam dixerunt. Sed hoc aeuo MACROBIVS: *l*) *corporum tres ſunt dimenſiones, longitudo, latitudo, profunditas.* Idem: *m*) *oculus videt coeli profunditatem.* TERTVLLIANVS: *n*) *in ipſis viſceribus terrae abſtruſa profunditas.* Vox Ciceroniana *refrigeratio*, quam in refrigerium permutarunt. TERTVLLIANVS: *o*) *aliter anima non capiat paſſionem tormenti ſeu refrigerii.* OROSIVS: *p*) *pluuia ſitientibus refrigerium potumque praebuit.* HIERONYMVS: *q*) *Lazarus videtur in ſinu Abrahae locoque refrigerii.* Non illis veterum ſufficiebat *interpres*, quem interpretatorem dicere maluerunt. TERTVLLIANVS: *r*) *ipſe interpretator eſt, quomodo coelum ſolus extenderit.* Et interpretamentum ex *interpretatione* factum: qua voce A. GELLIVS *s*) aliquoties vſus eſt. Atqui eam etiam ſuperiori aetate PETRONIVS *t*) vſurpauit. Quod veteribus erat *regimen*, fecerunt regimentum. Ita AMMIANVS: *v*) *ad vſque ſublimia regimenta* ſc. venturus. Idem: *x*) *excuſſa regimenta perito rei gerendae ductori, conſummando iuueni porrexiſti.* AVR. ARCADIVS: *y*) *regimentis reip. ad imperatores perpetuos translatis.* A *ſpeculari*, quod proprie eſt e ſpecula proſpicere, atque hinc transfertur ad alia, v. gr. longe in poſterum proſpicere, vel ad omnia momenta temporum, rerumque euentus intentum eſſe; *z*) ſubſtan-

l) In ſomn. Scipion. l. 1. c. 6. *m*) Saturnal. l. 7. c. 14. *n*) De anima c. 55. *o*) De reſur. carn. c. 17. *p*) Lib. 5. c. 15. *q*) Epiſt. 3. ſiue Nepotiani epitaphio. *r*) Aduerſ. Prax. c. 19. *s*) Noct. Attic. l. 5. c. 18. l. 6. c. 2. et l. 13. c. 9. *t*) Satyr. c. 10. *ſomniorum interpretamenta* dixit. *v*) Lib. 28. c. 1. *x*) Lib. 25. c. 9. *y*) Leg. vnica pr. D. de officio praefecti praetorio. *z*) Vid. TACITVS annal. l. 1. c. 31. hiſtor. l. 3. c. 79.

Digitized by

ſubſtantiuum *ſpeculatus*, *a*) AMMIANVS *b*) ſpeculationem, PRVDENTIVS *c*) ſpeculamen fecerunt. Veteribus *creatio* placuit, huius aeui ſcriptoribus creamen. PRVDENTIVS: *d*)

\- - - - - - *ex elementis*
Cuncta ſolubilibus, fluxoque creamine, conſtant.

Deuotionem etiam deuotamentum fecerunt. TERTVLLIANVS: *e*) *vt deuotamenta fierent vniuerſa eius.* Vox Ciceroniana *adoptio.* Hac aetate non tam linguae vſu et obſeruatione, quam grammaticorum regulis freti, adoptationem dicere maluerunt. A. GELLIVS: *f*) *cum in alienam familiam, inque liberorum locum extranei ſumuntur, aut per praetorem fit, aut per populum. Quod per praetorem fit, adoptatio dicitur; quod per populum, arrogatio.* Noui, huius vocis patronum iuniorem quoque PLINIVM *g*) citari. Cum aliis vero CELLARIVS *h*) de genuina Plinii lectione, nec immerito, dubitat. Suſpectum VOSSIVS *i*) quoque facit Gellii locum, quem ſcripta et impreſſa optima quaeque exempla probant. Pro *foedere* perperam hac aetate confoederationem dixerunt. HIERONYMVS: *k*) *prima apud eos confoederatio eſt, obedire maioribus.* Neque illis *humilitas* tantum, vox veteribus probata Latinis, verum etiam humiliatio dicta. TERTVLLIANVS: *l*) *non capit vllam diminutionem et humiliationem, quod eſt aeternum atque innatum.* Apud veteres et optimos L. L. auctores *notitia* legitur;

a) Apud PLINIVM l. 10. c. 75. *b*) Lib. 26. c. 10. et lib. 27. c. 2. *c*) Apotheoſi v. 20. *d*) Hamartig. v. 505. *e*) Aduerſ. gnoſtic. c. 2. *f*) Noct. Attic. l. 5. c. 19. init. *g*) Panegyr. c. 5. *h*) Antibarbaro pag. 3. ſeq. *i*) De vitiis ſermonis Latini l. 3. c. 1. *k*) Epiſt. 22. de cuſtod. virg. c. 15. *l*) Adu. Hermogenem c. 7.

apud SYMMACHVM *m*) et alios noſcentia. Quod veteres *infortunium*, hac aetate non verebantur infortunitatem dicere. A. GELLIVS: *n*) *ſunt bona et mala, felicitas et infortunitas, dolor et voluptas.* Latiſſimae ſignificationis *res* eſt: de diminutiuo reſcula ſiue recula veteres ne cogitare quidem potuerunt. DONATVS *o*) de Virgilii patre, *apibus*, inquit, *curandis reculam auxit.* Apud APVLEIVM *p*) ſunt *pannoſae reſculae*, alte Lumpen. Vt *bonitas* a *bono*, ſic apud VLPIANVM a *malo* eſt malitas: *q*) qui et ducatorem, pro duce, dixit, *r*) et dulcitudinem, pro dulcedine. *s*) Miſſa valet pro *miſſione*, quum populo fit abeundi poteſtas. PAPINIANVS: *t*) *ad domum mulieris miſſa non praeceſſit.* Vet. form. *ite, miſſa eſt.* Remiſſa pro *remiſſione.* TERTVLLIANVS: *v*) *diximus de remiſſa peccatorum.* CYPRIANVS: *x*) *qui blaſphemauerit in ſpiritum ſanctum non habet remiſſam, ſed reus eſt aeterni peccati.* Taceo, in aliis atque aliis Romanorum coloniis linguam aliter pronunciatam fuiſſe: vt Africani oſſum dicebant pro *os*, floriet pro *florebit*, dolus pro *dolor*. Hinc AVGVSTINVS *) fatetur, ſaepius ſe coactum, vt intelligi poſſet, vocabulis minus Latinis vti.

§. XIV.

Noua nomina fingebant ſubſtantiua. CONSISTORIVM,

m) Lib. 6. epiſt. 11. *n*) Noct. Attic. l. 6. c. 1. *o*) Virgilii vita init. *p*) Aſino aur. l. 4. Confer. SALVIANVS de gubernat. Dei l. 5. cum annot. BALVZ. et RITTERSHVSII. *q*) Vid. DVKERVS de Latinitate ICtor. veter. p. 325. *r*) Ibid. p. 335. *s*) Ibid. p. 370. *t*) L. 39. §. 3. D. ad legem Iul. de adult. *v*) Aduerſ. Marc. 4. 18. *x*) Lib. 3. epiſt. 14. *) In enarrat. pſalm. 123. et 138. l. 2. de doctr. Chriſt. c. 13. Confer. EDOARDI BREREWODI ſcrutinium linguarum c. 4. extr.

Digitized by Google

RIVM, ingraueſcente Latinitatis ſenectute, vocarunt *ſenatum*, *conſeſſum*, *conſilium*. TERTVLLIANO *y*) theatrum eſt *priuatum conſiſtorium impudicitiae*. AVSONIVS: *z*) *in illa ſede, vt ex more loquimur, conſiſtorii*. Ita quoque apud AMMIANVM MARCELLINVM *admiſſus in conſiſtorium*, *a*) et *conſiſtorium ſolus ingreſſus intimum*. *b*) Figmenti nomine veterum ac idoneorum ſcriptorum nemo vſus eſt: quod hac ſenectutis imbecillitate oppido multi variis ſignificationibus aſſumſerunt. De inſomnio APVLEIVS: *c*) *bono animo eſto, nec vanis ſomniorum figmentis terreare*. Et AMMIANVS MARCELLINVS: *d*) *per quietem deducentia ſe habitus tragici figmenta viderat multa*. De ſimulacro, ſtatua, aut idolo CYPRIANVS dixit: *e*) *et honoris inſtituta ab hominibus profana templa, et terrena figmenta, et ſacra ſacrilega patientiſſime ſuſtinet*. ARNOBIVS: *f*) *neque vllum eſt reperire figmentum alicuius numinis*. AMMIANVS: *g*) *figmenta aerea, ſenſu carentia*. Et A. GELLIVS: *h*) *eius animalis* caprae *figmentum iuxta ſimulacrum* dei veiouis *ſtat*. De commento MACROBIVS *i*) ſaepe vtitur. MINVTIVS FELIX: *omnia iſta figmenta male ſanae opinionis*. TERTVLLIANVS: *k*) *figmentum veritatis in imagine eſt*. LACTANTIVS: *l*) *figmenta haec eſſe poetarum quidam putant*. Ita plures paſſim alii. Incentor non modo qui incinit, ſiue cantor, *m*) verum etiam auctor et

y) De ſpectaculis c. 17. *z*) Ad Gratianum. *a*) Lib. 14. c. 22. *b*) Lib. 15. c. 8. *c*) Aſini aurei lib. 4. *d*) Lib. 19. c. 27. *e*) De patientia c. 2. *f*) Lib. 6. *g*) Lib. 14. c. 15. *h*) Noct. Attic. l. 5. c. 12. *i*) Somnio Scipionis l. 1. c. 3. *k*) Reſurrect. carn. c. 30. *l*) Diuin. inſtit l. 7. c. 22. *m*) ISIDORVS orig. l. 6. c. 19. *tres gradus ſunt in cantando, primus ſuccentoris, ſecundus incentoris, tertius accentoris*.

inſtigator dictus eſt. AMMIANVS: *n*) *quoad vixerat igneus turbarum incentor.* SYMMACHVS: *o*) *qua in re tibi opportunus incentor frater noſter Pontianus accedet.* AMBROSIVS: *p*) *ſi me incentorem putarent.* PAVLINVS Nolanus: *q*) *carminis incentor Chriſtus mihi.* Item: *r*) *incentor potius, quam conſolator lacrumarum.* Eiusdem valoris incenſor eſt, vt *meſſium incenſores*, *s*) et metaphorice, *turbarum incenſor.* *t*) Quod veteres *ſtimulum* appellarunt, ſequioris huius aeui ſcriptoribus incentiuum eſt. AMMIANVS: *v*) *cuius acerbitati vxor graue acceſſerat incentiuum.* Incertus auctor panegyrici Conſtantino Auguſto dicti: *x*) *Spartanae tibiae incentiuum aliquod ferunt habuiſſe.* Sic *incentiuum peccaminis*, *y*) et *incentiua vitiorum.* *z*) Quae *confuſio* dicta veteribus, APVLEIO *a*) eſt inordinatio. *Senectus*, inquit, *mundo veniet, irreligio, inordinatio, irrationabilitas bonorum omnium.* Pro ſtellarum poſitu, huius aeui ſcriptoribus eſt conſtellatio. *b*) At eleganter CICERO: *c*) *affectio aſtrorum ad quasdam res valet.* Alibi: *d*) *ſi ad rem pertinet, quo modo coelo affecto, compoſitisque ſideribus quodque animal oriatur.* Et mox: *fac in puero referre, ex qua affectione coeli primum ſpiritum duxerit.* Ex *aere Cyprio*

n) Lib. 15. c. 1. Sic quoque l. 16. c. 27. *o*) Lib. 5. epiſt. 32. *p*) Lib. 5. epiſt. 35. *q*) Natali Felicis 4. *r*) Epiſt. 29. n. 8. *s*) L. 16. §. penult. D. de poenis. *t*) Apud AMMIANVM l. 31. c. 25. *v*) Lib. 14. c. 1. *x*) Qui octauus eſt eorum, quos Cellarius edidit, c. 1. n. 4. *y*) Apud PRVDENTIVM apotheoſ. v. 929. *z*) Apud HIERONYMVM epiſt. 2. ad Nepotian. *a*) Hermete Triſmegiſto de natura Deorum ad Aſclepium. *b*) Vid. FIRMICVS aſtrolog. l. 1. c. 1. AMMIANVS l. 29. c. 17. CAPITOLINVS Gord. c. 20. *c*) De fato c. 4. *d*) Diuinat. l. 2. c. 47.

Digitized by

prio e) Cuprum fecerunt. SPARTIANVS *f*) *ex aere*, inquit, *vel cupro, cancelli ſuperpoſiti.* Qui exhibet, exhibitorem nominarunt: vt apud ARNOBIVM *g*) eſt *exhibitor ludorum.* Et exhibitio vix ante audita. Apud GELLIVM *h*) eſt *chirographi exhibitio.* VLPIANVS: *i*) *ſuperiora interdicta exhibitoria ſunt, h. e. pertinent ad exhibitionem liberorum.* Pro aedibus, ab *habitare* habitaculum finxerunt. Apud GELLIVM *k*) *habitaculum leonis*, pro habitationis loco. Apud TERTVLLIANVM *l*) *mortuorum habitaculum*, SOLINVS: *m*) *pars infima Capitolini montis habitaculum Carmentis fuit.* CYPRIANVS: *n*) *melioris habitaculi hoſpitia* Chriſtus *demonſtrat.* LACTANTIVS: *o*) *cur ſibi Dii habitaculum non aedificarint.* ARNOBIVS: *p*) *Deos habitacula inire terrena.* Qui elegantioris aeui ſcriptoribus *olitores* iam hortulani vocantur. APVLEIVS: *q*) *dilapſae domus fortunam hortulanus ille miſeratus. - - - Hortulanus ſupplicue reſpondit, ſermonis ignorantia ſe, quid ille diceret, ſcire non poſſe.* Sic paſſim ſaepius. *Die ſequenti meus quidem dominus hortulanus quid egerit neſcio.* *r*) MACROBIVS: *s*) *Tharſius Amphias cum ex hortulano potens eſſet.* Hac etiam aetate tandem ab *incola* ortus videtur incolatus, ad indicandam habitationem ſine ciuitatis iure. Apud TERTVLLIANVM *t*) *euocare ab inferum incolatu.* MODESTI-

e) Vid. PLINIVS hiſt. nat. l. 33. c. 5. et l. 36. c. 26. HIERONYMVS vita Hilarionis. *f*) Caracalla c. 9. *g*) Aduerſ. gentes l. 7. *h*) Lib. 14. c. 2. *i*) L. 3. §. 1. D. de liberis exhibendis. *k*) Noct. Attic. l. 5. c. 14. *l*) De reſurrect. carn. c. 19. *m*) Polyhiſt. c. 2. *n*) De diſciplina et habitu virg. c. 18. *o*) De ira Dei c. 10. *p*) Aduerſ. gent. l. 6. *q*) Aſin. aur. l. 9. *r*) Ibid. l. 10. init. *s*) Saturn. l. 7. c. 3. *t*) De anima c. 57. pr.

DESTINVS: *v*) *incola iam muneribus publicis deſtinatus, niſi perfecto munere, incolatui renuntiare non poteſt.* A probato veteribus verbo *deſinere* deſitudinem fecerunt. SVLP. SEVERVS: *x*) *etſi quid ex his ſtudiis olim fortaſſe libaſſem, totum id deſitudine tanti temporis perdidiſſem.* A *iurare* iurisiurandi actum iurationem nominarunt. MACROBIVS: *y*) *verba iurationis concipit.* TERTVLLIANVS: *z*) *cum te alius per deos ſuos obligat iuratione.* Apud AVGVSTINVM *a*) *iuratione Dei firmata promiſſio.* Et pulcherrimum *iurisiurandi* nomen in iuramentum conuerterunt. AMMIANVS: *b*) *iuramento, quaeſo, concordiam ſpondete manſuram.* Alibi: *c*) *iuramentis illecti.* SVLPICIVS SEVERVS *d*) Berſeba, loci nomen, interpretatur *puteum iuramenti.* HIERONYMVS: *e*) *iuramentum, quod iurauit* Deus *ad Abraham.* VLPIANVS: *f*) *ſi de qualitate iuramenti fuerit inter partes dubitatum* etc. Quod *album* fuerat a veteribus dictum, matriculam nominare maluerunt. VEGETIVS: *g*) *producendi tyrones ſunt ſemper ad campum, et ſecundum matriculae ordinem in aciem dirigendi.* Huius aetatis etiam eſt protectio. TERTVLLIANVS: *h*) *apud Deum et concuſſio fidei, et protectio.* Apud AMBROSIVM *i*) *armorum protectione munitus.* Apud CYPRIANVM *k*) *diuina protectio.* Ex triumphante, qui triumphum agit, triumphatorem fecerunt. APVLEIVS: *l*) *ille vir de Sabinis, deque*

v) L. 34. D. ad municipalem et de incolis. *x*) Praefat. de vita Martini. *y*) Saturn. l. 1. c. 6. extr. *z*) De idololatr. c. 21. pr. *a*) De ciuit. Dei l. 16. c. 32. extr. *b*) Lib. 21. c. 9. *c*) Lib. 24. c. 2. *d*) Lib. 1. c. 8. *e*) Quaeſt. in 1. paralip. 4. *f*) L. 34. §. 5. D. de iureiurando. *g*) De re milit. l. 1. c. 26. vid. etiam l. 2. c. 2. *h*) De fuga perſecut. c. 2. *i*) Sermon. 88. extr. *k*) Epiſt. 10. n. 3. *l*) Apolog.

Digitized by

deque Samnitibus, deque Pyrrho triumphator. Alibi: *m*) *militaris et triumphator, et propagator, tropaeophorus* etc. Apud CYPRIANVM *n*) Celerinus martyr eſt *longae colluctationis miraculo triumphator.* Conſortium et communionem, a *participare*, participationem fecerunt, *o*) et participatum. *p*) Quam veteres doctrinam, hac vegeta L. L. ſenectute non veriti ſunt magiſtrationem vocare, qua voce et ſcholas ſignificari voluerunt. APVLEIVS: *q*) *quae beneficio ſolo naturae proueniunt, vel quae ſolis diſciplinis traduntur, et magiſtratione diſcuntur.* Theodoſius et Valentin. imperatores: *r*) *vniuerſos, qui vſurpantes ſibi nomina magiſtrorum, in publicis magiſtrationibus cellulisque collectos vndecunque diſcipulos circumferre conſueuerunt, ab oſtentatione vulgari praecipimus amoueri.* Tributi genus, quod in capita perſonarum, aut pecudum indicitur, et quod CICERONI *s*) eſt *capitum atque oſtiorum exactio*, hac vegeta L. L. ſenectute capitationem vocarunt. *t*) Quae veteribus cupido et cupiditas, concupiſcentiam fecerunt. TERTVLLIANVS: *v*) *corrumpi ſecundum concupiſcentiam ſeductionis.* HIERONYMVS: *x*) *concupiſcentia, libidinis ſeminarium.* PAVLINVS: *y*) *crimen illicitae concupiſcentiae.* Atque hinc etiam,

m) De mundo ſub finem. *n*) Epiſt. 34. n. 2. *o*) SPARTIANVS Iuliano c. 6. AVGVSTINVS Octingentar. quaeſt. 24. *p*) SPARTIANVS Seuero c. 8. CAPITOLINVS Vero c. 3. et Opilio Macr. c. 5. *q*) De dogmat. Platon. *r*) Leg 1. init. C. de ſtudiis liberalibus vrbis Romae et Conſtantinopolitanae. *s*) Ad diuerſ. l. 3. epiſt. 8. *t*) Vid. LIPSIVS ad Tacit. annal. l. 1. pag. 49. BALDVINVS Conſtantino Magno p. 45. et 102. *v*) De reſurrect. carnis c. 45. *x*) Epiſt. 128. *y*) Epiſt. 30. n. 3.

iam, qui aliquid cupit, concupitor dictus: vt apud IVL. FIRMICVM MATERNVM *z*) ſunt *rerum alienarum concupitores.* Res creata ſcriptoribus ſacris eſt creatura. TERTVLLIANVS: *a*) *illius eſt enim ipſe, cuius eſt coelum et omnis creatura.* HIERONYMVS: *b*) *cumque veniſſet ad rationales creaturas* etc. Qui intermedius eſt, et ab optimis ſcriptoribus conciliator vocatur, nunc audit mediator. AVGVSTINVS: *c*) *quoniam ipſe fructus eſt* mediationis *eius, vt nec ipſi propter quos liberandos mediator effectus eſt, in perpetua, vel carnis morte remanerent. Proinde mediatorem inter nos et Deum, et mortalitatem habere oportuit tranſeuntem, et beatitudinem permanentem. - - - vno mediatore opus erat - - - nec tamen ob hoc mediator eſt* etc. Res abominanda abominatio dicta eſt, qua voce patres eccleſiae ſaepius, et verſio ſacri codicis vulgata paſſim, vtuntur. OROSIVS *d*) vero etiam abominamentum vocat. Sed verbum *abominor*, vnde haec deriuantur, immerito a multis, tanquam nouum ac deterioris notae, reiicitur. Sunt videlicet, qui, quod in Ciceronis operibus non ſupereſt, inter non optima referre ſolent. At LIVIVS eo verbo haud raro vtitur. *Quod abominaris, e*) *Quod igitur nos maxime abominaremur. f*) *Abominati ſemimares. g*) *Abominatus mentionem facinoris. h*) OVIDIVS: *i*) *quod abominor*, i. e. quod Deus auertat. Plinios, Curtium, aliosque deterioris aetatis, quam vulgo argenteam vocant, iam

z) Aſtronom. l. 8. c. 22. *a*) Apologet. c. 30. *b*) Epiſt. 59. ad Auitum oper. tom. 2. p. 103. B. *c*) De ciuitate Dei l. 9. c. 15. *d*) Lib. 2. c. 5. et 16. *e*) Lib. 6. c. 40. *f*) Lib. 30. c. 30. *g*) Lib. 31. c. 12. *h*) Lib. 40. c. 4. *i*) Ex Ponto l. 3. eleg. 1. v. 105.

Digitized by

iam nihil moramur. *k*) Burgus caſtrum eſt, ſeu paruum caſtellum. VEGETIVS: *l*) *Quod vltra iactum teli, in cliuo tamen ciuitatis ſubiecta ſit vena, caſtellum paruulum, quem burgum vocant, inter ciuitatem et fontem conuenit fabricari.* Sunt, qui a Graeco πύργος, turris, deriuare velint. Et iam tum LIVIVS: *m*) *ad caſtellum, Pyrgum vocant, copias omnes eduxit.* Eſt vero Germanorum vox notiſſima Burg, vnde ciues die Bürger vocantur: ex burgis enim, ſiue arcibus limitaneis tractu temporis vrbes ſunt conſtitutae. Et Arcadius imperator reſcripſit: *n*) *eum, qui collegio, vel curiae, vel burgis, ceterisque corporibus, per XXX. annos, ſine interpellatione ſeruierit; res dominica, vel intentio priuata non inquietabit.* Hinc burgarii, qui ex eiusmodi aliquo ſunt caſtro, et Codice Theodoſiano, ſingulari titulo *o*) notantur. Hos quondam, ſubacta Germania, Romani per caſtra diſpoſuerunt. Et Burgundiones ex locis munitis nomen ſortiti ſunt, poſtquam praeſidiarii in magnam multitudinem creuerunt. *p*) Computus a *computare* verbo, veteribus probato, ſubſtitutus *rationi*: quo quidem vocabulo, ante hanc vegetam linguae ſenectutem, quantum conſtat, nemo vſus eſt. IVL. FIRMICVS MATERNVS: *q*) *alii enim computos exercent, alii difficilium literarum aut inuentores, aut magiſtri oriuntur.* Idem: *r*) *qui duplicibus literis*

k) Conſer. CELLARIVS curis poſter. de barbariſmis et Idiot. ſermonis Lat. p. 54. et DIPANIVS obſeruat. in Lat. ling. hac voce. *l*) De re militari l. 4. c. 10. *m*) Lib. 27. c. 32. *n*) L. 6. C. de fundis rei priuatae, et ſaltibus diuinae domus. *o*) Lib. 7. tit. 14. *p*) Vid. ISIDORVS orig. l. 9. c. 2. inter auctores Lat. linguae a Gothofredo collectos p. 1042. et cap. 4. p. 1051. ſeq. *q*) Aſtronom. l. 3. c. 11. p. m. 74. *r*) Lib. 5. c. 15. p. m. 147.

ris imbuantur, ac computos omnes, et omnes ſolertia diſciplinas conſequantur. Vox perrara *ſolare*, *deſolare*, et *adſolare*, pro deuaſtare, ſolum ac deſertum facere: hinc deſolatio. SALVIANVS *s*) *facta eſt terra veſtra in deſolationem.* Et mox: *per haec factum eſt, vt maior pars Romani orbis in deſolationem eſſet.* Notoria eſt epiſtola notificans, nunciatoria. Gallienus apud TREBELL. POLLIONEM: *t*) *nihil me grauius accepit, quam quod notoria tua intimaſti.* APVLEIVS: *v*) *ille, qui commodum falſam de me notoriam pertulerat.* Vulgare nomen deteſtabilis vitii ingratitudo, vt et ſimplex illud virtutis contrariae gratitudo, quod Ciceroni et aequalibus eſt *ingratus* vel *gratus animus*, apud VAL. MAX. *x*) quidem in lemmatibus legitur, ſed ab aliena manu, et in probato Latinitatis monumento nuſquam obuenit. Vnde SCALIGER: *y*) *gratitudo barbarum, et non neceſſarium. Non enim reperitur ipſa res in animis mortalium. At ingratitudo, vt aeque barbara, ita maxime neceſſaria vox ad ſignificandum id, quod frequentius, quam ſol ipſe inuenitur.* At IVL. FIRMICVS MATERNVS: *z*) *ſi in aquarii horoſcopo fuerit inuentus - - - erunt circa ipſum ingratitudinis vitio inquinati.* A verbo Ciceroniano *protegere* facta ſunt nomina, protectio, *a*) et protector; *b*) a *recto* rectitudo; *c*) a *ſufficere* ſufficientia et inſufficientia. *d*) Membrum muliebre puden-

s) De gubernat. Dei l. 6. *t*) In Claudio c. 17. *v*) Aſin. aur. l. 7. *x*) Lib. 5. c. 2. et 3. praemiſſo argumento. *y*) De ſubtilit. exercit. 317. ſect. 2. *z*) Aſtronom. l. 5. c. 1. p. m. 120. init. *a*) TERTVLL. de fuga perſecut. c. 2. AMBROSIVS ſerm. 88. ſub. fin. *b*) CYPRIAN. epiſt. 9. c. 2. *c*) AVGVSTINVS epiſt. ad Hieronymum, quae eſt in huius epiſtolis 87. extr. *d*) TERTVLL. ad vxor. l. 4.

Digitized by

pudendum eſt interfeminium. Apud APVLEIVM *e*) *interfeminium tegere.* Idemque feminal dictum, *f*) et virginal. *g*) Praeſtantiam, qua quid plus valet, PAVLVS IC. praeualentiam dixit; *h*) hoſticolum VLPIANVS hoſtilem locum. *i*) Idem *k*) latrunculatorem vocat apparitorum praefectum, qui latrones conquirit, et perſequitur. Leguli ſunt, a legendo, qui fructus legunt. *l*) Cloacarium pecunia purgandis cloacis attributa. *m*) *Dominicum* vulgo dicitur, quod domini eſt, nec inepte vſu ſacro valet pro diuino, quod Dei eſt vel quod ad Deum pertinet: ſic *dies dominicus, coena dominica.* Apud TERTVLLIANVM *n*) *dominicae gratiae viſceratio* eſt diuinorum bonorum diſpenſatio. At ſubſtantiue dominicum vocarunt locum ſacris deſtinatum, templum: vnde procul dubio hodie etiam ein Dom, oder Thum-Kirche. HILARIVS: *o*) *verentes igitur illi populi iudicium e dominico ad palatium tranſeunt.* Apud CYPRIANVM, annotante ERASMO, *p*) *dominicum* eſt coena dominica, vel euchariſtiae communio.

§. XV.

Abſtracta multa finxerunt nomina, praeter eam antiquis probatam dicendi conſuetudinem. Apud TERTVLLIANVM *q*) eſt viſibilitas *per carnem*: alibi: *r*) *filio competit in ſua* inuiſibilitate. Apud eundem *s*) ſen-

e) Apolog. priore. Confer. LIPSIVS electorum l. 2. c 21. p. m. 90. *f*) Ibid. *g*) Vid. LIPSIVS l. c. *h*) Vid. DVKERVS de Latinitate ICtor. veter. p. 335. *i*) Ibid. p. 372. *k*) L. 6. §. 1. D. de iudic. confer. DVKER. l. c. p. 392. *l*) L. 13. §. 6. D. de vſufruct. *m*) L. 27. §. 3. D. de vſufr. et L. 39. §. 5. D. de legat. 1. *n*) Aduerſ. Marc. 3. 7. *o*) Ad Conſtantinum extremo libro. *p*) Cyprian. oper. pag. vlt. *q*) De carne Chriſti c. 12. *r*) Aduerſ. Praxean. c. 14. *s*) De anima c. 17. pr. et c. 38. extr.

ſualitas. Copia et multitudo populi populoſitas dicta. ARNOBIVS: *t*) *an ſine vlla populoſitatis ſumma ſit.* Vulgus in vulgaritas tranſiit. Idem ARNOBIVS: *v*) *quibus eos cenſeri popularis vulgaritas ducit.* Pro eo, quod veteres *faſtigium* dixerunt, a *ſummo* nata eſt ſummitas. *x*) Apud CENSORINVM *y*) *ad terrae ſummitatem.* Apud MACROBIVM *z*) *duae ſummitates.* Apud AMMIANVM *a*) *ad perfectam non venerat ſummitatem.* Apud ARNOBIVM: *b*) *eandem hanc alii aetherium verticem, et ſummitatis ipſius eſſe ſummam dixerunt.* A *poſſum* ſuperiori quidem aetate, quod fieri poteſt, *poſſibile*, quod non fieri poteſt, *impoſſibile* dixerunt, ſed, ipſo FABIO QVINTILIANO auctore *c*) duriora adiectiua, quae propterea rarius occurrunt; ſed hac aetate crebro. Atque etiam hinc ſubſtantiua formarunt, poſſibilitatem et impoſſibilitatem. ARNOBIVS: *d*) *omnia numinis ſui poſſibilitate facere.* AMMIANVS: *e*) *medebatur quisque vulneribus pro poſſibilitate, vel curantium copia.* SYMMACHVS: *f*) *honeſtate et poſſibilitate congruitis.* APVLEIVS: *g*) *impoſſibilitate ipſa mutata in lapidem Pſyche.* TERTVLLIANVS: *h*) *in ſtultitia et impoſſibilitate materias operationis ſuae inſtituit.* Ex *paſſione*, quae ipſa vox eccleſiaſticis, quam veteribus Latinis, eo ſignificatu frequentior, quibus laborum et malorum perpeſſio, paſſibilitatem fecerunt. ARNOBIVS: *i*) *paſſibilitate interueniente corruptibilem eſſe.* Quod vnius formae eſt, etiam ab auctore dialo-

t) Aduerſus gentes l. 3. pag. 61. *v*) L. c. p. 60. *x*) Vid. comment. de imminenti L. L. ſenect. c. 11. pag. 718. *y*) Cap. 13. *z*) Somn. Scipion. 1. 6. *a*) Lib. 14. c. 6. *b*) Aduerſus gentes l. 3. p. m. 69 extr. *c*) Inſtit. orat. l. 3. c. 8. *d*) Aduerſ. gent. l. 1. *e*) Lib. 19. c. 2. *f*) Lib. 9. epiſt. 49. *g*) Aſin. aur. l. 6. *h*) De bapt. c. 2. *i*) Aduerſ. gentes l. 2.

dialogi de oratoribus, qui Tacito vulgo tribuitur, *vniforme* vocatur. *k*) Quod adiectiuum, cum aduerbio *vniformiter* ſaepius hac Latinae linguae vegeta ſenectute obuenit. Sed vix ferenda vniformitas. Apud TERTVLLIANVM: *l*) eſt *vniformitas porticus.* Apud MACROBIVM *m*) *ſqualor vniformitatis.* Niemietas, ex ſuperiori aetate ſeneſcente, vox pauciſſimis vſitata, MACROBIO, *n*) AMMIANO, *o*) EVTROPIO, *p*) aliis valde familiaris facta eſt. A *carne* carnalitatem fecerunt. AVGVSTINVS: *q*) *carnalitas vetuſtas eſt: gratia nouitas eſt.* Veterum non ſufficiebat *diuinitas*, ipſam quoque finxerunt deitatem. AVGVSTINVS: *r*) *hanc diuinitatem, vel, vt ſic dixerim, deitatem; nam et hoc verbo vti iam noſtros non piget.* HIERONYMVS: *s*) *in tribus perſonis deitas vna ſubſiſtit.* Acceſſus, vel acceſſionis loco facta acceſſibilitas. TERTVLLIANVS: *t*) *vt contraria immortalitatis ipſi filio adſcriberemus, mortalitatem, acceſſibilitatem.* Ab infimo facta infimitas vox ante hanc aetatem nunquam audita. Apud AMMIANVM *v*) *ad infimitatem obſequiorum venire ſeruilium.* Et *x*) *ipſa ſortis infimitate ad omnia praeceps.* Quam veteres ſummam dignitatem, hac vegeta linguae ſenectute hoimnes ſupremitatem dixerunt. AMMIANVS: *y*) *nec Valenti ſepulturam, qui ſupremitatis honor eſt, contigiſſe.*

k) Cap. 32. init. *l*) De anima c. 17. *m*) Saturn. l. 7. c. 5. *n*) Saturn. l. 7. c. 6. *o*) Lib. 19. c. 4. *p*) Lib. 10. c. 9. *q*) Serm. 186. de tempore c. 2. *r*) De ciuit. Dei. l. 7. c. 1. Nec immerito hinc celebrr. D. REIMMANNVS hiſtoria vocabul. L. L. p. 76. opinatur, vocabulum iſtud Auguſtini aeuo formatum et in eccleſiam introductum fuiſſe. *s*) Epiſt. 57. ad Damaſum. *t*) Adu. Praxean. c. 15. *v*) Lib. 17. c. 13. *x*) Lib. 29. c. 2. *y*) Lib. 31. c. 39.

Digitized by Google

giſſe. Negotioſitas ab A. GELLIO *z*) Latine redditur Graecorum πολυπραγμοσύνη. Et huius aetatis eſt vox ſacroſancta Trinitas, qua, propter haereſes, Chriſtiani carere non potuerunt. *a*) Nihil vero ineptius, quam honoris, vel adulationis gratia, quemquam verbis ſalutare, e rebus abſtractis. Vnde neſcio quae nominum monſtra oriuntur, v. gr. Eximietas. Apud SYMMACHVM *b*) *tuam eximietatem reperire poſſe.* AMBROSIVS: *c*) *Antiochus, vir conſularis, reddidit mihi eximietatis tuae literas.* AVGVSTINVS: *d*) *qui hanc epiſtolam eximietati tuae apportat.* Etiamſi non barbara ſint vocabula, minus tamen decore, et contra Latine dicendi conſuetudinem, in appellationibus abſtracta vſurpantur. Apud SEDVLIVM, *e*) *veſtra* peritia *cognouit.* SYMMACHVS ad Theodoſium imperatorem ſcribit: *f*) *Anthemius Baſſus* Perennitati *veſtrae rationem dicitur intimaſſe.* Idem: *quum* clementia *veſtra meminiſſet.* *g*) Diuinae clementiae tuae. *h*) Reſcriptum Numinis veſtri. *i*) Aeternitas veſtra. *k*) Idem SYMMACHVS ad alios illuſtres viros ſcribit praeſtantia tua, *l*) excellentia, et magnificentia tua. *m*) EVTROPIVS *n*) principem ſuum alloquitur, manſuetudo tua; item *o*) tranquillitas veſtra. Qui ſummus fuit his temporibus principum titulus: quos abſtractis

z) Noct. Attic. l. 11. c. 16. Confer. Celeberr. D. REIMMANNI introd. in hiſtoriam vocabul. linguae Lat. p. 58. ſeq. *a*) Vid. TERTVLLIANVS, AVGVSTINVS, patres eccleſiae alii, paſſim. *b*) Lib. 3. epiſt 3. *c*) Epiſt. 69. *d*) Epiſt. 31. *e*) Epiſt. ad Maced. carmin. praefixa. *f*) Lib. 10. epiſt. 40. *g*) Lib. 10. epiſt. 40. init. *h*) Lib. 10. epiſt. 33. init. *i*) Lib. 10. epiſt. 45. init. l. 10. epiſt. 49. et paſſim. *k*) Lib. 10. epiſt. 13. *l*) Lib. 3. epiſt. 40. *m*) Lib. 4. epiſt. 9. *n*) Praefat. *o*) Lib. 1. c. 11.

Digitized by G

ſtractis eiusmodi locutionibus, neſcio qua venerationis ſignificatione, alloqui inſtituerunt.

§. XVI.

Noua nominum cum terminatione fingebant genera. Ex *Aethiope* Aethiopiſſa. HIERONYMVS: *p*) *non eſt ſponſus tuus arrogans, non ſuperbus, Aethiopiſſam duxit vxorem.* Idem: *q*) *Maria derogauit Moſi, cum Aethiopiſſam nigram accepiſſet vxorem. - - - Ego ſum illa Aethiopiſſa, ego ſum nigra quidem - - - Primo ergo in Numerorum libro de Aethiopiſſa ita ſcriptum eſt: et locuta eſt Maria ad Aaron, et derogauerunt Moſi, propter mulierem Aethiopiſſam, quam accepit vxorem* etc. Ab eodem HIERONYMO in chronico Euſebiano, CELLARIVS *r*) notat, Arabiſſam vocari Herodis matrem. Ego vero ita lego: *s*) *Herodes Antipatri Aſcalonitae et matris Cyprides Arabicae filius* etc. Diaconiſſa vero iam vſu venire ſolebat frequentius. HIERONYMVS: *t*) *nunquam autem ordinaui diaconiſſas.* Eſt illa quidem epiſtola Epiphanii, ſed ex Graeca ab Hieronymo Latina facta. Huius generis quoque eſt abbatiſſa, dux et rectrix virginum Deo ſacrarum: quae vox ex lingua Syriaca videtur eſſe deriuanda. Hac enim *abba* dicitur pater: *v*) vt Apoſtolus ipſe *x*) interpretatur. Hinc abbes nominatur monachus ſenio ac vitae venerandus ſanctitate, *y*) atque is maxime, qui monaſterio praefectus eſt. *z*) Imo et monaſte-

p) Epiſt. 22. init. *q*) In cantica canticorum homil. 2. oper. tom. 7. p. m. 93. *r*) Curis poſt. de barbariſmis et idiotiſmis ſerm. Lat. pag. 294. *s*) Chron. Euſeb. olymp. 186. *t*) Epiſt. 60. oper. tom. 4. p. m. 108. A. *v*) Vid. ISIDORVS orig. l. 7. c. 13. *x*) Rom. 8. 15. *y*) HIERONYMVS l. 2. comment. in epiſt. ad Galatas c. 4. *z*) Conſer. SCHMIDII lex. eccleſiaſt. h. v.

naſterium, et praefecti regimen totum *abbatia*; et minor eccleſia, aut munus quod tanti momenti non eſt, *abbatiola* vocatur. *Abbatiſſa* vero, vt dixi, mater quaſi virginum eſt, quae monaſterio eodem ſunt congregatae. At nihil prorſus Latinitatis ſapiunt, eiusmodi voces, neque Romana ciuitate fuerunt vnquam donatae, licet paſſim apud Hieronymum aliosque huius aeui ſcriptores inueniantur. Ecquis ſibi perſuaſerit, ipſam quoque *lunam*, genere mutato, fieri poſſe lunum. SPARTIANVS: *a*) *Carras Luni Dei gratia veniſſet* etc. *Quoniam Dei Luni fecimus mentionem* etc.

§. XVII.

A ſubſtantiuis alia, quam veteribus fuerant audita, nomina effinxerunt adiuncta. Veteribus *ferum* et *agreſte* ſufficiebat: iam vero etiam a *beſtia* beſtiale formarunt. Ita PRVDENTIVS: *b*) *Impexa villis virgo beſtialibus.* Quod facile labitur, labile dixerunt. ARNOBIVS: *c*) animas *in vitia labiles, in peccatorum genera vniuerſa decliues.* Rurſum: *d*) *apertiſſime animas eſſe indicant labiles, et infirmitate ad vitia procliues.* Poſt alia: *e*) *natura res labilis, et ad fluorem ſemper decurſionemque tam prona.* AMMIANVS MARCELLINVS: *f*) *per inſidum et labile ſolum.* Alibi: *g*) *per labilem limum incitato iumento digreſſus.* Quod a multis occupatur, et magnam populi oſtendit turbam, populoſum vocarunt. APVLEIVS *h*) *plateas* dixit *populoſas*, et *ciuitatem populoſam.* AMMIANVS *i*) *ciuitatem amplam et populoſam.* Apud SOLINVM: *k*) *In Gange inſula eſt, populoſiſſimam et ampliſ-*

a) Caracallo c. 6. et 7. *b*) Ieiunantium hymno v. 153. *c*) Aduerſus gentes l. 2. p. 44. *d*) Ibid. p. 46. *e*) Ibid. p. 50. *f*) Lib. 22. c. 10. *g*) Lib. 27. c. 23. *h*) Aſino aur. l. 8. *i*) Lib. 24. c. 6. et 17. *k*) Polyhiſt. c. 65.

Digitized by Google

pliſſimam continens gentem. A *ſenſu* ſenſatus dicitur ſenſu pollens. FIRMICVS: *l*) *Mars homines faciet ſenſatos, callidos, aſtutos.* Eoque ſenſu dicitur ſenſualis. TERTVLLIANVS: *m*) *Stoici ſomnum reſolutionem ſenſualis vigoris affirmant.* PRVDENTIVS: *n*) *Aedem ſibi ipſe* Deus *mente in hominis condidit viuam, ſerenam, ſenſualem, ſtabilem.* Contra inſenſatus eſt amens, ſtultus, ratione carens. AVGVSTINVS: *o*) *homo poſt peccatum comparatus eſt pecoribus inſenſatis.* Inſenſualis apud CASSIODORVM, *p*) ſequioris aetatis ſcriptorem, obuenit. Ex *paſſione*, quae vox itidem ea ſignificatione nuper inuenta, paſſionalis, *q*) paſſiuus, *r*) paſſibilis, *s*) compaſſibilis, *t*) incompaſſibilis, *v*) impaſſibilis, *x*) id genus alias compoſitiones fecerunt. Nihil ineptius, quam abecedarius, puer, qui ordinem literarum diſcit, vel etiam praeceptor, qui eos docet. Neque *abecedarios* ſolum HIERONYMVS vocat pueros, verum etiam ſyllabarios, qui ſyllabas colligere, et nominarios, qui nomina flectere diſcunt. *y*) Et AVGVSTINVS *z*) *abecedarios* tradit appellari pſalmos, quorum verſus alphabeti literis notantur. COAEVVS multis quidem videtur apud CICERONEM reperiri, *a*) vbi ſatis mendoſe legunt, *inter coae-*

l) Lib. 5. c. 12. *m*) De anima c. 43. pr. *n*) In S. Romani paſſione v. 346. *o*) De geneſi ad literam 3. 12. *p*) Lib. 2. epiſt. 40. *q*) TERTVLLIANVS contra gentes c. 2. et 4. *r*) ARNOBIVS l. 2. APVLEIVS de Deo Socratis. *s*) ARNOB. l. 7. TERTVLL. adu. Praxean. c. 29. de anima, c. 45. *t*) TERTVLL. l c. *v*) Ibid. *x*) Idem apolog. c. 50. de anima c. 12. adu. Praxean. c. 29. PRVDENTIVS apotheoſ. v. 84. LACTANTIVS diuin. inſtit. l. 1. c. 3. extr. *y*) Pl. confer. PETR. CRINITVS de honeſta diſciplina l. 16. c. 8. *z*) Retractat. l. 1. c. 2. *a*) Orat. in Vatin. c. 13.

Digitized by Google

uos: cum meliores libri *inter coquos* habeant. *b*) Sed HIERONYMVS: *c*) *qui ei* Oziae *in ceteris gentibus ſint coaeui.* Et PRVDENTIVS: *d*) *inter coaeui ſanguinis fluenta.* Aequanimus et Aequanimis promiſcue AVSONIVS ſcripſit. Ita: *e*)

- - - - *Sed nulla fuit res*
Parua vnquam aequanimis, adde etiam vnanimis.

Alibi: *f*) *aequanimus fiam te iudice.* Quod ad magiſtrum pertinet, VOPISCVS *g*) magiſtrale, APVLEIVS *h*) vero etiam magiſtriuum dixerunt. A *carne* ſcriptoribus ſacris carnalis eſt, qui ſuis voluptatibus indulget, qui vitiis deditus, atque adeo a virtutis ſtudio abhorret. TERTVLLIANVS: *i*) *delictorum quaedam eſſe carnalia, i. e. corporalia, quaedam vero ſpiritualia.* MINVCIVS FELIX: *k*) *Deum oculis carnalibus vis videre.* PRVDENTIVS: *l*)

Qui notat omne genus carnalis ſtirpis ad vsque
Corporeum Chriſtum. - - -

A *ſpiritu* adiectiua ſpiritualis aut ſpiritalis ſacris huius aeui ſcriptoribus ſunt frequentiſſima, antiquioribus vix audita. TERTVLLIANVS: *m*) *dicimus eſſe ſubſtantias quasdam ſpiritales.* PRVDENTIVS: *n*) *Et ſpiritali lacte pectus irriges.* Et hinc aduerbium ſpiritualiter apud TERTVLLIANVM, *o*) CYPRIANVM, *p*) ceteros omnes.

Quod

b) Vid. LAMBINVS in notis, et TVRNEBVS aduerſar. l. 21. c. 11. extr. *c*) Epiſt. 142. init. *d*) Cathemer. 12. v. 137. de Herodis laniena. *e*) Edyll. 3. v. 9. *f*) Lud. ſapient. v. 3. *g*) Saturnino c. 10. et Tacito c. 6. *h*) Flor. 4. *i*) De poenit. c. 3. *k*) Octau. c. 32. ſect. 6. *l*) Apotheoſ. v. 987. *m*) Apol. c. 21. pr. *n*) In Romano v. 14. *o*) Exhort. caſtit. c. 10. adu. Iud. c. 7. et 10 de baptiſm. c. 4. adu. Marc. 4. 20. *p*) De eleemoſ. c. 16.

Quod veteribus amoris plenum, et gratioſum, fecerunt affectioſum et affectuoſum. TERTVLLIANVS: *q*) *infantia naturaliter affectioſa.* Idem: *r*) *amore fraternitatis inuicem affectuoſi.* MACROBIVS: *s*) *piam affectuoſamque rem feciſſe.* A *notitia* noſcibile eſt, quod cognoſci poteſt. AVGVSTINVS: *t*) *mens noſcens, vel nota, vel noſcibilis.* Idem: *v*) *amor ſibi noſcibilis.* COAETANEVS apud TERTVLLIANVM: *x*) *cum officio atque comitatu coaetaneorum angelorum.* Apud HIERONYMVM: *y*) *quod cuique coaetaneum fuit, curioſo ordine coaptaui.* Sic quoque APVLEIVS: *z*) *illum amicum coaetaneum, contubernalem, fratrem denique, addito nomine lugubri, ciere.* Sic quoque a *momento*, quod punctum temporis eſt, momentaneum fecerunt, quicquid vel breue, vel ſingulis momentis mutationi obnoxium. Apud TERTVLLIANVM *a*) *momentaneus ardor.* Alibi: *b*) *in momentaneo motu oculi.* Sed longe ineptius eadem ſignificatione momentarius venit. Apud APVLEIVM *momentarius maritus*: *c*) *momentaria ſalus*: *d*) et *momentarium venenum.* *e*) Apud AMBROSIVM *f*) *interitus momentarius*, quo fuerint Iobi filii ruina aedium oppreſſi. Qui noſcendi cupidus, noſcitabundus vocatur. GELLIVS: *g*) *leo tanquam noſcitabundus ad hominem accedit.* Non ceſſans, vel non deſinens, inceſſabilis dicebatur. CYPRIANVS: *h*) *linguae inceſſabili ſcelere peccare.* OROSIVS: *i*)

q) De anima c. 19. *r*) Adu. Marc. 5. 14. *s*) Saturn. l. 2. c. 11. *t*) De trinit. 9. 5. *v*) Ibid. c. vlt. *x*) Aduerſus Valentinianos c. 16. *y*) Chron. Euſeb. poſt praefationem. *z*) Aſino aureo. l. 8. *a*) Aduerſ. Marc. 3. 17. *b*) De reſurrect. carn. c. 42. *c*) Aſin. aur. l. 5. *d*) Ibid. l. 9. init. *e*) Ibid. l. 10. *f*) Offic. 2. 5. *g*) Noct. Attic. l. 5. c. 14. *h*) Epiſt. 73. n. 17. *i*) Lib. 7. c. 1.

inceſſabilibus cladibus nullus finis, nulla requies fuit. Hinc aduerbium inceſſabiliter. Idem OROSIVS *k*) de perſecutione Diocletiani, *caedibus*, inquit, *martyrum inceſſabiliter acta eſt.* HIERONYMVS: *l*) *philoſophi ſuſpicantur, currere mundum ſuo ordine, et inceſſabiliter velut rotam in ſuo axe torqueri.* Hominem politum, eruditum, aut diſciplinae beneficio ad meliorem frugem traductum, diſciplinatum vocarunt. TERTVLLIANVS: *m*) *tunc et fides in expeditione ſolicitior, et diſciplinatior in ieiuniis.* Apud AVGVSTINVM *n*) eſt indiſciplinatus *filius.* Vox Ciceroniana *primordium*, quod eſt principium, ſiue a quo primum ordimur: hinc primordialis, vt apud TERTVLLIANVM *lex primordialis*, *o*) et *verbum primordiale: p*) apud AMMIANVM *q*) *primordialis cauſſa.* Hinc quoque aduerbium primordialiter. *r*) Qui puſillo animo puſillanimis dicebatur; *s*) imperterritus, qui extra laeſionem exiſtit, extrilidus, vt apud GELLIVM *t*) eſt *homo impauidus et extrilidus.* Deuirginatam ancillam, pro corrupta, vitiata, aut ſtuprata, non modo PAVLVS IC. verum etiam ipſe PETRONIVS dixit. *v*) Pro aqua redundante, VLPIANVS *x*) ſuperficientem dixit. Luxuriabant eiusmodi vocum adiunctis, quae ſenſum videbantur exprimere contrarium: vt animi proderent non vulgare acumen. Sic HIERONYMVS: *y*) *cunctorum*

k) Lib. 7. c. 25. *l*) Epiſt. 128. ad Fabiolam. *m*) De fuga c. 1. *n*) Epiſt. 50. ad Bonifac. vid. etiam CYPRIANVS epiſt. 62. n. 3. et 4. ac de idolorum vanitate c. 6. *o*) Adu. Iudaeos c. 2. *p*) Apol. c. 21. *q*) Lib. 30. init. *r*) Apud AVGVSTIN. de trinitate l. 3. c. 9. *s*) TERTVLLIANVS de fuga in perſecut. c. 9. *t*) Noct. Attic. l. 19. c. 1. *v*) Vid. DVKERVS de Latinit. ICtor. veter. p. 324. *x*) L. 1. §. 11. D. de aqua pluu. arc. Confer. DVKER l. c. p. 379. *y*) Aduerſus Pelagianos lib. 1. oper. tom. 2. p. m. 179. extr.

&orum in carne iuſtorum imperfecta perfectio eſt. Et paulo poſt, inſigni tautologia, *quia*, inquit, *necdum perfecti ſumus, et forſitan aliter ſapimus, quam poſſit vera et perfecta perfectio.*

§. XVIII.

In multis vocum terminationes mutarunt. Quod *additum* veteribus addititium fecerunt: vt TERTVLLIANVS z) *addititium corpus.* CELSVS: *a) Cato putat, menſem intercalarem addititium eſſe.* Optimi quique Latinitatis auctores *somniculoſos* vocabant ſomno plenos, qui iam ſomnolenti audiunt. APVLEIVS: *b) me ſentit in verba media ſomnolentum deſinere.* SOLINVS *c)* de elephanto, *ſomnolentum arbor ſuſtinet.* Quod conueniens, conforme, et aptum, veteres *congruens* dixerunt: ſed huius aeui ſcriptores congruum. APVLEIVS: *d) iam faxo nuptias, non impares, ſed legitimas, et iuri ciuili congruas.* Rurſum: *e) congruo cunctae multitudinis conſenſu.* Incertus et anceps dictus ſemper eſt *dubius*, nunc etiam dubioſus. A. GELLIVS: *f) tum iudices dubioſum hoc inexplicabileque eſſe rati.* Imo et dubitatiuus. TERTVLLIANVS: *g) dubitatiuum exprimere ſenſum.* Eius etiam ſimili vtitur aduerbio, *h) pronunciare dubitatiue.* A *mundo* Ciceronis aetate *mundanus* erat, cuius loco iam mundialis valuit. Apud TERTVLLIANVM *i) haec erit vita mundialis.* Alibi: *k) mundialium elementorum derogatio.* Apud PRVDENTIVM *l) mundialis gloria.* Apud AMBRO-

z) De reſurrectione carnis c. 52. *a*) L. 98. §. 1. D. de verb. ſignif. *b*) Aſin. aur. l. 1. extr. *c*) Polyhiſt. c. 33. *d*) Aſin. aur. l. 6. *e*) Lib. 7. princ. *f*) Lib. 5. c. 10. *g*) Aduerſ. Marc. 2. 25. *h*) De carne Chriſti c. 23. *i*) De reſurrect. carn. c. 47. pr. *k*) Adu. Marc. l. 5. c. 4. *l*) Cathem. 1. 90.

Digitized by Google

AMBROSIVM *m*) *in ornatum mundialis fabricae.* Apud SALVIANVM *n*) *literarum ſcriptores mundialium.* Hinc etiam leges apud TERTVLLIANVM *o*) *viuere mundialiter.* Vbique vſu receptum *Sapiens*, et is dicitur eſſe, qui ſapientia eſt praeditus: neque opus fuit, vt ex ea voce abſtracta aliud adiungendum nomen fingatur ſapientialis. TERTVLLIANVS: *p*) *ſummus in anima gradus vitalis et ſapientialis.* Et mox: *eſſe principale in anima, vim ſapientialem atque vitalem.* Qui partem capit, olim dictus eſt *particeps*; hac autem vegeta L. L. ſenectute participalis. Ita CHARISIVS: *q*) *magiſtros equitum ſibi eligerent, qui aſſociati participales curae.* Quod *concupiſcendum*, concupiſcentiuum, *r*) et concupiſcibile *s*) dixerunt. Quod *creandum*, creabile fuit. APVLEIVS: *t*) *materia creabilis eſt.* AVGVSTINVS: *v*) *quicquid creabile atque formabile eſt.* Apud eundem paulo poſt *x*) legitur *creabilis materies.* Quod veteribus *abominandum*, *y*) abominabile fecerunt. HIERONYMVS, *z*) *abominabilem*, inquit, *et abdicatum interpretati ſunt.* Veteribus *aeternum* placuit, huius aeui ſcriptoribus aeternale: vt apud TERTVLLIANVM *a*) eſt *lex aeternalis*: imo aeternabile, quod in codice Theodoſiano ſaepius legitur. *b*) Hinc

m) De myſterio paſchae c. 2. *n*) De gubernat. Dei praef. *o*) De reſurrect. carn. c. 46. extr. *p*) De anima c. 15. *q*) Lege vnica pr. D. de officio praefecti praetorio. *r*) TERTVLLIANVS de anima c. 16. *s*) HIERONYMVS quaeſt. Hebr. in paralip. 1, 1. AMBROSIVS epiſt. 11. ad Irenaeum. *t*) Triſmeg. *v*) Confeſſ. 12. 19. *x*) Ibid. c. 28. *y*) LIVIVS l. 9. c. 38. *abominandam curiam facit.* *z*) Comment. in Ierem. 22. 30. *a*) Adu. Iudaeos c. 6. *b*) Confer. CELLARIVS curis poſter. de barbariſmis et idiotiſmis ſerm. Latin. p. 893.

Digitized by

Hinc etiam aduerbium, quod erat *aeternum*, perpetuo, in omne aeuum, male formarunt aeternaliter. *c*) Quod *notum*, notorium fecerunt. PAVLVS: *d*) *nunciatores, qui per notoria indicia produnt, notoriis ſuis adſiſtere iubentur.* Ad quem quis accedere, vel non accedere poteſt, *acceſſus*, vel *inacceſſus* dicebatur; hoc aeuo acceſſibilis, vel inacceſſibilis. TERTVLLIANVS *e*) *per acceſſibilem lucem.* Idem: *f*) *lucem* Deus *habitat inacceſſibilem.* Veterum *infernus* eſt infernalis. PRVDENTIVS: *g*)

\- - - *Piceasque bitumine foſſas*
Infernalis aquae furuo ſubfodit auerno.

Alibi de ludis gladiatoriis: *h*) *Hae ſunt deliciae Iouis infernalis.* A meridie caſtitatis Latinae cuſtodes *meridianum* fecerunt; noſtra aetate, quae ſenectutis pluribus laborat vitiis, meridiale, vel, quod deterius, meridionale. TERTVLLIANVS: *i*) *populi frequentiores apud orientalem et meridialem aeris temperaturam, et ingenia expeditiora.* AMMIANVS: *k*) *a meridiali latere.* GELLIVS: *l*) *meridies, quoniam certo atque fixo limite eſt, vnum meridionalem* (al. *meridialem*) *ventum habet.* Apud IVL. FIRMICVM MATERNVM *m*) eſt *ſignum meridionale:* et apud LACTANTIVM *n*) *meridionalis plaga.* Apud veteres et optimos eſt *infirmus*, apud AMMIANVM *o*) infirmis. *Coagmenta*, lego, *lapidum recens ſtructorum, madoreque*

c) Idem antibarbaro p. 4. *d*) L. 6. §. 3. ad S. C. Turpillianum. *e*) Adu. Praxean. c. 15. *f*) Loc. citat. *g*) Hamartig. v. 826. *h*) Adu. Symmach. l. 1. v. 388. *i*) De anima c. 25. *k*) Lib. 22. c. 34. *l*) Noct. Attic. l. 2. c. 22. *m*) Aſtron. l. 2. c. 12. *n*) Diuin. inſtit. l. 2. c. 9. *o*) Lib. 20. c. 6.

Digitized by Google

doreque etiamtum infirmium. Atque hinc aduerbia, apud Ciceronem et aequales *infirme*, apud ARNOBIVM *p*) infirmiter. Qui antiquis probisque *ſcholaſticus*, hac aetate ſcholaris dictus; et minus quidem commoda ſignificatione, qui artes liberales in ſchola diſcit. Atque etiam vocabulum iſtud ab HIERONYMO *q*) de liberalibus diſciplinis vſurpatur. *Nec aures*, inquit, *Quintiliani floſculis et ſcholari declamatione mulcendae.* Vrbanicianos milites, pro vrbicis, aut vrbanis, PAVLVS IC. dixit; *r*) et VLPIANVS peculiarias res, pro *peculiares.* *s*)

§. XIX.

Praeter dicendi conſuetudinem gradus comparationis fingebant. Sic illis non ſufficiebat Latinus, Latinior inde et Latiniſſimus formabant. HIERONYMVS: *t*) *nihil dulcius, nihil latinius tuis haberemus voluminibus.* Alibi *v*) *homo latiniſſimus et facundiſſimus* ſcripſit. Et AVGVSTINVS *x*) *viris latiniſſimis.* Vox Ciceroniana *opinatus:* hinc opinatiſſimos fecerunt. *y*) *Abſens* ſufficit linguae caſtitatem ſeruantibus. Sed hac aetate abſentiſſimus fingebatur. AVGVSTINVS: *z*) *baptiſmum acceperat, mente atque ſenſu abſentiſſimus:* moriturus ſcilicet, cum ſine ſenſu eſſet. Huius generis ſunt idoneor, pro magis idoneo: exiguior, pro magis exiguo. *a*) In aliis gradus comparationis, qui obtinent, perperam pronunciabant. Ex. gr. a *ſegnis* et *ſegnior:* ſed VLPIANVS ſegnitior

p) Adu. gentes l. 7. *q*) Epiſt. 125. ad Damaſum, quaeſt. 2. *r*) Vid. DVKERVS de Latinit. ICtor. veter. p. 316. *s*) Ibid. p. 371. *t*) Epiſt. 13. ad Paullinum de inſtitut. monachi. *v*) Epiſt. 51. ad Domnionem, *x*) Lib. de grammatico, vbi de aduerbio agit. *y*) GELLIVS noct. Attic. l. 11. c. 4. RVFFINVS apud Hieronymum oper. tom. 4. pag. 135. A. *z*) Confeſſ. 4. 4. *a*) Vid. DVKER de Latin. ICtor. veter. p. 387.

gnitior dixit. *b*) Vel pueris a *paruo* notiſſima eſt ſuperlatiui, quae Latinis certe familiaris erat, forma *minimus*. Atqui ex eo etiam hac aetate minimiſſimus obtinuit. ARNOBIVS: *c*) *digitorum vt minimiſſimus viuat, perpetuo ſolus agitetur et motu.* Poſt pauca: *d*) *minimiſſimus digitorum ſolus vt in corpore viueret.* Vt *maior* valet, ita enormior. SPARTIANVS: *e*) *nec debet prologus enormior eſſe, quam fabula.*

§. XX.

Caſus fingebant praeter conſuetudinem loquendi. Nomen nouimus numeri indefiniti, plurale, et caſibus non mutandum *aliquot:* quod apud elegantiſſimos quosque ſcriptores vbique obuenit. Iam vero aliquanti ſubſtituerunt. EVTROPIVS *f*) *aliquanta oppida*, pro aliquot oppida. OROSIVS *g*) *per aliquantas ciuitates*, per aliquot ciuitates. SPARTIANVS: *h*) *non ſolum amicis, ſed etiam paſſim aliquantis, multa largitus eſt.* *i*) Vni ab VLPIANO poſitum, pro vnius; alii, pro alius; domus ſui pro ſuae. *k*)

§. XXI.

Neque ſatis caſte pronomina tractare ſolebant. Ita paſſim leges perperam ſibi pro *illi* dici. *l*) Pro eo, quod apud elegantiſſimos ſcriptores eſt *qualiscunque*, hac Latinae linguae vegeta ſenectute, neſcio qua elegantiae affecta-

b) Vid. DVKER de Latinit. ICtor. veter. p. 380. *c*) Aduerſus gentes lib. 5. p. m. 94. extr. *d*) Ibid. p. m. 98. *e*) Aelio Vero c. 1. extr. *f*) Lib. 4. c. 11. n. 6. *g*) Lib. 3. c. 13. pr. *h*) Hadrian. c. 7. extr. *i*) Pl. conſer. CELLARIVS cur. poſt. de barbariſmis et idiotiſmis ſermonis Latini. p. 201. *k*) Vid. DVKERVS de Latinitat. ICtor. veter. p. 369. *l*) L. 10. C. de officio rectoris prouinciae. Sed pluribus conferatur FABRI theſaurus eruditionis ſcholaſticae, v. ſui.

fectatione, qualis qualis increbuit. VLPIANVS: *m*) *qualis qualis conditio fit.* Idem: *n*) *miniſterium quale quale accommodauerunt.* Atque hinc etiam aduerbium *qualiter qualiter* pro *qualitercunque* valet. *o*) Sic ſaepe relatiuum pro reciproco ponunt, vt *creditori eius*, pro *ſuo*; rurſus pro relatiuo reciprocum, *laudes ſuas* pro *eius*. *p*) Et ERASMO annotante, *q*) Cyprianus pronominibus ſe et ſui durius vtitur, pro *ipſum* et *ipſius*.

§. XXII.

Verbis nouas terminationes dabant. E. gr. *fingere* veteres dicebant, atque etiam *effingere*. Iam, nulla vrgente neceſſitate, effigiare fingebant. PRVDENTIVS: *r*) *Viuum ſimul et moribundum Hominem pater effigiaſti.* Alibi: *s*) *Effigians tracti membra cruenta viri.* MINVCIVS FELIX: *t*) *lapides effigiati.* AMMIANVS: *v*) *nummi effigiati in vultum principis.* APVLEIVS: *x*) *truncus dolamine effigiatus.* Rurſus: *y*) *imagines variis artibus effigiatae.* TERTVLLIANVS: *z*) *anima indiſſolubilis, qua immortalis; et ineffigiata, qua indiſſolubilis.* Et, aliis interiectis, animam cum Platone praedicat *a*) *inuiſibilem, ineffigiabilem* etc. Pro *honorare*, vel ad honorem euehere, honorificare dixerunt. LACTANTIVS: *b*) *ſuſpiciat et honorificet communem parentem.* Rurſus: *c*) *ado-*

m) L. 2. §. 1. D. de bonorum poſſeſſione ſecundum tabulas. *n*) L. 3. D. de proxeneticis. *o*) Vid. L. 12. §. 3. D. de ratihabit. et l. 7. pr. D. de minoribus. *p*) Confer. DVKERVS de Latin. lCtor. veter. p. 323. *q*) Cyprian. oper. pag. vlt. *r*) Hymno in exequias defunctorum, princip. *s*) Periſteph. Hippolyti v. 126. *t*) In Octauio p. 15. *v*) Lib. 26. c. 7. *x*) Florid. init. *y*) Apol. *z*) De anima c. 9. *a*) Ibid. c. 24. init. *b*) Inſtit. diuin. l. 2. c. 5. *c*) Lib. 7. c. 24.

Digitized by Google

adorent et honorificent regem magnum. Alibi: *d) debemus hunc omnes honorificare, quod beneficus.* AVGVSTINVS, *e) ſaluatorem honorificantes.* Ex *obuiam ire* obuiare fecerunt. Et falluntur, qui ſibi perſuadent, apud SALLVSTIVM *f)* legi: *tum primum ſuperbiae nobilitatis obuiatum:* meliores enim libri omnes habent, *obuiam itum eſt.* At MACROBIVS: *g) quae et ſuperioris rapidis motibus obuiarent, et inferiora omnia gubernarent.* Item: *h) in vtraque obuiante ſolſtitio.* OROSIVS: *i) quanquam obuiantem aſperitatem nequaquam expaueſcerem.* Verbum Ciceronianum *k) exheredare* in exhereditare transformarunt. SALVIANVS: *l) ſi illi tunc ob Deum donantes omnia ſua, etiam ſe ipſos exhereditauere viuentes: diſcite vos, quaeſumus, bona veſtra vel ipſi hereditare morientes.* MARTIANVS, pro ſignificare, ſignifacere dixit; et VLPIANVS, pro magnifacere, magnificere. *m)*

§. XXIII.

Ex nominibus verba formabant, quae veteribus nunquam audita fuerunt. Nerone imperante philoſophi ſcholaſtica velut quadam auctoritate ex numerorum voce cardinali *vnus* fecerunt *vnitus.* Vnde SENECA, *n) expedire*, inquit, *me poteram, ſi philoſophorum lingua vti voluiſſem, vt dicerem vnita corpora.* Poſtea quoque verbum vnire ortum, quod coniungere eſt, aut facere ex pluribus vnum. TERTVLLIANVS: *o) coelum mari vnitur,*

d) De ira Dei c. vlt. *e)* Epiſt. 119. c. 3. *f)* Iugurth. c. 5. *g)* In ſomnium Scipionis l. 1. c. 6. *h)* Ibid. c. 12. *i)* Lib. 4. c. 23. extr. *k)* Orat. pro Cluentio c. 48. *l)* Contra auarit. l. 3. *m)* Vid. DVKERVS de Latinit. ICtor. veter. p. 354. *n)* Quaeſt. natur. l. 2. c. 2. Confer. comment. de imminenti L. L. ſenectute c. 10. §. 2. p. 617. *o)* De anima c. 17.

Digitized by Google

tur, vbi viſio abſumitur. SVLPIC. SEVERVS: *p) legatos Ariminenſis concilii compellit imperator vniri haereticorum communioni.* Verbi monſtrum eſt repatriare pro in patriam redire, aut reuerti. SOLINVS: *q) cum multi captiuorum aliquot leonibus obuiis intacti repatriauerint.* Rurſum: *r) hinc ad Peluſium repatriemus.* Pro rationibus quidem *calculi* accipiuntur, vt *ſubducere calculos; s) ponere calculos. t)* Sed inde calculare tandem fecerunt. PRVDENTIVS: *v) nam calculanda eſt primitus, tum ſubnotanda eſt ſummula.* Veteribus familiare *certiorem facere.* Nunc dicere maluerunt certiorare. VLPIANVS: *x) portionis, pro qua quisque heres extiterit, ex interrogatione certioretur.* Alibi: *y) niſi forte is, cui denuntiatum eſt, eum certiorauerit: ſed non, ſi certiorare potuit, nec fecit.* Rurſum: *z) neque certiorari debuit, qui non ignorauit.* Probatae Latinitatis eſt *deuius*, qui longe a via abeſt. Hinc deuiare fecerunt, pro aberrare, aut a via deflectere. MACROBIVS: *a) ſi a medio deuiauerit.* SYMMACHVS: *b) hoc inclutus Valentinianus, omni aetate memorabilis princeps, et diuus Gratianus ſacris literis cenſuere, a quorum definitione non decet deuiare.* AMMIANVS *c) ab aequitatis recto tramite deuiaſſe.* HIERONYMVS *d) a recta linea deuiare.* Et AVSONIVS, *e)*

Erro-

p) Hiſt. ſacrae l. 2. c. 43. *q)* Polyhiſt. c. 40. *r)* Cap. 46. extr. *s)* CICERO de finib. l. 2. c. 19. Confer. de amicit. c. 16. ad Attic. l. 8. ep. 12. *t)* PLINIVS l. 2. epiſt. 19. extr. panegyr. c. 20. COLVM. §. 3. *v)* Hymno Laurentii v. 131. *x)* L. 4. D. de interrogationibus. *y)* L. 29. §. 11. D. de hereditatis petitione. *z)* L. 1. extr. D. de actionibus emti et venditi. *a)* Somn. Scip. l. 1. c. 21. *b)* Lib. 9. epiſt. 131. *c)* Lib. 21. c. 25. *d)* Epiſt. 89. c. 4. *e)* Burdigal. Profeſſ. carm. 6. extr.

Digitized by Google

Errore, inquit, *quod non deuiantis filiae*
Poenaque laesus coniugis.

Ab antiquissimis temporibus *decimae*, vel *decumae* satis erat notae, quas qui dabant, et accipiebant, *decimare* dicebantur; vt et *decimari milites*, cum poenae soluendae caussa, quam omnes debebant, decimus quisque per sortem interficiebatur. *f*) Huius ergo vegetae senectutis scriptores edecumare pro deligere, aut excerpere, dicebant. SYMMACHVS: *g*) *negotium dedimus, vt equos ex Hispania electissimae nobilitatis edecument.* Alibi: *h*) *vt ex diuersis prouinciis edecument lectiores.* Hinc et frequens participium edecumatus pro selectus. Idem SYMMACHVS: *i*) *in graui dono habeo, quod amicitiae meae viros edecumatae honestatis adiungis.* Rursus: *k*) *si raritas virtutum admiserit, vt vnum aut alterum aeque edecumatae honestatis inuenias.* MACROBIVS: *l*) *vt iocos veterum ac nobilium virorum edecumatos ex multiiugis libris relatione mutua proferamus.* Ex orbita discedere exorbitare dixerunt. TERTVLLIANVS: *m*) *elementorum munia exorbitant.* Alibi: *n*) *suspectum habebitur omne, quod exorbitarit a regula.* FIRMICVS: *o*) *a salutaribus tuis legibus exorbitat.* LACTANTIVS: *p*) *exorbitare stellae a praestitutis itineribus non licet.* AVGVSTINVS: *q*) *quod exorbitet ab itinere sapientiae et lege iustitiae.* Hinc quoque deriuata occurrunt apud TERTVLLIANVM et alios, *exorbitans*

f) Vid. SVETONIVS Aug. c. 24. Galba c. 12. Calig. c. 48. Confer. PLVTARCHVS Antonio. APPIANVS in Parthicis. Et LIVIVS l. 2. c. 49. extr. *g*) Lib. 5. epist. 83. *h*) Lib. 7. epist. 48. *i*) Lib. 3. epist. 49. *k*) Lib. 3. epist. 51. *l*) Saturn. l. 2. c. 1. *m*) Apolog. c. 20. *n*) Adu. Marc. 3. 2. *o*) De errore prof. relig. *p*) Diuin. instit. l. 2. c. 5. *q*) De ciuit. Dei l. 9. c. 3.

Digitized by Google

orbitans, r) *exorbitatio*, s) *exorbitator*. t) Quod viderent vbique *intimum* valere: verbum inde fecerunt intimare, ac duplici quidem ſenſu. Primo enim voluerunt eſſe pro intimum reddere, coniungere, aut miſcere. Ita SOLINVS: v) *Nilus cum mari intimatur*. De Rheno AMMIANVS: x) *oceani gurgitibus intimatur*. TERTVLLIANVS: y) *interiorem habitare Chriſtum, ſenſibus vtique intimandum omnium ſignificat*. Deinde hoc verbo vtebantur, pro indicare, publice proponere, inculcare, defigere ſenſibus. SYMMACHVS: z) *quid varia ingenia ſenſerint, res intimauit*. Alibi: a) *inter reliqua autem, quae idem intimauit* etc. SEXTVS RVFVS: b) *ſub his quantum Roma profecerit, breuiter intimabo*. Veterum dictionem, *meliorem facere*, in meliorare conuerterunt. VLPIANVS: c) *ſiquidem ei permittitur meliorare proprietatem*. Vnde et deterioris aeui meliorationes. d) Ex eo, quod veteres dixerunt, *minus facere*, formarunt minorare. TERTVLLIANVS: e) *perit anima, ſi minoratur*. SCAEVOLA: f) *quos minorato pretio vendidit*. Ex *tenebris* varia minus adhuc vſitata fecerunt verba. Pro tenebras alicui rei offundere, vel obducere, dixerunt tenebra-

r) Ad nationes 2. 2. s) De anima c. 24. et de Idololatria c. 14. t) Adu. Marc. l. 2. c. 13. et l. 3. c. 6. v) Polyhiſt. c. 4. x) Lib. 15. c. 6. y) De reſurrect. carn. c. 3. z) Lib. 1. epiſt 89. a) Lib. 9. epiſt. 11. vid. etiam l. 10. epiſt. 40. 46. 49. et 54. b) Cap. 3. Confer. CYPRIANVS epiſt. 42. n. 2. VOPISCVS in Tacito c. 12. SPARTIANVS in Iuliano c. 2. AMMIANVS l. 21. c. 11. CAPITOLINVS in Vero c. 7. paſſim. c) L. 13. §. f. extr. D. de vſufructu, et quemadmodum quis vtatur fruatur. d) Vid. L. 2. et 3. C. de iure emphyt. e) De anima c. 43. Confer. idem aduerſ. Iudaeos c. 14. et de corona c. 14. f) L. 10. D. de ſeruis exportandis.

Digitized by Google

nebrare. LACTANTIVS: *g*) *occidet ſol meridie, et tenebrabitur dies lucis.* APVLEIVS: *h*) *iam veſpera ſemitam tenebrante.* AMMIANVS: *i*) *veſpera tenebrante.* Imo tenebricare. TERTVLLIANVS: *k*) *ſol media die tenebricauit.* Subiugare dixerunt, pro *ſub iugum mittere.* *l*) Iugum iſtud fiebat haſtis duabus humi defixis, et ſuper eas vna deligata, ſub qua tranſire cogebantur victi. *m*) Ab adiectiuo *ſaluus* fecerunt ſaluare frequens ſatis eccleſiaſticis ſcriptoribus verbum. NIZOLIVS id quidem ſibi apud CICERONEM *n*) legiſſe videtur. Sed meliores libri, quos et Lambinus, et Gruterus, et alii ſequuntur, non habent *remp. ſaluare*, ſed *ſeruare.* Hinc Saluator, vox recens facta, apud HIERONYMVM, *o*) PRVDENTIVM, *p*) ARNOBIVM, LACTANTIVM, plerosque alios Chriſto deuotos ſcriptores vbique. At ſuo tempore M. TVLLIVS *q*) negauit Latinum extare nomen, quod Graeco vocabulo σωτὴρ reſpondeat: eſt autem, vt ipſe interpretatur is *ſoter, qui ſalutem dedit.* Ita ſummus orator ille, in lingua Latina inſolentiam vitans, ſaluatorem dicere noluit, et ſoterem retinere maluit ſignificatione a Graecis accepta. Et ipſe AVGVSTINVS *r*) inuentionem huius vocabuli Chriſtianis aſſignat. *Qui eſt*, inquit, *Hebraice Ieſus, Graece* σωτὴρ, *noſtra autem locutione ſaluator. Quod verbum Latina lingua antea non habebat; ſed*

g) Diuin. inſtit. l. 4. c. 19. n. 3. *h*) Aſin. aur. l. 8. *i*) Lib. 19. c. 17. *k*) Aduerſ. Iudaeos c. 13. *l*) LACTANTIVS diuin. inſtit. l. 4. c. 10. CLAVDIANVS 6. conſul. Honorii v. 249. *m*) Confer. LIVIVS l. 3. c. 28. *n*) Orat. in Piſon. c. 31. *o*) Epiſt. 4. ad Ruſticum oper. tom. 1. p. 29. *p*) Periſtephanon hymno 1. verſ. 115. *q*) Verrina orat. 2. c. 63. *r*) De trinitate 3. 10.

Digitized by Google

ſed habere poterat, ſicut potuit, quando voluit. Et ſaluificare dixerunt eadem ſignificatione. SEDVLIVS: *s*)

Exclamansque palam, pater iſta memet in hora
Saluifica. - - - -

Vnde ſaluificator, et ſalutificator, apud TERTVLLIANVM *t*) et alios ſaepe legitur. Excommunicare, ſacris interdicere, voluerunt ſignificare: *v*) vnde ſcriptoribus ſacris excommunicatione nihil frequentius. Quod veteres dixerunt, *cibo ſe abſtinere*, *x*) vno maluerunt ſignificare verbo ieiunare. TERTVLLIANVS: *y*) *indifferenter ieiunandum ex arbitrio, non ex imperio nouae diſciplinae.* HIERONYMVS: *z*) *lecturus Tullium ieiunabam.* PRVDENTIVS: *a*) *Ieſus dicato corde ieiunauerit.* Hinc ieiunator, *b*) et ieiunatio. *c*) A *iuſto* fecerunt iuſtificare. *d*) Vnde iuſtificatus, *e*) iuſtificatio, *f*) et iuſtificator, vulgo notiſſima ſignificatione. Imo et TERTVLLIANVS *g*) diſciplinam humilitatis iuſtificatricem dixit. Pluta vno loco HIERONYMVS *h*) dedit verba, veteribus inaudita. *Niſi*, inquit, *forte ἐξεδίνωσας non putatis transferendum deſpexiſti, ſed ſecundum diſertiſſimum iſtius temporis interpretem*, nullificaſti, *ſeu* annihilaſti, *vel* annulla-

s) Lib. 5. v. 7. *t*) De pudic. c. 2. pr. de carne Chriſti c. 14. de reſurrect. carnis c. 47. adu. Marc. 5. 15. *v*) HIERONYMVS adu. Rufinum l. 2. c. 5. *x*) Vid. CORN. NEPOS Attico c. 22. n. 3. *y*) De ieiun. c. 2. *z*) Epiſt. 22. ad Euſtach. c. 13. *a*) Hymno ieiunantium v. 178. *b*) AVGVSTINVS epiſt. 86. *c*) TERTVLLIANVS de ieiun. c. 13. extr. Ad Scapulam c. 5. Aduerſ. Pſych. c. 10. *d*) Idem adu. Marc. 4. 17. *e*) Idem de orat. c. 13. PRVDENTIVS apotheoſ. v. 885. *f*) SALVIANVS de gubernat. Dei l. 2. *ambulantes in omnibus mandatis et iuſtificationibus.* *g*) Adu. Marc. 4. 36. *h*) Epiſt. 135. ad Suniam et Fretelam.

Digitized by Google

nullaſti. Ab *augere* nomen vulgo notiſſimum formarunt *augmentum*. Neque veriti ſunt huius aeui ſcriptores ab iſto deriuato verbum aliud fingere augmentare. IVLIVS FIRMICVS: *i*) *in tauro ſol ſi fuerit, quicunque ſic eum habuerint, homines erunt tales, qui vt theſauros ſuos augmentent, ſemper in proeliis verſabuntur.* A *capere captiuus* eſt: atque etiam hinc nouum dederunt verbum captiuare, quod idem eſt ac capere, aut captiuum ducere. AVGVSTINVS: *k*) *captiuandi cupiditas frangebatur.* Apud eundem *l*) quoque ſunt captiuatores, quos cum depraedatoribus coniungit; aliaque deriuata, a quibus Latinae linguae caſtitas abhorret. Non tam placuit iam *inire foedus*, aut *amicitiae vinculo coniungi*, quam foederare, imo confoederare. AMMIANVS: *m*) *cum foederaretur concordia.* Alibi, *n*) *foederata pace.* HIERONYMVS: *o*) *iurgantes inter ſe ſermone leniſſimo foederabat.* Idem: *p*) *naſcentem amicitiam vt Dominus confoederare dignetur.* PRVDENTIVS: *q*) *confoederantur omnia* ſc. membra. Quod veteribus eſt, fortem facere, aut roborare, dixerunt confortare. LACTANTIVS, *r*) et HIERONYMVS: *s*) *confortamini manus reſolutae.* CYPRIANVS: *t*) *religio inſtigare nos debet et confortare ad fratrum membra redimenda.* Deterius facere deteriorare. AMBROSIVS: *v*) *Vaſe foetido vel oleum, vel vinum, facile corrumpitur ac deterioratur.* SYMMACHVS: *x*) *habita deterioratae rei aeſtimatione.* Graeca, at Ciceroniana

i) Aſtron. l. 5. c. 6. n. 2. *k*) De ciuitate Dei l. 1. c. 1. *l*) Epiſt. 199. *m*) Lib. 31. c. 12. *n*) Lib. 25. c. 24. *o*) Epiſt. 27. epitaphio Paullae c. 10. *p*) Epiſt 5. ad Florentium. *q*) In Laurentio v. 437. *r*) Diuin. inſtit. l. 4. c. 15. *s*) Eſaiae c. 35. *t*) Epiſt. 60. al. 61. c. 1. *v*) Epiſt. 3. ad Simplicianum. *x*) Lib. 4. epiſt. 68.

niana vox *epitome*, verbum inde fecerunt epitomare. TREB. POLLIO: *y*) *hiſtoriae Alexandrinae atque orientalis ita perita, vt eam epitomaſſe dicatur*, i. e. in compendium redegiſſe. Iuſtinus epitomator vulgo dicitur Trogi Pompeii. VEGETIVS: *z*) *quae diſperſa ſunt, velut epitomata conſcribo.* In legum libris *a*) notantur epitomata Alfeni digeſta. Fructus ferre vel edere fructificare dixerunt. TERTVLLIANVS: *b*) *eandem credens fructificaturam, quae ſit ſeminata.* Idem: *c*) *ita haereſes de noſtro fructificauerunt.* Alibi: *d*) *fructificationes arbuſcularum ſignum aeſtiuo tempori praeſtant.* Et mox: *fructificationes ſigna ſunt aeſtatis.* Heredem eſſe, vel hereditatem adire, dixerunt hereditare. SALVIANVS: *e*) *diſcite, vos quaeſumus bona veſtra vel ipſi hereditare morientes.* Sic quoque verbum eccleſiaſticorum fere proprium eſt humiliare. CYPRIANVS: *f*) *is exaltabitur, qui ſe humiliauerit.* TERTVLLIANVS: *g*) *reſurget corpus hoc noſtrum, quod humiliatur in paſſionibus.* Apud eundem *h*) humilificare eſt. Verbo ſublimare contrarium ſtatuerunt infimare. Apud APVLEIVM *i*) *manes ſublimare, Deos infimare.* Apud eundem *k*) *ingenia ad miſerias infimata.* A *metiri*, verbo Ciceroniano, *menſura* eſt, vnde nouum hac aetate finxerunt menſurare. VEGETIVS: *l*) *acenturionibus foſſa inſpicitur ac menſuratur.* Hinc aeſtimanda, quae

y) De Zenobia c. 30. *z*) De re militari l. 1. c. 8. extr. *a*) Inſcriptio legis 14. D. de peric. et commod. rei vend. *Paulus lib. 3. epitomatorum Alfeni digeſtorum.* *b*) De reſurrect. carn. c. 52. *c*) De praeſcript. c. 36. *d*) Adu. Marc. 4. 39. *e*) Contra auarit. l. 3. *f*) Epiſt. 6. n. 4. *g*) Adu. Marc. 5. 20. *h*) De poenit. c. 9. *i*) Aſino aureo l. 8. *k*) De Deo Socratis. *l*) De re milit. l. 1. c. 25.

Digitized by Google

quae ex eo deriuantur, nomina adiectiua meſurabile, immenſurabile. PRVDENTIVS: *m*)

Incomprehenſa manet virtus, cui linea deſit
Vltima, quam ſpatium non menſurabile tendit.

Apud SALVIANVM *n*) *multum plane, et paene immenſurabile.* CLAVDIAN. MAMERTVS: *o*) *finito menſurabili, immenſurabilis menſura non deficit.* A veterum probato nomine *pompa* finxerunt pompare. SEDVLIVS: *p*)

Grandiſonis pompare modis, tragicoque boatu.

Vnde pari licentia deriuarunt nomina alia, pompalitas, *q*) pompaticus, *r*) pompatus, *s*) pompabilis, *t*) pompalis. *v*) Sic quoque compoſita valuerunt, depompare, vnde depompatio, deprauatio pompae; *x*) et expompare, quod eſt ignominia afficere. *y*) Ab aduerbio *palam*, vel *propalam*, verbum fecerunt propalare, quod eſt diuulgare: vnde propalatus. Apud OROSIVM: *z*) *contra edictum propalatae et publicae veritatis.* Apud AVGVSTINVM *a*) *diuinitus propalatum.* Latine interpretari, aut vertere, et verbis reddere Latinis, etiam hac aetate dictum latinare et latinizare. CAELIVS AVRELIANVS: *b*) *huius nominis vim ſaepius latinauimus.* Idem: *c*) *Sorani haec ſunt, quae latinizanda ſuſcepimus.* Sunt *papulae* quaedam puſtulae, aut feruidae cutis eruptiones,

m) Apotheoſ. v. 883. *n*) De auarit. l. 2. *o*) Lib. 2. c. 4. *p*) Carm. exord. *q*) PRISCIANVS de verſib. comic. poſt princip. *r*) APVL. aſin. aur. l. 10. TERTVLL. de cultu femin. l. 2. HIERON. prooem. in epiſt ad Epheſ. *s*) Compar. pompatior apud TERTVLL. de ſpectac. c. 7. *t*) TREB. POLLIO in Zenobia. *v*) CAPITOL. in Gordian. c. 6. *x*) Apud HIERON. adu. Rufin. l. 7. *y*) Apud AVGVSTIN. ſerm. 12. *z*) Lib. 6. c. 5. *a*) Epiſt. 137. *b*) Lib. 5. c. 6. *c*) Lib. 2. c. 1.

Digitized by Google

ptiones, Hitzblätterlein. Hinc apud CAELIVM AVRELIANVM *d*) papulare, eiusmodi papulis implere. Vbi et puſtulare, concipere puſtulas, ſiue tubercula in ſumma cute. TERTVLLIANVS: *e*) *ſi concha aliquid intrinſecus puſtulat, vitium eius magis debet eſſe, quam gloria.*

§. XXIV.

Verba praeter veterum conſuetudinem flectere conabantur. *Feriatus* tantum veteribus *f*) in vſu fuit: FERIARI, et, quae inde formarunt, tempora alia huius ſunt aeui. MACROBIVS: *g*) *ab armis feriabatur.* Rurſum: *h*) *ſcio, te non ludo, ſed ſerio feriari.* Et paulo poſt: *i*) *vitaremus torporem feriandi.* Ecquis veterum dixerit nequiens? AMMIANVS *k*) *Hannibalem aſſequi nequiens.* Sic plures huius aetatis alii. ARNOBIVS *l*) vero etiam: *haec omnia nequeuntes ſcire, neque ratione aliqua peruidere* etc. Agnoſcit corruptionem ſui ſeculi AVREL. VICTOR *m*) vbi luſum exponit nauiandi. *Hodie*, inquit, *aleatores, poſito nummo opertoque, optionem culluſoribus ponunt enunciandi, quid putent ſubeſſe, caput, aut nauem: quod nunc vulgo corrumpentes nauiandi dicunt.* Vetus verbum eſt *quadruplari* apud PLAVTVM. *n*) *Neque*, inquit, *quadruplari me volo: neque enim decet ſine meo periculo ire aliena ereptum bona.* Nam quarta pars multae in crimine maieſtatis, ambitus, repetundarum, et aliis vulgare prae-

d) Lib. 2. c. 1. et lib. 3. c. 4. *e*) De habitu muliebr. ſiue de cultu femin. 1. 6. *f*) Vid. CICERO de nat. Deorum l. 1. c. 37. Ad famil. l. 12. epiſt. 16. HORAT. l. 4. od. 6. *g*) Somn. Scipion. l. 1. c. 7. *h*) Saturn. l. 1. c. 2. *i*) L. c. cap. 7. *k*) Lib. 15. c. 26. *l*) Aduerſus gentes l. 7. p. m. 142. *m*) De origine gentis Romanae c. 3. extr. *n*) Perſa A. 1. S. 2. v. 10.

praemium accuſatorum fuit. Vnde *quadruplatores o*) ASCONIO *p*). ſunt accuſatores ſiue delatores criminum publicorum ſub poena quadrupli: ſiue, quod ipſi ex damnatorum bonis, quos accuſauerant, quartam partem conſequebantur. Deletae tandem ſub Aureliani imperio fiſcales et quadruplatorum, quae vrbem miſerabiliter affecerant, calumniae. *q*) Eleganter PLAVTVS: *r*)

Sed legirupam qui damnet, det in publicum
Dimidium: atque etiam mea lege adſcribitor;
Vbi quadruplator quempiam iniexit manum,
Tantidem ille illi rurſus iniiciat manum,
Vt aequa parti prodeant ad tresuiros.

Sed hac aetate, in quadruplum damnare, aut poenae quartam aucupari delatione partem, forma dictionis mutata, non fuit *quadruplari*, ſed quadruplare: quod etiam confundunt cum *quadruplicare*. PAVLVS: *s*) *quadruplatur is* numerus, *qui geminatus erat*. Paulo poſt: *ab nepote numerus quadruplatus in ſe efficit triginta duo*. VLPIANVS: *t*) *ſi quis non reſtituat: in quadruplum in eum iudicium pollicetur. Quadruplabitur autem omne, quodcunque reſtitui oportuit*. Veteribus interpretari verbum ſemper fuiſſe deponens, vulgo conſtat. Sed hac aetate cum aliis iſto velut paſſiuo vtitur AMMIANVS. *Zaitam*, inquit, *v*) *venimus locum, qui olea arbor interpretatur*. Rurſus: *x*) *foſſile flumen Naarmalcha nomine, quod*

o) Apud CICERONEM Verrin. orat. I. c. 7. LIVIVM hiſt. Rom. l. 3. c. 72. *p*) Ad cit. Cicer. loc. *q*) AVR. VICTOR de Caeſaribus c. 35. n. 7. *r*) Loco ſupra citato v. 16. *s*) L. 10. §. 17. D. de gradibus et affinibus. *t*) L. 14. §. 1. D. quod metus cauſſa geſtum erit. *v*) Lib. 23. c. 12. *x*) Lib. 24. c. 21. vid. etiam PAVLVS L. 12. D. de regulis iuris.

Digitized by Google

quod annis regum interpretatur. Apud MINVTIVM FELICEM *y*) meditantur leges dici paſſiue. Sic moderare pro moderari, inſidiare pro inſidiari, demolire pro demoliri, arbitrare, pollicere, ſimilia ſaepius veteres ICti dixerunt. *z*) PAVLVS etiam praeſtauerit dixit, non praeſtiterit. *a*) Accederat, pro acceſſerat, POMPONIVS et PAVLVS dixerunt; *b*) et hic liciturum, pro conceſſum fore. *c*)

§. XXV.

Compoſitorum loco verba ſimplicia aſſumebant. Ita v. gr. *repraeſentare* veteres eleganter dicebant, praeſentare non item: quod iam frequenti vſu venire nouimus. AVR. VICTOR: *d*) *caput ab Achilla, Ptolemaei ſatellite, Aegyptio velamine inuolutum, cum annulo Caeſari praeſentatum eſt.* Huius aeui panegyriſta: *e*) *fortitudo, iuſtitia, prudentia ſeſe votis gentium praeſentant.* APVLEIVS: *f*) *ſeſe Iuno cum totius ſui numinis auguſta dignitate praeſentat.* HIERONYMVS: *g*) *in typo praedictum, in ipſo Chriſto poſtea praeſentatum.* Quod *refrigerare* eſt apud veteres Latinos, etiam hac aetate frigorare dixerunt. Apud CAELIVM AVRELIANVM *h*) *frigorare corpus.* Alibi: *i*) *frigorandos ait cholericos.* Tolliſſe, vel, vt quidam legunt, tuliſſe VLPIANVS dixit, pro *ſuſtuliſſe*. *k*)

§. XXVI.

y) Octauio c. 25. n. 12. *z*) Vid. DVKERVS de Latinit. ICtor. veterum p. 318. 333. ſeq. *a*) Ibid. p. 337. Sic quoque *praeſtaturus, obſtaturus, extaturus.* p. 387. *b*) Ibid. p. 367. *c*) Ibid. p. 375. *d*) De viris illuſtr. c. 81. n. 14. *e*) De laud. Maximiani et Conſtantini c. 3. extr. *f*) Aſin. aur. l. 6. *g*) Epiſt. 62. princ. *h*) Lib. 4. c. 4. *i*) Lib. 3. c. 21. *k*) L. 13. §. 4. D de acceptilat. confer. DVKER de Latinit. ICtor. veter. p. 387.

Digitized by

§. XXVI.

Aduerbia paſſim leges, ante hanc ſenectutis imbecillitatem vix audita. Apud TERTVLLIANVM *l*) inuiſibiliter *operatum*. Apud PAVLLINVM Nolanum *m*) *et* viſibiliter, *et* inuiſibiliter *operaris ſalutem noſtram vere pater bonus et ſalutaris patronus. Inuiſibiliter nos aedificas in orationibus tuis, rogans, intra noſmet ipſos fieri regnum Dei: viſibiliter autem nobis operaris in fabricis eccleſiarum.* Vtrumque etiam apud AVGVSTINVM *n*) leges. Pro *aequo animo* aequanimiter dixerunt. MACROBIVS: *o*) Auguſtus *aequanimiter aliqua etiam iocis mordaciora pertulit.* AMMIANVS: *p*) *aequanimiter venturam operiens ſortem.* Sic et apud VOPISCVM *q*) CYPRIANVM, *r*) OROSIVM, *s*) ARNOBIVM, *t*) alios, pro *vno animo* leges vnanimiter vſitatum. Cum veteres dixiſſent, perpetuo, continuo, nullo temporis puncto intermiſſo, vox noua indeſinenter orta eſt. CYPRIANVS: *v*) *puro et immaculato ore ſacrificia et in perſecutione pariter, et in pace indeſinenter offero.* HIERONYMVS: *x*) *obtrectatione me indeſinenter aemuli laniant.* OROSIVS: *y*) *quatuor annis ciuile bellum indeſinenter toto orbe tonuit.* Atqui etiam VARRO, Latinitatis tempore feliciſſimo, ille Romanorum doctiſſimus: *z*) *ſi alter indeſinenter aeger eſt.*

l) Aduerſ. Valentin. c. 14. *m*) Epiſt. 20. ad Delphinum. *n*) De geneſi ad liter. 6. 6. *o*) Saturn. l. 2. c. 4. *p*) Lib. 19. c. 11. vid. etiam TERTVLLIANVS de patientia c. 8. et 9. SVLP. SEVERVS dialog. 1. c. 14. SYMMACHVS l. 4. epiſt. 10. *q*) Tacito c. 4. *r*) De vnit. eccleſ. c. 9. extr. *s*) Lib. 4. c. 6. *t*) Aduerſ. gentes lib. 1. *v*) Epiſt 69. n. 8. *x*) Epiſt. 117. extr. *y*) Lib. 6. c. 16. *z*) De re ruſtica l. 2. c. 9 extr.

eſt. Sic ſane lego in ſcriptoribus rei ruſticae Baſilienſi editione 1535. 4. Sed locus ille pridem P. Victorio, Scioppio, Borrichio, Cellario, aliis, mendoſus viſus eſt. Et meliores libri habent, *ſi alter itidem vter aeger eſt*: vt nullum plane in illo aſylum eſſe videatur. Ex iudicum ſententia factum ſententialiter. Sic apud TERTVLLIANVM *a*) *ſententialiter et definitiue pronunciare*. Apud MACROBIVM *b*) *ſententialiter proferri*. Aduerbium vane TERTVLLIANO *c*) et aliis huius aeui ſcriptoribus frequens, ſed vix, ante hanc vegetam Latinae linguae ſenectutem, cum adiectiuum *vanus* vbique obueniat, vſitatum. COACTE, aduerbium veteribus incognitum, TERTVLLIANVS *d*) habet: atque hinc comparationis gradu GELLIVS *e*) *coactius et feſtinatius facere*: rurſum *f*) *coactius interpretari*. Optima quidem aetate *ignominioſum* valuit, ignominioſe non item, quod huius aeui ſcriptores *g*) tandem vſurpare coeperunt. Quod bonis et honeſtis rationibus, licite dixerunt. *h*) Atque hinc ſenſu contrario illicite. *i*) Quamuis hoc etiam apud VARRONEM *k*) legamus. Incenſe pro *vehementer* A. GELLIVS *l*) ſcripſit. Quod a Deo eſt veteres *diuinitus* dixerunt. Hinc poſterioris aeui ſcriptores, non item caſtae Latinitatis cuſtodes, coelitus fecerunt, quod eſt de coelo,

a) De carne Chriſti c. 18. *b*) Saturn. l. 5. c. 6. *c*) Apolog. c. 49. de pudicitia ſub initium: aduerſ. Marc. l. 1. c 5. extr. l. 4. c. 24. de reſurrect. carn. c. 52. *d*) De baptiſmo c. 12. *e*) Noct. Attic. l. 10. c. 11. *f*) Lib. 19. c. 2. *g*) EVTROPIVS l. 4. c. 10. et 11. *Ignominioſius* ARNOBIVS l. 4. Et *ignominioſiſſime* OROSIVS l. 7. c. 7. extr. et c. 10. *h*) OROSIVS l. 6. c. 20. *i*) TERTVLLIANVS adu. Marc. 4. 34. Et L. 11. §. 14. D. de legatis et fideic. 3. *k*) De Lat. lingua l. 5. c. 9. extr. *l*) Noct. Attic. l. 10. c. 3.

lo, ἐξαυθεν. LACTANTIVS: *m*) *ſtatuerat* Deus, *appropinquante vltimo tempore, ducem magnum coelitus mittere.* Apud HIERONYMVM *n*) eſt *coelitus inſpiratus*; apud AMMIANVM *o*) *ignis coelitus lapſus*; apud CYPRIANVM *p*) *coelitus ſpiritu hauſto*; apud OROSIVM *q*) *coelitus iudicatum eſt.* Huius furfuris etiam dignanter eſt aduerbium, quod hac aetate pro ipſo verbo *dignari* vſurparunt. VOPISCVS: *r*) *loquentem dignanter audite*: pro audire dignamini: HIERONYMVS: *s*) *inopum cellulas dignanter introeas*: pro intrare digneris. SYMMACHVS: *t*) *quaeſo, vt humanitatem, quae inter virtutes tuas prima eſt, noſtri ordinis auditoribus dignanter impertias*: pro impertire digneris. Ita quoque pro clementer, ex gratia, gratanter fecerunt. CAPITOLINVS: *v*) *mortem Antonini ſenatus gratanter accepit.* Rurſus: *x*) *ad ſenatum miſit literas, quae, occiſo Valeriano, in odium Maximini, gratanter acceptae ſunt.* TREB. POLLIO: *y*) *ſenatus et vrbs, et omnis aetas, gratanter accepit.* AMMIANVS: *z*) *obſides gratanter amplexi ſunt.* AVR. VICTOR: *a*) *cum in curiam a ſenatu gratanter exceptus eſſet.* SYMMACHVS: *b*) *impendio precor, vt hanc honorificentiam dignemini gratanter amplecti.* Quod perperam fit, ſecundum carnis voluptates, carnaliter fieri dixerunt. PRVDENTIVS: *c*) *poſteritas carnis, carnaliter omnia cernens.* HIERONYMVS: *d*) *grandis virtutis eſt, in car-*

m) Diuin. inſtit. l. 4 c. 2. *n*) Vita Pauli Eremitae. *o*) Lib. 23. c. 22. *p*) Epiſt. 2. c. 2. *q*) Lib. 7. c. 35. *r*) Tacito c. 8. *s*) Epiſt. 26. c. 6. ad Pammach. *t*) Lib. 5. epiſt. 65. *v*) Macrino c. 7. pr. *x*) Maximinis c. 14. extr. *y*) Gallien. c. 12. *z*) Lib. 17. c. 26. *a*) Epit. c. 1. 2. n. 7. *b*) Lib. 7. epiſt. 76. extr. *c*) Apotheoſ. v. 368. *d*) Epiſt. 10. ad Furiam.

ne non carnaliter viuere. Quod quis imprudens, vel ignorans facit, ignoranter facere dicitur; *e)* quod in rebus occultis, aut valde obſcuris, ignorabiliter. *f)* Quod cum pompa fieri ſolet, pompaliter fieri dixerunt. TREB. POLLIO: *g) gladiatores pompaliter ornati:* vbi veteres *magnifice* ſubſtituerint. Ex *quanto* et *ocyus* fecerunt quantocius. Ita SVLPIC. SEVERVS: *h) diſcede quantocius, ne me ob iniuriam tuam coeleſtis ira conſuma.* Quod veteres *aliquantum*, aut *pauliſper*, iam diutule et diuſcule dixerunt. APVLEIVS: *i) Socrates, cum decorum adoleſcentem, et diutule tacentem conſpicatus foret, vt te videam*, inquit, *aliquid eloquere.* AVGVSTINVS: *k) cum diuſcule attenderimus.* Incolorate pro ſine vllo colore, aut ſine ratione veri et boni VLPIANVS ſaepe dixit, et qualiter qualiter pro quocunque modo. *l)*

§. XXVII.

Aduerbiis quoque alias terminationes dederunt. v. gr. *mediocriter* antiqui dixerunt omnes: hinc medie fecerunt. APVLEIVS: *m) nec plane optimi, nec oppido deterrimi ſunt, ſed quaſi medie morati.* EVTROPIVS de Claudio imperatore: *n) hic medie imperauit, multa gerens tranquille atque moderate, quaedam crudeliter atque inſulſe.* IVL. FIRMICVS: *o) Saturnus igitur ſi dator vitae fuerit, et integrum decreuerit annorum numerum LVII. decernit, ſi medie,*

e) Vid. CYPRIANVS epiſt. 65. n. 1. et 13. *f)* APVLEIVS aſin. aur. l. 3. *laminis ignorabiliter literatis*, ignotos magiae characteres intelligit. *g)* In Gallien. c. 8. *h)* 3 dialog. c. 5. *i)* Florid. init. vid. etiam GELLIVS l. 5. c. 10. et MACROBIVS ſaturn. l. 7. c. 11. *k)* De trinit. 11. 2. *l)* DVKERVS de Latinit. ICtor. veter. p. 321. *m)* De dogmate Platonis. *n)* Lib. 7. c. 8. *o)* Aſtronom. l. 2. c. 28.

die, XLII. menſesque VI. Quamdiucunque forſan ante nunquam legeris. Sed HIERONYMVS: *p*) *quamdiucunque ſe voluerit abſtinere.* Pro eo, quod veteres contrarie, contra, ex contraria parte, aut e contrario, dicebant e contra. HIERONYMVS: *q*) *aliis vero e contra videtur.* AVR. VICTOR: *r*) *honeſtiorumque prouectu, et e contra, ſuppliciis flagitioſi cuiusque, virtutum ſtudia augebantur.* Sic quoque contra verſum dicebant. SOLINVS: *s*) *recentem natum fletu parens excipit: contrauerſum laeta ſunt funera.* Quod veteribus et optimis *ſignificanter*, aut *ſignificantius* dictum, Graecis ἐμφατικῶς, hac aetate malebant ſignanter, vel etiam ſignate proferre. HIERONYMVS: *t*) *ſignanter et proprie ſupra dixerat: qui ducit vxorem, non peccat.* Alibi: *v*) *ſignanter in Ebraeo habetur, non vocabis nomen eius Sarai.* AVSONIVS: *x*) *ſignanter et breuiter omnia indicare.* A. GELLIVS: *y*) *a veteribus, qui proprie atque ſignate locuti ſunt, ita vt decuit, conſeruata eſt.* Quae totidem verbis, vt multa alia, MACROBIVS *z*) exſcripſit.

§. XXVIII.

Et ſignificationes aduerbiorum permutarunt: vt MODESTINVS IC. contra rectam dicendi conſuetudinem, interdum poſuit, pro interea; *a*) PAVLVS: *b*) pro particulatim, ſiue per partes, paulatim dixit. Vbique

p) Aduerſus Pelagianos l. 1. oper. tom. 2. pag. m. 177. *q*) Epiſt. 12. ad Gaudentium. *r*) De Caeſaribus c. 39. n. 45. *s*) Polyhiſt. c. 15. de Thracibus. *t*) Adu. Iouinian. l. 1. c. 7. extr. *v*) Quaeſt. in Geneſ. 17. *x*) In gratiar. actione. *y*) Noct. Attic. l. 2. c. 6. *z*) Saturn. l. 6. c. 7. *a*) Vid. DVKER de Latinitate ICtorum veterum p. 375. *b*) L. 47. fin. D. de iure fiſci. Conſer. DVKER l. c. p. 383.

pro vbicunque: quandoque pro quandocunque. *c*) CYPRIANVS, annotante ERASMO, *d*) frequenter abutitur iſthic pro *hic*, et illic pro *iſthic*, quamdiu pro *donec*, imo nonnunquam pro *potius*. Nihil frequentius, quam ſepties et quinquies etc. poni pro *ſeptimum*, et *quintum*, *e*) Retro pro ante. *f*)

§. XXIX.

Praepoſitiones inepte componebant, et quos requirunt nominum caſus, vulgo negligere videbantur. Ex. gr. pro *coram* incoram quaſi elegantius dictum ponebant. Apud APVLEIVM *g*) *incoram omnium*, pro coram omnibus: et *incoram ſui*, *h*) pro coram ſe. SYMMACHVS: *i*) *tuam eximietatem incoram reperire poſſe multa, quae tacui.* Idem: *k*) *quod incoram poſitus improbaſti.* Eo pertinent quoque praepoſitiones cum aliis particulis coniunctae, a modo, *l*) ex nunc, *m*) ab inuicem, *n*) e contra, *o*) et huius furfuris aliae. Aliarum praepoſitionum ſignificationes confundebant. Absque non tantum pro *ſine*, verum etiam pro *praeter* hoc ſeculo valebat. SYMMACHVS: *p*) *hic dulce otium, ſi quid absque te dulce eſt, paùliſper exegimus.* Idem: *q*) *absque paucis, qui me ſecuti ſunt.* OROSIVS: *r*) *LXXX. naues captae, absque his, quae in conflictu incenſae demerſaeque perierunt.* SOLINVS, *s*) Phoenicem deſcribens, *poſtera,*

c) Ibid. p. 415. ſeq. *d*) Cyprian. oper. pag. vlt. *e*) Vid. SPARTIANVS Adrian. c. 1. *f*) CAPITOLINVS Pertinac. c. 9. *g*) Aſin. aur. l. 7. *h*) Ibid. l. 9. *i*) Lib. 3. epiſt. 3. *k*) Lib. 10. epiſt. 7. *l*) Apud HIERON. vita Hilarionis. *m*) Apud AMMIANVM l. 28. c. 17. *n*) Apud CYPRIAN. epiſt. 63. et HIERON. epiſt. 18. *o*) Apud HIERON. epiſt. 12. *p*) Lib. 2. epiſt. 59. *q*) Lib. 2. epiſt. 36. *r*) Lib. 2. c. 16. *s*) Polybiſt. c. 46.

Digitized by Google

poſtera, inquit, *parte purpureus, absque cauda, in qua roſeis pennis caeruleus inſcribitur nitor.* Vbi recte CAMERSIVS annotat: *non vult Solinus, hanc alitem eſſe absque cauda, ſed eam eſſe vbique coloris purpurei, praeterquam in cauda.* Apud hac vegeta Latinae linguae ſenectute ita vrbium et regiouum nominibus addi conſueuit, vt praepoſitionem *in*, vel genitinum exprimat. EVTROPIVS: *t) Sulla Archelaum apud Piraeeum obſedit*: pro in Piraeeo, cuius muris Archelaus incluſus erat. Idem: *v) Pharnaces Pompeio in auxilium apud Theſſaliam fuerat*: at Pharſalici campi in ipſa Theſſalia erant. Rurſus: *x) Veſpaſianus factus apud Palaeſtinam imperator*: qui in ipſa Palaeſtina eam dignitatem obtinuit. Sic OROSIVS: *y) apud Britannias Gratianus municeps eiusdem inſulae tyrannus creatur et occiditur.* SEXTVS RVFVS: *z) legatis Romanorum apud Corinthum violatis*: quod in ipſa vrbe factum eſſe conſtat. Apud quoque pro *ad* vſurpare ſolebant. AVR. VICTOR: *a) quare apud Duumuiros condemnatus, apud populum prouocauit.* Iuxta pro *ſecundum* ex antiquioribus dixit nemo. Sed hac aetate NAZARIVS: *b) iuxta magnitudinem exantlandi operis.* HIERONYMVS: *c) iuxta prophetam Zachariam.* Rurſus: *d) iuxta illud poeticum.* Idem: *e) iuxta inclytum oratorem, ſilent inter arma leges.* Alibi: *f) iuxta fabulas poetarum.* Et *g) iuxta LXX. interpretes.* SOLINVS: *h) iuxta reſponſum datum a Deo.*

§. XXX.

t) Lib. 5. c. 4. n. 1. *v*) Lib. 6. c. 17. *x*) Lib. 7. c. 13. pr. *y*) Lib. 7. c. 40. *z*) Breuiar. c. 7. *a*) De viris Illuſtr. c. 5. n. 5. *b*) Panegyr. Conſtantini c. 23. *c*) Epiſt. 2. *d*) Epiſt. 4. *e*) Epiſt. 82. *f*) Prooem. l. 2. comment. in Oſeam, oper. tom. 6. p. 17. *g*) Comment. in Nahum c. 3. oper. tom. 6. p. 141. *h*) Polyh. c. 14.

§. XXX.

Neque coniunctiones vbique, ad priſtinum linguae ſeruandum nitorem, recte poſitas obſeruare licebit. Sic v. gr. enim ſcriptum voce non alia antecedente. *i*) Apud CYPRIANVM, ERASMO annotante, *k*) *quando* pro quum toties occurrit, vt caſu factum eſſe valde dubitet.

§. XXXI.

Vt in verbis, ſic in dictionibus quoque multa reperimus mutata fuiſſe. Veteres cum verbo benedicere tertium caſum coniungebant. CICERO: *l*) *cui benedixit vnquam bono.* Sed hac aetate eius loco ſubſtituebant quartum. Apud APVLEIVM *m*) ſunt *benedicentes Deum.* TERTVLLIANVS: *n*) *plane benedici Deum omni loco ac tempore condecet.* LACTANTIVS: *o*) *perfectis operibus requieuit die ſeptimo, eumque benedixit.* SVLP. SEVERVS: *p*) *cum iam altarium, ſicut eſt ſolemne, benediceret.* Verbum incumbere Cicero cum accuſandi caſu et praepoſitione *in* vel *ad* poſuit, vbi ſtudium curamue indicare voluit. Sic ad Plancum ſcribit: *q*) *incumbe, per Deos immortales, in eam curam et cogitationem.* Rurſum: *r*) *vt tota mente omnique animi impetu in remp. incumbas.* Alibi: *s*) *in id ſtudium, in quo eſtis, incumbite, vt et vobis honori, et amicis vtilitati, et reip. emolumento eſſe poſſitis.* Sed hac aetate conſtruere maluerunt cum dandi caſu. VOPISCVS: *t*) *populus iſte militantium, qui nunc bellis ciuilibus remp. vexat, araret, ſtudiis*

i) Vid. DVKERVS de Latinit. ICtor. veter. p. 330. *k*) Cyprian. oper. pag. vlt. *l*) Orat. pro Sextio c. 52. *m*) Ad Aſclepium. *n*) De orat. c. 3. *o*) Diuin. inſtit. l. 7. c. 14. n. 11. *p*) De virtut. Martin. n. 2. *q*) CICER. ad diuerſ. l. 10. epiſt. 3. n. 8. *r*) Lib. 10. epiſt. 5. n. 6. *s*) De oratore l. 1. c. 8. extr. *t*) Probo c. 23.

Digitized by Google

diis incumberêt, erudiretur artibus. Apud LACTANTIVM *v*) eſt *incumbere voluptatibus.* Bellum gerere cum aliquo apud TREBELLIVM POLLIONEM *x*) eſt *odio aliquem proſequi.* Latrocinari, quod ex optima dicendi ratione nihil aliud eſſe nouimus, quam ex militum more agere praedas, EVTROPIVS *y*) cum quarto caſu conſtruxit, latrocinari naues, vt rapere et latrocinari confunderet. Et hae ſunt apud EVTROPIVM dictiones minus vſitatae: pacem alicui tribuere, pro pacem cum aliquo facere. *z*) Pacem ordinare inter quosdam. *a*) Ex infima plebe, ordinis eſſe plebeii, dixit, viliſſime natum eſſe. *b*) Victus vltima pernicie, pro ad internecionem. *c*) Vnicae moderationis vir, qui peculiarem vel eximiam moderationem oſtendit. *d*) Queri alicui de iniuria. *e*) Pati naufragium, pro naufragium facere. *f*) Vulnere aduerſo, pro vulnere in pectore accepto. *g*) Nam *aduerſum* vulgo dicebatur, quod in pectore; ſicut *auerſum*, quod in tergo. Hinc *auerſis vulneribus* cadunt, qui in fuga ſunt: *aduerſis* autem concidunt, qui fortiter hoſtibus inſtant. *h*) Apud TERTVLLIANVM, *i*) et eccleſiaſticos ſcriptores plurimos, eſt renunciare peccato, et pompae, et angelis eius. Vbi ſubaudienda eſt amicitia, obſequium, aut ſeruitus. Bona opera facere dicunt, pro virtutem exercere, virtutibus

v) Diuin. inſtit. l. 2. c. 1, n. 3. *x*) Gallienis duobus c. 2. init. *y*) Lib. 3. c. 2. extr.. *z*) Lib. 2. c. 16. *a*) Lib. 4. c. 4. *b*) Lib. 9. c. 13. *c*) Lib. 2. c. 11. *d*) Lib. 9. c. 8. *e*) Lib. 1. c. 7. *f*) Lib. 2. c. 12. *g*) Lib. 1. c. 6. *h*) Confer. SALLVSTIVS Iug. c. 85. TACITVS hiſt. l. 3. c. 84. CVRTIVS l. 9. c. 5. IVSTINVS l. 9. c. 3. GELLIVS l. 2. c. 11. *i*) De corona milit. c. 3.

